



the fact that the β phase is not observed in the β - α phase diagram of pure Al₂O₃ (Fig. 1).

The β phase is also not observed in the β - α phase diagram of pure SiO₂ (Fig. 2).

It is therefore concluded that the β phase is a solid solution of Al₂O₃ in SiO₂.

The β phase is also not observed in the β - α phase diagram of pure SiO₂-Al₂O₃ (Fig. 3).

It is therefore concluded that the β phase is a solid solution of Al₂O₃ in SiO₂.

The β phase is also not observed in the β - α phase diagram of pure SiO₂-Al₂O₃ (Fig. 4).

It is therefore concluded that the β phase is a solid solution of Al₂O₃ in SiO₂.

The β phase is also not observed in the β - α phase diagram of pure SiO₂-Al₂O₃ (Fig. 5).

It is therefore concluded that the β phase is a solid solution of Al₂O₃ in SiO₂.

The β phase is also not observed in the β - α phase diagram of pure SiO₂-Al₂O₃ (Fig. 6).

It is therefore concluded that the β phase is a solid solution of Al₂O₃ in SiO₂.

The β phase is also not observed in the β - α phase diagram of pure SiO₂-Al₂O₃ (Fig. 7).

It is therefore concluded that the β phase is a solid solution of Al₂O₃ in SiO₂.

The β phase is also not observed in the β - α phase diagram of pure SiO₂-Al₂O₃ (Fig. 8).

It is therefore concluded that the β phase is a solid solution of Al₂O₃ in SiO₂.

The β phase is also not observed in the β - α phase diagram of pure SiO₂-Al₂O₃ (Fig. 9).

It is therefore concluded that the β phase is a solid solution of Al₂O₃ in SiO₂.

The β phase is also not observed in the β - α phase diagram of pure SiO₂-Al₂O₃ (Fig. 10).

It is therefore concluded that the β phase is a solid solution of Al₂O₃ in SiO₂.

The β phase is also not observed in the β - α phase diagram of pure SiO₂-Al₂O₃ (Fig. 11).

It is therefore concluded that the β phase is a solid solution of Al₂O₃ in SiO₂.

The β phase is also not observed in the β - α phase diagram of pure SiO₂-Al₂O₃ (Fig. 12).

It is therefore concluded that the β phase is a solid solution of Al₂O₃ in SiO₂.




C. G.

FRANCI

SCI GVICCIARDI NI PATRICII FLORENTINI

Historiarum sui temporis libri viginti, ex Itali-
co in Latinum sermonem conuersi, ite-
rum editi, atque ab ipso interprete
emendati ac perpoliti, sic vt
alij omnino esse vi-
deantur.



CÆL. S. C. INTERPRETE
AD CAROLVM IX. GALLIAE
REGEM POTENTISSIMVM
ET CHRISTIANIS-
SIMVM.

*

B A S I L E Æ

Cum gratia & priuilegijs Cæsareæ Maiestatis
& Regis Christianissimi ad Decennium.

1567



1 1/2 R



608

TIPOGRAPHVS LECTORI.

CAVTVM est priuilegijs Imperatoris & Regis Galliae, vtroque ad decennium, nequis hosce viginti historiarum libros Francisci Guicciardini Patritij Florentini Latinè, vel Germanicè excudat, aut excudèdos curet, néue excufos alibi, quàm à nobis, vendere audeat, sub X marcharum auri puri multa & amissione librorum. Hoc te scire volu Lector, vt quandoquidem inter viros bonos bene agier oportet, ab alieno manus cohibeas, & res tuas



Ob. 6. 11. 3486

CAELIVS SECVN- DVS CVRIO

CAROLO NONO GALLIAE RE-
gi Christianissimo ac potentissimo

S P D.



HISTORIAM, Rex Christi-
anissime, tibi affero, mo-
numentū minime leue, sed
omnium in ista vestra ciui-
li regiaq; vita maximum;
vt non frustra vir ille in
Romana quondā rep. tantus, scriptum relique-
rit: Historiam testem esse temporum, lucem
veritatis, vitam memoriae, magistram vitæ,
nunciam vetustatis. itaque non sine causa apud
vetustissimas gentes Ebreorum, Caldeorum,
Aegyptiorum, Persarum ac Romanorum, Re-
gum & Sacerdotū erat munus, annalium, hi-
storiæue confectio. id autem non modò propter
magnitudinem rei, verum etiam propter digni-
tatem. arbitrabantur enim tantam rem non nisi
ab ijs qui ea gessissent, aut qui propter potētiam
& opes, plura quàm reliqui scire potuissent, &
quorū maxime interesset, hanc vitæ magistram
intueri, posteritati prudenter ac fideliter tradi
posse. Hæ igitur causæ me, Rex, vt hanc Fran-

cīsci Guicciardini historiam tibi in Latinum sermonem conuerterē, & conuersam donarem impulerunt. Nam si regum est, aliorumque qui ceteris imperant, quæ in rep. administranda, fugienda sequendaque sint nosse, atque tenere, & hæc potissimum non nudis ac frigidis præceptis, sed illustribus & viuis exēplis docet historia, si minus eam scribere, at certè in eius lectione versari, vestri prorsus muneris esse negari non potest. Quòd si quis alius hoc seculo, hacque ætate rerum gestarum memoriam prudenter, ac fideliter explicauit, ausim hunc nostrum non modò ceteris æquare, verum etiam longe anteferre. Prudentia in consiliorum diligenti indagine, atque acumine cernitur: in qua hic noster non modò nouos, verum etiam veteres omnes superauit: tanta in eo sagacitas, tanta vel reconditarum rerum cognitio inest. Fides autem, quæ in rerum gestarum explicatione versatur, fecit ut ne quid falsi scribere sciens auderet, ne quid veri non auderet: ne qua suspicio gratiæ esset in scribendo, ne qua simultatis. Accedit his, quod ea tantum sibi explicanda sumpsit, quæ suo tēpore gesta sunt: & quibus maiorem partem aut interfuit, aut etiã præfuit. Nam a Carolo VIII. qui tot ac tantas res tam breui tempore gessit, unde tu nomen habes, exorsus, in Henrici patris tui nuptijs suam historiam terminauit: reliqua

liqua etiam scripturus, quæ post sunt gesta, si vita ei suppeditasset. Ad te igitur, Rex potentissime, hæc historia potissimum pertinere visa est, non solum illis quas supra commemoravi causis, verum etiam quod maiorum tuorum præcipue res gestas complectitur sic, ut Francorum tantum causa hanc scriptionem suscepisse videatur. In hac enim longè illustrius, & verius quàm in alia, rerum humanarum vicissitudinem cernes: exemplorum in omnem vitæ partem admirabilem copiam obseruabis: casus admirandos obstupesces: consiliorum, sententiarumq; varietatem notabis: reip. administrandæ multiplicem rationem attendes: bellorum exitus incertos metues: rei bene gerendæ occasiones arreptas & omissas minimè negliges: principum ac nationum multarum mores & instituta considerabis. omitto regionum, urbium, & aliorum locorum certissimam, tanquam in rem præsentem veneris, cognitionem: clarorum virorum ac temporum quibus floruerunt, notitiam: ex qua rerum silua, quid sequendum, quid vitandum sit, si modo idoneum nactus eris vitæ tuæ ducem, disces. Et quanquam, neque ingenium tibi, neque viri sapientes desint, tamen nisi Deum, cuius nutu & voluntate regnas, ducem habueris, parum ingenium, parum quoque prudentium virorum consilia proderunt. nam multi ingenio

pollentes, meliora viderunt, deteriora sunt sequuti: neque pauciores sapientum consilia contempserunt, atque precipites ruerunt. Nā quod Herculi accidisse ferunt, ut quum primum pubesceret, quod tempus à natura ad deligendum quam quisque viuendi viam sit ingressurus, datum est, solus diu secum multumq; cogitaret: quum duas cerneret vias, vnam voluptatis, alteram virtutis, vtram ingrederetur, Deum affuisse, quo duce virtutis sit ingressus viam: id tibi quoq; , ac multo magis Regi Christianissimo faciendum est: neque enim id meditati, atque flagitanti tibi vitæ dux atque magister Deus ille pater, & rex regū Christus, qui via, Veritas, & vita est, quem qui sequitur ducem, nec in tenebris ambulat, nec aberrat, est futurus. Quod autē ad meos in hac historia vertenda labores pertinet, id tibi possum affirmare, me ut duo assequerer conatū fuisse: primum ut fideliter, secundum ut planè ac dilucidè verterem: quæ si sum assecutus, est quod læter: sin minus, est quod humane imbecillitati, atque etiā meæ non modò ingrauescenti ætati, verum etiam iam annis, laboribus, curisq; planè graua te ista tua regia facilitate condones: & me omnia præclare, vel tua, Rex Christianissime, caussa, præstare voluisse existimes. Ut autem plenius hoc munus haberet Maiestas tua, cum

Guic-

Guicciardinoduos præclaros historiæ scriptores copulauimus, Bartholomæum Facium, & Iouianum Pontanum: quorum ille quæ à maioribus tuis in regno neapolitano in Alfonso primum Aragonium gesta sunt, hic reliqua bella vsque ad Alfonso secundum & Ferdinandum, à quo Guicciardinus suæ historiæ initium fecit explicauit. Hæc igitur omnia simul sic accipies, Rex optime, vt istam tuam suauissimam ætatem regiamque magnitudinem decet. Vale. Ex inclÿta Basilea, Cal.

Aprilis. M D L X V I.

*

CAELIVS SECVN-
DVS CVRIO
Ad Lectorem.



FFICII esse aiunt, Lector huma-
nif. vnumquemq; fuarum actio-
num rationem quâ poffit, reade-
re: id nos in hac hiftoriæ verfione
conabimur efficere. neque enim
dubito aliquos fore, qui non fatis fint probatu-
ri, quòd in hac hiftoria vertenda, locorum, of-
ficiorum, armorum & machinarum noua voca-
bula retinuerimus: verùm fi quis fecum repu-
tauerit, quanta in his rerum & nominum facta
fit mutatio (nam nihil in rebus humanis in eo-
dem ftatu diu permanet) is fine dubio nobis æ-
quior erit & lenior. nam primùm hac in re ni-
hil à veterum confuetudine alienum fecimus:
qui in fcribēda potiffimum hiftoria, fiue hi Græ-
ci fiue Latini fuerint, fui tēporis nominibus in
huiusmodi appellādis femper funt vfi. hinc na-
ta eft illa varietas, vt alius alio nomine eādē vr-
bē aut locū pro feculi fui more appellarit: quod
exemplis confirmarem, ni vel geographos, vel
hiftoricos legenti paffim occurrerent. deinde
tanta eft plerunque veterum à nouis diffimili-
tudo, vt nifi quis omnis antiquitatis fit peritif-
fimus, nihil omnino aut parum admodum fit in
his rebus intellecturus. Dicat aliquis, vtroque,
& veteri & nouo vti debuiffes: fcilicet, vt hifto-
riam qua nihil clarius, nihil certius effe debet,
aut obfcurarem, aut mendofam facerem. quis
enim nescit, quàm facilè fit in nouis cum vete-
ribus

ribus copulâdis hallucinari? id quod in nostris scriptoribus facilè vel in Sabellico, Bembo & Iouio constat: qui interdum sic inter se dissentiunt, vt aut non vnum eundemq; locû esse dubitare cogaris, aut cui potius sit assentiendum ignores. Idem de magistratuum, officiorum & munerum publicorum, siue castrensibus, siue vrbans appellationibus dico: idem de armorû & machinarum, quæ pro ratione gentium, ciuitatum & temporum sunt mutata. hinc Suffetes Cartagine, qui Romæ Consules: & Ephori apud Lacedæmonios, qui apud Romanos Tribuni pleb. quibus nominibus cum de illis scriberent, liberè veteres scriptores vtebâtur: idq; nulla alia de causa, quâ vt intelligerentur: ergo & nos eorum exempla secuti, Duces, Marchiones, Comites, Ammiralios, Marischiallos, Ballios, Cardinales, Episcopos, Abbates, & id genus reliqua rectè vsurpabimus. Illud modò videndum, vt ea omnia siue locorum siue officiorum vocabula leniter, & ex veterum vsu ad Latinam consuetudinem deflectamus, atque, vt Horatius ait, parcè detorqueamus: cuius rei exempla multa in Liuiio, non pauca in Cæsar's Commentarijs inueniemus. Superest vnum, in quo nōnullos errare video, qui in historia non ferunt, si quis de sua gente, etiam si verissimum sit, aut crudeliter, aut perfidiosè, aut auarè, aut flagitiosè factum apertè aliquid scripserit: at hiniuium teneras ac delicatas habent auriculas: neque vident, si hoc valeat, omnem prorsus historiæ scripturam tolli: quæ se quicquid gesserint homines, siue boni siue mali fideliter ex-

applicaturá profitetur: quū illa, vt veteres scriptū
reliquerūt, prima lex historiæ sit, vt nequid falsū
audeat, nequid veri nō audeat: alioqui quomo-
do appellaretur lux veritatis, & magistra vitæ, si
hominū scelera pariter & benefacta non cōple-
cteretur? An Salustius, Liuius, Tacitus, Sucto-
nius Romanis orbis terrarū dominis peperce-
re? Legat qui volet nō vniuersam historiam, sed
proœmia tantū & principia, & an pepercerint
cognoscet. nos vnum aut alterū locū adscribe-
mus. Salustius per initia cōiurationis Catilinæ,
de suis Romanis: Igitur primò, inquit, pecuniæ,
deinde imperij cupido creuit: ea quasi materies
omnium malorū fuere: pòst, vbi contagio quasi
pestilentia inuasit, ciuitas est immutata: impe-
rium ex iustissimo atq; optimo crudele intole-
randumq; factum est, & quæ sequuntur: vbi ne
nominibus quidem magnorum virorū parcat.
Quid in Iugurtino suo? an veritus est alieno o-
re quod ipsemet ostenderat, Romam venalem
appellare? nam de Iugurta sic scribit: Sed post-
quam Roma egressus est, fertur eò sæpe tacitus
respiciens, postremò dixisse: Urbem venalē, &
maturè perituram, si emptorē inuenerit. Quid
verò Liuius? Labente, inquit, paulatim discipli-
na, velut desidentis primò mores sequatur ani-
mo, deinde vt magis magisq; lapsi sint, tū ire
cœperint præcipites, donec ad hæc tempora
ventum est, quibus, nec vitia nostra, nec reme-
dia pati possumus. Hæc illi, sed longè maiora in
ipso historiæ cursu, vbi ne summorū quidem ci-
uium, ac belli ducum proditiones describere,
ac proditores tales appellare veriti sunt. Ec-
quis

quis vnquam eis diem dixit? quis lege XII Ta-
bularum, quis Cornelia de infamia, siue Valen-
tiniana de Famosis libellis, vllum historicum
appellauit? Quid igitur mirum si & nostri ho-
mines, nouiq; historici, historiæ leges, veterūq;
historiæ principum morem secuti, vitia corru-
ptelasq; hominum & nationū describunt? & in
his Guicciardinus hic noster? qui ingenuali-
bertate & cādore, nullius, siue gentis, siue per-
sonæ habita ratione, quæ laudāda sunt laudat,
& viperanda vituperat. Illud modò videant qui
sic affecti sunt, ne magis ægrè ferant malefacta
vituperari, quàm malefacere, malintq; boni ha-
beri, quàm esse. Iam si historici ipsi reprehēden-
di non sunt, multo minus interpretes: qui etsi
illi repehensione digni essent, reprehendi nul-
lo modo debent: vtpote qui non ipsi ea dicant,
sed ab alijs dicta, ijs qui ea cognoscere volunt,
interpretātur: quāquam quod ad nos attinet, si
quid asperius dictū videbatur, id emolliuimus
potius interpretatione, quàm exasperauimus.
Quāobrem in illud potius quisq; mihi animū
intendat, quod præcipuè in cognitione rerū sa-
lubre ac frugiferum est, vt exemplorum docu-
menta in illustri posita monumento intueatur,
vnde sibi suæq; reipub. quod imitetur capiat:
inde fœdum incœptu, fœdum exitu quod vitet;
& quod probi faciunt, non modò ipsis histori-
cis, verumetiam eorum interpretibus
faucat, plaudat, gratiam si minus re-
ferendo, at agendo, haben-
doq; reponat.

FRANCISCI GVICCIARDINI
VITA C. S. C.
interprete.



Vicciardina familia nobilis atque opibus pollens, Florentiæ à vetustis temporibus semper fuit: nam ex ea homines tam armis quàm literis domi & foris clari prodire. Et vt complures Senatores qui in ea familia claruere, præteream, illud tātum dicam, patrē huius Petrū Guicciardinum, magni in rep. nominis fuisse. nam & varia in rep. munera est adeptus, & Florētinae ciuitatis nomine legationes complures obiuit: quibus laudatissimè functus, haud paruam existimationem & gloriam apud suos ciues sibi comparauit. Ab hoc Franciscus hic noster natus est, magni vir ingenij, quiq; ab omnibus celebretur dignus. Hic ab ineunte ætate, literarum studijs deditus fuit, in quibus mirificè profecit: verum, quum ad imperandum natus esse videretur, atq; in reip. administratione agnosci cuperet, videretq; suos fratres in reip. muneribus sibi anteponi, animum ad iuris Ciuiliis studia conuertit, cuius scientiam si adipisceretur, fratribus se antepositum iri sperabat. Pisis igitur ac Bononiæ ciuitatibus bonarum artium studijs clarissimis, fuit: vbi in ipso ætatis feruore, in id vnum, vt animi bonis ditekceret intentus, moderatè se gerens, incredibili celeritate legum & iuris cognitionem est consecutus, tametsi ea studia ei non admodum arriderent: propterea quòd ad ea capescenda, nec delectatione, nec lucri cupiditate moueretur: sed honoris, atq; vt sibi ad remp. aditum, vt dictum est, patefaceret. In patriam igitur cum laude reuersus, atque à multis ad magnas res gerèdas aptissimus inuentus, maturè à suis ciuibus ad negotia adhibitus, ad Aragoniæ regem de rebus magnis legatus ea ætate qua per leges patriæ, quæ certam ætatem legatis statuunt, legationem obire non licebat, missus est: tanta erat tunc in ciuibus de eius præstantia opinio.

nio. quibus rebus cum sibi auctoritatem non paruam cōciliaffet, atque in magnis rebus seuerus, in iure dicundo incorruptus, vt qui regali planè animo, & sincero in omni actione cognosceretur à Medicea familia magno fauore susceptus est, nec multo pòst à Leone decimo Flaminia præfectus: quæ prouincia, propter Valentini Borgia superiora bella, tum etiam quòd diu diuersis dominis paruisset, discordijs & facinorosis hominibus tota referta erat, ex quo fiebat, vt inter finitimas vrbes innumera quotidie maleficia à magnis sceleratorum hominū cateruis committerentur. quibus de causis, necnō ob eorum populorum feritatem, & bellicę rei studium, nemo quieam prouinciam gubernandam vellet suscipere inueniebatur. ea igitur Guicciardino fuit mandata: quam animo inuictō susceptam, non modò tutò adiit obiuitq; , verū etiam breui tempore vniuersam pacauit: nam illi homines qui antea pōtificis vires contemnebant, Guicciardini nomine audito, ad eius seueritatis famā conterriti, arma posuerunt, eiq; prouinciam ab omni scelere tutā cesserunt: ipse quoque nulla vel nobilitatis, vel dignitatis, vel audacię cuiusquam habita ratione, eos omnes qui se factionū autores & duces profitebantur, extinxit. Diu præterea Ecclesię Romanę nomine Mutinam & Regiū Lepidi, Parmamq; gubernauit: quam etiam aduersus Gallos strenuè defendit, vt ex hac eius historia liquido constabit: ex quo apparet illum non modò consilio, verum etiam manu valuisse. Accidit pòst vt Ioānes Medices ex vulnere moreretur: qui quantus bellidux fuerit, nemo est qui nesciat. is Legionem ex selectissimis Italię militibus instituerat, quæ à nigris vexillis Nigra appellabatur: hiq; milites omnes diuersis tēporibus præstātissimi duces euasere. Horum igitur Ioāne mortuo, dux & legatus Guicciardinus fuit: id summo militum studio, quod nemo animo & ferocitate Ioanni similior inueniri posse videretur. Itaq; cum Rex Gallię ob res Mediolanenses in Italiam descendisset, Leoq; pontifex ad eius principatus tutelam cum Cæsare faceret, Guicciardinum suis copijs vniuersis cum imperio præesse iussit: sic vt Prospero

Columnæ, & Marchioni Mantuano summis ducibus imperaret: quam prouinciam quâta virtute prudentiaq; gesserit, & ignorunt, qui videre, quiq; audire, & hæc ipsa aliorumq; historia fidenter facit. Bononiz quoque præfuit: qua in ciuitate, Quadragintauiros in ordinem redegit: eiusq; populi contumaciâ, non sine aliquo sui periculo deprefsit, vbi nominis sui memoriam sempiternam reliquit. nam & in negotijs expeditus, & in iudiciâdo folertiffimus, & in exequendo feueriffimus fuit. Dicta eius varia iudiciaque Solomonis iudiciorum haud abfimilia memorantur: quin hoc in genere atq; alijs, quæ in politico viro requiruntur, talis extitit, vt Sapientum eius tempeftatis in Italia vnus è feptem numeraretur. Honos ei ab omnibus tum Italis, tum exteris principibus habitus est: verum iam gloria fatur, in patriam reuerfus, reliquam vitam in tranquillo ocio degere ftatuit, & fuis amplis opibus honefte frui. Sed cum eius admirandum ingenium magnis rebus tractandis affuetum torpere non poffet, anno falutis 1527 cum Iacobo Nardo intimo fuo, qui etiamnum viuit, Senex venerandus ac totius ferè Florentinorum qui Venetijs agunt, nationis oraculum, quandam animi fui cogitationem contulit. cogitabat autem Cæfaris imitatione res confcribendas in commentarios referre: verum enim à Nardo ad fui potius temporis res geftas fcribere eft inductus, idq; vt inuidiam declinaret: quam, fi res fuas tantum literarum monumētis mandaret, subire potuiffet. itaque in id tota mente conuerfus, hosce hiftoriarum libros confecit: quàm verò feliciter, omnes qui legunt, vident. Hanc hiftoriâ ab anno MCCCCXCIII exorfus, ad MDXXXII perduxit: nec ab eo tempore diu fuperftes fuit. iunior enim deceffit, quàm tãti viri virtus meruiffet: verum qui huiufmodi monumenta poft fe relinquunt, non mortui, fed immortalitatē adepti exifti mari debent.

INDEX

INDEX LOCORVM

HVIVS HISTORIAE, IN QVO
*nouis & peruulgatis, vetera latinæ nomina,
 quo ad fieri potuit, apponuntur.*

A



Bruzzi, Aprutij, Sānites Mar-
 si & Pre-
 cutini : nam

Brutij sunt in Cala-
 bria.

Abeussa.

Ada, Abdua fl.

Adice, Athesis fl. Atria-
 nus.

Adria, Atria Ciuitas.

Aduliti, Adulitæ, Aladuli
 populi Taurummon-
 tem incolentes.

Affrica vrbs quam quidã
 Aphroditum vocant,
 Iouis parvam Leptim
 fuisse existimat, Mahe-
 mediã barbari vocant.

Agreste, ciuitas in Istria.

Agria, ciuitas in Pannonia
 inferiori.

Agena.

Agno, fortè Aquilonia o-
 lim.

Ais, siue aix, Aque Sextiæ.

Alafon in Gallia, Alenco-
 nium.

Alba in Liguria, Alba
 Pompeia.

Albania, veteris Macedo-
 niæ pars.

Albania ducatus in Sco-
 tia.

Alberg.

Albi siue Alba in Mar-
 tis, à qua Albenfes.

Albigion in Gallia.

Alegri, Alegriũ in Gallia.

Alessandria della paglia,
 Alexandria palearia,
 olim Cæsarea.

Albereto, Arboretum.

Alcantara, Norba Cæsa-
 rea.

Algieri, Iulia Cæsarea.

Alicante, Alon in Hispa-
 niã Tarraconenũ.

Alpi maritime, Alpes Sa-
 batorum.

Alpi Iulie, Alpes Iuliæ.

Altaro, Altariũ siue Ara
 Liguriæ Castellum.

Aluiano, Albiana regio &
 oppidum.

Alua, Alba in Hispania.

Ambrum, Eburodunum.

Amboisa, in Turonib. in
 Gallia.

Amelia, Ameria.

Amiens, Ambianum.

Amso arx.

Anault, Analtum in Bel-
 gis.

Anagnia, Alatiij.

Ancona, & Ancon.

I N D E X.

- Andria ciuitas in Apulia. Argentario monte, Volcentarius mons.
 Anghiari, Anglarium. Argetra fluuius.
 Angilotta, vel Angitola castrum. Arles, Arelatū, vel Salies olim.
 Angolesme, in Gallia. Arona oppidum.
 Anquillara, Anquillaria, Annilaria Fidenatium vrbs. Arpano, Arpanus fluuius.
 Arras, Atrebatum vrbs.
 Anyou, Andes Cæsari, Andicani Ptolemæo, alijs Andegauēses male. Artois, Artesia, Atrebates
 Assisi, Assisum.
 Anon, Anonium, Ananium, Annibalis castra. Ascoli, Asculum.
 Antona, Angliæ portus. Asinolonga, oppidū Hetrurix.
 Anzuola, Antiola cast. Assaron, Assaro.
 Apēnino, Apēninus mōs. Assilio, Assiliū, siue Assilū.
 Apicio, Apicium cast. in Appia via. Asola, Asula, Asulum.
 Appiano, Appianum cast. Asti, Asta colonia.
 Aquapendente, Aquilæ, Aquenses. Astorio, Astura siue Cloustra.
 Aquila, Amiternū, vel ex Amiterni & Forconij ruinis ædificata in Aprutijs. Aubigni, Albinacum.
 Aquileia, Aquileia colonia. Auellino, Auelinum.
 Aquino, Aquinum. Auerfa, Auerfa, Aduerfa, Atella siue Auella.
 Aquisgranum, antiquis Nuagera. Auignon, Auenionum, Aricomij, Volci.
 Arabia. Augusta Vindelicorum.
 Aragonia, Hispania Tarraconensis. Aus, Auchx, Aufcij Augusta.
 Arbinga, Albingaunū, Al bintaunum. Aufomia in Gallia, vicecomitatus.
 Arbia fluuius. Austria, Pannonia superior.
 Arci, Arx ciuitas Aprutiorum. Autum, Augustodunum.

B

- B** Achiglione, Bachilio fluuius olim Togitonus, siue Meduacus minor.
 Bagnacuallo, Tiberiacum.

Bagnara,

I N D E X.

Bagnara, Balnearia	Belinzona, Bilitionum, siue Brennorum, aut Valicionis castrum, uel zona
Bagni d'Abano, Aponis balnea	Bellona, Belluna
Baia, Baiaë	Belluno, Bellunum, Bellunium
Baiona, Aquæ Augustæ	Benerola, Beneriola
Baiocco cast.	Bergomo, Bergomū, Berra Orobiorum opp.
Baiusa, Baiuceenses, Bello-casij	Beiri, Bituriges
Barbarano	Berna, Heluetiorum oppidum
Barbaria, Numidia	Bertinoro, Brethinorum uicus
Barberino	Bestrice, Bestricis ora. Hic rium olim & Veilinae populi
Barbericina	Beuagna, Meuania
Barcelona, Barcinon	Biagrasia, Abate
Barga Hetruriæ cast.	Biandra, Blandratum
Bari, Barium, Barum, Barrim, Baretū, Bariōnon, olim Iapix, regio Apulie, Peucetia	Bibona, Vibo
Barletta, Barulum in Apulia	Bibiena oppidum in Clusentinis
Basignana, Augusta Bacinorum	Biboldon, Biboldonis Alba
Basilicata, Lucania	Bientina, cast. & palus in Hetruria
Bassanello	Bierna, Bigerones
Bassano, Bassanum	Biestri, Vestæ fanum. Apuliae portus
Bastia	Binasco
Battstein, Batistenum in Germania	Bisagna
Battaglia cast.	Biscalia, Cantabria
Batonia ciuitas in Anglia	Biselli, Vigilia
Bebe, cast. Bebia	Bisignano, Bisinianum, olim Beletra
Bellaere, Locus amœntis	Bitonto,
Belaso	Bles, Blesiacum
Belcari, Belcarium, siue Belcairum, prouinciæ oppidum inter Rhodanum & Nemausum	Bobbio, Bobianum opp.
Belgrado, Taurunum, Alba græca	**
Beluedere, locus amœnus	

I N D E X.

Bohemia, Marcomano	rum sedes	sum fuisse olim
Bolgiano		Brei cast.
Bolsena, Volturnum		Brendola cast.
Bondeno, Bondincus		Brenta, Meduacus flu-
Boniuet in Gallia		uius
Borbon, Boi		Brentelle, Meduaci fossæ
Bordellano		Brescia, Brixia
Borgaro, Burgarum		Bresselle, Brixillum, Bri-
Borghetto,		xellum cast.
Borgogna, Burgundia,		Bretagna, Bretania, siue
Sequani		Britannia citerior, Ar-
Borgo de Fornari, Furna-		morica
riorum vicus		Brianzone, Branponices
Borgo S. Donino, Doni-		Italiam uersus
nitanum		Briga, Ræticiæ uallis
Borgo sansepulcro, Sepul-		Briona, Brionium, Brio-
chri fanum, puto olim		nia
Biturgiam fuisse, uello		Brindisi, Brundisium
cum in quo Plinius iul-		Brisighella, Anemonis
laerat		uallis opp.
Borgo di Marradi, Marra-		Brisina, Hæturiciæ castel-
dus uicus		lum
Borgo di S. Marco, Mar-		Branfuig, olim Tulifur-
cianus uicus		gum, uel Falisurgium
Borgo di ual di Taro, Ta-		iuxta Vurgiam amnem
ri uallis uicus		Bruneck, Brunacium in
Bormia, Burmia flumen		Germania
& oppidum		Bubbano
Bosco		Busaletta cast.
Bossina, Mysie superioris		Busalora
pars		Bulgaria, Mysie inferioris
Bostauro		ris pars, in Thracia
Bouolenta		Buonporto in Aemilia
Bourges, Biturigum ciui-		Butello
tas		Burgos
Bracciano, Braccianum,		Buffero
Bracenû, Arcena, Arce-		Busti
num		Buti, Butium
Brandeburgo, puto Ali-		Butri, Butrium
		Buonconuento, cast.

Cairo

I N D E X

C

- | | |
|---|---|
| <p>CAiro, Memphis
 Cadogo, Calorius, Ca-
 dorius, Varanus flu-
 uis & uallis
 Cagli, callis, Cale uicus
 Calatraua in Hispan. Co-
 latrana
 Calauria, Calabria
 Calci
 Cales, Gesoriacum naua-
 le in Morinis
 Calliano, Callianum, &
 Callianus uicus
 Calcinara
 Calcut, Costiara
 Caldana, aquæ Calidæ,
 palus prope Pisas
 Caldano, Ecalidus flu-
 uis
 Camalduli, Camaldulen-
 se fauuum in Clusenti-
 nis
 Cantariano, Castra Mari-
 na, arcus Marianus, cæ-
 pus Marianus
 Cambrai, Cameracum,
 Samarobriga
 Camerana, Camarena in
 Sicilia
 Camerino, Camerinum,
 Camertes
 Caminate, Allia fluius
 Campagna di Roma, La-
 tium
 Campiglia, Camp lia
 Campo, Campus, cast. in
 Hetruria
 Campobasso, castellum
 Campo alle mosche, Cæ-</p> | <p>pus muscarum
 Canosa, Canussum
 Cantu. Canturium
 Cancelli, Cancelli, Cæ-
 silium
 Candia, non Creta insu-
 la, sed opp. in Campa-
 nia felice
 Cantiano, Cantianus ui-
 cus
 Capace, Pestum olim
 Capelese ponte, Capele-
 sius pons
 Capitano, Capitinata,
 Apulia plana regio
 Capri Capræ, insula
 Capo di Apennino, Iapi-
 pigium siue Salentino-
 rum, hodie Apeonini
 promontorium
 Capo di Minerua. Mi-
 neruæ promontorium.
 Capo Paulilippo, Pausi-
 lippi promont.
 Capua, idem nomen ha-
 bet
 Carauaggio, Caracca
 Carinula, Calenum
 Carmagnuola, Carma-
 niola
 Carmania, Cilicia
 Carpi, Carpium castel-
 lum
 Carpineta
 Carriari cast.
 Cartagena, Castago no-
 uâ in Hispania
 Casalarbore
 Casalmagior, Casale-
 manus</p> |
|---|---|

I N D E X.

Casareto, Casarectum	Romæ
Casalsanuafo, Casaleua- sium	Castel uecchio, Vetus ca- stellum
Casaleccio, Casaleccius uicus	Castel del vuouo, Mea- ger, siue Meagrū, Nea- politana arx
Cassiano, Cassianum	Castel Tialto, Theobal- diana arx Ferrariæ
Cascina, opp.	Castiglia, Bassitani, Ca- stellæ regnum in Hispa- nia Tarraconensi
Casentino, Clusentini terra Passumena	Castiglione, Castilionū
Cate, Casetum	Castiglion di Striuieri
Casera	Castiglion di Teuerina
Caloria	Castro, Castrum
Castanetolo, Castanetu- lum	Castrocaro, Castrocaris Salsubium
Castelamare di Boturno, ubi olim Vulturū ci- uitas erat	Castrouillari, Castrouil- larium
Castelamare di Stabia, ubi olim Stabię erant	Catanzaro
Castelaneta opp. prope Tarentum	Caua, oppidum Campa- niæ felicis
Castellaccio	Caualleria, Hippodro- mus Neapoli
Castellarquato	Cauero, Cauetium
Castelbaldo, Gastrobald- um, siue castrum Bald- di	Cauis, Cauæ in Latio op- pidum
Castelbolognese	Cauiano, Cauianum
Castel franco	Cauriana, Capriana
Castel guelfo	Cecinna, fluuius
Castel del monte	Cefalonia, cephalenæ
Castel di Rufsi, Rufsium cast.	Centocroci monte, Cen- ticrucius mons
Castel fiorentino	Cento, Centum Aemilię oppidum
Castellone, Formiana uil- la	Centina, Sentini
Castel nuouo	Ceperano, ceperanum
Castel Sanpiero	Ceri, cere
Castel Santagelo, Ange- lica arx, Moles Adriani	Ceruetri, cereuetus
Castellum Crescentij	Ceruia, Philocolis

Ce-

I N D E X

- | | |
|--|---|
| Ceua , Sabata | ciuitacastellana, Fescēnia |
| Cesena urbs in Flaminia | Ciuitauecchia, Centum- |
| Cesenatico , cesanatum,
nicus & nauium statio
ad mare | celle, uel Pirgi, ciuitas-
uetus |
| Chartres , carnutes in Gal-
lia | Città di castello, Tiferñũ
ciuitas castelli |
| Chiara , uia ad mare prope
Neapolim à glareaa
appellata | Ciuidal di bellum, Ciui-
tale Belunianum |
| Chiana , Glanis, glanicus
fluuius | Ciuas, Clnsũ oppidum |
| Chiane , Glanica palus | Ciuidal di Friul, ciuitale
carnicũ, siue Fori Iulij |
| Chiaraualle , clarauallis | Ciuitella Aprutiorũ opp. |
| Chiari , clarium | Coccolo |
| Chiassa , classis oppidum
& fluuius | Codimonte, Ligurię pro-
montorium est |
| Chiasso , classium cast. | Coira, Curia Rhætorum |
| Chiauenna , clauēna cast. | Colleoneffa, Grigoniffa |
| Chiaueri , clauerium | Colle, Etrurię cast. colliis |
| Chiesteggio , clastidium
opp. | Cologna, Colonia, in Eu-
ganeis |
| Chimu uel cam, in Gallia | Colonia, Colonia Agrip-
pina in Germania |
| Chioggia , Fossa clodia | Colornio |
| Chiusi , clusũ, chiusa clu-
sia | Comachio, Comaclium,
cymaclium |
| Chiarolois in Gallia co-
mitatus | Compiegne, compendiũ
in Gallia |
| Cilecio , cilecium | Como, Comum, Nouo-
comum |
| Cipro , Cyprus insula | Concordia opp. in Gallia
cisalpina, & in Foroiulij |
| Circelle , circeum promõ
torium | Constantinopoli, Byzan-
tium prius, post Con-
stantinopolis |
| Cirignola , cidiniola, for-
tè olim Gerionis castrũ | Conticella |
| Citadella , paruam ciuita-
tem significat, & in ur-
bibus arcẽ uel munitio-
rem partem, multa au-
tẽ oppida in Italia hoc
propriũ nomẽ habent. | Conuersano |
| | Corbola |
| | Corciano |
| | Corfu, Corcyra |
| | Coriago |

I N D E X,

Corinaldo
Cornia, fluius & castellum in Umbria
Corneto, Cornuetum, coritum, Innuus, castrum nouum
Coron, Corone, urbs Peloponnesi
Correggio, Regiates, Corregium
Cortona, Croton urbs
Cosenza, Cosentia
Constanza, Constantia, Cannodurum
Cotignola, Cotiniola
Couolo, specus est in Vicentino agro
Crema, Diuguntinorum forum
Cremona, Climena
Cremonsa
Crescentino
Crespolano
Creste
Croara
Croatia, olim Valeria
Croce di monte Maro, Mariani montis crux
Cromonio, Cromonium
Cocai
Cognac, cuneacum in Aquitania
Crisino
Cunio, mons in Sabatijs alpiibus, & Taurinorū oppidum
Cusago
Curone, Coron fluius

D

DAngicort, in Anglia
 Danubio, Isther, Danubius
Dardanelli, Sextus & Abydus
Delphinato, Allobroges
Digion, Diuionum
Diuinio, Diuiniū in Pannonia
Douai, in Gallia
Doccia, Aemiliae castellum
Domossola, Oscella
Dragoniera, in Sabatijs alpiibus
Draua, fluius
Ducento, Ducentum urbs
Durazzo, Pyrrhachinum

E

EBoli, Ebolū, Ebulum cast.
Eboraco, Eboracum in Anglia
Edin, Efdinum in Gallia Belgica
Efenengo
Egitro, Aegyptus
Elba, Iua insula
Elci, Elcium cast. in Umbria
Empoli, Empolum in Hetruria, Emporium

En-

I N D E X

- E**na, urbs in Sicilia
Entello, Entellus fluvius
Era fluvius
Este, siue Ateste in Euganeis
Exarcato, Exarchatus, Raunennensis diœcesis, quæ Aemiliam ac Flaminiam complectitur, hodie Romagna appellatur: Constantino-politani enim Imperatores suum in Italia vicarium, qui Exarchus dicebatur, Rauennæ, cum Roma Pontificibus, & Gallia Cisalpina Longobardis pareret, habere solebant
- F
- F**abriano, Fabrianum oppidum, ex Sentinæ ruinis ædificatum
Fagnano, Flavianum
Fano, Fanum fortunæ
Farfa, Farfar, uel Farfaris, fl. & cœnobium
Feltro, Feltria, Fertini
Feliciano, Felicianum in Liguria Cisapennina opp.
Ferentino, Ferentinum
Fermo, Firmum, Firmiū
Ferrara, Ferraria
Fiandra, Flandria, Morini
Figaruolo, Ficariolum, Aricoli uicus
Fidata ualle, Fida uallis
Finale, castellum in Aemilia
Finario, Finarium in Liguria
Firenzuola, Fidentia, Fidentiola
Fiume, Flumen Istriæ opp.
Fiume morto, Mortuus fluvius
Foggia, Ecana
Fois, Fluxates in Aquitania, Bigeronibus proximi Eufij Iouio
Fontanello
Fonterabia, Aquitaniz opp.
Forlinopoli, Forum Popilij
Formigine
Fornaci, Fornaces, Padistium Carbonarium
Fornouo, Forum Nouij
Fossa noua, Fossæ Papi-rianae
Fossalta
Fossombrone, Forū Sempronij
Fuligno, Fulginum, Fulcinium, Forum Flaminij
Fracchie cast.
Frattra, cast.
Friuli, Forum Iulij, Carni
Fracia Contea, in Sequanis ea pars quæ ultra Sequanam fluvium

I N D E X

magis ad Rhenum est: Sequana enim Burgundæ comitatum à ducatu separat
Francfort. Vîspetes
Frusolone & Fraselone,
 . Frusino olim
Furli, Forum Liuij

G

GAbioneta, cast.
 Gaiazzo, Calatia
Gaeta, Caieta
Gaia cast.
Galeata ualle, Galeata
 uallis Hetruriae
Galerà, Galerites regio,
 & **Galerita** castel.
Gallicano, Galli canum
Gallipoli, Callipolis
Gallo, collis prope Flo-
 rentiam
Gambara cast. in Ceno-
 manis
Gandolfo cast.
Garda
Gargonfa
Garlasco
Garesio, Garesium ca-
 stellum
Garigliano, Liris flu-
 uius
Gattara
Garinara
Gau'o
Gazuolo
Gerbei insula. Mœnix Lo-
 thophagites, Syrtis ma-
 jor

Gesualdo
 Ghairo
 Ghedi
 Gheldre, Sicambri, Me-
 napij
 Gibello cast.
 Giarella, uel Giarola, Gla-
 reola
 Giaradada, Bechuni, Ful-
 cheria
 Gierate, Hieratium
 Gies in Gallia
 Gioia
 Giramonte, collis prope
 Florentiam
 Goito
 Golfo di S. Fiorenzo,
 Casalius sinus in Cor-
 sica
 Gonzaga castellum
 Goritia, Iulium Carnicū
 Gradara cast.
 Gradisca
 Graduli, castellum in La-
 tio
 Granata, Hispania Be-
 tica
 Granarolo, Granario-
 lum
 Granoble, Gratianopo-
 lis in Gallia
 Graualone castellum &
 fluuius
 Granina
 Grigioni, Rhæti
 Groppoli
 Grotta ferrata, Crypta
 ferrata, Tusculanum
 Guasconi, Aquitani, Va-
 scones

Gua

I N D E X.

Guastalla, Guardistellum	Lago di Como, Larius
Guasto, Vastum Ammonis, Istonium olim	Lacus
Garfagnana, Calphurniana, Caferoniana	Lago di Garda, Benacus lacus
Guienna, Aquitania pars	Lago di Iseo, Sebinus lacus
Guineguasto, Guinegatea, in Morinis	Lago maggior, Verbanus lacus
Gubbio, Eugubium	Lago di Perugia, Thrasymenus
Gursia, olim Curci, in Pannonia inferiore	Lago di Pusiano, Eupilus lacus

H

HEssia, Anobij, Catti
 Holanda Batauorum insula

I

Ieramo, Ieramum
 Iesi, Esis, fluuius & urbs in Piceno.
 Imola, Forum cornelij
 Ischia, Iscla, Aenaria, Pithacusa insula
 Ispruck, Oenipons, Inutrium
 Istria, Istri populi, Iapidia
 Itri, Itrium
 Iulia noua
 Iunco, Pilius
 Iurasso monte, Iuramos
 Iurea, Eporhedra, Hipporegia

L

LA bastia del Geniolo,
 Genioli lucus

Laino, Laurinus, uel Lauuius fl. & cast.
 Lambra, Lambrate uicus
 Lambro, Lamber, Lambrus, fluuius
 Lamone, Artemo fluuius
 Lanciano: Ansanum oppidum
 Landriano
 Lanterna, Pharus turris Genuæ
 Larnata, Laterina
 Lardirago
 Lauagna, Entellis fluuius, & uallis in Liguria
 Lecco, Leucum
 Lenza, Anita, siue Nittia fluuius
 Lepanto, Naupactus
 Lerice, Lerix
 Librafatta, Liberafacta oppidum in Hetruria
 Licia Fusina
 Lidice, Idex flu.

I N D E X

- | | |
|---|--|
| Lignago, Lineacū, Lemniacum | Lorea, Lauertum |
| Lilla, in Gallia | Lorena, Lotaringia, olim Austrasia |
| Lisvine, Roma us fl. & cast | Lofarno |
| Linguadocca, Tolofates, Teftofates | Lucca, Luca urbs Hetru-riæ |
| Linz, in Germania urbs | Lucerna, Heluetiorum oppidum |
| Lisbona, Vlispona, Olyf-
fipone | Lugano, Lucanum |
| Lion, Lugdunum | Lugara ualle, fortè Luca-
nia uallis |
| Lionessa | Lugo, Lugium, Lucus |
| Lifonzo, Sontius flu-
uius | Lunata |
| Liuenza, Liquentia flu-
uius | Lunigiana, Apuani |
| Liorno, Liburnum, o-
lim Labronæ statio,
sive, ut Bembus uocat,
Tetrurrita, melius Li-
gurnum ex Catone | Lonigo, Leonicum |
| Locarno | Lungone, Lungonium |
| Loces, in Gallia, Lochiæ
P. Aemil. | M |
| Lodi, Laus Pompeia | M Adril, Mantua Car-
pentanorum, Madrit-
tum, Hisp. |
| Lodrone, in Cenoma-
nis | Madrigalegio, Madriga-
letium, Hisp. |
| Lofanto, Aufidus fl. | Maganza, Maguntiacum
in Germ. |
| Logrone | Magliana, Manliana in
Latio |
| Logrugno, Iuliobriga, in
Hispania | Magione delle rose, Man-
fio rosarum, Anechinis
pons |
| Leciano, Lollianum | Magnano |
| Lolona, Laulon flu. | Magnanino |
| Lombardia, Gallia Cifal-
pina, Insubria | Maine, Cenomani in Gal-
lia Maienne |
| Lomellina, Laumellum,
regio Insubriæ | Maiuolo |
| Lona, Leonatum | Malfi, Melfia, Malfia |
| Longa uilla, in Gallia | Malghera |
| Longobuco, Themese | Malpaga |
| | Mandolara, Amigdalaria |

I N D E X.

- | | |
|---|--|
| Manfredonia , Apeneſte
olim Capitinatæ por-
tus | Melfetta, Melficta |
| Mantia , urbs Amantea | Meloria, Scopulus in Ma-
ri Liguttiço |
| Manzo | Melzi |
| Marano , Marianum, uel
(Varanus | Memoranti, Memoranti-
um in Gallia |
| Marca Triulgiana , Eugane-
niſiue Veneri | Mercatello |
| Marca d'Ancona , Pice-
num | Mefiere in Gallia |
| Marciano , Martianum | Meftri, Menſtra, oppidū
in Veneta regione |
| Marechia , Arimjinum flu-
uius | Metola |
| Maremma , Aurelia uia | Metro, Metaurus fluius |
| Marignano , Maninianum | Milano, Mediolanum |
| Marino , Mariana uilla, ſi-
ue Marianum | Mincio, Mincius fluius |
| Marſiglia , Maſſilia | Minerbio, Mineruium |
| Martengè , Pomica Maſ-
ſilienſes | Minturno, Minturnæ o-
lim |
| Maſſa | Mirabello, caſt. |
| Maſſera | Miran |
| Matalone , Metaloni, Me-
taleonis | Mirandola |
| Matelica , Mathelicates in
Umbria | Modon, Methone |
| Matera , Acherontia o-
lim | Moia, Molia |
| La torre di Mattia | Modona, Mutina |
| Matrice , Matrix opp. in
Aprutio | Mola |
| Mazari , Mazara oppi-
dum, & fluius in Si-
cilia | Molins, in Boiſ in Gallia,
fortè legendum Malin-
nes, quæ Meclina dici-
tur in Belgis |
| Medicina caſt. | Molino, caſt. |
| Medina del campo , in Hi-
ſpania | Moluche, inſulæ Aroma-
tum |
| Medefano , Medefanum | Mompelier, Setius, ſiue
Sigijs mons |
| Meleto , Milærum | Monaco, Monaci portus
in Liguria |
| | Mondajno caſt. |
| | Mondragone, Mons maſ-
ſicus, uel Petrinum |
| | Mondolfo caſt. |
| | Monfalcone, Veruca |

I N D E X.

- | | |
|--------------------------------------|---|
| Monferrato in Liguria | Montefiore |
| Cisapennina | Montefortino, Frangetæ |
| Monforte | Montefoscolo, Monsful- |
| Monguzzo, Mons acutus | sculus |
| Montagnana, Montanium cast. | Montelifri |
| Mótalcono, Alcinoi mōs, urbs | Montelione |
| Montalone, in Elufentinis | Monte Sant'angelo, Garganus mons |
| Mont'alto | Monte Orlando |
| Montebaroccio castellum | Monte Mariano, Marianus mons |
| Montebaldo cast. | Monte maggiore, castellum |
| Montebattaglia, castellum | Monte maggior di San Bernardo. Pœninæ alpes |
| Montebellona, Bellunianus mons cast. | Monte minor di San Bernardo, Graiæ alpes |
| Montebrerónico cast. | Monte di S. Martino cast. |
| Montecaluolo cast. | Monte di Santa Maria cast. |
| Montecassino cast. Casinum | Montepulciano, Monspolitianus cast. |
| Montececilia | Monte Sanfouino |
| Montechiarucoli, Monscheruculus | Monte di S. Claudio, Voghesus mons |
| Monsceritus | Monte di San Gottardo, summæ alpes |
| Monceniso, | Monte di Somma, Vesuus |
| Monginecura | Monte fïago |
| | Mon diuer in 'Gallia |
| Montechiaro, Clarius mons | Monteritondo, Eretum in Crustuminis |
| Montecchio, Muntecium | Monte uarchi |
| Monte di Brianza, Brianzeus mons | Monteroso, Rosulum |
| Monte de la Ventura | Monselice, Monsfilicius, Acelum, Acedum |
| Montefalco, cast. | Montici, collis prope Floren- |
| Montefiascone, Falisca colonia | |

I N D E X

rentiam
 Monticelli cast.
 Monticuli cast.
 Monopoli, ex Egnatiæ
 ruinis
 Mongoguolo
 Montopoli, Montopolis
 Montone, Vitis fluius
 Monterio
 Moravi, olim Marcoma-
 ni
 Morea, Peloponnesus
 Mori, Mauri
 Morostico, Marostica, Mo-
 rosticum
 Monza, Modoetia, Mo-
 guntiacum
 Monzarban
 Mordano
 Mortara, Mortaria, olim
 Silua formosa
 Mugello, Mongillani
 Mulinaccio, Mulinacium
 in Aemilia
 Murano
 Murata, prope Locar-
 num
 Musocco, Mefaucum
 Musso, Mussum castel-
 lum
 Musone, Menstra flu-
 uius
 Mutrone castel. Feroniæ
 Lucus
 Mugnone, Minius flu-
 uius

N

Nagera
 Narbona, Narbo Mar

tius
 Nardo, Neritum, Nar-
 dōa
 Narni, Narnia, Nequi-
 num
 Nantes, Nannetes
 Natifone, Natifo fluius
 Nanslau, Nulsia fluius
 Nauarra, in Tarrhaco-
 nensi Hisp.
 Nauilio, Ticini & Adæ
 emissariū, siue riuus
 Nauo, Nauum
 Neiers in Gallia
 Negroponte, Eubœa
 Nemours, Neomagum,
 Neomagus
 Nettuno, Neptunium,
 uel Antium
 Nepi, Nepet, & Nepete
 Nizza, Nicæa Narbonen-
 sis
 Noceto, Nucetum
 Nocera, in Apulia Luce-
 ria
 Nocera, in Umbria Nu-
 ceria
 Noion, Nouiodunū, Gal-
 liæ
 Nola, antiquum nomen
 obrinet
 Norcia, Nursia
 Normandia, Norman-
 nia, Neustrij, siue Bi-
 duceses in Celtica
 Nouacroce
 Nouale
 Nouara, Nouaria
 Nura fluius
 Nuolara, Nebularia

I N D E X

O Ccam, in Gallia, siue Camp.	Palma, in regno Neapoli
Offanto, Aufidus flu.	Parma Pontano
Oglio, Ollius fluvius	Paliffa, Palitia in Gallia
Oira, Orca urbs, Vria, Hyria	Palude, Palus pontina
Olginato, Olginatum, Olginare	Palliano, Pallanum
Olmo, Vlmus formosa	Palignano
Oppiano, Oppianum, Oppinianus vicus	Palumbara
Orange, Aurasiū, Aurantiū, Aurengiū, Aurangium	Pampalona, Pōpelon Narra metropolis, Pōpetropolis
Orago, Oragum	Panaro, Scultena flu.
Orbatello, Vrbitelum	Pandino, Pandinum
Orciano, Orcianum	Panicale cast.
Orci noui, Vrcei noui castel.	Parma, in Gallia cisalpinā urbs & flu.
Orcinecchi, Vrcei ueteres cast.	Patania, Boiodunum
Otiolo, Oriolum	Pāua, Papia. Ticinum,
Orleans, Aurelia, Aulircij Eburaci, Mediolanium Gennabum	Pera, Cornubizantium
Orti	Padoa, Pataviū in Eugana;
Ornieto, Oropitū, Orbitum, Vrbiventum	Pedegrotta, specus in itinere prope Neapolim
Ofazio, Auximus, Auximum fl.	Perbola, cast.
Ostia ad Tiberim, ciuitas Portuer sis. alia est Ostia ad Padum	Perona in Gallia
Ostiano, Ostianum	Perpignano, Perpennianum Stabulum olim
Ossaro, Apferus fl.	Perottramons, in Sabatijs alpidis
Ossole, Ossolius flu.	Persia
Otricoli, Otriculum	Perugia, Perugia
Otranto, Hydruntū, Hydrus P	Peretola
Palais, Palaria cast.	Pesaro, Pisaurum
	Pescara, Piscaria, Aternus flu. & opp.
	Peschiera, Pischeria Cenomanensiu opp.
	Pianosa, Planasta insula in Hetrusco mari
	Piaue, Plavis, Anassus fl.
	Picardia, Gallia Belgica
	Picighitone Piceleonis
	Piem-

I N D E X.

- Piémonte**, Taurini
Pietra cast.
Pietra dolorosa (plū
Pietra sancta, Herculis tē-
 tiendū incino, Licinij to-
Pieve del Cairo (rum
Pieve di sacco, uel, di scì-
 occo, Plebs sacci, uel ui-
 gifioli, pīnqui fluij
Pieve di S. Stephano
Pilastrelli
Pinaruolo, Pinnariolum
Pioitello
Piòbino, portus Traianus
 plūbinum, populinum
Pirenei mōtes Hispaniā à
 Gallia diuidentes
Pistoia, Pistorium urbs
Pisino
Pitigliano, Pitilianum
Piumacio, Plumaciū cast.
Piniere di Sestina, puto Sē-
 tinates, ubi olim Sentina
 urbs fuit
Pu, Padus flu. Eridanus
Poggio imperiale, Catia-
 reus colis
Pogg bonzi, Bonitium
Pola, Julia pietas
Polifella, siue Pulifella
PolICASTRO, Buxentū olim
Pollistrine, siue Pelestrina,
 Preneste
Polonia, Sarmatia
Polesino siue roleseno, in
 sula est quā Athesis di-
 uortio facit satis lon-
 go, quā iccirco rectius
 Polinesus appellabitur
Pontebarberano, Barba-
 ranum
Pontelamétino, Nomen
 tanus pons
Pōtecorone, pōs Coro-
 nis
Pontecoruo, Fregellæ
Ponte ad Era, Eræ pons
Fontemolino
Pontepese e
Pontenuto, Nuræ pons
Ponte di Salara, Salariæ
 pōns
Ponte all'occa, Ocæ siue
 anferis pons
Pontefacco, Sacci siue Vi-
 gifioli pons
Ponte di stura, pons Stur-
 ria, opp.
Pōte Vagliano, Valianus
 uel Ianuallis pons
Ponte di Vedau, Vedani
Ponteuico (pons
Pont'olio, Olij pons
Pontremolo, Pons remu-
 lus, olim Apua
Ponzo pontia insula
Poppi, Clusctinorū cast.
Populo, castellum
Porezzo, insula
Porretta, cast. ubi balnea
 sunt, in Bononiensibus
 montibus
Porcina, Apricenæ
Porto Hercole, Herculis
 portus
Pordonò, portus Naonis
Portosino, Portus Delfi-
 nus
Portoferrato, portus To-
 puloniæ
Portovenere, Portus Ve-
 neris

I N D E X.

- Portouecchio, uetus portus in Corsica
 Porto di S. Stefano, Stephanus portus prope Egnatiae ruinas in Apul.
 Postonia, Castrum
 Potieri, Poitiers, Pictopotito castrum. (nes
 Pozzeuera, Pocifera
 Praga, Casurgium
 Prato, Hetruriae opp.
 Prato uecchio
 Presse castrum. & fluuius
 Priacroe, Priacrucium
 Primaro, primū Padi hostium, Spinetum
 Principato, Picentini
 Procida, Prochyta
 Puglia, Apulia
 Pulignano, Polynianum
Romanae portae quarū in Historia hac fit mentio
 Porta del populo, Flumē tana, siue Flaminia
 Porta di S. Giouan Laterano, Caelimontana, siue Querquetulana
 Porta di S. Sebastiano, Capena, Camœna, Appia, Triūphalis, Fontinalis
 Porta di S. Paulo, Tergemina, Hostiensis
 Porta di S. Pancratio, Aurelia
 Pontedi S. Angelo, Aelius pons
 Ponte Sisto, Aurelius uel Ianiculensis
 Q Varrata, Quadrata, Coratum
- Quintiano. Quintianum
 Quistelli
- R
 R Agusa, Epidaurus
 R Rapalie, Rapallius finus, uallis & castrum.
 Raspruch Germaniae opp.
 Rauenna, nomen retinet uetus
 Ravelio, Ravelium
 Razuolo, Ratiolum
 Rebecca, castrum.
 Reco castrum.
 Regio, Regium Lepidi in Gallia Cisalpina
 Rhegio, Rhegiū in Calabria
 Rems, Remi in Gallia
 Rodi, Rhodus insula
 Rhodes in Gall. Rutheni
 Refordes, in Gallia
 Rimini, Arimintum urbs
 Rieti, Reate
 Riozzo
 Ripatransona castrum.
 Ripomaranciae, Marantium
 Rissano
 Riua di Trento, castrum.
 Riuaruolo, Ripariolum
 Riuisingo
 Riuelta castrum. Ripa alta
 Roano, Rotomagum, in Aulercis
 Rocca di Papa, Algidum
 Rocca di Euandro, Euan-driarx
 Roccaguelma
 Rocca bianca
 Rocca Manarda
 Rocca secca
 Rodano, Rhodanus fluuius
 Roia, in Gallia

I N D E X.

Romagna duplex, una	S. Alcfio
riminum ufq; altera ab	S. Andrea
Arimino, Rauennam &	S. Angelo in Apulia, in
Bononiam, illa Flami-	Gargano monte
nia, hæc Aemilia dicta,	S. Arcangelo
ueterib. Gallia togata.	S. Bonifacio
Romania, Epirus	S. Columbano
Roncifualle in Pirenæis	S. Conftanzo
Rôciglione, uel rofciglio	S. Chriftoforo
ne, Ruscino in Pireneis	S. Croce
Roneo Bidelûs flu.	S. Caffano
Rondine, Rondinetum	S. Donato
Rofano, Ruscianum	S. Faufino
Rofà, caft.	S. Felice
Rofes, Rhoda, fite Rodo-	S. Georgio
pe urbs in Hifp.	S. Giouan dela uena
Rotelino, in Gallia	S. Giouanni
Rouerè, Roueretum	S. Gimignano
Rouigo, Rhodigium	S. Germano
Rubiera, Ruberia, Herbe-	S. Giouan Piediporto
Rubos (ria	S. Hermo, Hermetis fanû
Ruolo, Riolum	S. Giouanni de Lus
Rutigliano, Rutilianum,	S. Iacobo, in Hifp.
olim Rhodia	S. Lazaro
S	S. Leo, Leiucl Leonis fa-
Salerno, Salernum à Si-	S. Lorenzo (num
lero fluuio	S. Maria in Caftello
Salà, Saloum, Salodium,	S. Maria in bagno
longa Salona	S. Madalena
Salonichi, Th. ffalonica	S. Maura, Neritus olim
Salûo, Salûum	S. Miniato
Saluze, Salutij, Salinae Su-	S. Martin
riorum, alij Salaffos	S. Nazaro
falsò putant	S. Mald, Maclouium
Saltzburga, olim Iuuania	S. Paulo in Gallia, Salio-
Saltara	canus portus
Salto dell'incoronata	S. Pier dell'arena
Salua iera, Velia in Hifp.	S. Pier in Bagno
S. Agata, Agatae fanum	S. Pier Vergano, Petri Vir-
S. Albin, Albini fanum, &	garij fanum (dum
hoc modo reliqua	S. Quintrin, olim Veromâ

I N D E X.

S. Regolo	Cimbrorum reliquiæ
S. Remigio	Sciafusa Helvet. ciuitas
S. Rössor, Ruboris fanū, sive Rössorium	Scuto in Aquitania
S. Sebastiano	Scotia insula, Albion
S. Seuerina	Secchia, Gabelus flu.
S. Seuerò	Secciano
S. Secondo	Segna, Signia (sula
S. Sofia	Selanda, Caneniphatū in
S. Valier	Seminara, Semenaria
S. Zeno	Senare, Senaretum
Samoggia, flu. & cast.	Sena, Sequana flu.
Santonges, Santones	Senazara
Santerno, Vatreus flu.	Senzano
Sapri, Sapis fortè o- livi Lauus flu.	Sepri, cast.
Sartirana	Seraualle cast.
Sarno, Sarnus opp. & flu.	Serio, Serius flu.
Sartiano	Serezana, Sergianum, Se- retianum
Sassatello	Serzanello, Seretianulā
Sasart	Serchio, Sercius, Esarus, Auserus, Boactus flu.
Sassetta, Saxetum	Sermidi, sermitū, Seminū
Sartina, olim Farsina	Sermoneta, Sulmoneta
Sasviglione, Salsilio	Sermona, Sulmo
Sasso cast	Sernia, Myfiæ superioris
Sassuolo, Saxiolum	Serra (pars
Sauenna, Sapina flu.	Sestri di Leuāte, Sigestrū
Sauona, non habet aliud nomen, neq; est Sabara sive Sabatia ut quidam putant	orientale, Segestrium, Tegulia
Sauo, Sauus flu.	Sessa, Suesia
Sauignano, Sauinianum	Seta urbs
Saxonia, German. regio	Sesto, Sextium, Sexto Ca- lendas olim
Scala, cast.	Siago monte, Siagus in alpis Tridentinis.
Scarlino, Scatones	Siena, Sena
Scandi, cast.	Siciliano, Sicilianum
Scarpa	Sinigaglia, Senogallia: Galli Sennones
Scuttari, Scodra	Siponte, Sapus
Sciatica, Setabis in Hisp.	Sion, Sedunum
Suitz Helmetiorū pagus,	

I N D E X

Sisteron, Sisteronium	Taranto, Tarentum
Singlari, Singlarium	Tortona, Dertona
Siuglia, Ispalis, Romule-	Tauris Perfarū regiavrb̄s
Soana, Suavianum (ia	Terua uel Susa olim
Soaue, Suauium in Ceno-	Terra di Roma, Latium
manis	Terracina, Anxur
Sogliano, Solianum	Terra di Lauoro, Leborij
Solaruolo, Solariolum	campi, Campania olim
Sóma, Pompeianum, uel	Terano, Teranum Inter
mós summus, Veseuus	amina Præcutinorum
Soncino	Terranuoua, Terina
Sorbolongo	Teroana, Teruana in Mo-
Specie, Spedia (lium	rinis
Spelle, Hyspellū, Hyspel-	Termini, Thermulæ
Spra, Nemetum urbs	Terni, Ternium Interam-
Spilimberto, Spinū Lam	na Sabinorum
Spoletto, Spoletū (barti	Teuerone, Antien flu.
Squillact, Scyllaceum	Tiuoli, Tibur
Stabia, ubi olim Stabiæ	Todi, Tudernū, Tudertū
Stampace, Pisana arx	Torre di bagni, Aquæ Sin-
Stellata	uessanæ
Stesia uel scesia, scythes fl.	Torre tagiana
Stiria, olim Iapigia	Tornai, Neruij, Baganum
Stradella	Tornon in Gallia
Strada R. mea, Romana	Torre di Græco, ouer di
olim Aemilia & Flam.	Ottauo, Heracleain pu-
Strigonia ciuitas in Pann.	to olim fuisse
Suffolch, in Anglia	Tholosa urbs
Suuiio, Suuium	Toscanella
Sughereto	Tomba
Susa, Segusium, Sebusiū	Torre di Godiffa, Gentæ
T	Torre mathia, Martia tur
Tagaruolo, Tagariolū	Torre d'Ascanio (ris
Tagliacozo, Caliolū	Torre Marchesana, in Ve-
Taliacotium, Tallaco-	netaregione
tiū, Talequitium	Torricella, Turricula
Tarameto, Tiliauentu fl.	Torchara, Toreularia
Talamone, Talamonum	Tortosa, Dertosa
Tanaro, Tanarus flu.	Tours, Turones
Tarba, Tarbelli	Tirano, Vallistelinæ opp.
Taro, Tarus flu.	Tirol, Noricum

I N D E X.

Toledo, Toletū in Hisp.	Val di Cadora, Cadoria,
Tolon, Tauroentium in	uel Caloria uallis
Prouincia	Val d'Arno, Arni uallis
Torligo	Valesi, Valesiani pop. Ve-
Transiluania, Pannonia	Valfenera (ragri
inferior	Valenza in Allobrogibus
Traierro, ubi olim Min-	Valentia colonia
turnæ erant	Valenza, in Insubria, Valē-
Trani, Trinium, Traniū	tium, Forum Fuluij
Trabisōda, Trapezon in	Valenza in Hispania, olim
Cappadocia	Roma (lis
Treui, fortè olim Muti-	Val di chiana, Gianicaual
sca, uel Trebula	Val di Beneuento, Male-
Trebia, flu.	uentana uallis
Treuille	Vagliadulic in Hispania
Trecapanne, Triatuguria	Pintia
Treleuero	Val di Lamone, Anemo-
Trento, Tridentum	nis uallis
Treneri, Augusta Treui-	Valle d'Arriano, Arriani
rorum	uallis
Treviso, Taruissium, Tau-	Val d'Osiole, uallis Oscei
risum, Taurisci	Valmōtone, Labicū (læ
Tresa, Tresia flu.	Val di nienuole
Trezzo, Tritium	Valle di Roncallè
Tripalda opp. silua & fl.	Valfabia
Treusti, Tergeste	Valfassa, Saxina uallis
Troia in Apulia	Val di Ser (lis
Trumello, Trumelium	Val di ferchio, Auferisval
Tunisi, Tuneta	Valtolina, Vallis turrena
Turpia, urbs Trupia	Valtropia, Triumpilino-
Tufsignano, Tausinianū	rum uallis
Turea, Turrhena	Valle polliente, Pantenz
Turrita oppidum	uallis
V	Val fertana, Serij uallis
V Albona	Vailà
Valdibagno	Varese, Varesium
Val di Calci	Voragine, Vorago, Vira-
Val d'Augusta, Augusta val-	go, Voragium, Virgiū
lis, Augusta prætoria	in Liguria
Vallachia, Dacia, Myfia	Varadini cast. in Pannon.
Valleggio, Valegium	Varo, Varus flu.

Vaso-

I N D E X

Vafonio, Vafonium
 Vdene, Vtina, Attilæ urbs
 Velletri, Velitræ
 Verme, Verminum caft.
 Vernia in Clufentinis
 Vercelli, Vercellæ
 Veruli, Verulum
 Verrucola caft.
 Vernacula fluu.
 Venofa, Venufium
 Verona nomen retinet
 Vicenza, Vicentia
 Vicariato, regio in Picen.
 Vico, Vicus
 Vicopifano, Vicuspifanus
 Vicouaro, Vicus Valerij,
 fue Varronis
 Viana opp. Nauarra
 Viadana caft. in Cifalpi-
 na Gallia
 Vienna in Pannonia fupere
 riore, Iulia bona, Via-
 Vignale (na olim
 Viareggio, Via regia
 Villaco, Vacorium olim
 Vigeueno, Vigeuenum
 Vigneuanum
 Villafranca, Portus Her-
 culis in Prouincia
 Villa di Felino
 Villa nuoua, Vercellæ ue-
 tus
 Villa de la Torre
 Villa de la Purla, Piollæ
 uicus
 Vintimiglia, Albintimili-
 um, Intimilium
 Vitadi
 Viterbo, Viterbium, Vetu-
 lonia, uel Veiuza
 Virtembergi, Intuergi

populi
 Vittoria, Victoria, in Infu-
 bria à Frideric. extructa
 Viftarino, Viftarinum
 Virtus Virtufiû in Belgis
 Vliueto, Oliuetum caft.
 Vlma, Alcimenum in Ger-
 mania
 Vmbriano, Vmbrianum
 Vnians du Maine, in Gal-
 lia, Cominius Argentio-
 nius, habet du Mains
 Voghera, Vicheria, uicus
 Iriæ
 Voltauicus
 Volterra, Volaterra
 Vormaria, Vangionû urbs
 Voftagio
 Urbio, Virbius flu.
 Vrgelli, Bergidum
 Vfolingo
 Vultruno, Vulturnus fl.

Z

Z Vrich, Tigurum Hel-
 uetiorum opp.
 Zulf in Germania

I N D E X A L T E R ex priore inuerfus

A Bdua, Ada flu.
 Acelû, fue Acedû
 Monfelice
 Acherontia, Ma-
 tera
 Adulas, Monte di S. Got-
 tardo
 Atrianus flu. Adice
 Aegyptus, Egitto
 Aelius pons Romæ, Pon-
 te di S. Angelo

I N D E X

- Aemilia, Romagna**
Aemiliavia, strada romca
Aenaria insula, Ischia
Adulsi populi, Adulsi
Alba Græca, Belgrado in Pannonia
Alba in Marfis, Albi
Alba Rôpeia, Alba in Lig.
Albiana regio. Aluiano
Albigaunum, siue Albin-tannum, Arbinga
Albiniacum, Aubigni
Albitimiliû, Vintimiglia
Alcimentium in Germa-nia, Vlma
Alicinot mōs, Môtalcino
Algidum, Rocca di Papa
Alisum, Brandeburgo
Allia fluius, Caminate
Allobroges, Delfinato & Sauoia
Alon in Hispania Tarrha-conensi, Alicante
Alpes Coctiæ, Montegi-neura, & Moncenise
Alpes Graiæ, Monte mi-nor di S. Bernardo
Alpes Juliæ. alpi Iulie
Alpes Penine, monte mag-gior di S. Bernardo
Alpes Sabatiorum, Alpi marine
Alpes summæ, monte di S. Gottardo
Alsa flu. & cast. Limine
Amantea urbs, Mantia
Ambianum, Amiens
Ameria, Amelia
Amiternum, Aquila
Anania, Anagni
Anaxus flu. Pïaua
- Ancon, Ancona**
Andes siue Andicani, An-gyou
Aneçhini pons, Magion de le rose
Anemo flu. Lamone
Anemonis uallis, ual. di Lamone
Anien flu. Teuerone
Aniçia, Lenza flu.
Annilaria, Anguillara
Annibalis castra, Anuniû Anon
Anobij, Hefsia
Ansanum oppidum, Lan-ciano
Antium, Nettuno
Anxur, Terracina
Aphrodisium Africa, Ma-hemedia
Apicium, Apicio
Aponis Balnea, Bagni d' Abano
Apenninus mons, Apen-nino
Appia porta Romæ, di S. Sebastiano
Apricene, Porcina
Aprutij, Abruzzi, Abruz
Asforus, Ossaro fl. (zeff)
Apulia, Pencetia, ducato di Bari
Apuia, Pontremolo
Apuani, Lunigiana
Aquæ Augustæ Baiona
Aquæ calidæ, Caldane
Aquæ Sextiæ, Ais, Aix, E-tais
Aquæ Sinuessanæ, Torre di Bagni
Aquilonia, Agnò

Aqui-

I N D E X.

- Aquitania, Guascogna
 Aquilæ siue Aquenses,
 Aquapendente
 Arausis, Oranges (no
 Arcenû. & Arcena, Braccia
 Arcus Marianus, Cama-
 Arelatû, Arles (riano
 Argentius fl. & op. Argêt.
 Articuli uicus, Figaruolo
 Aricomij siue Volci, Au-
 gnon
 Ariminum urbs, Rimini
 Ariminum flu. Marechia
 Armorica, Bretagna
 Afsisum, ascisi
 Asulum, Asola (rio
 Astura siue Clostra Asto-
 Atella, siue auella Auerfa
 Aternus fl. & op. Pescara
 Athesis, Adice fluu.
 Atrebates, Artois
 Atrebatum, Arras
 Atria ciuitas, Adria
 Atilæ urbs, Vdene
 Aufidus flu. Lofanto
 Augusta Baciendorum, Ba-
 signana
 Augusta prætoria Aosta
 Augusta Treuirorû, Tre-
 uiri
 Augustodunum, Autun.
 Aulerci, Roano
 Aulircij, aurelia, Orleans
 Aurisû, siue aurantiû, O-
 range
 aurelia porta Romæ, di
 S. Pancratio
 aurelia uia, Maremma
 aurelius pons Romæ, Põ
 te Sisto
 auscij, siue augusta, aus
 Auferi uallis, Val di Ser-
 chio
 Auferus fluuius, Serchio
 Austrasia, Lorena
 Auximus, Ossimo
 B
Baganum, Tornai
 Baia, Baia
 Bara Orobiorum oppidû
 Bergomum
 Barcinon, Barcelona
 Barionon, Bari
 Barolum, Barletta in Apu-
 lia
 Bastitani, in Hisp. Tarrha-
 conensî, Castiglia
 Batau orû insula, Holâda
 Bechunni, Giara d'adda
 Beletra, Bisignano
 Bellocasij siue Baiuenses
 Baiusa
 Bellunium, Bellunû, Bel-
 luno
 Benacus lacus, Lago di
 Garda
 Bergidum, Vergelli
 Biboldonis Alba, Bibol-
 Bidesus flu. Rôco (don
 Biduenses, Normandia
 Bigerones, Bierna
 Bilitionum siue Brenno-
 rum castrû. Belinzona
 Biturgia, Borgo di San fe-
 polcro
 Bituriges. Berri
 Biturigû ciuitas, Bourges
 Bizantium. Constantino-
 Boactus fl Serchio (poli
 Boiodunum, Patauia
 Bondincus, Bondeno
 Bonitum, Poggibonzi

I N D E X.

- Bracenum, siue Arcenum**
 & Arcena, Bracciano
Branno nices, Brianzone
Brixillum siue Brixellum
 Bresselle
Brundisium, Brindisi
Brutij ueteres in Calab-
 sunt
Burmia, Bormia
Buxentum, Policastro
- C**
- Cœlimontana porta Ro-**
 mæ
Porta di S. Giouan Late-
 rano
Cæsarea Alessandria del-
 la paglia
Caieta, Gaeta
Calabria, Calauria
Calatia, Gaiazzo
Calenum, Carinula
Callipolis, Gallipoli
Callis siue Calcuicus, Ca-
 gli
Calphurniana, Cafero-
 niana, Garfagnana
Calisoli, Tagliacozzo
Camarena in Sicilia, Ca-
 merata
Camertes, Camerino
Campania felix, Terra di
 Lauoro
Campus Marianus, Cama-
 riano
Caneniphatum insula, Se-
 landa
Cantabria, Biscaglia
Canusium, Canosa
Capena, siue Camœna,
 porta Romæ, Porta di
 S. Sebastiano
Capitinata, Capitanato
Capitinata portus, Man-
 fredonia
Caprea insula, Capri
Capua idem nomē habet
Caracca, Caravaggio
Carbonarium Padi ostiū
 Fornaci
Carnum, Possionia
Carnutes in Gallia, Char-
 tres
Cartago noua, cartagena
Casalius sipus in Corsica,
 Golfo di S. Fiorenzo
Casilinum, Cancellæ
Casinum, Mōtecastino
Castra mariana, Camaria
 no
Castrum nouū, Corneto
Caurgium, Praga
Catti, Hestia
Cecinna, flu.
Cenomani, Maiene
Centūcellæ, ciuitatechia
Cere, Ceri
Cere uetus, Ceruetri
Cidiniola, Cirignola
Cilicia, Carmania
Cimbrorum reliquæ in
 Heluetijs, Sultz
Circeum, Circelle
Ciuitas Portuensis, Ostia
Classis opp. & fl. Chiasia
Clast: diū op. chiesteggio
Clauisium, Ciuas
Clusentini, Casentino
Clusium, Chiufi
Colonia Agrippina
Comaclum siue Cimaclū
 Comachio
Cōpendiū, Compiegne
 Cors-

I N D E X.

- | | |
|---------------------------------------|--------------------------------|
| Coratum, Quarrata | Euganei, Marca Treuigia |
| Corcyra, Corfu | Eugubiū, Gobbio (na |
| Cornubizantium. Pera | Eupilus lacus, Lago di Pu |
| Cornuetum siue Coritū, | fiano F |
| Corneto | F Alisca Colonia, Monte |
| Coron flu. Curone | falcone |
| Corone, Coron (rone | Farfina, Sarfina |
| Coronis pons, Ponteco- | Fanum fortunæ, Fano |
| Cosentia, Cosenza | Feroniæ Lucus, Motrone |
| Crescentij Castel. Rome | Fertini siue Feltria, Feltro |
| Cast. S. Angelo | Fescēnia, ciuita castellana |
| Croton, Cortona | Fidentia, Firenzuola |
| Curci, in Panno. Curfia | Finarium in Liguria, Fina |
| Cyprus, Cipro | le, seu potius Finario |
| D | Firmum, siue Firmiū, Fer |
| D Acia, Vallachia | mo |
| Delphinus Portus, Por | Flaminia, Romagna |
| to fino | Flaniam, Fagnano |
| Dertona, Tartona | Flumentana, siue Flami- |
| Dertosa, Tortosa in Hisp. | nia porta Romæ, Porta |
| Diuguntinorū forū, Cre | del popolo |
| Diuionū, Digion (ma | Fontinalis porta Romæ, |
| Dyrrhachium, Durazo | di S. Sebastiano |
| E | Formiana uilla, Castello- |
| E Bolum, Ebulum, Eboli | ne |
| Eburaic, Orleans | Forum Flaminij, Fulginū, |
| Eburodunum, Ambrum | Fuligno |
| Ecalidus flu. Caldano | Forum cornelij, Imola |
| Ecana, Foggia | Forumiulij, Frioli |
| Egnatia, Monopoli | Forijulij ciuitas, Ciuidal |
| Entella flu. & uallis in Li- | di Friul |
| guria, Lauagna | Forunliuij, Furli |
| Epidaur ⁹ Illyrica, Ragusa | Forum Fuluij, Valenza in |
| Epirus, Romania | Italia |
| Eporedia, Iurea | Forum Nouij, Fornuouo |
| Eretum in Crustuminiis, | Forum Popilij, Furlinpo- |
| Monteritondo | polo |
| Esarus flu. Serchio | Forum Sempronij, Fos- |
| Esis ciuitas, Iesi | sombrone |
| Esis flu. Fiumicino | Fossa Clodia, Chioggia |
| Eubœa, Negroponte | Fossæ Papirianæ, Fossa- |

I N D E X

nuoua
 Frangetæ, Môtefortino
 Fregellæ, Pontecoruo

G

Gabelus flu. Secchia
 Galerites regio, Gale
 rà
 Callifénones, Sinigaglia
 Galliæ Belgica, Picardia
 Gallia Cisalp. Lombardia
 Gannodurū, Constanza
 Garganus mons., Monte
 di S. Angelo
 Gaziolum, Gazuolo
 Gennabum, Orleans
 Gesoriacū nauale, Cales
 Glanica palus, Chiane
 Glanica uallis, Val di chia
 Glareola, Giarella (na
 Glanis, siue Glanicus flu.
 Chiana
 Gratianopolis Granoble
 Grigonissa Colleoneffa
 Gerion. castrū Cirignola
 Guardistallē, Guastalla

H

Heraclea Torre di Greco
 ouer di Ottauo
 Herberia, Rubiera
 Herculis portus, Porto
 Hercole
 Herculis templum, Pie-
 trasanta
 Hirium Bestrice
 Hiria urbs, Oira
 Hispania Tarraconensis
 Aragonia
 Hostiensis porta Romæ,
 di S. Paulo
 Hydruntum, siue Hydrus
 Otranto

Hypodromus Neapoli,
 Caualler a
 Hypellum, Hypellium,
 Spelle

I

Ianiculensis pons, Romæ
 Ponte Sisto
 Ianinallis, uel Valianus
 pōs, Pontevagliano
 Iapidia, Stiria. Istria
 Iapigiū promontorium,
 Capo d'Apennino
 Iapix, Bri
 Idex flu. Idice
 Iliua insula, Elba
 Innuum, Corneto
 Insubria, Lombardia, ubi
 Mediolacum
 Insula Fulcheria, Giara-
 dadda
 Interamna Præcutinorū,
 Terano (ni
 Inreramna, Sabinorū Ter
 Intuergipop. Virtéberg.
 Intruim, Ispruch
 Ispalis, Siuglia
 Ister, Danubio
 Istonium, il Grafo
 Iulia bona, Vienna in Pā
 nonia superiore
 Iulia Cæsarea, Algeri
 Iulia pietas, Pola
 Iuliobriga in Hisp. Logru
 gno
 Iulium Carnicū, Goritia
 Iura mons. Iurassō mōte
 Iuuania, Saltzburg

L

LAbicum, Valmontone
 Labronæ ratio, Liuro
 no

Lar-

I N D E X.

L arius lacus, lago di Co-	Manliana, Magliana
Laterina, Larnata (mo-	Mantua Carpetanorum,
Latiū, cāpagna della chie-	Madril
sa, uel terra di Roma	Marantiū, Ripomarancie
Lauinus, uel Lauus flu. &	Marcomanni, Moravi
cast. Laino	Marcomannorum sedes,
Laulon flu. Lolona	Bohemia
Laumellum, Lomelina	Mariana uilla, siue Maria-
Laus Pompeia, Lodi	num, Marino
Lauus flu. Sapri	Marianum, Marano
Leborij campi, Terra di	Marradius uicus, Marradi
Lauero	Marsi & Præcutini, hodie
Lemniacum siue Linea-	Abruzzi & Abruzzesi
cum, Lignago	Martianus uicus, S. Marco
Leonatum, Lonà	Massicus mōs, Mōdrago-
Leonicum, Lonigo	Massilia, Marfiglia (ne
Leptis parua, Africa	Mathelicates, Matelica
Lerix, Lerice	Mauri, Mori
Leucas, S. Maura	Maxara opp. & flu. in Sicī
Leucum, Lecco	lia, Mazari
Liburnia, Friuli (cino)	Meager siue Meagrū Nea-
Licinij forum, Pieue d'In	poli, Castel dell'ouo
Ligurum, Livorno	Mediolanum in Gallia,
Liris flu. Garigliano	Orleans
Lochia in Gallia Locces	Meduacus flu. Brenta
Lollianum, Loiano	Meduacus minor, Bachi-
Longa Salona, Salò	glione
Lotaringia, Lorena	Meduaci Fossæ, Brételle
Lucania Basilicata	Melisseta, Melfetta
Luceria in Apul. Nocera	Memphis, Cairo
Lucus, siue Lugiū, Lugo	Menstra flu. Musone
Lugdunum, Lion	Menstra opp. Mestri
M	Mesaucum, Musocco
M acedoniae ueteris	Metalonum siue Metalco-
pars, Albania	nis, Matalone
Maclouium, San Malò	Metaurus flu. Metro
Magdauum in Germania	Methone, Modon, in Gre
Maganza	Meuania, Beuagna (cia
Maleuentana uallis, Val-	Miletum, Meleto
di Beneuento	Mincius fluuius, Mincio
Malsia, siue Melfia, Malfi	Minerue promont. Capo

I N D E X .

- di Minerua
 Mineruium, Miuerbio
 Minius flu. Mugnone
 Minturnæ, Minturnio
 Modoetia siue Mogütia-
 cum in Italia, Monza
 Moguntiacum in Germa-
 nia, Maganza
 Moles Adriani Romæ, Ca-
 stel S. Angelo
 Monœci portus, Monaco
 Mongillani, Mugello
 Möscheruc. siue mós Ce-
 ritus, Montechiarucoli
 Mons Setius, Mompeliet
 Monspolitianus, Monte-
 pulciano
 Monsfilicius, Monfelice
 Mons summus, Sonima
 Morini, Fiandra
 Mutina, Modona
 Mutisca, Treui
 Mysia superior, Seruia &
 Boffina
- N
- N**Annetes, Nantes
 Naonis portus, Por-
 donon
 Narnia siue Nequinum,
 Narni
 Narbo Martius, Narbona
 Nardoa, seu Neritú, Nar-
 do (uctus
 Nauëna. Rauenna, utrúq;
 Naupactus, Lepanto
 Nemetum urbs, Spira
 Neomagum, Namours
 Neptunium, Nettuno
 Nericus, S. Maura
 Neruij, Tornai
 Nepet & Nepete, Nepi
- Neustrij, Normandia
 Nicea, Nizza
 Nitia flu. Lenza
 Norba Cæsarea, Alcanta-
 Noricum, Tirola (ra
 Nola idē nomē obtinet
 Nomentanus pons, Pon-
 te Lamentano
 Nouocomum, Como
 Nouiodunum, Noion
 Nuagera, Aquigranum
 Nucetum. Noceto
 Numidia, Barbaria
 Nursia, Norcia
 Nussia, Nanssau
 O
 Oenipons, Ispruch
 Ollius flu. Oglio
 Opiniacus uicus, Oppia-
 Orea urbs, Oira (no
 Oropitum, siue Orbitum
 Oruieto
 Oscellaua. Val d'offole
 Ofolius flu. Offole
 Otriculum, Otricoli
- P
- P**Adus flu. Pò
 Palus Pontina, Palude
 Pannonia inferior, Tran-
 siluania
 Pann. superior, Austria
 Pharus turris, Genuæ, Lã-
 terna (hente
 Pantenæ uallis, Val pol-
 Paufilippus. Paufilippo
 Peloponnesus, Morea
 Pentapolis, Rauenna
 Perpenianû, Parpignano
 Petrinum, Mondragone
 Pestum, Capace,
 Philocolis, Ceruia
 Pice-

N D E X

Piccleonis, Picighitone	Salpina, Reggio
Picentini, Principato	Regiates, Correggio
Picenū, Marca d'Ancona	Regium in Calabria, idē
Pictōes, Potieri, Poitiers	nomen retinet
Pilum, Iunco	Ripa alta, Riuolta
Pintia, Valladolid	Rhoda, siue Rhodope,
Pirenei mōtes nomē reti	urbs in Hisp. Roses
Pisgi, Ciuitatecchia (nēt	Rhodanus flu. Rodano
Pisaurum, Pesaro	Rhodus insula, Rhodi
Pitheusa, Ischia	Rhodia, Rutigliano
Planasia insula, Pianosa	Rhodigium, Rouigo
Plauis flu. Prata	Roma in Hisp. Valenza
Polinesus, Polleseno	Romuleia, Suiuglia
Polinianum, Fulignano	Rosulum, Monteroso
Pōmicæ Mailil. Martēge	Rotomagum, Roan
Pompeianum, Somma	Rusciano, Rosano
Pompelon, Pampelona	Ruscino, Rosciglione
Pōsrenulus, Pōremolo	Rusium, cast. di Rusi
Pontia insula, Ponzo	Rutheni in Gal. Rhodes
Populoniæ portus, Por-	S
tofertato	Abatia, Ceua
Porcifera, Pōzzeuera	Salentinorū promont.
Portus Herculis in Pro-	capo d'Apennino
uincia, Villafranca	Salies, Arles
Præcutini & Marsi hodie	Salinae sutriorum, Saluze
Abruzzi, & Apruzesi	Saliscanus portus in Gal
Preneste, Pelestrina, uel	lia, sampaulo
Polistrine (maro	Salodium, siue Salū, Sald
Primū Padi ostium, Pri-	Salubium, Castrocara
Prochyta insula	Samarobriga, Cambrai
Q	Sanctones, Santognes
Varata, Quātrata	Sapina flu. Sauena
Querquetulana por-	Sapris flu. Sapri (nia
ta Romæ. Porta di San	Sarmatia Europea, Pollo
Giouan Laterano	Saxina uallis, uel saxina
R	Scodra, Scuttari
Rapallus sinus, uallis &	Scultenna flu. Ponaro
cast. in Ligur. Rapalle	Scyllaceum, Squillaci
Reate, Rieti	Sebin ^o lacus, lago d'Issico
Remi in Gallia, Rems	Sedunū in Valleis, Sion
Regiū Lepidi, in Gallia ci	Segestriū, scit. sdi Leuate

I N D E X.

- Segufium, Sufa (midi
 Seminũ ſiue Sermitũ, Ser
 Senæ urbs, Siena
 Senogallia, Sinigaglia
 Sentina, Fabriano ♦
 Sentinates, piuieri di Se-
 Sentini, Cérina (ſtina
 Sequani, Borgogna
 Sequana flu. Sena
 Sergianum ſiue Seretianũ
 Serezana
 Serius flu. Serio
 Sclites flu. Sreſia
 Serabis, Sciatina
 Sextũ, Sextium, ſexto Ga
 lendas. Seſto
 Sextus & Abydus, Darda
 Sicambri, Gheldre (nelli
 Sigona, Segna
 Silua formoſa, Mortara
 Sipus, Sipontum
 Sontius flu. Liſonzo
 Souerani, Sugheretto
 Spedia, Specie uel Speza
 Spinũ Lamberti, Spilim-
 bertò
 Stabia ciuitas, Caſtella-
 mare di S. abie
 Stabia, Stabiano
 Stabulum in Hiſp. Perpi
 gnano
 Statones, Scarlino
 Sturia flu. Stura
 Sueſſa, Seſſa
 Suſa in Perſia, Tauris
 Suuiatum, Soana
 T
TAaliequitiũ, Tallaco-
 tium, Tagliacozzo
 Tarbelli, Tarba
 Tarentum, Taranto
 Taruana in Mor. Teroanã
 Taurini, Piemonte
 Tauriſci ſiue Tauriſum,
 Treuiſo
 Taurœntium in Prouin-
 cia, Tolon
 Taurunũ ſiue Taururum,
 Belgrado, ſiue Albagre
 cshodie in Vngaria
 Tectofates, ſiue Tolofa-
 tes, Linguadoca
 Tegulia, Seſtri di Leuãte
 Tergemina porta Romæ
 di S. Paolo
 Tergeſte, Trieſti
 Terina, Terranuotia
 Theſmulæ, Termini
 Terrapallumena, Caſen-
 Terua, Tauris (tiq̃
 Theſſalonica, Salonicchi
 Themeſe, Longobuco
 Theobaldiana arx Ferrã-
 riæ, caſtel Tialto
 Thraſymenus lacus, Lago
 di Perugia
 Tiberiacũ, Bagnacuallo
 Ticinum ciuitas, Pavia
 Ticinus flu. Teſino
 Tiferinũ, Cittadicaſtello
 Tigurum, Zurich
 Tilauëtus flu. Taiamêto
 Tegifonũ, Sciocco flu.
 Traianusportus, Piöbino
 Trapezon, Trabiſonda
 Trebula, Treui
 Tridentum, Trento (ni
 Trinium ſiue Traniũ, Tra
 Triturrita Labroneſtatio
 Ligurnum, Liorno
Tri-

I N D E X

- | | |
|--|---|
| Triumphalis porta Ro-
mæ di S. Sebastiano | Verruca, Mönfalcone |
| Trupia urbs, Turpia | Veromädum in Gallia, S.
Quentino |
| Tudernũ siue Tudertum,
Todi | Verulum, Veruli |
| Tulifurgum, Brunfuig | Vesëus Mons, Monte di
Somma (terbo) |
| Turone, Tours | Verulona, uel Veiuza, Vi- |
| Turrhena uallis, Valteli-
na (ta | Vesta fanum, Biesfri |
| Tusculanũ, Grotta ferra-
V | Viceria, Vicenza |
| Vacorium, Villacco | Vicheria siue Vicus Irix,
Voghera |
| Valentia colonia, Valen-
za in Allobrogibus | Via regia, Viareggio |
| Valentium castrum, Va-
lenta in Italia | Vicus Valerij uel Varro-
nis, Vicouaro |
| Valeria, Croatia | Vigilia, Biselli (co |
| Varanus fluius, Cadoro | Vigiliolus fl. Sciocco, Sac |
| Varanus, Marano | Vigleuanum, Vigueno |
| Varus fluius, Varo | Vilicionis castrum, Belin |
| Vastũ Ammonis, Guasto | Virbus fl. Urbio (zona |
| Vatrenus fl. Santerro | Vitis flu. Montone |
| Velia in Hispania, Salica-
rierra | Vlmus formosa, Olmo |
| Velitre, Veletri | Voghesus mons, Mõte di
S. Claudio |
| Vennonetes. Valtolina | Volaterra, Volterra |
| Venusium, Venosa | Volcentarius mons, Argẽ
tato monte |
| Veneris portus, Portome-
nere | Volsinium, Bolsena |
| Veneti, Marca Treuigia-
na | Volturrhena, Valtelina |
| Verbanus Lacus, Lago-
maggiore | Vibuentum, Oruieto |
| Vercelle, Vercelli (ua | Vra urbs, Oira |
| Vercelle uetus, Villa nuo | Vlpetes, Francfort |
| | Vrina, Vdene |
| | Vulturus Ciuitas, Ca-
stella mare di Boturno |
| | Vulturnus fluus, Vulturno |

F I N I S.

FRANCISCI GVIC-
CIARDINI HISTORIA-
RVMSVITEMPORIS
LIBER
PRIMVS.

C. S. C. *interpretè*

Origo & caussæ bellorum quæ in Italia cœperunt anno M C C C C X C I I I I. Caroli VIII Gallix regis in Italiam aduentus, ab Ludouico Sfortia euocati: Florentia, Petro Medice eiecto, liberata: Pisanorum à Florentinis defectio: eiusdem regis Pisas, Florentiam, & Romam ingressus: Alfonsi & Ferdinandi regum Neapolitanorum fuga, & quomodo eo regno potiti sint Galli.



RES in Italia memoria nostra gestas, scripturus sum, ex quo arma Gallica à nostris met principibus euocata, eam ingenti motu perturbare cœperunt: quæ res varietate et magnitudine sua maximè memorabiles sunt, casibusq; atrocissimis refertæ: cum tot annos omnibus eis calamitatibus Italia sit afflictæ, quibus miseri mortales nunc Dei ira iustissima, nunc aliorum hominum impietate & sceleribus vexari solent. Ex quarum rerum cognitione, tam varia tamq; graui, poterit quiuis & sibi priuatim, & reipub. docu-

menta salutaria capere : vnde exemplis innumeris
 perspicuè constabit, quantis mutationibus, haud se-
 cus quàm mare ventis agitatum, obnoxia sint huma-
 nae res: quàm saepe sibi, semper autem populis perni-
 ciosa sint malè considerata consilia eorum qui domi-
 nantur, cum nihil aliud quàm aut vanos errores, aut
 praesentes cupiditates ob oculos habentes, fortunæ
 crebras mutationes nō recordantur, potestatiq; sibi
 ad cōmunē salutē cōcessā, in aliorū perniciē cōuertē-
 tes, se ipsi, siue prudētia destituti, siue nimia ambitione
 detēti, nouarū perturbationū autores cōstituunt. Sed
 calamitates Italiæ (vt qui eius tum esset status, atq; v-
 nā quibus ex causis tot tantaq; mala orta sint, aperi-
 am) eò maiore cum omnium molestia, ac terrore ini-
 tia sumpserunt, quo res vniuersæ tunc letiores feli-
 cioresq; videbantur. Nam primū omnium illud sa-
 tis constat, postquam imperium Romanum ex com-
 mutatione praesertim veterum morum debilitatum,
 coepit à sua illa magnitudine, ad quam admirabili vir-
 1490. tute, fortunaq; ascenderat (quod ante mille annos fa-
 ctum est) deficere, Italiam nunquam tanta felicitate
 vsam, tamq; optabili rerum statu, quantus erat ille, in
 quo anno Christianæ Salutis M C C C C X C
 ijsq; qui huic tum antè tum post coniuncti fuerunt, se-
 cure quiescebat. Alta nanque pace & tranquillitate
 vndiq; parta, tota non minus in locis montosis & ste-
 rilibus, quàm in planis & fertilibus culta, nullius im-
 perio, praeterquam suorum subiecta, non modò ha-
 bitatoribus atque opibus refertissima, verumetiam
 multorum principum magnificentia, nobilissimarū
 & pulcherrimarum vrbiū splendore, religionis se-
 de

de & maiestate summopere illustrata, viris in reipub. administratione præstantissimis, ingenijs in omni scientia atque arte præclara nobilissimis florebat: nec pro eius ætatis vsus & disciplina, rei militaris gloria vacua, tot tantisq; dotibus ornatissima, meritò apud omnes nationes nomen & famam clarissimam retinebat. In hoc felici statu quem varijs ex causis erat consecuta, eam conseruabant cum alia multa, tum verò non exigua laus omnium serè consensu tribuebatur industria virtutiq; Laurentij Medicis, cuius vsq; adeò supra priuatam hominis sortem in Florëtina ciuitate eminentis, vt eius vnus consilio illius reipub. negotia gererentur: cuius reipub. potentia magis oportunitate situs, ciuium suorum ingenijs, & pecunie copia, quàm amplitudine imperij continebatur: cumq; idem noua affinitate sibi Innocentium **V III** pont. Romanorum conciliaffet, isq; Laurentij consilij plurimum vteretur, fiebat, vt magnum eius esset in tota Italia nomen, magna in consilij de repub. auctoritas: qui cum & reipub. Florentinorum, & sibi valde periculosum fore animaduerneret, si cuius potentiorum opes augerentur, omni adhibito studio, vt res Italiae in ea æquabilitate consistrent, vt non magis in hanc quàm in illam partem propenderent, procurabat: quod quidem sine pacis conseruatione, summaq;, ne quid quod eam perturbare posset, oriretur, vigilantia, & attentione obtineri nullo modo poterat. In hanc communis tranquillitatis propensionem consentiebat Ferdinandus Aragonius Neapolitanorum rex, maxima certè prudentia atque auctoritate princeps, etsi antea sepe animi ambitiosi, atque à pa-

cis consilijs alieni edidisset signa, & hoc quoque tem-
 pore ab Alfonso Calabriae duce liberorum suorum na-
 tu maximo, ad res novas assidue extimularetur; quòd
 inuitus ferret Ioannem galeacium Sfortiam Medio-
 lanensium ducem, generum suum iam annis viginti
 maiorem, etsi animo ad principatum capeffendum
 minimè apto, ducis nomine tantum retento, ab Lu-
 douico Sfortia patruo suo deprimi, ac suffocari: qui
 cum ante annos decem, imprudentia & parum pu-
 dicitis moribus matris eius Bonæ, pueri tutelam susce-
 pisset, hacq; occasione paulatim arces, equitatum,
 gazam, omneq; principatus instrumentum, in suam
 potestatem redegisset; administrationem nõ quidem
 vt tutor aut vicarius, sed ducis titulo excepto, tanquã
 iustus ac legitimus princeps in omni actione cum sum-
 ma dignitate retinebat. Ferdinandus tamen præsen-
 tis vtilitatis maiore habitatione, quàm filij ad bel-
 lum propensionis, & quãtumuis iustæ indignationis;
 siue quòd paucis antè annis regni sui procerum &
 populorum non sine grauissimo suo periculo contra
 se odia sensisset; siue quòd ex rerum præteritarum
 memoria, suorum in gallicum nomen studia cogno-
 sceret, atque idcirco dubitaret, ne qua ex Italiae discor-
 dijs regni neapolitani inuadendi occasio Gallis præ-
 beretur, siue Venetorum potentie tunc toti Italiae for-
 midabili frænum iniicere cupiens, suam cum reliquis
 ac cum Mediolanensium et Florentinorum potissimũ
 imperijs, societatem necessariam esse cognosceret, ne
 qua res in Italia nouaretur, optabat. Nec Ludouico
 Sfortie uiro alioqui inquieto & ambitioso, alia po-
 terant consilia placere; tũ quòd haud leuiora Mediola-

ni dominantibus, quàm alijs ab senatu ueneto pericula imminerent; tum quòd ei facilius esset in pacis otio quàm belli molestijs partem autoritatem cōseruare; & quanquam ei omnes Ferdinandi, & Alfonsi cogitationes essent suspectæ, nihilominus tamen perspectæ Laurentij Medicis ad pacem uoluntate, & metu simul quo idem ex eorum magnitudine & potentia afficiebatur: adhæc cum sibi ex animorum dissimilitudine, atque ex ueteribus inter Ferdinandum & Venetos odijs persuasisset, nullam inter eos posse firmam amicitiam constitui, existimabat, neminem præterea fore qui cum Aragonijs coniungeret sese ad id intentandum, quod solus obtinere se posse nullo modo consideret. In Ferdinando igitur, Ludouico & Laurentio, cum partim iisdem, partim diuersis de causis, eadem esset ad pacem propensio, facile fœdus Ferdinandi regis, Ioannis gaelacij Insubrium ducis, & reipub. Florentinorum nomine ad sua communiter tuenda contractum perseuerabat: quod fœdus cum multos ante annos cœptum esset, post uarijs euentis interruptum, demum anno Salutis M C C C C L X X X. consentientibus in id omnibus ferè Italiæ regulis & ciuitatibus, in annos quinque & uiginti fuerat renouatum; cuius fœderis is præcipuus erat finis, ne Venetorum potentiam ulterius crescere permitterent; qui singulis quidem socijs maiores, coniunctis autem multo inferiores, consilijs à communibus separatis, suas res agebant; atque ex aliorum discordijs et malis crescere cupientes, intenti & parati in omnem occasionem stabant, quæ eis uiam ad totius Italiæ imperiũ aperire posse uideretur. Ad quod quidem imperium

eos aspirasse, cum alijs temporibus perspicuè cognitum fuerat, tum uerò maximè cum ex Philippinaria Vicecomitis Mediolanensium ducis inorte occasione sumpta, illorum libertatis defendendæ prætextu, eius urbis dominatum occupare tentarunt, sed recentiore memoria cum aperto Marte Ferrariensis ducis fines inuaserunt. Hoc foedere cupiditati uentis senatus facile quidem frænum iniiciebatur, uerum enim uero animi sociorum in sincera amicitia & fidei minimè continebantur, propterea quòd æmulationis atque inuidiæ inter se pleni, pro se quisque intenti alij aliorum obseruare consilia non cessabant, interrumpebantq; sibi inuicem ea omnia, per quæ cuius ipsorum uel imperium uel autoritas posset accedere: ex quo tamè pax haud minus firma reddebatur, quin potius in omnibus alacritas maior excitabatur, ut eas scintillas extinguere procurarent, ex quibus noua incendia possent excitari. Hic rerum status erat, hæc Italiae tranquillitatis fundamenta, sic constituta ac librata, ut non modò presentis mutationis nullus esset metus, uerum ne suspicari quidem facile quis posset, quibus aut consilijs, aut casibus, aut armis turbari tanta quies posset, quum mense Aprili anno M C

8492 C C C X C I I. mors Laurentij Medicis superuenit, mors acerba ipsi propter ætatem, quæ annum quartum & quadragesimum nondum expleuerat: acerba patriæ, quæ & autoritate, & prudentia, & ingenio ipsius ad omnem laudem & excellentiam aptissimo, opibus, ijsq; bonis, & ornamentis omnibus mirum in modum florebat, quibus humanis in rebus pax diuturna stipata esse consuevit: toti præterea Italiae

incom-

incommodissima, cum ob alia quæ ab eo ad communem securitatem continenter fiebant, tum verò maxime quòd sequeſter, & tanquam frænum eſſet in diſſidentibus conſilijs & ſuſpicionibus moderandis, quæ inter Ferdinandum & Ludouicum Sfortiam, principes ambitione ac potentia propemodum pares, diuerſis de cauſis sæpenumero exoriebantur. Laurentij obitum, gliſcentibus indies magis & magis imminentium calamitatum cauſis, pontificis mors eſt conſecuta, cuius uita inutilis alioqui publicis rebus, ob hoc ſaltem non incommoda, quòd armis quæ ſtimulis quorundam regni neapolitani procerum infeliciter in Ferdinandum mouerat depositis, animoq; prorsus ad ocium & uoluptates conuerſo, iam nec ſua nec ſuorum cauſſa quicquam magnopere cogitabat, ex quo felicitas Italiæ turbari poſſe uideretur. Innocentio ſucceſſit Rodericus Borgia, patria Valentinus (eſt enim Valentia regiarum Hiſpaniæ urbium una) antiquus cardinalis, atque inter primos curiæ Romanæ purpuratos, uerùm ad pontificatum ob diſſidia, quæ inter Aſcanium Sfortiam, & Iulianum Rouereum ſanti Petri in Vincula cardinales interceſſerant, aſſumptus, ac multò etiam magis quòd nouo eius ætatis exemplo partim pecunia, partim officijs ac ſacerdotijs quæ habebat ampliſſima repromiſſis, complurium cardinalium ſuffragia palam coemit, quos tanquam diuini præcepti contemptores minimè puduit uendere facultatem ſacros theſauros in celiſiore templi parte cœleſtis autoritatis nomine nundinandi: pleroſq; illorũ ad tam nefariam negotiationem induxit Aſcanius cardinalis, ſed non iam magis hortationibus, & precibus

quàm exemplo : qui infinita opum cupiditate corruptus, sibi tanti sceleris precium pontificij tabularij procurationem, quam Vicecancellariam uocant, munus in Romana curia præcipuum depectus est; nec eo contentus, sacerdotia, oppida, illiusq; quam Roma habebat magnificētissimam domum, preciosissima suppellectile refertam adiecit. Sed non ideo tamen nec post diuinum iudicium, nec tunc infamiam & iustum hominum odium effugit; quos ea pontificis electio terrore atque horrore compleuit, non tam quòd artibus turpissimis esset pertractata, quàm quòd pontificis esset plerisque & natura & conditio magna ex parte nota: atque inter cæteros manifestum est regem neapolitanum, etsi palam conceptum animo dolorem dissimularet, reginæ uxori suæ cum lacrymis à quibus uel in filiorum morte abstinere consueuerat, significasse, eum creatum esse pontificem, qui non Italiæ modo uerumetiam toti christianæ reipub. perniciosissimus esset futurus. præsagium Ferdinandi prudentia, nõ indignũ. Nam in Alexandro sexto (sic enim uoluit nouus pontifex appellari) solertia et sagacitas singularis, cõsiliium excellens, uis ad persuadendum admirabilis, & ad res graues pertractandas diligentia ac dexteritas incredibilis fuit; sed has uirtutes longo interuallo uitia moresq; fœdissimi superabant; nõ sinceritas in homine, non pudor, non ueritas, non fides, non religio, sed insatiabilis auaritia, ambitio immoderata, crudelitas plusquam barbara, & sitis ardentissima, suos, qui non pauci erant, filios quoq; iure, quaq; iniuria euehendi; in quibus aliqui ne ad praua consilia, praua deessent instrumenta, erant nulla in parte

minus detestabiles patre. Tantam mutationē fecerant Innocentij octauī morte pontificiæ res: sed non minorem Laurentij Medicis interitu res Florentinorum; qua in ciuitate sine ulla repugnantia patris magnitudini successerat Petrus trium filiorum natu maximus admodum adolescens; sed qui nec per ætatem, nec per alias eius conditiones tanto oneri sustinendo par esset, nec ad res domi & foris procurandas ea moderatione præditus, qua fuerat pater; qui inter socios principes prudenter, ut tempora ferebant, agendo, publicas priuatasq; fortunas & uiuens amplificauerat, et moriens eam de se opinionem in animis omnium reliquerat, quasi ipsius potissimum opera, pax in Italia fuisset conseruata. Nam uix primū Petrus ad Reip. gubernacula manum admouerat, quum consilio, paternis consilijs prorsus aduerso, nec re cum optimatibus ciuitatis, sine quibus res graues decerni non solebant, communicata, Virginij Vrsini consilijs inductus propinqui sui (mater enim uxorq; Petri ex familia Vrsina erant natæ) sic se Ferdinando Alfonsoq; à quibus Virginus totus pendeat, addixit, ut Ludouicus Sfortia iustam haberet timendi causam: ut quandounque sibi Aragonij nocere uellent, Petri Medicis autoritate, reipublicæ secum Florentinorum uires coniunctas haberent. Hæc societas omnium malorum seminarium ac principium, quanquam initio & tractata & confirmata occulte admodum fuisset, per initia statim frè, obscuris quibusdam uestigijs percepta, Ludouico principi uigilantissimo, atq; ingenio peracuto, suspecta esse coepit. Nam cum inueterato Christianæ reipublicæ more, legati essent ad nouum pon-

tificem mittendi, qui eum tanquam Christi in terris uicarium adorarent, eiq; se obtemperaturos promitterent, Ludouici Sfortiæ, cuius propriū fuit ab alijs minus prouisa consilia excogitare, quo reliquos omnes prudentia superare uideretur, consilium fuerat, ut omnes sociorum legati uno eodemq; die Romā simul ingrederentur: simul in publico conuentu se corā pontifice sisterent: utq; oratorum unus omnium nomine uerba faceret: quod eo facto maxima cum existimationis omnium accessione, uniuersæ Italiae, ostenderetur esse inter ipsos non modò beneuolentia & fœdus, sed tanta potius necessitudo, ut unus duntaxat princeps, unumq; corpus uiderentur. huius consilij utilitatem non minus ratione, quàm recenti exēplo demonstrari: nam, ut creditum fuerat, pontifex è uiuis qui proximè excesserat, sociorum animos parum inter se cōsentire, ex eo colligens, quod ad se colendum & uenerandum separatis consilijs, diuersisq; temporibus uenissent, eo ad regnum neapolitanum inuadendū prōptior extiterat. Ludouici consilium facile Ferdinandi lenitas comprobauit: comprobarunt amborum auctoritate inducti, nec Petro Medice in publicis consilijs contradicente, Florentini, quamuis id priuatim molestissimè idem ferret Petrus: qui cum reipublicæ Florentinorum orator esset designatus, decreuissetq; suā legationem superbo admodum & regio serè apparatu illustrem reddere, animaduertebat si Romam unā cum alijs sociorum oratoribus intraret, atq; in pontificis ueniret conspectum, suæ pompæ splendorem in tanta multitudine in oculis hominū incurrere nō posse: quæ uanitas iuuenilis ambitiosis hortationib. Gen-

tilis episcopi Aretini, qui unus fuit oratorum, corroborabatur. nam cum ad eum, tum propter sacram dignitatem, tum propter studia literarum, quæ uocant humanitatis, in quibus uersatus fuerat, orandi Florentinorum nomine prouincia esse delata, sibi ostentandæ eloquentiæ occasionem illo inusitato & nouo modo eripi in tam ornato & celebri confessu, incredibiliter dolebat: idcirco Petrus partim sua leuitate, partim aliorum ambitione impulsus (nolebat tamen ad Ludouici Sfortiæ notitiam uenire, se eum esse qui eius consilio repugnaret) ab rege petiuit, ostenderet se re diligentius expensa, animaduertisse eam legationem sine multa confusione communiter obiri non posse: itaque suaderet, ut singuli per se superiora exempla secuti, suam legationem obirent. qua in re cum rex ei ita gratificari cuperet, magis ei re satisfacit, quam gratificandi modo: neque enim Ludouicum celauit, se haud alia de causa ab eo quod primum comprobauerat, discedere, quam quod à Petro Medice ad id esse stimulatus. Ex hac mutatione maiore molestia se affectum Ludouicus ostendit, quam res ipsa per se mereri uidebatur. Expostulabat uehementer, quod cum iam notum esset pontifici totique Romanæ curiæ primū institutū, quiq; eius autor extitisset, nunc ut ipsius minueretur autoritas, irritum fieri: quod quidē ei eo molestius accidit, quod ex hoc leuissimo ac nullius ferè momenti euentu coepit olfacere, Petrum Medicem cum Ferdinando clandestina agitare consilia; id quod ex ijs quæ sunt consecuta, indies clarius apparuit. Possidebat Anguillariam, Cereuetus, aliaq; nonnulla exigua castalla Romæ uicina Franciscus Cibo Genuensis, Innocen-

tij pontificis ex concubina filius: qui cum post mortē patris Petri Medicis uxoris suæ Magdalenaë fratris amicitia fretus, Florentiam se ad habitandum contulisset, uix primum eam urbem attigerat, cum Petri opera ea castella Virginio Vrsino aureis numis quadraginta millibus uendidit re cum Ferdinando præcipuè deliberata; qui ei bonam eius summæ partē clam mutuo dederat, in suum commodum cessurum ratus, quo magis Virginij suam militiam sequētis, ac propinqui opes circa Romam diffunderentur. Nam rex secū reputans, pontificum potentiam instrumentū esse peropportunum ad regnum Neapolitanum, quod est in ueteri pontificum Romanorum iure; quodq; per longissima spacia ditioni eorundem finitimum est, perturbationum; nec non memor controuersiarum quas tum pater ipsius, tum ipsemet sæpenumero cum pontificibus habuissent: semperq; expromptam esse nouarum contentionum materiem, finium iura, census, beneficiorum collationem, procerum perfugia, multaq; alia quæ inter uicinos non raro, neque minus sæpe inter eum qui alterius beneficio aliquid possidet, & ipsum dominum oriri solent: semper suæ securitatis firmitermentum esse duxit, si uel omnes uel potentiores saltē Romanæ ditionis proceres sibi addictos retineret: quod quidem hoc tempore faciebat libentius: quoniā Ludouici Sfortiæ cardinalis Ascanij fratris ipsius gratia, auctoritatem apud Pontificem magnam fore existimabat. Neque minus fortē regem mouebat (ut pleriq; putarunt) metus, ne in Alexandro hæreditaria essent cupiditas atque odium Callisti III. pontificis patru sui; qui effrænato Petrum Borgiam nepotem suum ad

prin-

principatum euehendi desiderio, illico, nisi mors eius consilijs interuenisset, Alfonso patre Ferdinandi mortuo, arma mouisset, ut eum regno neapolitano, quod in pontificatus iura reciderat, spoliaret; parū memor (usque adeo breuis est se penumero in hominibus acceptorum beneficiorum memoria) Alfonsi opera, in cuius erat natus regnis, & cui diu in seruiert, se cum ceteros obtinisset suæ dignitatis gradus, tum uerò ad pontificatum adipiscendum, haud leuia adiumenta cōsecutum. Sed illud profectò uerissimum est; Non semper homines sapientes uidere perfectè aut iudicare: signa enim non rarò imbecillitatis humanæ mentis existant necesse est. Rex etsi magnæ prudētiae princeps haberetur, non intellexit quanta ea res esset reprehensione digna, quæ ullo tempore nulla præterquam leuissimæ utilitatis spe proposita, ex altera parte grauissima adferre detrimenta poterat: quippe illa castellorum ab alienatio ad res nouas eorum animos incitauit, cuius intererat communi concordie conseruandæ operam dare. Pontifex enim cum existimaret ex illa se inconsulto uenditione, ea castella iure & legibus ad pontificiam sedem esse deuoluta; cumq; eo facto Pontificis maiestatem non mediocriter imminutam censeret; ad hæc quid Ferdinandus in eo spectaret reputas, contra eum, contraq; Petrum Medicem & Virginiū, Italiã uniuersam querelis impleuit; affirmans se quantum ei uires suppeditarent, nullam prætermisurum operam, ut & suam dignitatem, & illius sedis iura retineret. Sed neque minus commouebatur Ludouicus Sfortia: qui cū sibi inaniter persuasisset, suis & Ascarnij consilijs pontificem omnia administraturū, id om

ne sibi detrahi dicebat, quod de Alexandri potētia diminuebatur. In primis uerò illud angorem conceptū augebat, dubitari iam non posse, quin Aragonij & Petrus Medices, quando in eiusmodi rebus iisdem consilijs progredierentur, arctissimo inter se societatis uinculo coniuncti essent; quorum consilia tanquam suis rationib. periculosa ut infringeret, utq; eo magis hac occasione pontificis ad se animum flecteret, eum ad suæ ipsius dignitatis conseruationem, quanta maxima potuit animi contentione incitauit: sibi ob oculos poneret, non id modò, quod in præsentia ageretur, uerum etiam quàm graue esset in ipsis pontificatus auspicijs, ab ipsismet clientibus suis, tanti gradus maiestatem fuisse contemptam: ne crederet aut cupiditatem Virginij, aut castellorum momēta, aut aliquid eiusmodi Ferdinandum permouisse; sed quòd uellet iniurijs, quæ initio parue uiderentur, ipsius patientiam atque animum tentare; mox, si ad hæc nihil sese commoueret, in dies maiora tentaturus: eius ambitionem nihil esse à cæterorum regum neapolitanorum diuersam, qui Romanæ sedis hostes perpetui fuissent: idcirco ab iisdem regibus pontifices armis fuisse sæpius uexatos; urbem Romam occupatā: hunc ipsum regem bis contra duos pontifices exercitus quibus filium præcisset, ad Urbis usque muros misisse: semper ferè cum superioribus pontificibus apertas inimicitias exercuisse: irritari eundem etiamnum contra ipsum, nō modò superiorum regum exemplo, suaq; innata dominandi libidine, sed multo magis uindictæ cupiditate, ex memoria offensionum quas à Callisto patruo suo accepisset: hæc secum diligenter expenderet ac re-

puta-

putaret: qui si primas iniurias, furo tantum atque inanibus titulis honoratus, patienter toleraret, futurum ut re ipsa ab omnibus contemneretur, uiamque ad consilia magis periculosa patefaceret: sin mature opponeret sese, pristinam maiestatem amplitudinemque ab uniuersis pontifici Romano debitam, facile conseruaret. Verbis adiecit pollicitationes efficacissimas sed facta longe efficaciora: nam ei libras auri quadringentas, hoc est, ducatorum ut nunc loquuntur, quadraginta millia promptissime mutuo dedit; atque unum cum eo communibus impensis trecentos grauis armaturæ equites conduxit: sed ea lege, ut ubi iuberet pontifex, ibi consistrent: quo tamen nouarum molestiarum necessitatem uitaret, Ferdinandum hortabatur, Virgilio suaderet, pontificem honesta quapiam ratione mitigaret, innuens ni faceret, ex hoc leui principio, ingentes exoriri motus posse. Longè uerò etiam liberius & uehementius Petrum Medicem monuit, cogitaret quàm opportunum ad pacem Italiæ retinendam fuerit, Laurentium patrem ipsius se tãquam medium Ferdinandum inter & se amicumq; communem gessisse; domesticum potius imitaretur exemplum, cum præsertim à tanti nominis ac uirtutis uiro summendū esset potius, quàm nouis consilijs aures præbendo, alijs occasionem siue necessitatem potius præbere ea consilia capere, quæ singulis tandem essent perniciofa futura; in memoriam reduceret, quanta ex diuturna Sfortiæ & Mediceæ familiæ amicitia, securitas autoritasq; utrique accessisset: & contra quantis iniurijs tum patrem, tum maiores suos, tum Florentinorum rempublicam Aragonij affecissent, ac denique

quoties Alfonso primùm, deinde Ferdinandus eius filius, iam insidijs, iam armis tentassent Hetruriæ imperium occupare: uerum enim uerò, his monitis plus detrimenti quàm emolumenti causæ importabatur. Nam Ferdinandus indignum ratus, si Ludouico Ascanioq; cederet, quorum stimulis pontificis indignationē excitari sibi persuadebat; & præterea ab Alfonso filio concitatus, Virginio suasit, ne castellarum possessionē emptionis iure capere ultra differret; pollicebaturq; se cum, à quocunq; ei molestiam inferente, defensurum: ceterum, suas innatas artes secutus, Pontifici uarios compositionis modos proponebat; Virginium nihil secius monens, ne modum ullum admitteret, eis exceptis, quibus Pontifici summa pecuniæ aliqua persoluta, castella ipsa sibi retineret. Hac re confirmatus Virginus, post sæpe conditiones nonnullas recusauit ex ijs quas Ferdinandus, ne Pontificem tantopere irritaret, ut acciperet sedulò monebat. His in reb. cum Petrum Medicem pertinaciter regis auctoritatem sequi, omneq; studium, ut is ab eo remoueretur, collocatum, irritum esse constaret, Ludouicus Sfortia secū ipse reputans quantum referret suos ab ea ciuitate hostes pendere, cuius temperamētum securitatis suæ præcipuum esse fundamentum solebat; atq; ob id multa sibi pericula imminere existimans, statuit suæ salutis nouis remedijs providere; præsertim cum ei minime obscurum, ardens desiderium Aragoniorum esset ut ipse à nepotis gubernatione summoueretur: quod quidem desiderium, quamuis Ferdinandus simulandi ac dissimulandi in omni sua actione artifex incredibilis esset; Alfonso tamen, homo natura in primis a-

pertus, nunquam intermiserat de iniuria genero facta palam expostulare; ac maiore libertate quam prudentia, contumeliosa minarumq; plena uerba iactare. Intelligebat præterea Ludouicus, Isabellam Ioannis galeacij uxorem uirilis animi sceminam, nullum finem facere patremq; auumq; stimulanđi; ut si mariti indignissime oppressi, suaq; infamia eos non mouebat, saltem uite discrimen, cui una cum filijs erant expositi, permoueret. Verum illud magis animum angebat ipsius, cum reputabat, nomen suum cunctis mediolanensis imperij populis esse summopere inuisum, tam ob multas iniustatas exactiones numarias, quam quod Ioannis galeacij legitimi principis calamitate nemo serè non uehementer permoueretur. Et quanquam Aragonios affectati in Insubria principatus nomine suspectos reddere niteretur, quasi ueteri iure ex Philippimariæ Vicecomitis testamento, à quo Alfonsus Ferdinandi pater hæres fuerat institutus, ad eos pertineret, quasiq; hoc prætextu ab nepotis tutela remouere satagerent, tamen his artibus odium in se conceptum nihil mitigabat; nec efficere poterat, quin pleriq; omnes cogitarent, ad quæ scelerata dominandi sitis pestifera mortales soleat impellere. Quamobrem, postea quandiu rerum statum, impendentiaq; pericula animo uolutasset, omnib. alijs curis postpositis, omnes suas cogitationes ad noua conquirenda præsidia, nouaq; fœdera cõuertit; ad quod cum magnã opportunitatem ostenderet tum pontificis cum Ferdinando simultas, tum quod existimaret Venetum senatũ cupere fœdus dissolui, cuius ui consilijs ipsius obuiam itum iam multis annis erat, noui fœderis rationem, quæ



esset è re communi, utrique proposuit. Verùm in pontifice odium atque alij omnes affectus ab effrenata filios suos extollendi cupiditate uincebantur; quos cum arde ter amaret, omnium pontificum primus, qui suæ infamiae ex parte uelandæ causa, nepotes eos solebant appellare, & filios appellabat, & cunctis mortalibus tanquam filios ostentabat: cui cum nulla sese offerret occasio, qua ipsius desiderio uia steneretur, Alfonsi natarum unam ex ijs quas extra legitimum connubium susceperat, uni filiorum uxorem conciliare satagebat, cui dotis nomine aliquis in regno neapolitano principatus non ignobilis assignaretur. A qua spe donec prorsus cecidisset, aures potius quàm animum factioni ab Ludouico propositæ præbuit: cui desiderio si esset factum satis, forsitan pax Italiæ non tam repente fuisset perturbata: à qua re, etsi Ferdinandus haud abhorreret, Alfonsus tamen cui pontificis ambitio fastusq; erat inuisus, ut assentiretur nunquam adduci potuit: idcirco dū cōnubium quidem se non improbare simulant, sed in dotali fundo impedimenta iniiciunt, Alexandro minimè satisfaciunt. Itaque indignatus statim sibi Ludouici consilia esse sequenda, partim cupiditate, partim ira, partim etiam nonnullo timore; propterea quòd Ferdinandi stipendia merebat, non modò Virginii Ursinius qui summo Florentinorum regisq; fauore, nec non auctoritate, qua in Guelforum factione pollebat, ualde tūc in tota pōtificia ditione erat potens, sed et Prosper Fabriciusq; Columniæ familie principes; itemq; Iulianus Rouereus sancti Petri in Vincula cardinalis, summæ existimationis uiri; qui sese quòd pontificem uitæ suæ in-

sidi.

fidias struere suspicaretur, in Ostiensem arcem, quam
 tanquam eius urbis episcopus obtinebat, receperat, ex
 inimicissimo factus erat amicissimus Ferdinandi, in quē
 olim prius Xistum patrum, dein Innocentium ponti-
 fices concitarat. At non ita facilis senatus Venetus ad
 hoc foedus, ac ipse putarat, fuit: propterea quod, etsi
 pergrata ei erat aliorum discordia, eum tamen pontifi-
 cis iam omnibus indies magis suspecta perfidia, nec nō
 foederum, quae ipsi cum Xisto atque Innocentio qui hūc
 antecesserant, memoria retardabat: ab hac enim mole-
 stias satis multas citra ullum commodum acceperant:
 Xistus uerō in ipso belli Ferrariensis ad quod eos con-
 citauerat, seruire, mutata sententia, non modō sacris e-
 os armis, uerum etiam istis profanis ac ferreis, ad hoc
 ipsum etiam reliqua Italia concitata, est persecutus. Sed
 enim omnibus impedimentis, Ludouici industria ac
 diligentia tum apud senatum, tum singulis senatoribus
 prensandis superatis, nouum denique foedus menses A-
 prili, anno MCCCXCIII inter pontificem 1493
 Venetum senatum, & Ioannem galeacium Mediolanen-
 sium ducem (eius enim nomine omnia illius imperij ne-
 gotia expediebantur) ad communem defensionem, ac
 nominatim ad Ludouici dignitatis conseruationem, i-
 ctum est: ea tamen conditione, ut Veneti & Mediola-
 nenses, ad pontificiae ditionis, ipsiusq; pontificis securi-
 tatem, omni remota cunctatione ducentos singuli grauis
 armaturae equites Romam mitterent; hisq; ac maiori-
 bus, si quidem opus esset, uiribus, eum ad castella ab Vir-
 ginio occupata, recuperanda iuuarent. Suspensos haec
 noua consilia totius Italiae animos haud mediocriter

habuerunt: uidebant enim ducem Mediolanensem ab illo foedere quo per annos amplius duodecim Italiae securitas confiterat, se remouisse: in eo enim, ne a quoquã foederatorum, sine aliorum consensu noua aliqua pactio fieret expressis uerbis interdicebatur. Quamobrem, cum ea societas qua communis æqualitas continebatur, inæquali diuisione rupta, principumq; animi suspitione atq; ira pleni cernerentur, quid sperandum erat, nisi ad communem perniciem fructus his seminibus germanos, nascituros? Itaque dux Calabriae, Petrusq; Medices tutius rebus suis fore anteuertere quàm anteuerti existimantes, magna animi propensione Prosperum Fabritiumq; Columnios audiuerunt; qui ad illud ipsum ab Iuliano Cardinale clã impulsis, Romam se equitum turmis quas haberent ipsi, nec non Gibellinae factionis auxilijs, capturos pollicebantur; ea lege, ut Vrsinorum copiae subsequerentur; & dux ipse eò usque procederet, vnde triduo postquam Romã essent ingressi, eis subsidio uenire posset. Sed Ferdinandus cum mitigare potius quàm irritare animum pontificis, & corrigere quod ad eam diem imprudenter commiserat, cuperet, reiectis prorsus eiusmodi consilijs, quæ non securitatem, sed grauiores molestias ac pericula paritura iudicabat, sibi omnibus neruis, non iam simultatè, sed sincerè enitendum statuit, ut castellarum controuersiam componeret; illud ratus, sublata tanti dissidij causa, exiguo labore, imo per se propemodum Italiam in pristinum statum esse reuersuram. Verùm, nõ semper causas sublatis, ea quæ ab illis sunt orta primum remouentur. Nam, quod sæpe accidit, ut consilia timore susce-

pta, periculo inferiora ei qui timet, uideantur: haud existimabat Ludouicus se satis idoneū suæ securitati remediū inuenisse, sed ueritus quòd pontifex & Veneti a se diuersa spectarent, ut fœdus cum ipsis initium, diuturnum foret; ideoq; res suas uarijs casibus posse in nō pau- cas difficultates deuenire, omnem suam cogitationē ad eū, qui ob oculos obuersabatur morbū radicitus extir- pandū, his neglectis quæ post exoriri possent, cōuertit: quā sit perniciosū, quā aut morbi natura, aut ægroti uires ferre possint, fortiorē medicinā adhibere, quasiq; illud esset unicū præsentib. periculis remediū, maiora subire pericula, ut securitatem suam externis cōmuniret armis: quando quidem nec in uiribus proprijs, nec in Italorum amicitijs satis haberet spei, omnia experiri statuit, ut Carolum V III Gallie regem ad neapolitanū, regnū quod ueteri Andiuinorū iure sibi uendicabat, inuadendum cōmoueret. Regnum neapolitanum quod in priuilegijs et Rom. pontificum diplomatis, in quorum clientela uetustissimo est iure, Siciliae cis fretum regnum absurde nominatur, à Manfredi Federici secūdi Imperatoris ex concubina nato nullo ferè iure fuit occupatum, in clientelam unā cum Sicilia insula geminae Siciliae nomine, quarum altera cis: ultra fretum altera diceretur, anno Salutis M C C L X I I I I ab Urbano I I I I pontifice Romano, traditum fuit Carolo prouinciæ Narbonensis, & Andiuinorum comiti, eius Ludouici Gallie regis fratri, qui clarus quidem potentia, sed uitæ sanctimonia clarior, in diuorum numerum post mortem relatus est. Hic cum armorum uires ipsa obtinisset id quod ei uerbo erat pōtistica auto-

ritate attributum, regnum neapolitanum Carolo filio, quem Itali, ut à patre seiungant, Carolum II appellant, tradit: à quo ad eius nepotem Robertum peruenit. Verùm cū mortuo sine prole mascula Roberto, Ioanna Caroli Calabriae ducis, qui iuuenis ante patrem ex hac uita migrarat, filia successisset, cito non minus obscenitate morum, quàm sextus imbecillitate nouæ reginae autoritas contemni cœpit. Qua ex re, cū uaria essent tum dissidia tum bella, progressu temporis, inter Caroli primi ex diuersis Caroli secundi filijs exorta Ioanna alia ratione se tueri posse desperans, Ludouicum Andiouinum Caroli V Galliae regis fratrem, eum cui quod fortunæ periculum non sæpe fecisset ob multas eius uictorias, nomen sapientis Galli dederunt, adoptauit. Hic ualidissimo exercitu in Italiam ducto, Ioannam prius interfecta, regnoq; in Carolum cui à Dyrrhachio cognomen fuit ex Caroli primi similiter posteris, translato, se in Apulia iam ferè uictoriæ compos deceffit: ita ut ad Andiouinos ex hac adoptione uenerit aliud nihil, quàm prouinciæ Narbonensis dominatus, cuius possessionem à Carolo primo posteris semper tenuissent. Ab ea tamen originem habuit prætextus, quo post & Ludouicus Andiouinus primi Ludouici filius, & alio tempore eiusdem nominis nepos à pontificibus, si quando ab ijsdem regibus dissiderent impulsus, regnum neapolitanum sæpe, etsi parum feliciter, inuasit. Carolo autem Dyrrhachino, eius filius Ladislaus successerat: qui cū anno seruatoris MCCCXIII sine liberis deceffisset, regnum ad eius sororem alteram Ioannam, nomen non modò regno, uerum etiã ipsi

ipſi alteriq̄e Ioannæ infaſtum, quæ inter ſe nec imprudentia, nec morum obſcœnitãte differebant, peruenit. Etenim cum Ioanna regni gubernacula ijs traderet, quibus etiam corpus ſuum impudicè committebat, ſubito in tot ſe moleſtias coniecit, ut ab Ludouico tertio Martini quinti pontificis auxilio uexata, Alſonſum Aragoniæ & Siciliæ regem adoptare tandem cogeretur: ſed cum paulò poſt inter eos ſimultas orta eſſet, cum adoptione reſciſa, tanquam ingratum abdicauit, eundemq̄ Ludouicum adoptauit: eiusq̄ præſidium cuius armis ad priorem adoptionem fuerat compulſa, aduerſus Alſonſum implorauit: quo armis toto regno exacto, id pacatè uiuens conſeruauit, & ſine liberis moriens, heredem, ut fama eſt, Renatum Andiuinorum ducem & prouinciæ Narbonenſis comitem, Ludouici quem ipſi adoptarat, quique eodem fortè anno erat mortuus, fratrem teſtamento reliquit. Sed cum plerisq̄ regni principibus Renati ſucceſſio minus probaretur, eſſetq̄ fama teſtamentum illud à Neapolitanis falſò ſubiectum eſſe, factum eſt, ut à quibusdam regni proceribus, & populis, Alſonſus denuò accerſeretur. Hinc bella inter Alſonſum et Renatum, quibus per multos annos nobiliſſimum regnum afflictum eſt, quæ bella magis regni ipſius, quam proprijs ſunt geſta uiribus, originem duxerunt. Hinc diſſidentibus inter ſe animis factione, ne hoc quidem tempore prorfus extincta, Aragoniorum Andiuinorumque mutatis etiam ſucceſſu temporis cum nominibus tum coloribus, quibus iura ſua prætexunt, ex-

titerunt: propterea quòd pontifices suas magis cupiditates tēporumue necessitatem, quàm æquitatem secuti, diuersa inter se eius regni diplomata concesserant. Cum autem ex his cum Renato bellis uictor Alfonso utpote maiore & potentia et uirtute princeps extitisset, ac sine legitimis liberis è uita discessisset, nulla facta Ioannis fratris, atque in regni Siciliæ Aragoniæq; successoris mentione, testamēto regnum neapolitanum tanquā ab se partum, atq; idcirco ad Aragonium regnum nihil pertinens, Ferdinando ex non iusta uxore suscepto, legauit: quem, etsi statim ferè patre mortuo, regni procerum ope fretus, Ioannes Renati filius armis est aggressus, tamen felicitate & uirtute sua non modò se defendit, sed eum etiam ita afflixit, ut nunquam uiuo Renato, qui diu filio superstes fuit, ei fuerit cum Andiuinis quicquam aut contendendum, aut metuendum. Mortuus est denique Renatus, nulla uirilis sexus prole relicta, heredemque omnium fortunarum suarum & iurium Carolum fratris filium instituit: qui & ipse paulò post absque liberis moriens, sua bona Ludouico XI Galliæ regi omnia testamento legauit: ad quem tanquam supremum dominum non modò Andiuinus principatus, à quo, quod regni membrum sit, scemine excluduntur, deuolutus erat, sed etiam (quamuis Lotharingiæ dux Renati filiæ proles, successionem ad se pertinere affirmaret) in prouinciæ Narbonensis possessionem uenit: eiusdem quoque testamenti ui, iura Andiuinorum in regnum neapolitanum, uniuersa ad se translata esse affirmare poterat: quo mortuo, cum quòd Carolum VII eius filium deuenissent, potentissimum

tissimum aduersarium neapolitanus rex Ferdinandus habere cœpit: magnaq; opportunitas quibuscunq; eum lædere cupientibus, oblata est. Nam regnum Gallie ea tempestate, uiris, armorum gloria, potentia, opibus, auctoritate, regnis omnibus forsitan, qui à Carolo Magno extitissent, anteibat: propterea, quòd nuper ad singulas illas treis parteis, in quas uniuersa Gallia apud ueteres fuit distributa, magna erat accessio facta. Quadraginta enim ante hanc tempestatem annis, Carolo qui ob multas non sine grauissimis periculis uictorias, Felicis cognomentum obtinuit, regnante ad illud imperium Normãdia, Ghiënaq;, quas prouincias antea Angli obtinuerat: postremis aut Aloisij XI. temporibus Prouinciæ comitatus, ducatusq; Burgüdiæ, unã cū tota ferè Picardia accesserūt: post etiã Caroli VIII potentie ex receti cõiugio Britaniæ in Armoricis ducatus accessit. Nec Carolo regni neapol. tanquã ad se iure spectantis armis acquirèdi animus defuit iam inde à puero, naturali quodã instinctu susceptus, post etiam familiarium quorundam hortationibus sustentatus, qui inanibus eum cogitationibus replentes, hanc esse occasionem, qua maiorũ suorum gloriam superaret, proponebant, quod regno neapolitano subactò, Turcarum imperiũ facile subigi posse uideretur. Quæ res, cū esset iam nota multis, Ludouicum Sfortiam in spem erexit, nullo negotio suum regi desiderium persuaderi posse, haud parum præterea Sfortiani nominis in aula regis notitia fretus: quoniam & ipse semper, & prius Galeacius eius frater, multis cum signis tum officijs à Frãcisco Sfortia patre inchoatam amicitiam conseruassent: qui cū ab Aloisio XI.

cuius semper animus ab rebus Italiae alienus fuit, Saou-
nam urbem beneficiariam, iuraq; quae se in Genuam,
cui pater eius imperauerat, habere existimarat, accepis-
set, nunquam ei in suis periculis, nec consilio nec auxi-
lio defuerat; nihilominus tamen Ludouicus rem pericu-
li plenam, si quidem solus tantum motum excitaret, ar-
bitratus, utq; in Gallia maiore fide autoritateq; tracta-
ret, Pontifici primum idem persuadere non minus am-
bitionis aculeis, quam iracundiae morsu tentauit: demō-
strabat enim ei, nec Italiae principum fauore, nec armis
aut Ferdinandum ulcisci, aut filijs suis principatum ali-
quem sua persona dignum posse parare, nullo modo
sperandum esse. Quem cum ad id animatum siue rerū
nouarum cupiditate, siue ut ab Aragonijs metu id ex-
torqueret, quod ei sponte concedere recusabant, com-
municatis consilijs, clam homines fidos ad regis animū
eorumq; qui ei intimi à consilijs erant, explorandū ni-
serunt. quos cum à suis consilijs haud alienos reperis-
sent, Ludouicus ad hoc ipsum tota mēte defixus, in Gal-
liam, alijs tamen sparsis eius legationis causis, Carolū
Barbianum Belgioiosi comitem palam proficisci iubet:
qui ubi per dies aliquot & cum Carolo rege priuatim,
& seorsim cum praecipuis agens, eis expeditionem illā
esset persuadere conatus, in regium consilium, ubi prae-
ter regem regiosq; ministros, proceres plerique tum
sacri tum profani, auleq; nobiles erant, tandem admis-
sus, uerba, ut fertur, in hunc modum fecit.

Si cui fortē, quacunq; de causa, christianissime Rex
suspecta animi fideiq; integritas esset, qua Ludouicus
sfortia pecuniarum etiam & militum suorum auxilijs
oblatis

oblatis, te ad arma in regnum neapolitanum mouenda hortatur, is facile ab sese hanc male fundatam suspicionem remouebit, si memoria repetet antiquam omnium temporum Ludouici, Galeacij fratris, ac Francisci patris sui primū, in Aloisium XI patrem tuum, pōst etiā semper in tuum gloriosissimum nomen, obseruantiam: ac multò etiam magis, si cogitabit, ex hoc bello maxima in Ludouicum, cui tenui admodum emolumentis spe detrimenta posse redūdere: tibi autem omnia secus, cui ex uictoria pulcherrimum regnum cum immortalis gloria, & res maiores gerendi opportunitate: ipsi uerò aliud ferè nihil quàm contra insidias atque iniurias Aragoniorum iustissima uindicta obueniret. Quòd si forte susceptæ expeditionis fructu frustrari cōtingere, haud propterea tua, potentiſſime Rex, magnitudo minueretur: at Ludouicum quis nescit inuisum multis, omnibus contemptum, suis periculis ob hoc ipsum fœdus nullū perfugium inuenturum. Quis potest igitur eius esse suspectum consilium, qui in quauis fortuna, rebus tanta inæqualitate comparatis, & conditione tanto inferiore sit usurus? Quanquam rationes quæ te ad tam gloriosam expeditionem inuitāt, adeò perspicuæ sunt, persc̄q; efficaces, ut nullam admittant dubitationem: etenim ea in se continent, atque ampliſſimè complectuntur omnia, quæ in bellis suscipiendis præcipuè consideranda sunt, & quasi deliberationis fundamenta ponenda: re nimirum quæ suscipitur æquitas, uincendi facilitas, & uictoriæ fructus ampliſſimus. Principiò nemo est qui nesciat, quàm efficacia sint Andiuinorum, quorum tu legitimus hæres in regnum neapolitanum iura, quamq;

iusta successione à Carolo oriundi, ad id regnum aspi-
 rent, qui primus è regia Gallorum stirpe satus, & pon-
 tificum Roman. autoritate, & suorum inuicta armorū
 virtute, illud regnū adeptus est. Verūm haud minor ac-
 quirendi facilitas, quàm iuris æquitas est. Quis enim ne-
 scit, quanto Rex neapolitanus, maximo atque potentis-
 simo christianorum regum omnium rege, uiribus atq;
 autoritate inferior sit? quàm magnum, quàm formida-
 bile cunctis mortalibus gallicum nomen: quantoq; ter-
 rori tua rex arma exteris nationibus sint? Nunquā ar-
 mis regnum neapolitanum parum potentes Andicuiini
 duces inuaserunt, quin id in extremum discrimen addu-
 xerint. Recens est Ioannis Renati filij memoria, cuius
 contra hunc ipsum Ferdinādum erat in manu uictoria,
 nisi Pij pontificis, ac multo magis Francisci Sfortiæ ope-
 ra, qui id egit (ut omnes norunt) quo Aloisio XI patri
 tuo obsequeretur, è manibus esset erepta. Quid igitur
 nunc tanti regis arma atq; autoritas facient? aucta præ-
 fertim opportunitate, impedimentisq; quibus Renatus
 ac Ioannes destinebantur, sublatis: cum tecum earum
 principes prouinciarum, à quibus illorum fuit impedi-
 ta uictoria, consentientes habeas: quiq; summa facilita-
 te regno neapolitano possint obesse? Pontifex, propter
 suæ ditionis propinquitatem terrestribus copijs, dux
 Mediolani maritimis propter Genuensis classis oppor-
 tunitatem, ei regno infestis esse poterunt. Nec erit in Ita-
 lia qui se opponat: Veneti enim se nec impensis ac peri-
 culis uolēt obijcere, nec amicitia quā tamdiu cū Galliæ
 regibus tenuerunt, priuari, quo Ferdinandum nominari
 ueneto acerrimū hostem conspiciunt. Florentinos uerò
 credi-

credibile nõ est, ab ea obseruãtia qua semper reges Gal-
liæ quasi quodam naturæ instinctu coluerunt, recessu-
ros qui si maximè uelint, quid quæso aduersus tantã po-
tentia conari poterunt? Quoties uel tota reuicente Ita-
lia, alpes gens ista bellicosissima superauit, & cum in-
credibili gloria ac felicitate tot uictorias triumphosq;
reportauit? quando autem huius regni felicitas, gloria
potentia extitit maior? quando ei facilior pacis cum fi-
nitimis cõstituendæ occasio fuit? quæ si antehac sic ob-
uia fuissent, pronior forsitan ad hoc ipsum suscipiendũ
bellum pater tuus extitisset. Sed nec minus aduersarijs
difficultates sunt auctæ, quàm tibi sint imminutæ, atque
opportunitates adiunctæ. Sunt enim in eo regno An-
diouinorum partes etiamnum potentia non contem-
nendæ: magnæ sunt tot principum uirorum ac nobilitũ
uires, qui in exilium paucis ab hinc annis ire sunt com-
pulsĩ; adeo etiam acerbæ Ferdinandi in eius regni pro-
ceres & populos, in eos etiam qui Aragoniæ factionis
essent, omnium temporum iniuriæ: tanta est perfidia,
tam insatiabilis auaritia, tam horrenda atque expres-
sa crudelitatis exempla, non modò ipsius, uerùm etiam
Alfonsi filij uatu maximi, ut toti sint regno notissima.
Hi omnes incredibili odio in eos concitati, & recentĩ
Galliæ regum liberalitatis, integritatis, humanitatis,
iustitiæ memoria inuitati, ad tui aduentus famam, infi-
nita alacritate ad arma concurrent: ita ut sola expe-
ditionis fama ad uictoriam satis esse uideatur. Nam
simul ac tuæ, Rex, copiæ montes transierint, & classis
in Genuæ portum conuenerit, Ferdinandus eiusq; filij
scelerum conscientia perterrefacti, magis de fuga quàm
defensione cogitabunt. ita summa cum felicitate regnũ

tuo generi comparaueris: quod etsi magnitudine cum hoc tuo Galliae regno comparari non potest, regnum tamen est amplitudine & opibus non contemnendum, sed longè pluris aestimandum ex fructu & commodis infinitis ad hoc regnū peruenturis: quæ omnia nisi per spicuum esset, gallicæ uirtuti fines maiores esse propositos, recenserem: præstantiores enim altioresq; cogitationes sunt tã magnanimi tamq; gloriosi regis, nō propriam utilitatē spectantis, sed totius reipub. christianæ communem dignitatem. Ad hoc autem, quæ opportunitas maior? quæ occasio amplior? qui locus cōmodior? atque ad bellum contra nostræ religionis hostes gerendum aptior inueniri posset? Mare quod inter Neapolitanum regnum Græciamq; interest, haud amplius alicubi, quàm passus septuaginta milia patet, ex qua provincia Turcica tyrannide oppressa & lacerata, quæ nihil ardentius quàm Christianorum signa conspiciere cupit, quàm expeditus est in eius gentis uiscera transitus? quàm facile sedem & caput eius imperij Constantiopolim petere? Ad quem autem magis pertinet quàm ad te, rex potentissime, animum & cogitationem ad hanc sacram expeditionē conuertere? qui & potētia à Deo tibi concessa admirabili polles, et Christianissimi cogno-mento appellaris, & clarissimis maiorū tuorum exemplis excitaris? Quoties armati ex hoc regno, nunc ad ecclesiam Dei à tyrannis oppressam, liberandam: nunc ad communes fidei nostræ hostes inuadendos, & sepulcrum Christi sacratissimum recuperandum, profecti maiores illi tui, Galliae regum maiestatem in cælum usque tulerunt? His consilijs, his artibus, his factis, his propositis finibus, Magni cognomen, & Romanorum impé-
rium

riū adeptus est Carolus ille gloriosissimus, cuius ut obtines nomen, sic tibi occasio eius tum gloriæ, tum cognominis parandi proponitur. Sed quid ego tempus in eiusmodi rationibus explicandis infumo? quasi nō sit conuenientius, ac naturæ ordine præclarius parta conseruare, quàm acquirere noua. Quis ignorat ad quantum spectaret infamiam, tanta præsertim occasione ostentata, tale ac tantum regnum à tuæ stirpis regibus cōtinuata successione annis serè ducentis possessum, perspiciuoq; atque optimo iure tuum, ab Ferdinando ui occupari ac teneri ultra sustinere? Quis non uidet dignitatis tuæ esse id regnum recuperare? pietatis eos populos qui inuictum nomen colunt tuum, qui sunt iure tuī ab Catelanorum acerbissima tyrannide, in libertatem uindicare? Est igitur hoc bellum æquissimum, facillimū & necessarium: nec minus gloriosum & sanctum cūm per se, tum uerò quòd uiam ad res gerendas Christianissimo Gallie rege dignissimas patefacit: ad quas non homines modò, uerum etiam Deus, o magnanime rex, is est qui te tam magnis & manifestis opportunitatibus, initio statim summa felicitate proposita, uocat. Nā quæ felicitas maior principi cuiquam potest contingere, quàm si consilia è quibus propria gloria & magnitudo proficiscitur, illa comitentur & consequantur, ex quibus eluceat ea non minus ad communem omnium utilitatē & salutem, uerum multo etiam magis ad reip. Christianæ dignitatem esse suscepta?

Haud læto animo hæc oratio à Gallie principibus, atq; ab ijs præsertim qui & generis nobilitate, & prudentiæ opinione, maiore pollebant autoritate, accepta fuit: existimabant enim illud bellum innumeris difficul

tatibus & periculis implicatum fore: cum per alienam regionem, tam procul ab Gallie regno, & contra hostes potentia & uiribus claros, essent exercitus ductandi. Maxima enim erat apud omnes Ferdinandi prudentie fama, nec minor uirtutis Alfonso, atq; in re militari scientie: erat praeterea opinio, Ferdinandum, quod triginta regnasset annis, quodq; tot regni principes & nobiles diuersis temporibus spoliasset, ac funditus euertisset, magnam pecuniae uim coaceruasse. Aduertebant insuper regem per se tanto ponderi sustinendo imparē esse: in bellis autem & regnis administrandis debile consilium, & peritiam non magnam eorum qui apud eum plurimum possent. His accedere pecuniae inopia, cuius ingens numerus requiri putabatur: adhuc Italorum astus & artes esse in memoriam reuocandas: deniq; illud pro explorato tenendum, non solum caeteros, nedum Ludouicum Sfortiam, hominem alioqui fidei fluxae in Italia habitum, regnum neapolitanum in regis Gallie potestatem esse, aequo animo esse, laturos unde & uincere difficile, difficilius uero parta conseruare. Itaque Aloisium Caroli patrem, qui semper magis res ipsas, quam rerum umbras secutus esset, nunquam rerum italicarum propositas spes amplecti uoluisse, nec regni neapolitani iura magnificuisse, sed affirmasse semper, exercitus trans alpes mittere, aliud esse nihil, quam molestias & pericula infinito regni Gallie auro & sanguine comparare: esse ante omnia necessarium, siquidem hoc bellum suscipiendum sit, cum finitimis regibus controuersias componere: cum Ferdinando Hispaniae rege dissidiorum causas suspicionesq; non deesse: cum Maximiliano Romanorum rege, eiusq; filio Philippo archiduce

chiduce, ut hodie uocant, Austriæ, non solum æmulationes, uerum etiam iniurias intercedere: quorum animi reconciliari, nisi rebus concessis Galliæ regno detrimētosis, nullo modo possint: qui nihilominus specie magis quam re & ueritate in gratiam essent redituri. Nam quæ pactio satis securos posset reddere, eos, si quid aduersi regis copijs in Italia accideret, in Galliæ regnū non inuasuros? In Henrico autem septimo, Angliæ rege, natiuum in Gallicum nomen eiusq; gentis odium, maiores, quam recentem cum eo constitutam pacem, uires habiturum, non esse ullo modo dubitandum: Manifestum esse, ad eam pacem nulla re magis fuisse pertractum, quam quod regis Romanorum apparatus nō responderet promissis, quibus ut castra ad Bononiam Belgarum urbem poneret, inductus fuerat. Hæc atque huiuscemodi alia a principibus partim inter se, partim cum rege ipso, quo cum a bello deterrerent, differebantur, in quibus longè uehementius in id incumberebat Iacobus Graulla maritimarum rerum præfectus, quem Ammirallium uocant, cuius auctoritatem celebris apud omnes sapientiæ fama, etsi nonnihil esset eius dignitatis magnitudo imminuta conseruabat. Carolus tamen aures contraria suadentibus auidiores accommodabat: qui cum duos & uiginti esset natus annos, & rerum gerendarum parum sciens, imperandi, & gloriæ cupiditate inflammatus, leuitate potius atq; impetu quodā, quam consilij grauitate ferebatur: cumq; siue proprio quodā sensu, siue exemplo & monitis paternis impulsus, principibus ac nobilibus regni parum crederet, postquam sororis Annæ Borboniæ tutela exisset: nec iam Ammirallij aliorumq; qui in regni administratione præcipue

fuerant, consilia uellet audire, nouorum quorundã hominum, qui ei à puero ministrauerant, sequebatur nutum: ex quibus qui maiore apud eum pollebant gratia, pars largitione & promissis (ut sepe uenalia sunt principum consilia) Ludouici oratoris corrupti, à quo nulla diligentia, nulla ars fuerat prætermissa, ut sibi eos conciliaret, quos in ea deliberatione alicuius momenti esse arbitraretur: pars spe ducti, alicuius in regno neapolitano principatus assequendi: alij dignitatis cuiuspiam, siue opimi sacerdotij à Pontifice obtinendi, regem ad id illum hortabantur. Caput & dux horum omnium erat Stephanus Versius à Linguadoca, ut nunc loquuntur, obscuro loco natus, sed apud Regem, cui à cubiculo minister fuit, multos annos educatus, atque ab eodem Belcarij præfectura auctus: quod munus qui gerunt, Sinschalli siue Balliui, eius gentis more appellantur. Cum hoc faciebat Gulielmus Brissonettus, qui è mercatore, summus Gallie questor, mox etiam Macloxiensis episcopus factus, non modò regio fisco, quem Finantiarum illi uocant, præerat, uerumetiam cum Stephano coniunctus, ad omnia grauiora negotia (quanquam reipublice gerendæ parum admodum peritus) aditum habebat. Accedebant his Antonelli, Bernardiq; Sansfeuerinatum stimuli; quorum hic Bisiniani, ille Salerni erat princeps, aliorum item è regno neapolitano procerum qui complures in Gallia iam exulantes annos, Carolum ad hanc expeditionem continenter incitauerant, regni totius neapolitani calamitatem, siue desperationem potius, amicos præterea & clientes suos, quorum sibi opè & studia pollicebatur, memorantes. In tanta sententiarum uarietate suspensa per multos dies deliberatio fuit

non alijs solum quid statuendum esset ambigentibus, nec
rumetiam regis animo huc atque illuc fluctuante, qui
nunc gloriæ atque imperij stimulis agitatus, nunc timo-
re quasi freno retractus, iam hoc, iam illud probabat;
interdumq; in cōtrarium eius ferebatur quod prius sta-
tuisset: postremò tamē, prima eius propensione, Italiæq;
infelicissimo uincente fato, pacatis consilijs prorsus re-
pudiatis, pactio cum Ludouici oratore, omnibus præ-
ter Versium atq; Belcarium, remotis arbitris, facta est:
cuius capita menses aliquot occulta fuere; horum tamē
summa fuit, ut si Rex ipse in Italiam ueniret, aut exerci-
tum Neapolim mitteret, mediolanensis dux per suā di-
tionem iter expeditum concederet: cum regijs copijs
quingentos grauis armaturæ equites suis stipendijs mit-
teret: regi permitteret Genuæ classem quantam uellet,
instrueret: ducatorum ducenta millia, priusquam è Gal-
lia discederet, ei mutuo daret. Ex altera parte, rex Me-
diolanense imperium aduersus omnes tueretur: & pri-
uatim Ludouici autoritatem in eo principatu conser-
uaret: ducentos item cataphractos Astæ Aureliani du-
cis urbis, toto belli tempore haberet: qui præsto ad om-
nem eius principatus opportunitatem essent: ac tunc
seu non multò post, literis sua ipsius manu subscriptis,
rex promisit, ubi primùm regno esset neapolitano po-
situs, se Tarenti principatum Ludouico concessurum.
Est operæ præcium non leue, si quis temporum uarieta-
tem, atque humanarum uicissitudinem rerum attendat.
Franciscus Sfortia Ludouici pater, raræ prudentiæ &
uirtutis princeps, quamuis ob grauissimas ab Alfonso
Ferdinandi patre acceptas iniurias, Aragonijs esset in-
fensus, ueteri autem amicitia cum Andiouinis coniun-

Etus, nihilominus tamen, cum Ioannes Renati filius anno MCCCCLVII in regnum neapolitanum inuasit tanta alacritate Ferdinando affuit, ut ab eo præcipuè victoria agnosceretur: id autem fecit, quòd minimè tutum sibi Mediolanensium duci arbitraretur, si Galli usque ad eò uicini, tam opulento in Italia regno potirentur: quæ res Philippum mariam Vicecomitem induxerat primùm, ut relictis Andiouinis, quibus antea semper studuisset, Alfonso hostem suum à Genuensibus in pugna nauali ad Caietam captum, & cum suorum nobilitate uniuersa Mediolanum adductum liberum abire permitteret. præterea, Caroli pater Aloisius, à multis sæpe, nec leuibus de causis, ad res neapolitanas impulsus: à Genuensibus insuper ad suæ patriæ, à patre suo Carolo possessæ dominatum flagitatus, semper italicarum rerum curam recusauerat, ratus rem esse sumptus infiniti, molestiarum plenam, ac denique regno Galliæ perniciosam. Nunc autem hominum sententijs, nec tamen forsitan rerum naturis commutatis, Gallos cis Alpes Ludouicus euocabat, nec periculum à potentissimo Galliæ rege si neapolitano esset potitus imperio formidabat: quod pater ipsius uir bellicosissimus timuerat, si id tenuis Prouinciæ comes obtinuisset. Carolus item belli in Italia gerendi cupiditate incensus, hominum infirmorum atque imperitorum temeritatem, patris sui longo rerum usu periti ac prudentis cõsilijs anteponebat. Certum est Ludouicum ab socero Hercule Estensi, Ferrariæ duce ad tantam rem pariter fuisse incitatum: qui Polesini Rodigini Ferrariæ uicini, atq; ad eius urbis securitatem admodum opportuni, quod Veneti bello decem & octo annos ante cum eo gesto occupauerant, re
cipien-

epiendi desiderio incensus, uidebat sibi uiam unam ad
 eius recuperationem patere, si Italia motibus maximis
 uniuersa concuteretur. Illud quoq; creditum à plerisq;
 fuit, Herculem, etsi erga generum beneuolentiam non
 paruam præferret, eundem tamen clam uehementer
 odisse. Nam cum eo bello reliqua Italia, quæ pro Hcr-
 cule arma sumpserat, Venetis multo esset superior, Lu-
 douicus qui iam rē Mediolanensem administrabat, suis
 commodis permotus, reliquos ad pacem compulit, ea
 tamen lege, ut Polcsinus, siue rectius Polinesus, in pote-
 state Venetorum permaneret: eam ob rem Herculem,
 cum tantam iniuriam armis persequi non posset, per-
 nicioso consilio uindictam comparasse. Cum autē eius
 rei quæ trans alpes agitabatur, resonare (etsi primū
 incertis autoribus) in Italia cœpisset, cogitationes ua-
 riæ, uariæq; consilia in hominum mentibus sunt excita-
 ta: plerisq; enim gallici regni opes, eius gentis ad nouos
 motus celeritatem, Italarumq; dissidia reputātibus, res
 maximi momenti uideri: alij regis ætatem naturamq;
 propriam item Gallorum negligentiam atque impedi-
 menta magnarum expeditionum secum expendentes,
 hunc iuuenilem potius impetum esse, quàm firmū con-
 silium existimare; qui ubi paulū efferbuisset, euanesce-
 ret. Sed nec Ferdinandus ipse, in quem ista machinabā-
 tur, magnum præ se timorem ferebat; durissimam eam
 expeditionem fore affirmans: propterea quòd, si mari
 in se impetum facere cogitarent, idonea classe instru-
 ctum, ad pugnam in alto conferendam essent inuenturi
 potius munitos, in suaq; omnes potestate: nullum in to-
 to regno regulum esse, ad quem Galli receptum habere
 possent, ut Ioannes Andiouinus apud Russani principē

atque alios regulos habuerat: terreſtre uerò iter, incō-
 modum, multis ſuſpectum, & cum per totius Italiae lon-
 gitudinem tenendum ſit, longū: ita ut quiſq; pro ſe cauſ-
 ſam haberet metuēdi: ac ſupra ceteros Ludouicus Sfor-
 tia, quamuis ut demonſtraret aliorum propriū eſſe pe-
 riculum, quod eſſet commune omnium, contrarium ſi-
 mularet: etenim ex propinquitate mediolancnſis ditio-
 nis cum Galliae regno, occaſionem maiorem, & ex eo
 eius occupandi cupiditatem: cumq; dux ipſe mediola-
 ncnſis cum rege Galliae ſanguine eſſet coniunctiſſimus,
 qui poſſet Ludouicus ſecurus eſſe, quin rex haberet in
 anima eum, ab eius tyrannide liberare? cum praſertim
 paucis annis ante aſſeueraffet, ſe non paſſurum Ioan-
 nem galeacium conſanguineum ſuum adeò indignè op-
 preſſum iri: non eſſe eo loco Aragoniorum res, ut corū
 ſpes imbecillitatis, animos addere Gallis ad ſe inuāden-
 dum queat: ſe multis ac florētibus militibus inſtructum
 eſſe: ab equis bellicoſis, à machinis & tormentis, omni-
 busq; alijs ad bellum neceſſarijs instrumentis optimè
 paratum: pecuniae uerò tantam ſibi eſſe copiam, ut illa
 citra ullum incommodum, augere quantumuis, poſſet:
 ac praeter complures belli peritiſſimos duces centurio-
 nēsue, ſe ſuarum copiarum & armorum imperatorem
 habere Calabriae ducem filium, magni nominis impera-
 torē, nec uirtute inferiore, omnibus Italiae bellis iam
 per multos annos exercitatum: ſuis autem ac proprijs
 uiribus, exprompta ſuorum auxilia accedere: neque e-
 nim uerendum eſſe ſibi regis Hispaniae cognati, & uxo-
 ris ſuae fratris, nō tam quòd ſecum duplici cognationis
 uinculo eſſet coniunctus, quàm quòd Gallorum ob Si-
 ciliae regnum uicinitas ei eſſet ſuſpecta, ſubſidia deſutu-
 ra.

ra. Hæc Ferdinandus in hunc modum palàm disserens suam potentiam amplificare: & ex aduerso uires atque opportunitates aduersariorum quantum poterat, extenuare: uerùm ut erat prudentia singulari, & maxima experientia, molestissimis curis intus torquebatur, cum in animo fixam molestiarum memoriam haberet, quas regni sui initio ab hac gente passus esset. Secum enim prescius reputabat, sibi cum bellicosissimis ac potentissimis hostibus bellum futurum: equitatu, peditatu, classibus, bellicis tormētis, pecunia, uiris ad pericula pro regis sui gloria, & maiestate adeunda, ardentissimis, sed longè superioribus: sibi autem contrà, omnia suspecta, odia in toto fere regno in Aragoniorum nomen flagrantissima: in exules ac perduelles studia non mediocria, reliquos bonam partem, nouorum regum, ut semper, cupidos: in quibus plus fortuna quàm fides uiriū esset habitura: opinionem quàm uirium neruos, esse maiorem: pecuniam repositam in erario, ad belli sumptus necessarios nõ esse satis: cumq; bello defectionibus, tumultuq; omnia replcantur, momento tributa regia omnia deficere: sibi in Italia esse multos inimicos, amicitiam stabilem ac fidelem, nullam. Nam quis aliquando aut armis ipsius, aut artibus nõ fuerat læsus? Nec ab Hispania tum superiorum temporum exemplo, tum eius regni consuetudine doctus, alia suis periculis subsidia expectanda non putabat, quàm promissa largissima, & magni apparatus ostentationem: uerùm facta paruissima, atque tardissima. Timorem augebant Regi inauspicatæ uatum prædictiones, suæ domui dira minitantes, diuersis temporibus ad eius notitiam perlatae, partim ucteribus literarum monumētis

exarata, recensq; reperta: partim hominum ore prolata: qui se penumero presentium incerti, certam futuri sibi arrogant scientiam: quæ quidem res in secundis rebus parum creditæ: ubi fortuna reflare incipit, ac tristior rem uultum ostendere, nimium faciles inueniunt approbatores. His igitur curis discruciatas, ac timore sp̄e longissimè superante, nullam tantis malis aliam medelam inueniri posse uidit, quàm aut regis animum ab illis cõsilijs quamprimum aliqua interposita compositione remouere: aut ea fundamenta subducere, quibus ad bellũ suscipiendum incitabatur. Itaq; cum haberet in Gallia oratores suos, ut de Carolotæ Federici filij secundo loco geniti filiæ cum Scotiæ rege nuptijs agerēt: quæ res quòd e Caroli sorore puella esset nata, atque in Galliæ aula educata, a Carolo tractabatur, eis de imminētibus negotijs noua dedit mandata: ac præter eos, Camillum Pandonium, qui ibidem aliàs regis nomine legatione functus erat, constituit, ut eis qui præcipua apud regem autoritate pollerēt, priuatim largiendo, & maiora pollicendo, delinitis: dein regi, si quidem alia ratione mitigari nequiret, tributis pactione, a' ijsq; subiectionis officijs propositis, ab eo pacem impetrare contenderent. Ad hæc, non solum omnem diligentiam, auctoritatẽq; suam interposuit, ut controuersia ex illa Virginij Vrsini oppidorum emptione nata componeretur: (nam ex Virginij pertinacia mala omnia orti esse querebatur) uerum etiam tractationem prius cœptam de affinitate cum filio Pontificis contrahenda, renouauit: præcipuũ tamen eius studium & sedulitas consumebatur in mitigando atque ad securitatem adducendo Ludouici Sforza animo totius mali autore, & suasore: ratus cum ti-

more magis quàm ulla alia ex caussa, ad tam periculosa consilia compelli: idcirco neptis cōmodis, & filij ex ea nati saluti, suam propriam præferens securitatem: ei per diuersos internuncios significauit, se de Ioannis galeacij rebus, deq; Mediolanensium imperio, omnia ipsius uoluntati permittere: qua in re Alfonsi filij consiliū non est secutus: qui ex natiua Ludouici timiditate sumpto animo: illud nequaquam recordatus, Non minus ad temeraria consilia timidum ex desperatione, quàm temerarium sua temeritate conuerti, existimabat, terrorē & minas remedia esse opportuna, quibus Ludouicus ab his nouis consilijs reuocaretur. Composita tandem post uaria impedimenta à Virgīnio potius quàm à Pontifice profecta, oppidorum illa controuersia fuit Federici interuentu, quem pater ad hoc ipsum Romam delegarat. Conuentum est, ut Virginius oppida retineret, ea tamen lege, ut Pontifici tantidem quanti à Francisco Cibo emerat, pēderet: simulq; sponsalia inter Sancem Alfonsi extra coniugiū filiam, & Giuffredum, siue mauius Gothifredum Pontificis natu minimum, cum uerque per ætatem ad connubiales amplexus esset ineptus. Conditiones fuere, ut Giuffredus intra paucos mēses Neapolim migraret; principatum Scillaceum dotis nomine, è quo ducatorum decem milia quotannis caperet: stipendia sub Ferdinando, cum centum cataphractis mereret. Ex his rebus complurium opinio confirmata est: existimantium, id quod in Gallia pontifex egerat, huc spectaret in primis, ut Aragonios ad has pactiones iniecto metu compelleret. Tentauit insuper Ferdinandus cum Pontifice fœdus ad communem utriusque defensionem: sed Pontifice uarias difficultates interponē-

te, aliud obtinuit nihil, quã diplomatis occultissimi confectionem, qua se ad regni neapolitani tutelam obstrinxit: si quidem Ferdinandus uicissim repromitteret se idẽ in pontificiã ditionis periculis esse facturũ. His in hunc peractis modum, equitũ turmã à Venetis duceq; Mediolani ad Pontificem missã, à Pontifice dimissã ex pontificia ditione discesserunt. Hęc minore spe felicitis successus cum Ludouico agere Ferdinandus cœpit, qui subtilissimo artificio, nunc regis Galliã ad res Italicas propensionem quasi Italis omnibus periculosam damnans: nunc Genuẽ quam regis beneficio teneret, ueterisq; cũ Galliẽ regibus fœderis necessitatem escusans, qua illius regis (ut ipse dicebat) postulata audire impulsus fuerat: iam Ferdinando, interdum Põtifici separatim, Petroq; Medici pollicendo, se pro sua uirili Caroli ardorem restinguere conaturum: eos in hac spe consopitos retinere nitebatur, ni priusquam res in Gallia bene compositã, ac stabilitã forent, aliquis in ipsum motus excitaretur: atque hęc quidem ei facilius credebantur, propterea quòd consilium de rege in Italiam adducendo, erat uel ipsimet Ludouico tantopere periculosum, ut fieri haud posse uideretur, quin tandem (periculo diligētius expenso) ab incepto pedẽ esset relaturus. Tota ea æstas in huiuscemodi negotijs cõsumpta est, Ludouico sic negotium sine ulla regis suspitione moderante, ut nec Ferdinandus, nec Pontifex, nec Florentini de ipsius promissis omnino desperarent, nec eis planè considerent. Interea tamen in Gallia futurã expeditionis fundamenta sollicitè iaciebantur: in quam dehortantibus serè cunctis regni principibus, maiore indies ardore rex serēbatur: qui, quo esset expeditior, controuersias, quas cum Fer-

dinan-

dinando & Isabella Hispaniæ regibus habebat, compo-
 suit. Fuerunt enim hi principes ea tēpestate à fama pru-
 dentiae admodū celebres & clari: quòd ex maximis mo-
 tibus sua regna in summam tranquillitatem atque obe-
 dientiam reduxissent: quodq; nuper bello decem annos
 continuato, Granatæ regnum à Mauris annos circiter
 octingentos possessum, ad Christianam religionē com-
 pulissent. Fuit in hoc foedere, magna ceremonia & iu-
 reicurando ab utraque parte in templo publicè sancito,
 expressum, ne Ferdinandus & Isabella (ab his enim Hi-
 spania communibus auspicijs regebatur) nèue directè
 nèue obliquè Aragonios iuuarent: affinitatem cum eis
 nouam ne contraherent: nec ullo modo ad neapolitani
 regni defensionem Carolo sese opponerent: hæc ut ille
 obtineret, initio factò à iactura certa, in spem rei incer-
 tæ adipiscēdæ, Perpennianum, cum uniuerso Ruscinon-
 nensi agro: multis ante annis à Ioanne Aragoniæ rege
 Ferdinandi patre, Aloisio patri oppignerata, gratis re-
 situit: quæ quidem res toti Galliæ regno molestissima
 fuit: quòd illa regio ad radices Pyrenæi montis sita, id-
 circo ex antiqua diuisione ad Galliam pertinēs, Hispanos
 ea ex parte Galliæ aditu prohibebat. Cum Maximili-
 liano quoq; rege Romanorum, & cum Philippo ar-
 chiduce Austriæ eius filio, eandem ob causam pacē fe-
 cit: si quidem cum his grauißimæ ueteres & nouæ ini-
 micitiæ causæ intercesserant: quibus initium dederat
 huius Caroli pater Aloisius: qui occasione sumpta à Ca-
 roli Burgundiæ ducis, Flandriæ, aliarumque circum-
 iacentium regionum comitis morte, Burgundiam to-
 tumque Artesij, qui Atrebatum olim fuit, tractum, a-
 liaq; multa ab eo possessa, occupauit. Quamobrè, cum

grauia inter Aloisium & Mariam unicam Caroli filiã, quæ paulò post patris necem Maximiliano nupserat, bella essent exorta: Maria ipsa iam mortua, Philippo eius Maximiliani filio hærede relicto, concordia inter eos magis Flandriæ populi, quàm Maximiliani uoluntatem erat consecuta: cui ut firmamētum adiungeretur Carolo Aloisij filio Margarita Philippi soror desponsa est: quæ quanquam ætate minor, tamen in Galliã est perducta: ubi cum annos aliquot mansisset, Carolus ea repudiata, Annam ad quã Francisci patris morte, quòd marem filium reliquisset nullum, hæreditate Britannia peruenerat, duxit: quare duplici iniuria affectus est Maximilianus, eodem tempore & filiæ et suo matrimonio priuatus: utpote qui prior per internuncios & legatos suos Annam sibi despondisset: nihilominus tamen bello per se sustinendo impar, quod huius iniuriæ causa erat inchoatum: nec Flandri, qui, quòd Philippus per ætatem imperium administrare non poterat, consilio & autoritate propria omnia gubernabant, cum regno Galliæ bellũ uellent gerere: uideretq; Hispaniæ & Angliæ reges arma in Gallos sumpta posuisse, in pacẽ consensit, cuius ui Carolus Margaritam Philippo sororem ad eam diem in Gallia retentam, atq; unã ditionẽ Artesiam, seu Atrebatensem restituit: arces tamen retinuit ea conditione, ut quatuor annis exactis, quo tempore Philippus iam natu grandior, concordiam confirmare poterat, eas restitueret. In ea nanq; pace quam Aloisius fecerat, tota illa ditio de communi consensu, dotis nomine eidem Margaritæ fuerat attributa. Pace Galliæ regno ab omnibus finitimis reddita, bellum neapolitanũ in annum proximum est constitutum: & ut interea omnia

omnia ad id bellum opportuna compararentur: ad quod quidem perficiendum Ludouicus Sfortia continenter excitabat: qui, ut hominum consilia cupiditatesq; gradatim ascendunt, non iam solum id cogitans ut se in ea nepotis tutela tutum conseruaret; sed altiora spectans in animo habebat belli in Aragonios occasione mediolanensis imperij ius omne in se transferre: utq; tantum scelus aliquo iustitiæ colore adornaret, suasq; res maioribus firmamentis in omnes euentus stabiliret; Ioannis-galeacij sororem Blancammariam, neptem suam Maximilianò, qui mortuo patre suo Federico, Romanorũ Imperator nuper erat renuntiatus, in matrimoniũ collocauit: cui dotis nomine se ducatorum quadringenta millia certis temporibus numeraturum repromisit: his addidit gemmas atque alia ornamenta preciosa, ducatorum quadraginta millibus æstimata: ex altera parte Maximilianus in hoc connubio pecuniam magis quam affinitatem secutus, promisit se Ludouico (Ioannegaleacio nouo affine, iure suo fraudato) mediolanense imperium, eius filijs, & reliquæ stirpi (quasi à Philippinariæ obitu principatus ille legitimo duce caruisset) autoritate imperatoria concessurum: nec nõ uniuersa pecuniæ summa persoluta, se eius rei diploma amplissimum traditurum. Viccomites patricij Mediolanenses in partiũ sanguinaria dissensione, qua Italia uniuersa Gibellinorum & Guelforum appellationibus erat incensa, pulsus ad extremum Guelfis, qui ante partis unius in sua ciuitate capita erant (est hic ferè ciuiliũ dissensionũ finis) totius ciuitatis dominatum occuparunt: quem cum multos annos tenuissent, communi tyrannorum more, ut quod iniuria erat, iure occupatum uideretur, corrob-

unde ducimur
Mediolanens.
origo.

rare primum ueris coloribus, mox amplissimis appellationibus suam fortunam illustrare studuerunt: idcirco ab imperatoribus, quorum iam Italia nomen potius quam potestatem cognoscere incipiebat, Capitanei primum (sic enim uulgo uocantur militum ductores atque praefecti) post Vicarij imperatorij nomine impetrato: tandem Ioannesgaleacius, qui à Ioanne Galliae rege socero suo in Gallia, accepto comitatu ab oppidi nomine Virtutis comes appellabatur, à Venceslao rege Romanorum suo, & mascule stirpis suae nomine ducis Mediolanensis adeptus est dignitatem: quem duo eius filij Ioannesmaria, & Philippusmaria continuata successione sunt secuti: uerum in Philippo mascula deficiente prole, quaruis Alfonso Aragonie, & Neapolitanorum regem necessitudine arctissima ex illa liberatione, de qua alibi diximus, contracta, impulsus; ac multo magis ne Mediolanense imperium à potentissimo principe defensum, à Venetis, ad id iam manifestò aspirantibus, occuparetur, testamento heredem fecisset: Franciscus tamen Sfortia uir eius aetatis in re militari princeps, nec pacis artibus, quam belli inferior, multis simul tum concurrentibus causis adiutus: nec minus quòd apud eum plus regnandi cupido, quam fidei obseruantia ualuit, Mediolanense imperium, quasi ad Blancammariam uxorem suam, Philippi uerò haud legitimam filiam, spectaret, armis subegit: quem fama est non magna pecunia ab Federico Imperatore priuilegium obtinere potuisse: sed ratus se quibus artibus principatum illum sibi pepererat, iisdem posse conseruare, in eo Caesaris auctoritatem contempsisse. Ita sine priuilegio Galeacius eius filius, & Ioannesgaleacius nepos imperarunt: sed

Ludouicus simul & in uiuum nepotem sceleratus: et in patris fratrisq; sui mortuorū memoriam iniurius, ausus etiam neutrum ipsorum legitimū fuisse Mediolani ducem affirmare, priuilegium, quasi principatus ad imperij iura deuoluti, à Maximiliano habere uoluit: quā obrem se non septimum, sed quartum Mediolani ducē appellauit: quæ tamen res ad paucorū, quoad uixit nepos notitiam peruenerunt. Dicere præterea Cyri qui Artaxerxis Perjarū regis frater minor natus fuit, exemplo, atque id plurimum iurisconsultorum autoritate roborās solebat: se Galeacium fratrem antecire nō ætate quidem sed nascendi felicitate, quod primus esset patri iam Mediolanensiu duci natus: quæ ratio una cū priore expressa in priuilegio Imperatoris fuit: cui separatis literis, ad Ludouici tegendam cupiditatē, ridiculo tamen colore, adiunctum: nō esse in Romani imperij more, cuiquā principatum aliquem conferre, qui cum prius aliorum autoritate possedisset: idcirco Ludouici preces de priuilegio Ioannis galeacij nomine impetrando, à Maximiliano nō fuisse auditas, quod is primū Mediolanense imperium, eius populo acceptum retulisset. Hæc Ludouici cum Maximiliano affinitas spem auxit Ferdinādo, Ludouicum ab regis Galliæ amicitia alienatum iri: ratus ex eo quod sese cū tanto eius æmulo, & tot de causis inimico coniunxerit: eiq; tam grandem pecuniā subministrauerit, fore ut inter eos fides labesceret, suspicio gigneretur: ipsum quoq; Ludouicum elato ex ista recēti coniunctione animo, ab eo discederet audentius: quā spem maximo artificio fouebat Ludouicus: & tamen (tanta eius erat sagacitas ac dexteritas) eodemmet tempore et Ferdinādo, atq; Italis reliquis uerba dare norat:

et Rom. Galliaeq; regū gratiā conseruare. Sperabat pariter Ferdināduſ, ueneto ſenatuī, ad quē legatos miſerat moleſtum fore, in Italiā, ubi ipſi primum potentiae locum tenerent, principem tanto ipſis maiorem, uenire: nec eum ab regibus Hiſpaniae animi ſpēsue deficiebāt: qui, ſi quidem hanc expeditionem diſſuaſione autoritate ſua impedire nequirent, ei firma auxilia pollicebātur. Ex aduerſo Rex Galliae impedimentis trans alpes ſubmotis, difficultates ac pericula, quibus impediri in Italia poſſet, conabatur auertere: quamobrē Peronem Baccium hominem rerum noſtratum non imperitū in Italiā, ubi ſub Ioanne Andiouino fuerat, miſit: qui Pontifici, Venetis, & Florentinis regis ſui de regno neapolitano recuperando uoluntate indicata, omnibus ut ſe cum Gallo coniungerent perſuadere conatus eſt: uerū nec quicquam retulit, præter ſpēs incertas, atque ambigua reſponſa: nam cum non prius quā in annum proximum eſſet bellum conſtitutum, recusabant omnes tanto antè qui animus ipſorum eſſet, aperire. Poſtulauit inſuper rex à Florentinorum legatis antea de regis Ferdinandi conſenſu ad ſe, quo ſe excuſarēt de eo quod ad Aragonios inclinare dicerentur, miſiſ, ut tranſitus ſine maleficio, commeatus ſuis copijs per illorum fines honeſto precio præberentur: ut præterea cum ipſo centum grauis armaturæ equites, mitterent, quos ſe poſtulare dicebat, ut argumento eſſent, remp. Florentinorū ſuam amicitiam ſectari: qui & ſi oſtenderent, hanc demonſtrationem priuſquam eius copiae Italiā attigiffent, ſine graui periculo fieri non poſſe; aſſeuerarentq; eum ſibi de illa ciuitate polliceri in omnem euentū debere, ea omnia quæ eius in reges Galliae obſeruantiam

cultumq; decerent: tamē Gallica importunitate ea pro-
 mittere cogebantur: quod nisi facerent, minabantur se
 eo commercio, quod maximum in mercimonijs, atque
 amplissimum Florentinorum natio in eo regno habe-
 ret, prohibituos: quæ consilia, sicuti post cognitū fuit,
 omniq; ab Ludouico Sfortia, duce tum atq; autore om-
 nium quæ per ipsos cum Italis agebantur manabant.
 Adnixus est Petrus Medices Ferdinando persuadere,
 has petitiones ad belli summam haud magni referre: e-
 ius rationibus prodesse magis posse, si respub. & ipse in
 Caroli fide persisterent: qua fortē eis opportunitas ad a-
 liquam compositionem inter ipsos tractandam præbe-
 retur: quàm si eis negatis, Gallorum hostes sine ullo eius
 commodo se apertē profiterentur. commemorabat ad-
 hæc quantam sibi apud suos conflaret inuidiam, quan-
 tum odium, si Florentini negotiatores Gallia pelleren-
 tur: fidei conuenire, quæ fundamentum præcipuum sit
 fœderum, ut quisq; fœderatorum aliquid incōmodi pa-
 tienter ferret, ne alius in multo maiora incurreret de-
 trimenta. Vtrum enim uerò Ferdinandus, qui quantum
 de sua existimatione ac securitate, si Florentini ab se di-
 uellerentur, decederet, cogitabat, eiusmodi consilia ne-
 quaquam admittebat: idcirco grauissimè exposulauit,
 cōstantiam & fidem Petri tam repente in ijs quæ de eo
 sibi pollicebatur, labascere inciperent. quantobrem Pe-
 trus cum sibi ante omnia Aragoniorum amicitiam con-
 seruare statuisset, uarijs artibus responsum à Gallis tan-
 toperè expetitum, diu sistineri fecit: ac deniq; cō res ad-
 ducta est, ut Florentini dicerent, se novos oratores ad
 regem missuros, qui eum de reipub. uoluntate certiorē
 facerent. In huius anni finem cœpit inter Pontificem et

Ferdinandum ictum foedus uacillare: seu quod Pontifex nouis difficultatibus inducendis, uiam sibi ad maiora ab eo obtinenda muniret, siue quod sibi persuaderet Ferdinandum hac ratione posse moueri, ut Iulianum Ostiensem cardinalem ad suam obedientiam reuocaret: quem Romam uenire, Collegij cardinalium, Ferdinadi & Venetorum fide interposita, summopere cupiebat: quod ei uehementer eius absentia esset suspecta; propter Ostiensis arcis opportunitatem: quodq; circa urbem Romam Roncilionem, & Grottam siue Grittam ferratam tene- ret: & quod multas haberet clientelas, essetq; magnae in aula Pontificis autoritatis: siue postremo quod reru no- uarum esset naturae quodam instinctu cupidus; animoq; ita pertinaci, ut quoduis periculum mallet adire, quam uel tantillum de suis consilijs decretisq; remittere. Adhaec Ferdinandus ualidissimas afferebat rationes, quibus ostenderet a se Ostiensem flecti non posse, propterea quod is in tantam suspicionem adductus esset, ut quaeuis securitas & fides, ei periculo inferior esse uideretur: suam quoque Aragonius infelicitatem accusabat, qua fieret, ut Pontifex semper ipsi ea ascriberet, quae ab alijs proficiscerentur: ea quodq; factum esse, ut crederet Virginium suo impulsu suaq; pecunia castella coemisse, quamuis se inconsulto ea emptio facta esset: se uero eum quidem fuisse a quo Virginius persuasus compositionem admisisset: cuius rei gratia ei pecuniam commodasset, quae in compensationem castellorum fuerat numerata: quas excusationes dum non admittit Pontifex, sed potius acerbis, ac ferè minacibus uerbis de Ferdinando queritur, nullum poni in eorum reconciliatione stabile fundamentum posse uidebatur. In huiusmodi animorum affectio-

ne, rerumq; in nouas perturbationes impendentium cō-
 fusione, exordium sumpsit annus Romano more mille-
 simus quadringentesimus nonagesimus quartus, annus 1494.
 Italiæ infelicissimus, ac re uera annus calamitosorū pri-
 mus: quòd eo anno porta sit ad innumerabiles atq; hor-
 ribiles calamitates patefacta, quæ postea per uarios ca-
 sus atq; euentus in magnam orbis terrarum partem re-
 undarunt. Huius anni initio Carolus à Ferdinandi cō-
 cordia alienissimus, suis oratoribus, tanquam regis ho-
 stis nuncijs, regno Galliæ protinus excederent, edixit:
 acciditq; ut ijsdem ferè diebus Ferdinandus apoplexia
 repente moreretur, curis magis quàm etate confectus.
 Rex fuit industria prudentiaq; insigni, quibus ducibus
 secunda comite fortuna, regnum à patre nuper partū
 multis difficultatibus, quæ per regni initia extiteret, su-
 peratis, conseruauit: eoq; magnitudinis euexit, ut supe-
 riorum regum multis ante annis nullus fortè id regnū
 tanto splendore cumulatum possederit: rex equidè bo-
 nus, si quibus artibus imperare cœperat, ijsdem perpe-
 tuò usus esset: uerum temporis progressu, siue nouis mo-
 ribus admissis, dominandi impotentiam (qui mos est fe-
 rè omnium principum) frenare nescius: siue, ut pleriq;
 omnes existimarunt, natura ad pristinos mores, quos an-
 tè magno artificio celauerat, recurrente, dubiæ fidei,
 tantæq; crudelitatis fuit notatus, ut uel eius familiares,
 immanitatis potius quàm crudelitatis nomine appellā-
 dam esse iudicarent. Ferdinandi mortem rebus commu-
 nibus nocuisse pro certo creditum est: nam, præterquā
 quòd is aliquid aptum ad Gallorum in Italiam transitū
 impediendum tentasset, illud nequaquā ambigitur, dif-
 ficilius futurum eò adlucere Ludouicum Sfortiam, ut

Alfonsi naturæ superba atq; immoderata fideret, quàm ei persuadere ut cum Ferdinãdo amicitiam renouaret: cum præsertim sciret eundem Ferdinandum superioribus temporibus sæpe, ne ullam cum Mediolanensi principatu controuersiam haberet, fuisse paratũ sese ad eius flectere uoluntatem: atq; inter cætera illud est perspicuum: cum Isabella Alfonsi filia ad maritum est adducta, Ludouicum ea conspecta subito sic exarsisse, ut eã sibi coniugem à patre dari concupierit: atq; in hunc finem magicis artibus (sic enim in tota Italia tunc creditum est) effecisse, ut Ioannes Galeacius per multos menses impos fuerit ad coniugij arcana peragenda: & annisset Ludouico Ferdinandus, nisi Alfonsus restitisset: Quare hac spe exclusus Ludouicus, aliam uxorem duxit: ex qua cum liberos suscepisset, omnes suas cogitationes eò conuertit, ut in eos mediolanensis imperij iura transferret. Quidam præterea scribunt, Ferdinandũ quoduis incommodum indignitatẽ uel ut bellum imminens uitaret, subire paratum, ubi primũ per anni tempus liceret, constitutum habuisse, nauibus Genuam, inde pedibus Mediolanum proficisci, ut Ludouico quacunque uellet ratione satisfaceret: neptemq; Neapolim reuehi, sperans se non modò factis, uerum etiam hac publica confessione, qua ei salutem suam per omnia ferret acceptam, animum eius mitigaturum: res enim erat apud omnes comperta, quàm effræni atq; impotenti ambitione cupiditateq; flagraret, ut uniuerse Italiæ arbiter, ac tanquam oraculum haberetur. At, Alfonsus illico defuncto patre quatuor ad Pontificem oratores misit: qui signis ostendens se ad pristinam Gallorum amicitie propensionem reuertisse, iisdem serè diebus diploma

mate

mate de Cardinalium collegij autoritate, rege Gallie petente, Maclouienſi pontifici punice galeri dignitatē promiſerat: communibusq; cum Mediolanenſium duce ſtipendijs, Proſperum Columnam, qui prius regis erat militiam ſecutus, & quosdam alios belli duces conduxerat: nihilominus tamen, facilem ſe ad concordia in eundam præbuit cōditionibus ampliſſimis ductus, quas ei Alſonſus ne quid ſibi ab eo metuendum foret, utq; eū ad ſuam deſenſionem obligaret, propoſuit. Fœdus igitur inter eos in hæc capita palam ſancitum eſt: ut ſocietas inter eos ad utriuſq; ditionis tutelam, certo numero militum eſſet: concederet Pontifex Alſonſo regni iura cum cenſus diminutione iam Ferdinando ab alijs Pontificibus quandiu uiueret, conceſſa, atque ad coronam ei imponendam legatum Neapolim mitteret: Ludouicū Henrici Alſonſi fratris minimè legitimi, filium, qui poſt cardinalis ab Aragonia dictus eſt, in cardinalium collegium cooptaret: rex illico Pontifici ducatorum triginta millia numeraret: Candiano duci in regno neapolitano aſſignaret principatum, è quo ducatorum duodecim millia quotannis acciperet, atq; unā prima quaque occasione è ſeptem unum ex præcipuis regni officijs eidem attribueret: eundem ſuis ſtipendijs quandiu uiueret Pontifex trecentis grauis armaturæ equitibus præſiceret, quibus utriq; pariter operam dare teneretur: Gothifredus uerò obſes paternæ fidei apud ſocerum maneret: concederet præter ea quæ in priore pactione promiſerat, Protonotarij dignitatem: unum pariter è ſeptē regni officijs, alia item in regno ſacerdotia Cæſari Borgiæ Pontificis filio paulò antè in cardinalium collegiū à patre cooptato attribueret: quē cū eſſet ſpurius, qui-

bus ad eam dignitatem aditus patere non consueuerat, falsis testibus alterius legitimum filiū esse, cōprobauit: Adhæc Virginius Vrsinus, qui cum regio mādato huic interfuit pactiōni, promisit regem ad arcem Ostiensem recipiendam, si fortè cardinalis sancti Petri in Vincula Romam uentre recusaret, auxilio futurum: quod quidē promissum sine suo consensu rex factum fuisse asseuerabat: cumq; existimaret tempore usq; ad eò periculoso alienum esse tanta potentia in Genuensium rebus præditum cardinalem ab sese alienare, quas ab ipso impulsus tentare cogitabat: & quoniam in tam graui agitatione, de concilio forsitan, siue de rebus ad sacrosanctā sedem spectantibus agendum esset, magnam ut eū Pontifici recōciliaret, curam adhibuit: cui cum nulla re, nisi Romam Cardinalis ipse rediret, fieri satis posset: Cardinalis uerò pertinacissimè negaret, se, uitam suam fidei (his uerbis utebatur ipse) Catelanorum unquam cōmissurum, Alfonsi labor omnis ac desiderium irritum fuit: nam cardinalis, ubi in ferè certam spem cōcordiæ regis animum simulatè erexisset, nocte intēpesta bireme instructa, repente Ostia (arce tamen prius idoneo præsidio munita) discessit: ac paucis dieb. Saouonæ, deinde Auenione cui præfectus erat moratus, tandem Lugdunū se recepit, quo paulò antè Carolus, ut commodius maioreq; cum dignitate belli paratum, ad quod se ipse uenturum iam denuntiabat, procuraret, uenerat: à quo ingēti letitia acceptus, sese alijs, à quibus Italiæ motus procurabantur, adiunxit. Non negligebat Alfonsus, cui timor bonus fuerat magister, eadem cum Ludouico, quæ à patre fuerant inchoata, urgere: eiq; easdē conditiones offerre: uerū Ludouicus à suo more nihil discedens,

uarijs spebus animos pascere studebat, ostendebatq; magna sibi dexteritate ac prudentia agendum: ne bellum in alios susceptum, in se primum cōuerteret: interea tamen in Gallia belli apparatus accelerare nō cessabat: atque ut id efficacitate maiore ageret, firmissq; quæ constituenda erant, singula stabiliret: neue earum rerū quæ essent constitutæ confectio tardaretur, Galeacium Sanseuerinatem filia suæ spuria maritum, hominem apud ipsum fide & gratia summa pollentem, in Galliam tanquam ab rege accitum, misit: ac Ludouici consilijs factum est, ut Carolus quatuor oratores ad Pontificem legaret, ijsq; mandaret, ut Florentia iter facientes, operam darent, uti ea Respublica sese quarum esset partiū declararet, Eberardum Obigneum natione Scotū, belli clarum ducem, Quæstorum item summum in Gallia magistrum, & unā prouinciæ Narbonensis præsidem, ipsumq; Peronem Baccieum, quem anno superiore in Italiam miserat, qui mandata Mediolani præcipuè confecta, secuti, in utroq; loco iura quibus rex Gallia nixus, tanquam Andiouinæ domus hæres, cum præsertim Caroli primi genus quod ad mares attinet, descisset, regnum neapolitanum peteret: atque ut rex ipsemet eo ipso anno in Italiam transire decreuisset, exposuerunt: haud equidem quo aliena inuaderet, sed quod ad se iure spectaret, obtineret: quanquam non tam regni neapolitani possessionem haberet propositam, quam ut inde post arma in Turcas ad nominis Christiani propagationem & gloriā, posset conuertere. Florentiæ, exposuerunt quantum ei ciuitati fideret Rex, quam Carolus Magnus dirutam instaurasset: progenitores eius reges sua beneuolentiæ essent complexi:

& quam recenti memoria pater eius Aloisius cōtra in-
 iustissimam Xisti Pontificis, Ferdinandi proximè defuncti
 atq; Alfonsi presentis arma tutatus esset: in memoriam
 reuocarent commoda, quæ ad Florentinorum nationem
 ex Gallie regni commercio & negotiatione maxima
 peruenirent: ubi non secus ac si natura Galli essent, Flo-
 rentini humaniter acciperentur: hoc exemplo doceri,
 eadem beneficia & commoda ab eis ex regno neapoli-
 tano sperari posse, si quando in eius fuerit potestate: cū
 contrà ab Aragonijs nihil unquam aliud quàm detri-
 menta iniuriasq; accepissent: se igitur petere, ut signo
 aliquo se cum eo in ea expeditione coniunctos esse te-
 starentur. Quòd si qua fortè iusta causa hoc facere eo
 tempore impedirentur, transitum saltem per suos fines
 & comitatum gallici exercitus impensis concederēt.
 Hæc cum rep. egerunt: at Petro Medici priuatim mul-
 ta beneficia honoresq; in eum patremq; suum ac reli-
 quos maiores ab Aloisio XI. collata commemorarunt:
 qui difficillimis temporibus multa pro eorum amplitu-
 dine conseruanda fecissent: eorū insignia, domus Fran-
 ciæ insignibus, ut Gallie regum in Mediceam familiam
 beneuolentiæ extarent argumenta, decorasse: cōtrà ue-
 rò Ferdinandum omnia fecisse: qui cum eos armis esset
 apertè persecutus, eo non contentus ciuilibus sese con-
 iurationibus immiscuisset, in quibus & eius patruus Iu-
 lianus esset interfectus, & pater grauiter uulneratus.
 Hæc atque huiusmodi illi cum Petro egerunt: nec tamē
 ullum certum ad suas petitiones responsum ab ea ciui-
 tate extorquere potuerunt. Romam igitur profecti,
 Pontifici antiqua Gallie regum in sacrosanctam sedem
 merita, perpetuamq; obseruantiam in memoriam reuo-
 carunt.

carunt, quibus cum uera tum recentia monumenta referta essent: ex aduerso, Aragoniorum contumaciam, frequentesq; iniurias: quibus expositis, regni neapolitani diploma Caroli nomine, tanquam iure debitum postularunt: simulq; Pontificem multa spe, multisq; promissis implerunt, si quidem huic expeditioni se propiciam exhiberet: quam quidem non minus eius suasionibus, atq; autoritate motus rex, quam alias ob causas suscepisset. Ad hanc petitionem respondit Pontifex, cum eius regni possessio à tot pontificibus ante se fuisset tribus Aragonijs regibus ordine data (nam in Ferdinandi diplomate, Alfonsus nominatim erat comprehensus) minimè æquum esse ut Carolo eam traderet, donec disceptatione declaratum esset, eum iure esse potiore: cui Alfonso traditum diploma nihil derogaret: propterea quòd in eum finem expressum in ipso fuisset diplomate ea lege concedi, ut ne cuiusquam iuri derogari intelligatur. Commemorauit regnum neapolitanum directò ad sedem Apostolicam pertinere: cuius autoritatem, regem, contra morem institutaq; maiorum suorum, qui semper eius præcipui defensores extitissent, uelle uiolare, sibi persuadere non posse: quod quidem faceret, si ui armata regnum adoriretur: rem facturum magis è sua dignitate, ac bonitate, si quid iuris habeat, id disceptationi iudicioq; permittat: quod quidem ei tanquàm fundi dominus, ac solus eius causæ iudex se daturum pollebatur: alienum esse à Christianissimo rege, aliud ab Romano Pontifice postulare, cuius sit munus prohibere, non uim inter Christianos principes bellaq; fouere: quòd si maximè secus uellet facere, difficultates & pericula, tum ab Alfonsi cum Florentinis uicinitate, quorum cõ-

cordiam omnis Hetruria sequebatur, tum tot regulorū ab rege ipso dependentium caussa, quorum ditiones usque ad Romanæ urbis portas pertinerent, demonstrabat: atq; hæc ille ita dicebat, ut eis tamen non omnē penitus spem præcidere uideretur: quanquã secum ne ab fœdere quod cum Alfonso haberet, ullo modo discedere constituisset. Magna erat Florentinorum in reges Galliæ propensio, tum ob tot ciuium suorum in illo regno commercia, tum ob inueteratam, quamuis falsam opinionem, Florentiam, à Totila Gothorum rege dirutam, ab Carolo Magno instauratam fuisse: tum propter coniunctionem arctissimam, diutissimè à maioribus suis tanquam Guelfis habitam cum Carolo primo Neapolitanorum rege, compluribusq; ab eodem ortis Guelfæ factionis in Italia patronis: tum bellorū memoria, quæ Senior Alfonsus primùm, deinde Ferdinandus anno MCCCCLXXVIII missis ad id Alfonso cum illa gesserat ciuitate: quibus de causis populus Carolo transitum concedi cupiebat: sed non nimis id prudentissimi quiq; ciues, & qui maiore in repub. pollebant autoritate, cupiebant: qui extremæ dementiæ esse ducebant, tanti periculi bellum ob aliorum dissidia in ditionem domumq; suam pertrahere: dum sese potentissimo exercitui, atq; ad eò ipsimet Galliæ regi conantur opponere, qui Mediolanensium fauore, ac si minus consentiente, saltem conuiuente Veneto senatu, in Italiã intraret. Hi sententiam suam Cosmi Medicis omnium Italarum suæ ætatis facile sapientissimi habiti, autoritate confirmabant: qui bello quod inter Ioannem Andriouinū & Ferdinandum gestum est, & si cum Ferdinando Pontifex, & Mediolanensium dux facerent, semper tamen consis-

luerat, ne ea ciuitas sese Ioanni opponeret: Laurentij exemplū Petri genitoris cōmemorabant: cuius in omni Andiuinorū reditus fama, eadē semper fuisset sententia: Verba quibus saepe Gallorum potentia territus usus fuerat postquā hic idem rex Britānia potitus esset, proferebant, cum diceret: Italiae ingentia impendere mala, si rex Galliae suas nosset uires. Verūm Petrus Medices res magis uoluntate quā prudentia metiri solitus, sibiq; nimium tribuens, et existimans hunc motum magis in uanos rumores, quā in res ipsas abiturū, ad hoc ipsum à suo quodam familiari Alfōnsi donis, ut sama fuit, corrupto, pertinacissimè decreuit in Aragonij amicitia persistere: cuius sentētia propter uiri potentiā reliquos ciues assentiri deniq; omnes necesse fuit. Autores habeo minimè cōtēnendos, Petrū auctoritate quā pater in rep. obtinuerat nō contentū, quæ tamen talis erat, ut ad eius nutū magistratus crearētur, à quib. nulla res paulò grauior sine eius uolūtate decernebatur, ad maiore potestātē atq; ad principis absoluti appellationē aspirasse: qua in re parū prudenter ciuitatis condiciones admittēbatur: quæ cum ea tēpestate potentia atq; opibus floreret essetq; tot iam seculis in reip. quadam specie nutrita: honestiores præterea ciues socijs magis similes quā subiectis reip. administrationis participes esse consueuissēt, haud uidebatur nisi ui adhibita maiore, tantam tamq; repentinā commutationē latura. quoniam uerò Petrus ad hanc suam cupiditatem sustentandam externis adminiculis opus esse uidebat, sese, ut ad noui principatus conseruationem sibi firmamentum adiungeret, cum Aragonij arctius quàm par esset, constrinxerat: decreueratq; unā cum ipsis eandem fortunam experiri.

Accidit autem ut antè paulò quàm Galli oratores Florentiam appellerent, quædã Laurentij & Ioannis Medicis ditissimorum iuuenum, ac Petro sanguinis cognatione coniunctissimorum, consilia in lucem proferrentur: qui ab eo leuibus de causis abalienati, Cosini Rucelai Petri patruelis opera, cum Ludouico Sfortia, atque eiusdem ductu, cum Gallie rege egerant de Petri potentia minuenda: quàm ob causam à magistratibus detenti, leuissima affecti pœna, in suas fuerant uillas relegati: nam ciuiũ moderatio Petrum, & si non sine magna difficultate, ad consentiendum induxit, ne in eius propinquos seueritate legum uterentur: qui cum hoc facto certò cognouisset, Ludouicum Sfortiam exitiũ sibi machinari, eo magis sibi cum Aragonijs, ut cœperat, perseuerãdum esse existimauit. Oratoribus igitur ornatissimis honorificentissimisq; uerbis resposum, non tamẽ quale ipsi cupiebant, datum: hinc naturalem Florentinorũ in Gallie reges obseruantiam, immensumq; tam glorioso regi gratificandi desiderium: illinc impedimenta demonstrantes: Nihil esse principe aut repub. indignius, quàm fidem datam non seruare: quam ni turpiter fœdare uellent, eorũ postulatis assentiri nullo modo possent: neq; enim dum esse ad finem perductum fœdus, quod regis Aloisij patris sui autoritate cum Ferdinando ictum fuerat: ea lege, ut ab eius morte ad Alfonso pertineret: hoc etiam expressè adiecto, ut non modò regni nea politani defensionem suscipere, uerum etiã transitu per illorum fines prohibere, si qui ad illud inuadendum accederent, tenerentur: sc, quòd aliter decernere non possent, summa affici molestia: uerum sperare sapientissimum ac iustissimum regem, eorum optima uoluntate perspe-

perspecta, quòd non promitterent, id iustissimis eorum
 impedimentis attributurum. Hoc responso indignatus
 rex, ut legati Florentinorum tota excederent Gallia a-
 ctutum imperavit: Lugduno autem, non reliquos mer-
 catores, sed Ludouici Sfortiæ consiliũ secutus, solos Pe-
 tri Medicis mensarios ministros expulit: quòd quidem
 eò factum est, ut Florentini, regem hanc iniuriam Pe-
 tro tantum, non Florentinorum communi, acceptã fer-
 re interpretarentur. Sic omnibus Italiæ principibus in-
 ter se disiunctis, dum alij cum rege Galliæ, alij cõtrã fa-
 cerent, soli Veneti neutram partem secuti rerum exitũ
 ociosi expectare statuebant: siue quòd eis molestum nõ
 esset Italiam perturbari, ea spe, ut ex aliorum diuturnis
 dissensionibus, suum augerent imperium: siue quòd sua
 potentia freti, uictori se prædæ futuros cũ non magno-
 pere timerent: insipientium esse ducerent, aliorum bel-
 la sua propria, citra euidentem necessitatem facere:
 quanquam & Ferdinandus nullum eos stimulandi face-
 ret finem: & rex Galliæ cùm anno superiore, tum hoc
 ipso tempore legatos eò misisset, qui dicerent inter eos
 & Galliæ reges nunquam aliud quàm amicitiam, bene-
 uolentiam, atq; ab omni parte, ubi sese occasio dedit, a-
 moris ac benignitatis officia extitisse: quæ studia cũ rex
 studeret augere, orare sapientissimum senatum, ad illã
 expeditionem sibi tum consilio tum fauore adesse uel-
 let: cui orationi prudenter & breuiter responderant:
 Christianissimum illum regem tanta esse sapientia præ-
 ditum, tanta grauitate & maturitate apud se uiros ha-
 bere, ut qui ei consilium dare ausus esset, is nimium sibi
 sumeret & arrogaret: Senatui Veneto omnes eius pro-
 speros successus, qua semper in Galliæ reges obseruan-

tia fuerunt, fore gratissimos: idcirco esse ipsis molestissimum, non posse factis animi alacritati respondere: imminere ipsis Imperatorem Turcarum, cui neq; cupiditas neq; opportunitas eos infestandi deessent: hanc ob causam necessitate compelli, tot insulas, tot loca maritima eius imperio finitima, maximis impendijs munita tenere: ea re fieri, quo minus alienis bellis sese possent immiscere. Verum multo maioris erant momenti quam oratorum orationes ipsisq; data responsa, maritimi terrestresq; apparatus, qui iam passim incalcebant. Carolus enim Petrum Orpheum, archippoicum, quem Galli magnum Escuerium uocant, Genuam prae miserat: quam urbem dux Mediolanensis Adurniae factionis, Ioannisq; Elisci ope tenebat, ut ibi classem nauibus onerarijs, & trirenibus ornatissimam ac ualidissimam compararet: alias praeterea naues ipse in Villafranca Massiliaeq; portu armari curabat: ex quo in eius aula ferebatur, regem in regnum neapolitanum mari inuadere, ut contra Ferdinandum Ioannes Renati filius fecerat, constituisse. In ipsa quoq; Gallia, & si pleriq; regis tum animi imbecillitate, tum eorum a quibus ad eam expeditionem impellebatur humili conditione, tum pecuniae inopia adducti existimarēt, hosce apparatus deniq; inanes futuros, nihilominus tantus erat regis ardor, qui quorundam suorum quorum maximè consilia sequebatur suasionem, regis Hierosolymae, atq; utriusq; Siciliae (ea enim erat tunc regis neapolitani appellatio) nomen recenter assumpserrat, ut in id bellum opportuna magno feruore omnia comparerentur: pecunia cogenda, delictibus habendis, consilij cum Gaclacio Sansfuerino, in cuius pectore omnia arcana, omnia consilia, actionesq;

Ludouici Sfortiæ concluderentur, cōstringendis. Ceterum, Alſonſus, qui nullam rem ad bellum opportunam terra mariq; prætermiſerat, ratus Ludouici uerbis nullam amplius habendam fidem eſſe: magisq; profuturū, ſi eum terreret atq; infeſtaret, quàm ſi blandiendo mitigare conaretur: Legato mediolanenſi Neapoli abſcederet, imperauit: ſuum Mediolani agentem, reuocauit: Bariq; poſſeſſionem, totiusq; eius ditionis ueſtigalia, à Ludouico per multos annos Ferdinandi dono poſſeſſa, occupauit: nec his contentus ſignis potius animi infeſi, quàm offenſionibus, totis in id uiribus incubuit, ut Genuenſium ciuitatem ab Ludouico Sfortia abalienaret, rem illis in motibus maximi momenti: eius namq; ſtatus mutatione, facultas haud ſanè parua mediolanenſis ſtatus contra Ludouicū perturbandi, præbebat: & Gallie rex, regni neapolitani magni infeſtandi opportunitate priuabatur: cum Paulo igitur Fregoſio cardinale, qui Genuenſium dux antea fuerat: quem non pauci eiufdem familiæ ſequebantur: & cum Obieſto Flisco, ambobus magnis in ea ciuitate, eiufdemq; littoribus clientelis pollentibus: præterea cum alijs quibuſdam Aduſinijs, omnibus diuerſis de cauſis Genua exulantibus, re deliberata, decreuit ualida eſſe tentare, an eos poſſet in patriam reducere: illud diſſilitare ſolitus: Anteuertendo ac diuertendo, uictoriam ex bellis reportare ſolere: cōſtituit pariter cum firmo exercitu ipſemet in Flaminiam Aemiliamq; proficiſci, ut inde repente in Parmenſem agrum duceret, ubi Ioannis galeacij nomine proclamato, eiusq; uexillis oſtentatis, mediolan. imperij populos tumultū in Ludouicū excitaturos ſperabat: q̄ſi maxime aliqua difficultas obſtaret, cōmodiſſimū tū exiſtimabat,

procul ab suo regno bellum inchoari: ratus ad rei summam plurimū interesse, Gallos in Longobardia ad hybernā usq; tempestatem distineri: utpote qui bellis tantū Italicis assuetus, in quibus milites pabuli equorum maturitate expectata, ante extremum Aprilē in castra prodire non consueuerant, existimabat eos, ut eius tempestatis asperitatem uitarent, in amica regione necessario hyematuros: sperabatq; interea temporis occasione aliquam suæ salutis facile exoriri posse: ac ne quid relinqueret intentatum, legatos Constantinopolim ad Baiafettum Othomannum Turcarum principē misit, auxilia tanquam in communi periculo petitū, ex eo quòd de Caroli proposito in Græciam traiciendi eo debellato, ferebatur: quod quidem periculum norat à Baiafetto, minimè contemptum iri: nam ex præteritorum memoria bellorum, quæ ab Gallica natione contra Christianæ religionis hostes in Asia erant gesta, Gallorū illi arma non parum formidabant. Hæc dum parte in omni procurantur, pontifex suas copias ductore Nicolao Ursino Pitiliani comite Ostiam misit, terra mariq; Alfonso auxilia submittente: cumq; oppidum haud difficulter in suam potestatem redegissent, coepissentq; tormentis arcem percutere, præfectus arcis, Fabricio Columna intercedente, & Ioanne Rouereo urbis præfecto, Iuliani Cardinalis fratre consentiente, paucis post diebus deditionem fecit, ea conditione, ne Pontifex cardinalem præfectū uel sacris interdiceret, neue armis persequeretur, nisi nouis delictis ipsi occasio præbita esset: Fabritio autem in cuius potestate Gritta ferratam reliquerat cardinalis, concessum fuit, ut ducatorum decem millibus Pontifici persolutis, eam eodem iure possideret.

sideret. At Ludouicus Sfortia, cui Cardinalis Sauona i-
 ter faciens, quæ suo consilio, & opera cum exulibus Al-
 fonſus clam ageret, patefecerat: quantis impedimentis
 eius consilia turbarentur cum Carolo demonstrasset, eum
 induxit, ut Heluetiorum duo millia qui Genuam in of-
 ficio continerent, decerneret: utq; sine omni cunctatio-
 ne, trecentos grauis armaturæ equites in Italiam tran-
 sfire iuberet: ut sub Obignei imperio, qui tunc Roma re-
 uersus, regis iussu Mediolani confederat, Longobardiã
 tutari, atque ulterius, si necessitas occasiõne posceret,
 progredi possent: his adiungerentur quingenti Itali e-
 quites eodem tempore regijs conducti stipendijs, quib.
 Ioannes franciscus Sanseucrias Gaiaci, Galeotus picus
 Mirandulæ comes, Rodulfus Gonzaga præficerentur:
 alij item quingenti, quos Ludouicus ex pacto conduce-
 re suo ære debebat: qui tamen nihil de consuetis artib.
 prætermittens, de sua ad Italiæ quietem ac securitatem
 propensiõne Pontificem Petrumq; Medicem confirma-
 re non cessabat: nunc hoc nunc illud ad illorum alēdas
 spes comminiscens: cuius rei breui, aiebat, argumenta
 minimè obscura apparitura. Fieri uix pōt, quin, quod
 efficaciter asseueratur, ambiguos reddat animos, etiam
 eorum qui secus credere constitutum habent: itaq; & si
 Ludouici uerbis iam nulla fides haberetur, illud tamen
 assequebatur, ut eius promissis, decreti apparatus tar-
 darentur: Pontifici enim Petroq; Medici res Genuen-
 sium mouere uehementer placuisset: quoniam uerò ea
 re status Mediolanensium directò offēdebatur, Ponti-
 fex ab Alfonso de trir emibus, deq; secum suis copijs in
 Flaminia coniungendis appellatus, ut pro communi de-
 fensione in Flaminia cōiungerentur, annuebat: at ut ubi

terius procederent, non concedebat: de triremibus uerò, difficultates opponebat, asserens nondū tempus esse Ludouicum, in tantam desperationem conijcere: quin & Florentini, ut regiam classem intra Ligurni portum reficiendi gratia admitterent, requisiti, eadem de causa hærebant suspensi: & quoniam ad regis Galliæ petitiones, fœdus quod cum Ferdinando haberent, excusauerant, haud facîle, ut ultra quàm fœderis necessitas coheret, aliquid facerent, moueri poterant. Cùm autē res procrastinationem iam ferre nō possent, tandem regia classis Federico maris præfecto duce, Neapoli soluit: Alfonso autem ipse omnes suas copias in Aprutium, ut in Flaminiam transiret, coegit: sed prius quàm ulterius procederet, uisum est cum Pontifice idem cupiente in colloquium uenire, quod de summa rerum, deq; ijs quæ ad communem salutem pertinerent, semel statueretur: idcirco decima die Iulij, Vicouarium Virginij Vrsini castellum, conuenere: ubi triduo commorati, admodū concordēs abiere. Hoc congressu constitutum fuit, ne rex ipse ultra progrediretur: sed partē exercitus, qui à rege centum ferè turmas equitum: ut uicenos equites singulis turmis assignes, atq; una hippotoxotarum qui balistarij equites hodie dicuntur leuis armaturæ equitū plusquam tria milia continere ferebatur, secū in Aprutiorum, siue, ut antiqui, Præcutinorum finibus, quo tutam præstaret Pontificis suamq; ditionē, retineret: Virginij uerò in agro Romano, ut Columnij in officio cōtinerentur, maneret: atque eandem ob causam ducentis cataphracti pontificij, regis item turmæ aliquot leuis armaturæ, Romæ consisterent: in Aemiliam uerò cum turmis septuaginta, cum reliquis leuis armaturæ equitibus

ribus, cumq; maiore parte Pontificis copiarum, quæ et
 defensionis tantum gratia erant attributæ, Ferdinãdus
 Calabriae dux (ea omnium erat regum Neapolitanorũ,
 maximi natu filij appellatio) altæ spei adolescens, tran-
 saret: isq; secum tanquam iuuentutis suæ moderatores
 haberet Ioannem iacobum Triultium, regiarum copia-
 rum ducem: Pitiliani comitẽ, qui à Pontificis stipendijs
 ad regem transierat, peritissimos belli duces & fama ce-
 leberrimos. plurimum autem referre uidebatur, cum in
 Longobardiam ducendum esset, Ferdinandum adesse,
 propterea quòd cum Ioannegaleacio Isabellæ sororis
 suæ marito, atq; eodem Galeacij Hippolytæ, quæ Ferdĩ-
 nandi mater fuerat, fratris filio, arcto dupliciq; cogna-
 tionis uinculo, coniunctus esset. Verũm ex rebus grauis-
 simis quæ inter Pontificem & Alfonso agerentur, de
 Columnensium rebus unum fuit, propterea quòd non
 obscuris signis aduertebatur, eos noua consilia specta-
 re: nam cum Prosper & Fabritius stipendia regis defun-
 ti meruissent, ab eoq; prouincias & honores obtinuis-
 sent, eo mortuo nõ modò Prosper post multa promissa
 Alfonso de eius sequendis stipendijs facta, sese Ascanij
 cardinalis opera cum Pontifice, Mediolanensiq; duce
 coniunxerat: nec se uni Pontifici id ab eo petenti adijce-
 re uoluerat: uerum etiam Fabricius, qui in Alfonsi stipẽ-
 dijs perseuerauerat, Pontificis ac regis in Prosperũ o-
 dio perspecto, agrè adduci ut cũ duce Calabriae in Ae-
 miliam proficisceretur, poterat, ni prius Prosperĩ to-
 tiusq; Columniæ gentis res in tuto ponerentur. Hic præ-
 textus difficultatum erat: sed re uerã uterq; ab Ascanij
 cardinalis amicitia qui paulò antè insidias ueritus Pon-
 tificis, sese Roma subduxerat, atq; in eorum ditionẽ re-

ceperat, traheretur: nec non maiorum spe premiorum: multoq; magis dolore, quod primum locum apud Alfonso, amplioresq; ipsius felicitatis partes Virginius Ursinus aduersæ factionis princeps obtineret, sese regis Gallie stipendijs addixerant: quod ut occultum tenerent, donec citra periculū se eius mereri stipendia profiteri possent, desiderium præferentes cum Pontifice Alfonsoq; qui omnia tentabant, ut Prosper eadem conditione ab ipsis accepta, quod aliter ab eo securi esse nequirent, Mediolanensium ducis stipendia relinqueret conueniendi, continenter cum ipsis agebant: sed ne res ad exitum perduceretur, nunc hoc nunc illud in ijs quæ proponebantur conditionibus, mouebant: qua in re diuersa erāt Alexandri regisq; consilia: Alexandro enim eos castellis quæ in agro Romano tenerent, spoliare cupienti, grata erat occasio eos inuadendi: Alfonso uerò qui nihil aliud quàm ut se tutum præstaret, spectabat, in bellū nisi extrema adductus necessitate, minimè propendebat: sed Pontificis cupiditati sese opponere nō audebat: itaq; uno consensu eos armis esse cogendos statuerunt: illud etiam inter eos deliberatum, quibus uiribus, quoq; ordine id esset aggrediendū, uerum prius re tentata, si paucis diebus res eorum componi tandem possent. Hæc atq; alia multa ab omni parte agebantur: uerum Italie bellis tandem primordia Federici Aragonij in Genuenses profectio dedit, maiore proculdubio classem atq; instructiorem quàm multis antè annis ulla Tyrrenum mare percurrisset: quin, q; enim ac trigintā triremes habuit, onerarias naues decem & octo, aliq; minora nauigia non pauca: & in his complura tormenta, perditumq; quæ in terrā exponerentur, tria milia: hac classem

se con

se confisus, quodq; secum Genua exules haberet, Neapoli magna uictoriæ spe soluerat: uerum profectionis tarditas, ex difficultatibus quas plerunq; magni motus secum trahunt: ex parte quoq; aliqua ab Ludouici Sfortiæ artificiosis, quib. spes aleret, dolis orta: necnō quod in Senensium portibus, donec militum quinque milia numerum expleret, confederat, difficile factu reddidit, id quod mensē unum antea tentatum, facillimum exitisset: nam cum hostes satis temporis ad res suas confirmādas habuissent, iam Diouimensis præfectus cum Heluetiorum duobus milibus regio stipendio conductis, Genuam erat ingressus: iamq; naues triremesq; complures in eo portu dispositæ armabātur: pars item nauium Massilia instructarum appulerat: nec Ludouicus ullis parcebat impensis: qui Gasparum Sanseuerinatem cognomento Fracassam, fratremq; eius Antonium mariam cū peditum cohortibus aliquot eō miserat: utq; non minus Genuensium beneuolentia quā externis uiribus uteretur, partim donis, partim stipendijs, uarijsq; præmijs Ioannis Ludouici Flisci Obiecti fratris, Adurniorum quoq; aliorumq; nobilium & popularium non paucorum animos, quorum opera studia eius ciuitatis erga se retineret, confirmauerat. Ad hæc Genua alijsq; eius litoris oppidis exulum clientes Mediolanum euocauit. His per se ualidis apparatus plurimum existimatiānis & firmitudinis Aloisij Aurelianensis ducis præsentia adiunxit: qui iisdem, quibus Aragonia classis in Genuensium mari conspecta fuerat, diebus, in eam urbem regis Gallia iussu erat ingressus, cum prius Alexādris cum Ludouico Sfortia de re communi egisset: qui ut tenebrarum plenæ sunt mortalium res, cum letanter &

Et magno cum honore, uerum ut parem, acceperat: ne
 scius quam breui tum principatus, tum uita ipsius eius
 in potestatem esset uentura. His rebus permoti Arago-
 nij, qui prius sese in Genuæ portu cum classe conspiciē-
 dos præbere, sperantes ab exulam clientibus et amicis
 motum aliquem excitatum iri, constituerant, mutato cō-
 silio Ligusticam oram infestam habere decreuerunt: ac
 post aliquam sententiarum uarietatem, orientalis ne an
 occidua esset prius inuadenda, Obiecti sententiam secu-
 ti, qui plurimum sibi de oræ orientalis incolis polliceba-
 tur, classem ad portum Veneris direxere: cuius oppidū
 quod ab Genua pedites quadringenti præsidij causā ue-
 nerant: oppidanorumq; animi ab Ioanne aloisio Flisco,
 qui Spediā uenerat, confirmati erant, multis horis fru-
 stra oppugnarunt: sed expugnādi spe amissa, sese in Li-
 gurni portum, quo et comœatum renouarent, et au-
 gerent militum numerum, receperant: nam cum intelli-
 gerent litoris oppida præsidijs bene munita esse, maio-
 ribus opus esse uiribus iudicarunt: itaq; Federicus ubi
 gallicam classem sua triremibus inferiorē, sed nauibus
 superiorem, sese e Genuæ portu ut emitteret, compara-
 re percepisset, quo triremium celeritate usus, si fortè in
 se tota classe Gallus impetū faceret, summouere se ex-
 peditius periculo posset, naues suas Neapolim remisit:
 ea tamen spe, ut si aut casu, aut uoluntate contingeret
 hostium triremes à nauibus seiungi, eis sese opponeret.
 Eodem tempore Aemiliam uersus dux Calabriae, eo ani-
 mo ut primæ consilia secutus, post in Longobardiā trā-
 saret, contendebat: uerum quo sibi liberum aditum pa-
 raret, nec impedimentū ullum à tergo relinqueret, Bo-
 noniā sibi atq; Imolā, et Forumliuij adiungeret necesse
 erat.

erat: Nam Cesena pontificij iuris ciuitas, & Fauentia Astorri Mansredo puero subiecta, qui in stipendio et tutela Florentinorum erat, ad omnia Aragoniorum commoda paratae erant. Forumliuij atq; Imolā Ecclesiae uicarij nomine Octavianus Hieronymi Riarij filius, sub tutelatamen Catarinae Sfortiae matris suae, obtinebat: cum qua Pontifex & Alfonso iam menses aliquot de Octauiano communibus stipendijs conducendo, egerāt ea conditione, ut ditionis ipsius defensionem susciperēt acrum ea res ad exitum perduci non potuit: partim impedimentis ab ea, quo meliore conditione uteretur, interpositis: partim quod Florentini prima decreta secuti, quibus se aduersus regem Galliae nihil amplius facturos esse, quam ex foedere quod cum Alfonso haberent, tenerentur, constituerant, ei pacitioni ad quam eorū cōsensus requirebatur, non assentiebantur: pontifex enim & rex, cum sumptum soli suscipere recusabant: atque id eo magis, quod Catarina eam urbem periculo se exposituram, ni unā cum ceteris Florentini ad Filij sui res tutandas obstringerentur, prorsus negabat. Hæc impedimenta Ferdinandi & Petri Medicis colloquiū in Burgosans epulchro, dum Ferdinādus Ariminensi uia quæ nunc Marchia dicitur in Aemiliam ducit exercitum, habitum remouit: nā primo statim congressu ei patris sui Alfonsi nomine, se suasq; copias obtulit, quo eis ad libitum suum in Florentinorum, Senensium, & Fauentinarum rebus uteretur: qua re primus in Petro ardor accessus est: itaq; Florentiam reuersus, prudentioribus etiam ciuibus dissuadentibus, ei pacitioni subscriberetur, quod id summo opere esset à Ferdinādo rogatus, uoluit: qua cōmunib. Pontificis, Ferdinandi, et Florentinorū impēsio

confecta, in suas non multò post partes Bononiam suis stipendijs eodem modo Ioanne Bentiuolo conducto, cuius auctoritate atq; arbitrio tum ea ciuitas gubernabatur, traxerunt: cui promisit regis & Petri Medicis fide interposita Pontifex, se filium ipsius Antonium Galeacium tunc protonotarium (ut uocant) Apostolicum, in cardinalium collegium cooptaturum. Magnam horum accessio existimationem Ferdinandi copijs conciliauit: multo maiorem conciliatura, si his successibus in Aemiliam maturius ingressus esset: uerum tum profectionis & regno tarditas, tum Ludouici Sfortie uigilantia persecerat, ut non prius Cesenam peruenerit Ferdinandus, quam Obigneus, & Sfortianarum ductor copiarum Galazzus cum exercitus in Aragonios destinati parte, itinere per agrum Bononiensem citra ullum impedimentum peracto, in Imolensem agrum sese effudissent. quã obrem primis Ferdinandi consilijs de ducendo in Longobardiam exercitu, perturbatis, bellum in Aemilia gerendum necessario fuit: ubi ceteris urbibus Aragonensium partes sequentibus, Rauenna & Ceruia, Veneti imperij urbes, neutri parti adhaerebant: parua autem illa Eridano flumini adiacens ora, quam Ferrariensium dux tenebat, Gallorum ac Sfortianorum copijs nulla commoda denegabat. Verum enim uerò, neq; difficultatibus quibus à Genuensium expeditione reiecti fuerant, neq; impedimentis in Aemilia obiectis, Petri Medicis temeritas frenabatur: qui clam & inconsulta rep. cum se cùm Pontifice & Alfonso coniunxisset, obstrinxissetq; se palam regi Galliae oppositurum, non modò ut classis neapolitana receptum & comneatum in Ligurni portu, facultatem praeterea militem ex omni Florentinorum ditio-

ditione euocandi haberet, permiserat: sed cum nullis iā terminis contineri posset, perfecit ut Annibal Bentiuolus Ioannis filius, qui Florentinis militabat, cum suis et Astorris Manfredi copijs, sese cum Ferdinandi exercitu simul ac is Foroliuicnsium agrum attigit, coniungerentur, ad quem etiā ut mille pedites atq; tormenta aliquot à Florentinis mitterentur, effecit. Similis in Pontifice animus continenter apparebat: qui supra armorum apparatus Carolum à transitu alpiū epistola deterruisse, monuisseq; disceptatione nō armis ageret, minime contentus, ei post altera epistola eadem sub pœna sacrosanctæ censuræ imperauit: per episcopum itē Calaguritanum suum apud Venetos nuntium, ubi eandem ob causam Alfonso, ac, tametsi postulatis haud ita apertis, Florentinorum agebant oratores, Venetum senatū magnoperè extimulauit, ut ad communem utilitatē armis sese Galliæ regi opponerent: aut, saltem Ludouico Sfortiæ seriò denuntiarent, sibi hanc rerum nouarū agitationem molestam esse: uerū Senatus per suum ducē dato responso, haudquaquam prudentis officium precipis esse, bellum ut ab domo aliena remoueat, in propriam & suam pertrahere, nullo modo adduci potuit, ut aut uerbis aut factis quicquam susciperet, quod partibus displicere posse uideretur. Ad hæc, quoniam Hispaniæ rex à Pontifice & Alfonso requisitus, classē milite instructam se in Siciliam, ut regno neapolitano, si opus esset, succurreret, sed tardius fortè propter rei numariæ difficultatem, missurum spondebat: Pontifex ipse supra certam summam ab Alfonso ad eum missam, concessit, ut in hunc usum pecuniam omnem sedis apostolicæ autoritate in Hispania belli sacri, quod cruciatā uo-

cant, nomine coactam, posset cōuertere: quam pecuniā in alios usus, quā̄m contra religionis Christianæ hostes, nefas erat infumere: à quibus opprimendis, usq; adeò alienæ cogitationes erant ipsorum, ut Alfonso, præter alios antea ad Turcam submissos, de uero Camillū Pandonī miserit: qui cum clam à Pontifice Georgius Buciardus Genuensis, quem aliās quoq; Innocentius Pontifex miserat, profectus est: qui à Baiasetto maximo honore affecti, atq; illico ferè dimissi, auxiliorum magnifica promissa retulerunt: quæ, & si non molto post per legatum Neapolim à Baiasetto missum, cōfirmata essent, tamen siue locorum interuallo, siue quòd non satis Turca fideret Christianis, nullum effectum habuerūt. Eodē tempore Alfonso & Petrus Medices, cum parum prosperos terra mariq; successus haberent, Ludouicū Sfortiam suis artibus decipere, sed haud feliciore industriæ euentu, quā̄m uiribus, tentarunt. Opinio multorū fuit, Ludouico ex proprijs periculi consideratione, molestū fuisse regem Gallie regno neapolitano potiri: uerūm propositum eius fuisse, ubi se Mediolani ducem fecisset, Gallorūq; exercitus in Hetruriam penetrasset, sese ad aliquā compositionem interponere, per quam se Alfonso regis Gallie stipendiariū agnosceret: deq; pactorū obseruantia & fide regi cautione data: ac forsitan ab Florentinis oppidis quæ in Lunigiana tenerent, creptis, rex in Galliam reuenteretur: Sic Florentinis concussis, regno neapolitano uiribus atq; autoritate diminuto, ipse dux Mediolanensium appellatus, tantū esset consecutus, quātum satis esse ad ipsius ex periculis quæ ei ex Gallorū uictoria imminere uidebantur, securitatem

tatem uideretur. Sperasse Carolum hyeme præsertim aduentante, in aliquam difficultatem uenturum, qua ei uictoriæ cursus impediretur: perspectaq; naturali Gallorum impotentia, regemq; à pecunijs imparatum: multorum item suorum uoluntate ab hac expeditione aliena, facile fieri posse sperabat, ut modus aliquis compositionis inueniretur. Quicquid horum sit uerum, illud tamen est certum, Ludouicum quamuis initio, quo Petrum Medicem ab Aragonijs disiungeret, multum laborasse, cœpisse post eum occultissimè ut in sua sententia persisteret, hortari: eidemq; polliceri, se daturum operã ut aut ne rex Galliæ transiret, aut si id non posset, breui & quidem priusquam quicquam cis alpes tentaret, in Galliam reuenteretur: nec per legatum suum Florentiæ manentem, id ipsum agere non intermittebat: siue ea eius esset mens: siue iam in Petri exitium totus incumbens, cum eò usq; in regem ferri cuperet, ut ei ad reconciliationem nullus aditus pateret. Petrus igitur cum de Alfonsi consensu eiusmodi Ludouici consilia regi Galliæ patefacere decreuisset, Ludouici oratorem domum suam, quasi ipse parum integra ualetudine uteretur, accersiuit: prius tamen regis legato, qui Florentiæ agebat unde facile eorum inter se sermones exaudire posset, occultato: ibi Petrus claris uerbis omnibus Ludouici suasionibus ac promissis repetitis: atque ut eius auctoritate ductus, pertinaciter obstiterat quominus Caroli postulatis assensus præberetur, grauiter exostulare cœpit, quòd is tam sollicitè eius in Italiam transitum procuraret: ac, quando facta uerbis minus responderent, sibi aliquã rationem ineundã, ne se tanto periculo obstringeret. Respõdebat mediolanensis, de Ludouici fide Petro

si non ob aliud, ob id ialtem, quòd ei æquè perniciosum
 esset, Carolum Neapoli potiri, nihil esse dubitandum:
 utq; in eadem sententia perseueraret hortabatur: à qua
 si discederet, se Italiamq; uniuersam in seruitutem per-
 tracturum. His auditis Gallus orator statim omnia regi
 suo patefecit, asserens eum ab Ludouico prodi: hæc ta-
 men techna eum exitum nequaquam habuit, quem Al-
 fonsus & Petrus sperauerāt: quin potius id à Gallis Lu-
 douico patefactum, iram atq; odium prius in Petrū cō-
 ceptum, sollicitudinem præterea regis ne ultra tempus
 exnctando inutiliter tereret, stimulando, inflammauit.
 Iam uerò non modò apparatus terra mariq; comparati
 uerumetiam astrorū hominumq; consensus futuras ca-
 lamitates denunciabant Italia. In Apulia treis soles no-
ctu, in medio, sed nubilo per circuitum cælo, cum fulge-
 tris ac tonitruis horribilibus uisi: in agro Aretino in-
 numerabiles armati uiri equis ingentibus insidentes,
 terribili cum sirepitu, sonituq; timpanorum ac tubarū
 per medium aerem transire conspecti: compluribus in
 Italia locis sacras imagines & stauas sudasse, hominū
 aliorumq; animantium mōstra complura passim nata:
 alia item non pauca præter naturæ ordinem diuersis in
 partib. accidisse ferebantur: quæ omnia incredibili ter-
 rore mortales implebant, iam primū ad Gallorum
 potentia famam eiusq; nationis ferocitatem perterre-
 factos, qui (ut ex multis scriptoribus cognoscebatur) o-
 lim uniuersam ferè Italiam percucurrerant, prædatiq;
 fuerant: urbem Romam ingenti abducta præda, ferro
 flammisq; uastauerant: non paucas in Asia prouincias
 suo imperio subiunxerant: ac uix esse ullam orbis ter-
 rarum partem, quæ ipsorum armis tentata non esset.

Verum

Verumenimuerò caelestibus signis, prædictionibus, & prodigijs maiorem in aies fidem appropinquâtes exercitus conciliabant: Carolus enim suum propositum secutus, Viennam Delphinatus urbem uenerat: quem neq; totius regni preces, nec pecuniæ difficultas, quæ tanta erat, ut præsentibus negotijs, nisi quibusdam gemmis, quas tum ab Sabaudia duce, tum à Montferrati domina, quam Marchesiam, siue Marchesanam uocant, tum ab alijs aula principibus mutuò acceperat, oppignera-
tis, magnam pecuniæ summam contraxisset, prospicere non posset, quin ipsemet in Italiam transiret, poterant remouere: nam, quam pecuniam ex Galliaë tributis coegerat: quâq; ab Ludouico mutuò acceperat, partim in maritimos apparatus, in quibus magnam uictoriae spem ab initio Galli reposuerant, insumpserat: partim antequàm Lugduno discederet, in uarios homines temerè effuderat: cumq; eo tempore principum in extorquendis pecunijs, ut post Dei hominûq; puâore cõculcato auaritia immoderataq; cupiditas docuit, nõ esset prompta solertia, hæc facile erat, nouam pecuniã cogere: usque adeò tenues erant apparatus, ac tantæ belli fundamenta: quòd rex temeritate magis atq; impetu, quàm prudentia & consilio moueretur. Verum, ut sæpenumero euenire solet, ut quum ad rerum nouarum, magnarum, ac difficilium expeditionem uentum est, quanquam omnibus iam constitutis, hominum tamen mentibus, quæ in cõtrarium excogitari possunt, obuersentur: cum iam iam rex profectiõnem adornaret, quin potius iam equitatus, alpes uersus procederet, graue in tota aula extitit murmur, dum alij communes tâti belli difficultates ad calculos renocarent: alij ab Italorum ac

Ludouici præsertim fraude, pericula: ab Florentia quoque de eius dolis nuncium commemorantes: quã suspicionem illud etiam augebat, quòd tum fortè certa pecunia quam is mittere debebat, non expediebatur: quibus rebus fiebat, ut nõ modò audacter contradicerent (quẽ admodum ubi consilia, rerũ euentis confirmantur, fieri solet) qui semper eam expeditionem repudiauerant: uerum etiã ex ijs nõnulli qui eis præcipui hortatores extiterant: atq; inter cæteros Maclouiensis episcopus, uehementer nutare cœperunt: ac tandem cum ad regis aures is rumor peruenisset, talẽ in tota aula, atq; adẽ in ipsius regis animo commotionẽ excitauit, tantamq; ad belli studium remittendum propensionem, ut illicò sisteret miles gradum imperarit: quamobrẽ procerum non pauci qui iam in itinere erant, cũ ne quis in Italiã transiret, edictum esse audirẽt, in aulam reuerterunt: quæ quidem mutatio rerum faciẽ, ut creditur, processisset, ni Iulianus cardinalis, & ut prius sic etiam tunc postq; Italiae calamitatum fatale instrumentum, sua tum auctoritate, tum uehementia, regis spiritus qui iam ferè congelarant, accendisset, animumq; ad prima consilia reuocasset, ei nõ modò rationibus quibus ad tam gloriosam expeditionem fuerat excitatus, in memoriam reuocatis sed & ob oculos infamia qua apud cunctos mortales, ab leui tam magnifici consilij mutatione notaretur, grauißimis stimulis propositis. Quã igitur ob rem Artesij oppidis restitutis, sui regni fines ea ex parte debilitasse? Quid tanta cum molestia non modò nobilitatis, uerum etiam populorum, regi Hispaniæ ditione Ruscimonis tradita aditum in Galliam patefecisse? Ceteros reges aut quo se imminentibus periculis eximant, aut ut ma-

*xima ex eo commoda consequantur, talia assentiri sole-
 re: uerum, quæ necessitas, quæ pericula mouisse? quod
 premium expectare? qui ad eum fructus redundare, nisi
 ingenti precio, ignominiam multo maiorem, sibi cõpa-
 rare? Qui casus exorti? quæ difficultates natæ? quæ pe-
 ricula post expeditionem apud omnes mortales promul-
 gatam in lucem prolata? quin potius uictoriæ spem fun-
 damentis in quibus hostes omnem defensionis spem po-
 suerant, elusis, indies fieri maiorem: nam Aragoniorum
 classem post uanam portus Veneris oppugnationem,
 in Ligurni portum non sine ignominia refugisse: nec eam
 contra Genuam, à tantis copijs atq; ab firmiore classe
 defensam, aliquid iam posse: terrestres uerò copias in
 Aemilia paucorum Gallorum occursum ultra progredi
 non audere: quid agerent, si regem cum tanto exercitu
 iam alpes superasse, fama per totam Italianam dissipare-
 tur? qui tumultus passim excitarentur? in quantum Pon-
 tificis terrorem, ut ex Vaticano suo Columniarum arma
 in ipsis urbis Romæ portis cerneret, conijceretur? Petri
 uerò Medicis pauor, quantus? cum suosmet consangui-
 neos, sibi inuicem, patriam suam Gallico nomini addi-
 ctissimam, cupidissimamq; libertatis ab ipso oppressæ,
 recuperanda, uideret? Regis impetum nulla re impe-
 diri ad regni neapolitani fines usq; posse: quò ubi pri-
 mum accesserit, eosdem tumultus terroresq; fore: nec
 aliud quicquã omni ex parte, quàm aut defectionem, aut
 fugam: Vereri forsitan pecuniã sibi defuturam? quæ au-
 dito suorum armorum strepitu, tormentorumq; fulminã-
 tium horribilibus tonitruis, ab uniuersa Italia certatim
 ad eum sit afferenda: quòd si quis tamen ei sese uellet op-
 ponere, spolia, præda, opes de uictis relata ad exercitum*

alendum satis superq; futura propterea quòd in Italia complures in annos magis ad belli imaginem, quàm ad uera bella assueta, nerui non essent ad gallicum impetum sustinendum. Itaq; qui metus? quæ perturbatio? quæ somnia? quæ umbræ inanes regis pectus occupasse? quo tam repente illam eius animi altitudinem abiisse? quo ferocitas? quæ quatuor iduò ante se cunctam simul coniunctam Italiam uincere posse iactabat? Cogitaret sibi nequaquam esse integrum sua mutare consilia: res longè nitentem processisse, propter oppidorum ab alienationem propter auditos, missos, eiectionesq; legatos: propter tantummanes quos iam secisset sumptus, tantosq; apparatus propter famam passim dissipatam: quòd ipsemet iam penè alpium iuga conscendere cœpisset: ac tametsi ea expeditio plena periculi foret, necessitate ad eam persequendam iri pelli: propterea quòd inter gloriam, atq; infamiam, inter dedecus & triumphos, nullum reliquum esset mediæ: alterutrum prorsus esse necessarium, ut aut omnium regum maximus, aut contemptissimus haberetur. Quid igitur uictoriam tam certam, triumphum tantum illi tremorem remorari? Hæc in summa à Cardinali natura ipsius magis ac sententia, & gestibus uiolenta accensaq; quam uerborum ornatu prolata, regis animum usque ad eò permouerunt, ut ijs modò auditis qui ipsum ad id bellum cohortabantur, eo ipso die Vienna, omnibus regni Gallie regulis ac ducibus, Borbonio cui totius regni procuratorem commisit, & Ammirallio, necnon paucis alijs, quibus prouinciarum, quas maximè periculis opportunas esse rebatur, custodiam demandauit, exceptis, comitatus discederet: atq; per montem Genebram, quòd his multo faciliorem transitum, quàm mons

Cenisus

Cenifius, per quem olim, uerum difficultate incredibili, Annibal Cartaginensis transierat (illæ Coctiæ, hæ Pœninae alpes hodie uocantur) præberet, in Italiam transiret: ac nona die Septemb. anno Christi MCCCCXCIII Astam urbem ingrederetur: quæ res secum calamitatũ innumerabilium horribiliumq; cuëtuum, atq; omnium penè mutationum seminarium in Italiam importauit: nam ab eius aduentu nnn modò statuum mutationes, euerfiones regnorum, regionum uastationes, urbiũ excidia, cædes crudelissimæ, uerumetiam inuisitata noua uestimentorũ genera, mores inauditi, noui & cruenti beligerandi modi, morbi ad eam diem incogniti, originẽ duxerunt: quietisq; & concordie in Italia instrumenta adẽ turbata sunt, ut quòd in ordinem iterum restitui non possent, externæ gentes, barbarorumq; acies eam conculcandi uastandiq; habuerint facultatem: atque ut nostra esset infelicitas maior, nèue uictoris uirtute nostra dedecora minuerentur, ille cuius aduentu tot mala sunt inuecta, quanuis tantis fortunæ donis esset cumulatus, idem tamen omnibus ferè naturæ animiq; dotibus uacuus erat: certum enim est, Carolum à puero constitutione admodum infirma, corporeq; male affecto fuisse: statura breui, uultu uerò, excepto uigore, atq; oculorum dignitate, turpissimo: reliquis autem corporis partibus ita compositis, ut monstro similior quàm homini uideretur: neq; salum notitia bonarum artium prorsus caruit, uerumetiam communium literarum notas ignorauit. Imperandi quidem cupidissimus fuit, sed ad quiduis potius quàm ad imperadum aptus, propterea quòd à suis perpetuò circumactus, cum eis neq; maiestatem, neq; autoritatem ullam retinebat: à laboribus & ne-

gotijs omnibus alienus: in ijs tamen quibus operam ac-
 cōmodabat, omni prudentia iudicioq; destitutus: quòd si
 fortè quid in eo laude dignum apparebat, si quis peni-
 tus introspeceret, à uirtute quàm à uitio id remotius ef-
 se comperisset: erat in eo quedam ad gloriam propen-
 sio, uerùm impetu magis quàm consilio: liberalitas quo-
 que, at inconsulta & sine modo ac delectu: immutabi-
 lis interdum in deliberationibus, uerùm ita ut pertina-
 cem potius quàm constantem diceres: ac quam alij bo-
 nitatem appellant, ea uerius stupor atq; animi remissio
 quedam erat appellanda. Quo die igitur rex in urbe
 Astam uenit, eodem sese ei letissimo auspicio, fortunæ
 benignitas cœpit ostendere. Nam Genua optatissimi nū-
 tij statim affuerunt, nuntiantes Federicum Aragonium
 postquam sese à Veneris portu in Ligurni portum rece-
 pisset, ibidemq; classem recreasset, nouos milites condu-
 xisset, ad eadem litora reuersum, Obiectum Eliscū cum
 tribus peditum millibus in continentem exposuisse: qui
 citra difficultatem Rapallo, quod ab Genua miliarib.
 uiginti distat, occupato, uicinam oram infestam habere
 cœpisse: quod initium cum haud parui momenti esset,
 quod in ea ciuitate partibus infecta, omnis, quantumuis
 exiguus motus, periculosissimus est: ijs qui in urbe erāt,
 ut maiores ab hostibus progressus fierent, ultra perfer-
 re uisum non fuit: idcirco militum parte una ad Genue
 custodiam relicta, pedibus cum reliquis copijs Rapallū
 uersus Sanseuerinates fratres mouerunt: Ioannes uerò
 Adurnius Augustini Genuensium præfecti frater cum
 Italarum cohortibus: Aurelianensis dux cum mille Hel-
 uetijs in classe, in qua galeæ decē & octo, galeones sex
 (illas triremes & longas naues, hos, quod mixtæ ex illis

& onerarijs nauibus sint formæ, nothas siue phaselos
 appellare posse uidemur) onerariæq; naues nouem:
 ad Rapallum omnes coniuncti, magno impetu in hostē
 qui ad pontem inter Rapalli suburbium, & planiciem
 quandam angustam ad mare usq; protensam constite-
 rant, inuaserunt; Aragonijs non parum adiumenti loci
 asperitas afferebat: cuius caussa magis quàm ulla ho-
 minum opera, illius oræ loca munita sunt: hac de caus-
 sa initium pugnae non satis auspiciatum hostibus uidebā-
 tur: & iam Heluetij, quòd loco essent ad suas acies expli-
 candas inepto, pedem relaturi uidebantur: uerùm cum
 ab omni parte oppidani Adurniæ factionis homines in-
 ter illa saxa montesq; asperrimos, pugnare boni, tumul-
 tuosè concurrerent: Aragonij præterea ab classe Gal-
 lica quæ ad litus quantum poterat accesserat, tormētis
 per latus peterentur, difficulter hostium impressionem
 sustinere cœperunt: cumq; iam de ponte repulsi essent,
 Obiecto, cuius factionis homines nondum sese commo-
 uerant, nuntiatum est Ioannemaloisium Flisurum cū nō
 parua manu aduentare: quamobrem ne à tergo inuade-
 rentur ueriti, fugam capeffere, ipseq; Obiectus, exulum
 more, primus per uiam quæ in montes ducit, cœperūt:
 è quibus partim in pugna, partim in ipsa fuga supra cē-
 tum cecidere: quæ clades nequaquam exigua pro ea pu-
 gnandi ratione, quæ tunc in Italia erat in usu, censenda
 est: multi eodem modo capti fuerant, inter quos Iulius
 Ursinus, qui Alfonso militans cum quadraginta cata-
 phractis, atq; aliquot hippotoxotis, classem sequeba-
 tur: itē Fregosinus Fregosij cardinalis filius, & Orlandus
 ex eadem familia natus. Hac uictoria Genuensium
 res in tuto prorsus posita sunt: propterea quòd Federa

cus Aragonius, qui simul ac milites in continentem exposuisset, ne in Rapallensi pugnare sinu cum hostili classe cogereetur, sese in altum receperat, quòd se aliquid tunc proficere posse desperaret, iterum classem in Ligurni portum reduxit: ac quanquam ibi novos milites comparasset, uariaq; animo de quopiam alio litoris loco inuadendo agitare, nihilominus tamen, ut ex aduersis expeditionum initijs animus cum existimatione amittitur, nihil ultra memorabile tētavit, Ludouico Sfortiæ iusta occasione gloriandi relicta, sua industria & consilijs aduersarios irrisos esse: quòd nulla re alia Genuensium res essent conseruata, quàm expeditionis mora: suis artibus atq; inani spe procurata. Ad Carolum autem qui Astæ erat, statim Ludouicus Sfortia cum uxore sua Beatrice ingenti pompa, atq; splendidissimo nobilium, & forma præstantissimarum ex tota Insubria mulierum comitatu, conuolauit: cui & dux Ferrariensium Hercules aderat: ibi cum de re communi ageretur, constitutum fuit, ut quamprimū fieri posset, exercitus procederet: atq; ut id fieret diligentius, Ludouicus ueritus ne tempestatis asperitate aduentante, rex eam hyemem in Mediolanensium ageret terris, regi denuo pecuniam mutuo, qua non mediocriter egebat, dedit: is tamen eo morbo, quas uariolas nostri uocāt, ueteres papulas appellabant, correptus, Astæ mensem unum morari coactus est: itaq; exercitum partim in urbe, partim in uicinis oppidis disposuit: cuius militum numerus, quantum ex uarijs multorum sententijs uero propius colligere licet, præter ducentos nobiles ad regis præsidium destinatos, Heluctijs qui præfecto Diuionensi (Balliuum illi uocant) duce, Genuam uenerant, eosq; qui in Aemilia sub

Obigneo

Obigneo militabant computatis, mille & sexcentos cataphractos, quibus singulis Gallico more bini armigeri attribuuntur: ita ut singuli cataphracti, quos ipsi lanceas uocant, equos sex ducant, continebat: sex item millia Heluetiorum peditum, totidem Gallorum, è quibus tria millia erant ab Aquitania, ex qua prouincia, iudicio Gallorum, pedites ad bella gerenda aptiores, quam ab ulla Galliae parte, educuntur: tormentorū præterea ingens numerus, tam muralium quam campestrium nauigijs Genuā aduectus fuerat, in eum finem ut cū exercitu coniungerentur: quæ quidem tormenta erant eiusmodi, ut eis pares nunquam uidisset Italia. Hæc pestis complures annos ante in Germania inuenta, in Italiam à Venetis primùm eo bello quod circa salutis annū millesimum trecentesium & octuagesimum cum Genuensibus gesserunt, inuecta fuit: quo bello classe Veneti superati, & Clodia amissa, uehementer afflicti, ad uictoris arbitrium res componere cogebantur, nisi tam præclaræ occasione moderatum consilium defuisset. In his machinis, quæ maiores erant, Bombardæ uocabantur: quarum postea usu per Italiam uniuersam dissipato, ad oppidorum oppugnationem adhiberi cœperunt: quarum aliæ è ferro, ære Cyprio aliæ conflagabant, uerùm usq; adeò ingentes, ut partim mole sua, partim hominū imperitia, atq; instrumentorum ad eas regendas nõ satis apta confectio, tardissimè, nec sine maxima difficultate uehebantur: eadem difficultate ad oppugnationes firmabantur: quod ubi erat factum, tanto interuallo displodebantur, rursusq; ad novos iactus instruebantur, ut exiguo admodum successu, præ eo qui postea usu magistro secutus est, multum temporis insumeretur: ex

quo illud sequebatur, ut locorum quæ oppugnabantur propugnatores, satis ad munitiones ociosè restaurandas temporis haberent: cum tamen nitri (salnitrum uocāt) quo puluis tormentarius conficitur, uiolentia, appposito igni, usq; adeò horrèdo fulminis tonitru atq; impetu globi per inane uolarent, ut hoc tormentū etiam priusquā tantam perfectionem obtinuisset, omneis machinas, quibus ad oppidorum oppugnationes, magna cum Archimedis aliorumq; inuentorum gloria, ueteres usi erant, ridicula faceret. Verū Galli, machinis seu fistulis huiusmodi agilibus, nec alia ex materia, quā æris quadam mistura, quam cuprum uocant, nos paulò ante æs Cyprium Latine nominauimus, quos canones appellabant, pro ueteribus catapultis conflatis: pilis præterea ferreis, cum antè lapideis, eisq; longè maioribus grauioribusq; uterentur, eas carris impositas, nō quidē boum iugis ut in Italia mos erat, sed equis ea hominum atque instrumentorum agilitate, ut pari serè cum exercitibus gradu incederent, conuehebant: & muris admotas incredibili celeritate statuebant: cumq; paruo admodum interuallo disploderentur, usq; adeò crebris atq; uiolentis ictibus uerberabant, ut quod prius in Italia multorum dierum spacio fieri solebat, ab his paucissimis horis perficeretur: qua tartarea potius quàm humana machina non minus in campestri pugna, quàm in oppidorum oppugnationibus, utebantur: iisdem igitur atque alijs minoribus tormentis sed eadem agilitate celeritateq; pro rata cuiusq; portione & conflatis, & aduectis fiebat, ut Caroli exercitus toti Italiae ualde formidabilis esset: præterea uerò etiā, non tam numero quā uirtute hostiū nostri non parū terrebantur. Nam cum equites omnes

omnes ferè ex Gallie oppidis, neq; tamè plebeis, sed nobilibus, qui haud prorsus ducum arbitrio admitterètur remouerèturve cōstarct: stipendia quoq; nō ab ipsis du-
 cibus, sed ab regijs quæstoribus caperent, turmas habe-
 bant non modò numero integras, uerùm etiam robore
 et uirtute florètes, equis bonis armisq; præclarè instru-
 ctas, cum & per inopiam id facere minimè prohiberen-
 tur: & certatim quisq; alterum superare partim hono-
 ris, quem in hominum pectoribus generis claritas alit,
 impulsu cōtenderet: partim quòd ex fortiter factis pre-
 mia tum extra militiam, tum in ipsa militia sperare po-
 terant: quæ ita erat cōstituta, ut per gradus ad ducis mu-
 nus pateret ascensus. Iisdem stimulis, tum ordinum præ-
 fecti, tum omnes ferè proceres, & reguli, quiq; generis
 nobilitate cæteris præstabant, cunctiq; alij regis Gallie
 imperium agnoscentes, agebantur: qui suæ turmæ cer-
 to equitum numero definito contenti (nemini enim il-
 lius regni more supra cētum cataphractos ductare ulli-
 licitum fuit) nihil magis in uotis habebant, quàm suo re-
 gi probari, eiusq; fauorè emereri: ex quo fiebat, ut nec
 mutandi domini ex inconstantia cupiditas: nec ambitio
 aut auaritia, qua cum reliquis duabus, ut maiore militiæ
 numero eos anteirent, emulatione certarent, inter eos
 locum habebat: quæ omnia secus habent in Itaborū mili-
 tia, in qua equitum pleriq; siue rustici, siue plebei, quiq;
 alius principis imperio subiecti, prorsusq; ex suorū du-
 cum natu pendent, cum quibus de stipendio agendum
 erat, in quorū erat arbitrio eos & in militiā ascribere,
 & ornare stipèdijs, hi neq; natura, neq; casu ad nauiter
 militandum impellebantur: quin & ipsi duces ac cen-
 turiones rarò eius qui eos conducebat, erant ditionis:

qui sæpenumero sua commoda finesq; diuersos propo-
 sitos haberent: æmulatione, atque odijs inter se mutuis
 pleni: quorum militiæ nullus esset terminus definitus:
 uerè suorum militum domini, numerum cuius gratia sti-
 pendia capiebant, non habebant: nec honestis conditio-
 nibus contenti, quauis occasione precia dominis cupi-
 de imponebant: atq; in eodem munere instabiles, sæpe
 ad alia stipendia transitiones faciebant: ambitione in-
 terdum aut auaritia, aut alijs rebus, ut non modo incon-
 stantes essent, uerùm etiam infideles, impellente. Nec mi-
 nor inter Italos, & eos qui cum Carolo erant pedites,
 diuersitas apparebat: Itali enim stataria pugna certo
 seruato ordine minime pugnabant, sed per campos di-
 spersi, sese plerumq; ad aggeres & fossas recipientes:
 uerumenim, Heluetij gens bellicosissima, quiq; lōgo mi-
 litæ usu, multisq; præclarissimis uictorijs, ueteris fero-
 citatis famam renouarant, statario ordine seruato, ordi-
 nibusq; ad certum militum numerum constitutis, in pu-
 gnam descendebant: ac nemine suum ordinem deserente
 inuari instar firmi atq; penè inuidi sese, siquidem pugnae
 locus talis esset, ut acies suas explicare possent, hostibus
 opponebant: eadem quoq; disciplina & ordine, sed non
 eadem uirtute Franci Vasconesq; pedites depugnabant
 Dum uerò rex aduersa ualetudine præpeditus, moram
 Astæ trahit, nouus circa Romã tumultus exoritur: nam
 Columnij, qui, etsi Alfonsus eorum iniqua postulata ad-
 misisset, simulac Obigneus cum Gallicis copijs in Aemi-
 liam esset ingressus, nihil iam dissimulantes se Gallia re-
 gis partes sequi, Ostiæ arcem quorundam Hispanorũ,
 qui in præsidio arcis erant, opera occuparunt. Coegit
 hoc factum Pontificem, ut apud omnes principes, præ-
 sertim

fertim uerò Hispaniæ regem, Venetumq; Senatum, de iniuria ab Gallis illata, ex postulare: à quo, etiam, etsi frustra, auxilia ex foedere superioris anni postulauit: Quare animo constanti ad belli apparatus conuersus ac Prospero Fabricioq; citatis, cum non parerent, ædes quas Romæ haberent, demoliri iussit, copijsq; suis cum parte earum quæ Alfonso, Virginio duce, militabant, ad flumen Teueronem prope Tibur, coactis, in Columnensium fines: qui ducetos tantum grauis armaturæ equites, & mille pedites habebāt, iussit inuadere: sed postea ueritus Pontifex ne gallica classis, quam fama erat Genua ut Ostiæ opem ferret, proficisci, ad Neptunium, Columnensium portum receptum haberet, Alfonso copijs omnibus quas Pontifex ipseq; in eis locis haberent, Terracinæ collectis, ibi castra, eius expugnationē haud difficilem ratus, posuit: uerum enim, Columnijs strenuè propugnantibus: cumq; in eorum fines Camilli Vitellii à Ciuitate castello, eiusq; fratrum qui recens in Gallicas partes transferant, copiæ sine impedimento iam penetrassent, Pontifex suarum partem copiarum quæ cum Ferdinando in Aemilia erant, Romam reuocauit: cuius res non eo felicitatis cursu procedebant, qui initio sese ostentare uidebatur: nam cum Villafrancam inter Forū Luuij & Fauentiam peruenisset, indeq; Imolam uersus uia Aemilia iter arriperet, hostium exercitus qui prope Villafrancam confederat, quòd uiribus esset impar, sese inter Luci & Columbariæ syluam, ad Genioli fossā locum natura munitissimum, in Herculis Estensis ditio- ne, à qua commeatum capiebat, recepit: quamobrè cū Ferdinādus pugnandi citra grauissimum propter situs difficultatem periculum, facultatem sibi ereptam uide-

ret, copias Tuscanellam haud procul ab Sanpetri castello, in Bononiensium fines eduxit: cū enim pugnandi cupiditate teneretur, Bononiā uersus simulata profectio-
 ne, quo minus eis progredi liceret, hostibus necessitatē in locis non usq; adeo munitis castrametandi imponere satagebat: uerum illi paucis diebus post Imolæ appropinquantes, ad Santerni flumen, Lucum inter & Santagatam à tergo Padum habentes, castrorum loco diligenter munito, constitere. Castra Ferdinandus postridie ad idem flumen Mordano & Bubano haud procul, ab hostium uerò castris sex passuum millibus posuit: atque in sequenti die exercitum ad pugnam instructum mille ab hoste passibus produxit: Vbi autē eos horas aliquot frustra, in planicie sua amplitudine ad explicandas acies commodissima, expectasset: existimarctq; non sine manifesto periculo castra eo loco inuadi posse, Barbianū Cotignole prædium suburbanum, non quidem montes uersus, ut antea fecerat, sed ad hostilium castrorum latera se recepit, eodē semper cōsilio, ut eos si quo modo fieri posset, ex tam munitis castris eliceret. Ad eam diē Calabriae ducis res maiore autoritate, quòd & hostes, se potius castrorum munitioibus, quàm armorū uirtute defendentes, pugnam detrectassent: & si quando leuis armaturæ equites utrinq; concurrissent, Aragonij potius superiores euassissent, processisse uidebantur: at, cum post in dies Gallicæ & Sfortianæ copiae, ijs militibus qui initio retro remanserant superueniētibus, creuissent, belli fortuna coepit commutari: quam ob causā Ferdinandus, ardore, ducum qui apud ipsum erant, cōsilijs, refrigerato, ne se fortunæ nisi meliore loco committeret, ad Santagatam Ferrariensis ducis oppidū co-
 piis

pias reduxit: ubi cum peditatu se atq; parte equitatus, quam Pontifex reuocauerat diminutum, inq; Ferrariensis ditionis medio cerneret, ut se muniret, operā dabat: quo in loco dies paucos commoratus, cum ducentos cataphractos, atq; unā Heluetios pedites mille, in hostium castris ab rege Galliae simul ac Astam urbem attigisset missos, exproctari didicisset, sese intra Fauentiae suburbana recepit, qui locus inter urbis mœnia & fossam circiter mille ab urbe passus circumductam habens, totam ambit urbem: cumq; situm bene munitum præstat, locus Cerca, à Fauentinis appellatur: ex hoc Ferdinādi facti hostis castrorum ab eo derelictum ad Santagatam locū occupauit. pugnandi uoluntatem uterq; exercitus præ se quidem tulit, ubi hostem inferiorem uidit: uerū equis uiribus, pugnae aleam uterq; uitabat: ex quo id accidit, quod rarissimè solet, ut unum idemq; consilium duobus contrarijs exercitibus probaretur. Existimabant Galli sese id obtinere, quamobrem ex Mediolanensium finibus processerant, si, ut ne Aragonij ultra progredierentur, obtinerent: Alfonsus quoq; rex, non parum se profecisse ratus, si hostium progressus ad usq; hyemem distinerentur, & filio seriò mandauerat, & Ioannijacobo Triultio Pitilianoq; iniunxerat, ne in fortunæ potestate sine magna occasione regnum neapolitanum, quòd illo amisso exercitu, amissum existimaret, poneret: uerū hæc ad eius salutem remedia erant infirma: quoniā Carolus, neq; anni tēpore, neq; ulla præterea difficultate eius impetu retardato, simulatq; ex morbo conualuit, exercitū mouit. Grauißimo oppressus morbo in Papiæ arce decumbebat Ioannes galeacius mediolanensiu dux regis consobrinus (ambo enim ex duabus sororibus,

Ludouici II Sabaudia ducis filiabus erant nati) quem Rex Papiam iter faciens, inq; eadem arce receptus, humanissime adijt. sermo quidem nihil habuit peculiare, propter Ludouici praesentiam: tantu se ex eius aduersa ualitudine molestiam capere demonstrauit: eumq; est ad sanitatem bona spe procurandam hortatus: uerum tum regis, tum eorum qui cum eo erant animus miseratione non parum commouebatur: cum nemo esset qui non certo sibi persuaderet, miseri iuuenis uitam patris insidijs breuissimam fore: augebat etiam dolorem Isabellae uxoris eius praesentis conspectus, quae non solum de marito paruuliq; quem ex eo susceperat, filij, salute sollicita, uerum etiam ex patris aliorumq; suorum periculo maestissima, sese in omnium conspectu ad regis pedes admodum miserabiliter abiecit, eiq; cum lachrymaru flumine patrem suamq; Aragoniam domum comendauit: cui rex, etsi aetate, eximiaq; mulieris pulcritudine moueri se ad misericordiam minime dissimularet, nihilominus tamen, cum tam graues motus leui occasione sisti nequirent, respondit, res eo usque adductas esse, ut expeditionem urgere, atq; in ea persistere cogeret. Papiam profectus rex, Placentiam uenit: ubi cum constitisset, nuntij de Ioannis galeacij morte superuenerunt: quamobrem Ludouicus qui regem erat secutus, magna celeritate Mediolanum reuersus est: ubi a Senatus principibus ab ipso ad id subornatis, relatum ad consilium fuit, ut cum propter imperij Mediolanensis magnitudinem, tum etiam temporum quae Italiae imminerent, difficultatem, rem fore perniciosissimam, si Ioannis galeacij filius quinque annorum puer, succederet patri: principem hic requiri prudentia atq; autoritate magnum: idcirco publica salutis

litis ac necessitatis causa, à lege, quod & ipsa iura permittunt, paululum deflectendū, Ludouicumq; ut huius imperij dignitatē nomenq;, onus hisce temporibus grauissimum, communis boni causa uelit suscipere, cogendum esse: quo prætextu honestate ambitioni cedente, et si nonnihil per simulationem reluctaretur, manè insequentis dici, nomen atq; insignia Mediolanensis imperij suscepit, prius seorsim contestatus, se ea tanquam ad se ex regis Romanorum diplomate, iure spectantia suscipere. Rumor à nonnullis fuit dissipatus, Ioannis galeacij interitum ex ueneris usu immoderato, prouenisse: creditum tamen in tota fuit passim Italia, eum non naturali morbo, non aliqua intemperantia, sed ueneno eius mortem procuratam fuisse: quin & Theodorus Papiensis, qui unus è regijs medicis fuit, quiq; aderat cum à Carolo uisitaretur, se manifestissima ueneni signa deprehēdisse affirmauit: nec quisquam fuit qui ambigeret, si uenenum fuit, quin patruī opera ei datum fuisset: qui absoluta gubernatoris in Mediolanensium imperio potestate non contentus: ac pro communi magnorum hominū cupiditate, insignibus atq; honoribus fieri cupiens illustrior, multoq; magis quòd ad suam ipsius securitatem, filiorumq; successionem, legitimi principis mortem necessariam esse existimaret, in se transferre ac stabilire ducis tum potestatem, tum nomen uoluisse: qua cupiditate, ad tantum scelus pàtrandum eius alioqui māsuetatq; à sanguine abhorrēs natura, fuerit impulsus: fuitq; ab omnibus ferè creditū, hac eum mente iam tum fuisse cum primū de Gallis in Italiam adducendis agere cœpit: opportunissimam occasionem ratus dirum propositum perficiendi, eo tempore, quo, quòd rex Gallie in

Insubria tanto cum exercitu esset, animum unicuique defuturum ad tantum scelus ulciscendum, existimaret. Fuerunt qui recens hoc consilium crederent, ex metu regis exortum: ueritus, ut sunt repentina Gallorum consilia ne Rex ad Ioannem Galeacium è tanta seruitute liberandum temerè procederet: siue sanguinis propinquitate, atque ætatis misericordia commotus, siue quòd ad securitatem suam magis facere arbitraretur, insubriæ imperium in cõsobrini potestate esse quàm Ludouici: cuius fidem, qui apud regem suspectam reddere conarentur, minimè deerant. Verum enim uerò, quòd Ludouicus superiore anno diploma procurasset: pauloquæ antè nepotis obitum monumenta tam sollicitè expediri ab Imperatore postulasset, id arguit potius rem premeditatam ac uoluntariam, quàm subitam præsentisquæ periculi metu, constitutam. Substitit aliquot dies Placentiæ Carolus non sine animi propensione ultra montes redeundi: nã tum quòd à pecunia satis esset imparatus, tum quòd nihil in Italia noui sua causa existere animaduertet: quæ res non parum ancipitem regis animum de rerum suarum successu reddebat: accedebat etiam suspicio ex nouo duce concepta: quem fama erat, tametsi ab rege discedens se rediturum promississet, minimè rediturum. Nec absurdum est, cum transalpanis gentibus sceleratus ille homines ueneno tollendi mos, in multis Italiæ locis usitatus, penè sit ignotus, Carolum totumquæ eius comitatum, præterquàm quòd eius fidem suspectam habebant, Ludouici nomẽ horruisse: quin etiã se graui affectũ iniuria existimasse, Ludouicũ, quo facinus tam detestandũ citra periculum perficere posset, suũ in Italiam aduentũ procurasse: constituit tandem nihilominus pro-

cedere, quemadmodum à Ludouico continenter urgebatur: qui & regi se intra paucos dies rediturum subito confirmabat: quippe & in togata Gallia diutius hærere, & trans alpes domum temerè redire, ab eius consilij prorsus erat alienum. Quo die rex Placentia mouit, ad eum Laurentius & Ioannes Medicei uenerunt, qui è suis uillis clam fuga elapsi, regi instabant ut Florentiam accederet, magnifica de præstanti Florentinorum erga reges Gallie uoluntate pollicètes: neq; minora de ipsorum in Petrum Medicem odio, in què ex nouis offensionibus non parum aucta erat regis ira: nam cū rex ex Asta urbe legatos Florentiam misisset, qui, si regi liberum transitum permetterent, atq; in posterum ab Alfonso defensione desisterent, multa pollicerentur: sin persistare in pristina sententia mallent, graues adderent minas: eisq; mandasset, ni actutum assentirentur, discederent: Florentini dilationis prætextum quærentes, respõderant: quoniam optimantes, ut erat eo anni tempore consuetum, in suis essent uillis, certum se tam repente responsum dare non posse: uerùm breui oratorem missuros, qui de ipsorum mente regem certiore faceret: Erat in regio consilio constanter decretum, melius esse illud iter tenere, quod per Hetruriam & Latium rectè à Neapolim ducit, quàm quod per Aemiliam Picenumq; Truento amne transmissio, in Aprutium exit: haud equidem quòd se copias Aragoniorũ, quæ uix Obigneo resisterent, pellere posse diffiderent: sed quòd tanti regis magnitudine, suorũq; armorum gloria indignũ uideretur, cum se Pontifex Florentinũq; hostes essent professi, occasionem hominibus præbere existimandi, idcirco regem iter illud uitare, quasi inuitis hostibus se posse

perrumpere, desperaret: atq; id eo magis quòd bellum
 in regno Neapolitano, Hetruria pontificisq; ditione à
 tergo relictis, gerere, periculosum censeretur: itaq; He-
 truriæ iter ingressi, Apenninum, Parmæ iugis supera-
 tis, transire potius, ut Ludouicus Sfortia Pisani imperij
 cupidus, Astæ iam suaserat, quàm rectà per Bononien-
 sem agrum decreuerunt: idcirco primū agmen Gilbertus
 Mompenseriùs è Borbonia gente, regij sanguinis
 princeps, præfectus erat, Rege cum reliquis copijs sub-
 sequente, Pontremulum Mediolanensis imperij oppi-
 dum ad radices Appennini Macræq; fontem situm, quo
 Genuensium imperium, quæ Liguria ueteribus fuit, ab
 Hetruria dirimitur, peruenit. Pontremulo, in Lunigia-
 næ fines Mompenseriùs ingressus est: cuius pars Floren-
 tinis, pars Genuensibus parebat: reliqua Malespinæ re-
 guli, quos Marchiones hodie uocant, obtinebant: quo-
 rum alij Mediolanensis ducis, alij Florentinorum, pars
 etiam Genuensium tutela, suas exiguas sedes tuebantur
 His in locis Heluetij qui in præsidio Genuæ fuerant, tor-
 mentaq; bellica, pelago Spediam conuecta ei se adiun-
 xerunt: qui cum Fiuizano, Florentinorum castello, quo
 eos Gabriel Malespina Fossenouæ marchio ipsis com-
 mendatus, adduxerat, appropinquassent, uicinerunt,
 ac diripuerunt, cunctis militibus externis qui ibi erant,
 atq; unà oppidanorum non paucis trucidatis: quæ res
 noua, maximoq; terrori toti fuit Italiæ, diu iam bellis
 pompa atque apparatu speciosis magis, ludisq; simili-
 bus serè, quàm periculosis et cruentis, assuetæ. Resisten-
 di præcipuum conatum Florentini in Seresana repo-
 suerant, paruum oppidum, atq; ab eis bene munitum,
 uerùm non equidem ut par fuerat aduersus tantam ho-
 stis

stis potentiam, propterea quòd neq; ad bellum gerendum ducem idoneum: neq; manum satis firmã imposuerant: nam milites qui in præsidio erant, ad solam Gallici exercitus appropinquantis famam animos abijcerãt nihilominus tamen haud facillè èis pugnari posse uidebatur, arx præsertim, ac multo minus Serefanellũ, arx munitissima, Serefanæ, è uicino colle in quo sita est, imminens. Neq; enim diu his in locis exercitus morari poterat, regione uidelicet sterili, et angusta, utpote inter mare montemq; coarctata, atq; ad tantam multitudinẽ alendam minimè idonea: sed neq; aliunde nisi è remotis locis, commeatus eò importari poterat: quæ res faciebat ut præsentì necessitati minimè opportunè succurrì posse uideretur. Vnde apparebat regias res in nõ paruas angustias adduci facillè posse: nam, etsi impediri nõ poterat, quominus Serefanæ oppido, Serefanelliq; arce à tergo relictis, Pisas inuaderet: aut per Lucensium fines qui Ludouici opera regem recipere occultato consilio decreuerant, in aliam Florentini imperij partem ingrederetur: tamen inuitus ad id descendebat: quòd existimaret, nisi primum oppidum quod sese ei opposuerat, expugnaret, tantũ de sua autoritate detractum iri, ut alij facillè ad idem audendum inducerentur. Verũ in fatis erat, ut aut fortunæ beneficio, aut altioris potestatis decreto (siquidem mortalium stultitiæ peccataq; tales merentur excusationes) his impedimentis, subitum remedium superueniret: propterea quòd in Petro Medice, neq; animus maior, neq; constantia in rebus aduersis, quàm aut moderatio, aut prudentia in prosperis, fuit. Creuerat in dies dolor quem ab initio Florẽtina ciuitas ex eo quòd sese regi opponerent, conceperat, non tam

quòd uniuersi Florentini mercatores denuo tota Gallia exclusi essent, quàm quòd Gallorum potentiam metuerent: qui metus, ubi regie copie Apenninum superare intellectū est, deinde etiam ex ea crudelitate qua in expugnatione Fiuizani usq; Galli fuerant, auctus in immensum fuerat: quamobrē, omnibus inuisa palàm Perri Medicis temeritas erat, qui nulla adductus necessitate, magisq; sibi, & quorundam ministrorum temerarijs consilijs, in pace arrogantium, in periculis timidorum atq; inutilium, quàm ciuibus paternis amicis, sana consilia dantibus credens, tanta temeritate potentissimi Gallie regis arma, Mediolanensis ducis auxilijs aucta, prouocasset: præsertim rei militaris imperitus: neq; urbe, neq; ceteris Florentini imperij locis satis munitis: à militibus atq; alijs quibus tantū impetum sustinere possēt, nudis: cum neq; ab Aragonijs quorum caussa se tanto periculo exposuissent, aliud nihil se ostenderet, præter Calabriae ducem, in Aemilia unà cum suo milite unius tantū Gallici exercitus particulae occursum impeditum: idcirco eorum patriam ab omnibus destitutam, ingenti odio & prædæ manifestæ eorum qui tanto studio ne eis nocere cogerentur, procurabant, exponi. Hæc totius fr̄e ciuitatis studia, à plerisq; nobilibus, quibus tum is qui tūc erat reip. status, summopere: tum quòd una familia uniuersæ ciuitatis potestatem iuraq; sibi arroganter sumpsisset, displicebat: hi, & timore augēdo eorum qui sua sponte timebant: & audacia eorum qui res nouas desiderarent, accendenda, ita uulgi animos commouerant, ut iam ne quis in ciuitate tumultus existeret, omnes metuerēt: ad quod quidem magis Petri superbia, naturaq; impotentia incitabat: qui multis in rebus à ciuitatis moribus

ribus, atq; à suorum mansuetudine maiorum discedens iam serè a puero semper ciuium multitudini fuerat inuisus: & quidem inter omnes constat patrem eius Laurentium filij natura perspecta, sæpenumero inter intimos suos de eius imprudentia atq; arrogantia questum esse: quam dicebat suæ domus ruinam aliquando parituram. Periculo igitur Petrus, quod antè temere contempserat, consternatus, cum se Pontificis atq; Alfonso subsidij quæ promiserant, tunc ob amissam Ostiam, & Neptunij oppugnationem, classisq; Gallicæ metum, irretitis, destitutum, animo præcipitante decruit eam salutem ab hostibus petere, quàm se ab amicis accipere posse desperabat: in eo patris exemplum secutus, qui cum anno salutis MCCCCLXXIX, ob bellum à Xisto Pontifice Ferdinandoq; Neapolitanorum rege Florentinis illatum, in grauissimo periculo uersaretur, Neapolim ipse ad Ferdmandum profectus, & publicam pacem & priuatam securitatem Florentiam reportauit. Verum est omnino periculosum, actiones exemplis moderari, nisi eadem rationes non in uniuersum, sed singulatim omnes recurrant: deinde nisi eadem prudentia gubernentur: & postremò nisi præter cetera omnia, suas eadem fortuna partes agat. Hoc consilio Florentia profectus, cum haud multum processisset, Pauli Vrsini equites cum peditibus trecentis à Florentinis Seresanâ præsidij causa missos, ab aliquot Gallis qui ultra Macram excurrerant, maiorem partem aut caesos, aut captos fuisse accepit. Progressus tamen Petrasanctam, ibi publicam regis fidem quam postulauerat, expectauit: quo, ut eum tuto deduceret, Maclouiensis episcopus unà cum aliquot alijs aulæ principibus, uenit: his comitatus, eodè die ad

exercitum peruenit, quo die rex cum reliquis copijs, se cum eo agmine qui præcesserat, coniunxit: quod quidē agmen positis ad Serefanellum castris, eam arcē oppugnabat: sed non eo successu, ut se expugnatos sperarent, Petrus in conspectum regis adductus, ab eoq; regia comitate, fronte tamen magis quàm animo acceptus, haud parum eius iram omnibus eius postulatis, quæ magna atq; immoderata fuere, assentiendo, mitigauit: nimirum, ut Petrasanctæ Serefanæq; arces, necnō Serefanellū ipsum, quæ ab ea parte Florentini imperij, tanquam claustra erant: itemq; Pisana, portusq; Ligurni, eiusdem imperij firmissima munimenta, in regis potestatem traderentur ea conditione, ut rex suo chirographo promitteret, se quamprimum regno neapolitano potitus esset, ea omnia restitutum: procuraret Petrus, ut Florentini ducatorum ducenta millia regi cōmodarent uicissimq; eos rex in fœdus fidemq; reciperet: quarum rerum puris tantum uerbis promissorum monumenta Florentiæ, per quam urbem rex iter facere constituerat, conficerentur: uerū in arcibus tradēdis nulla fuit mora: illico enim Petrus Serefanam, Serefanellumq; & Petrasanctam, ei tradi iussit: ac paucis diebus post, idem ipsius mandato cum Pisanis Ligurnicisq; portub. est factum, cunctis ualde admirantibus Gallis, Petrum tam facile de rebus usq; adeo magnis assensum fuisse: qui scirent regē conditionibus longē inferioribus fuisse conuenturum. Hoc autem loco illud mihi nequaquam silentio prætereundum uidetur, quòd Petro Medici Ludouicus Sfortia, qui postridie ad exercitum peruenerat, argutè respōdit: Nam cum Petrus excusans, quòd cum ei obuiam honoris causa processisset, quoniā Ludouicus.

de uia

de uia aberrasset, factum esse, ut frustra id itineris suscepisset: Ludouicus promptè admodum respōdit: ita quidem est: proculdubio aliter nostrū aberrauit de uia: sed uereor ne tu ipse potius aberraueris: quasi exprobrans quòd suis consilijs nimis obsecutus esset: idcirco eum in tantis angustias periculaq; incidisse: quanquā, quæ post sunt consecuta, utrumq; a recto itinere deflexisse demōstrarunt, uerūm maiore insania calamitateq; illius qui in loco sublimiore collocatus, se omnium aliorū ducem suā prudentia profitebatur. Petri factum, regem nō modò ab Hetruriae rebus reddidit securum, uerum etiā cuncta Aemiliae impedimenta, ubi iam uehementer res Aragoniorum inclinabant, prorsus remouit. nam, ut difficile est ei qui agrè se ab imminentibus periculis tuetur, eodem tempore aliorum periculis cauere, dum Ferdinandus securus in munitis Fauentini suburbani campis sedet, hostes in Imolensem agrum reuersi, posteaquam cum exercitus parte Bubanum castellum: tum quòd à paucis utpote exiguum bene defendebatur: tum quòd loca illa depressa, aquis erant inundata, frustra oppugnassent: Mordanum uero expugnarunt: quanquam satis munitum, & militum iusto præsidio firmum: sed is fuit tormentorum impetus, eaq; Gallorum in oppugnando ferocitas, ut quanuis non pauci, dum fossas aquæ plenas transire satagunt, submersi periissent, tamen qui in oppido erant, reliquorum impetum sustinere nō possent: à quibus tanta barbarie in omnē ætatem sexumq; promiscuè sæuitum est, ut Aemiliam Flaminiamq; uniuersam maximo terrore compleuerit: quo casu Catarina Sfortia, omni præsidio, sive destituta, ut præsens periculū declinaret, cum Gallis composuit, omnia cōmoda à filij

sui ditione eorum exercitui pollicita: ex quo Ferdinandus, de Faentinorum uoluntate ambigens; periculosumq; ratus, si diutius Imolam inter & Forumliuij castra haberet, eoq; magis, quòd iam ei Petri Medicis esset Seresanam nota profectio, sese ad Cesenæ mœnia recepit, tantum præ se terrorem ferens, ut ne prope Forumliuij præteriret, exercitum per montium iuga, iter nimirum tum longius, tum molestius non procul à Castrocaro Florentinorū castello, circumduxerit: nec multo post Petri Medicis cum Gallis compositione cognita, cuius causa Florentinorum turmæ ab eo discesserant, Romã uersus progredi cœpit: eodem quoq; tēpore Federicus Aragonius, è Ligurni portu soluens, classem Neapolim uersus reduxit; ubi ea arma, quæ tanta cum spe ad aliena inuadenda expedierat, Alfonso ad sui tutelam, qui aut minus infeliciter res suas in eis locis gereret, erant necessaria. Nã cum ei Neptuni oppugnatio nequaquã ex uoto successisset, copias Terracinam reduxerat: classis uerò Gallica, cuius erāt duces Salernitanus princeps et Serenonius, sese supra Ostiam ostenderat, quæ palam contestata, se Pontificis ditioni nusquam damnum illaturam, milites in continentem non exponebat: neq; ullum animi insensu signum in Pontificem edebat: tametsi rex ipse paucis diebus antè Franciscum Piccolominiū cardinalem Senensem, Pontificis legatum, audire recusasset. Pactione quam Petrus Medices cum Galliæ rege tanta cum Florentini imperij diminutione, tamq; graui atq; infami Reip. uulnere Florentiam nuntiata, feruentissimi motus in tota ciuitate extiterunt: nã, præter tantam Reipublicæ iacturam, illud uehementer commouebat, Petrum nouo atque maioribus suis inuistato exem
pla

plo nobilissimam Florentini imperij partem, sine ciuiū
 consilio, sine magistratuum decreto, alienare ausum fu-
 isse: idcirco acerbissimæ erant in eum querelæ, passimq;
 ciuium uoces se uicissim ad libertatem recuperandam
 excitantium exaudiebantur: nec quisquam ex ijs qui
 Petro studebant, uerbis aut factis se tantæ tempestati o-
 bijcere audebat. Verum cum neque ad Pisas, neque ad
 Ligarum defendendum satis haberent uirium, etsi re-
 gem se ab earum arcium cupiditate posse remouere mi-
 nimè confiderent, nihilominus, ut à consilijs Reip. Petri
 consilia seiungerent, utq; saltem priuato, non ferretur
 acceptum, quod ad Remp. pertineret, illico multos ad
 regem legatos ex ijs quibus grauis Mediceorum erat
 potentia, miserunt: id Petrus cum Reip. commutandæ
 principium esse cognosceret, quo rebus suis priusquã
 maiores existerent motus, consuleret, ab rege discessit:
 hoc pretextu, quòd ea quæ promiserat, uellet ad exitū
 perducere. Quo etiam tempore & Carolus Seresana,
 ut Pisas proficisceretur, discessit: & Ludouicus Sfortia
 certo auri numero persoluto, cum ab rege Genuensis
 imperij iura quæ paucis antè annis Ioannigaleacio e-
 iusq; posteris concesserat, ut in se posterosq; suos trans-
 ferrentur, impetrasset, Mediolanum reuersus est: ue-
 rùm animo in regem indignabundo, quòd ei Petram-
 sanctam Seresanamq;, quas, ut is aiebat, eius custodiæ
 traditurum promiserat, tradere renuisset: ea enim
 oppida, quo suæ ardentissimæ cupiditati gradum ad
 Pisas obtinendas faceret, quasi iniustè paucissimis
 annis antè à Genuensibus ablata, à Florentinis repete-
 bat. At Petrus Medices Florentiam reuersus, magi-
 stratuum maiorem partem ab se abalienat: amicorum

uerò præcipuorum animos, quòd omnia contra ipsorũ consilia imprudenter gubernasset, suspēsos reperit: populum item tanto percitum furore, ut cum postero die qui fuit Nouembris nonus, in curiam, ubi Reip. summi magistratus residere solent, ingredi uellet, à certis magistratibus, qui armati aditum custodiebant, in quibus præcipua autoritate erat Iacobus Nerlius, iuuenis nobilitate atq; opibus pollens, prohiberetur: quòd ubi in uulgum dimanauit, populus, maiore impetu cõcitatus, quòd Paulus Vrsinus cum suis equitibus à Petro accitus appropinquabat, ad arma præcipiti furore cucurrit: quo tumultu audito, Petrus qui domũ iam se receperat, consternatus, cum accepisset se perduellem à magistratibus iudicatum, Florentia se maxima celeritate Ioanne cardinale, Iulianoq; fratribus suis sequētibus, subduxit, Bononiamq; recepit: ubi à Ioanne Bentiuolo, in alijs eã animi constantiam, quam ipse postea in suis non præstitit malis, requirente, acriter primo statim congressu reprehensus fuit, qui non modò in suam ipsius perniciem, uerumetiam omnium eorum qui patrie suæ libertatem opprimerent, pernicioso exemplo, usq; adeò timide, ne unius quidem hominis cæde conspecta, tantum deseruerit dominatum. In hunc modum unius iuuenis temeritate, Medicea domus ab ea cecidit potentia, quam nomine et specie ciuilis administrationis per annos sexaginta continuata successione Florentiæ obtinuerat: quæ cũ in Cosmo huius proauo cœpisset, singularis prudentiæ immensisq; opibus ciue, atq; ob eas res in omnibus Europæ locis celebratissimo: multoq; magis, quòd magnificentia planè admirabili, animoq; uerè regio, nominis sui magis æternitatem spectans, quàm nepotum utilita-

tem, aureorū numūm ultra quadringenta millia in tem-
 plorum, sacrorumq; collegiorum, aliorum præterea re-
 gia magnificentia ædificiorum structuris non modò in
 patria, uerū in alijs quoq; orbis terræ partibus insum-
 psit, ad Laurentium eius nepotem peruenit, qui nec ma-
 gnitudine ingenij, consilijq; præstantia, nec animi alti-
 tudine proauo inferior: in rep. uerò administranda etsi
 non tantis opibus fultus, uitaq; breuiore, autoritate ta-
 men maiore, magnæ in tota Italia, necnon apud ple-
 rosque exteros principes dignitatis fuit: quæ ab ipsius
 morte longè extitit clarior, quòd unà cum eius uita, cõ-
 cordia & felicitas Italiæ interiisse uiderentur. Eodē ue-
 rò die, quo Florentinæ Reip. forma est immutata, dum
 Carolus esset Pisis, ad eum Pisani turmatim libertatem
 poscentes, grauiusq; de iniurijs in se Florentinorū cõ-
 querentes, concursum fecerunt: cumq; ex Caroli fami-
 liaribus quidam tum præsentis æquam esse Pisanorum
 petitionem, quòd acerbius eis Florentini dominarētur,
 affirmarent, Rex quid ea petitio secum traheret, parū
 expendens, neq; cogitans eam, ijs quæ Seresanæ acta e-
 rant repugnare, Pisanos liberos esse iussit: qua uoce au-
 dita, populus ad arma cucurrit: atque ex locis publicis
 Florentinorum insignibus deiectis, sese incredibili cupi-
 ditate in libertatem uindicauit: nihilominus tamen rex
 sibi ipse contrarius, nec quid concessisset, attēdens, ut in
 urbe Florentinorum magistratus manerent, solitaq; o-
 birent munera uoluit: Pisanis autem uetere arce, quam
 Cittadellam uocant, tradita, nouam quæ longè erat fir-
 mior, sibi reseruauit. In his Pisanorum Florentinorūq;
 motibus, id quod cõmuni sermone iactatur, elucere po-
 tuit: homines nimirum, corū appropinquantibus malis

prudentiam in primis, cuius ope imminentes uitare calamitates potuissent, amittere. nam & Florentini omni tempore de Pisanorum fide maximè ancipites, bellūq; tam periculosum in foribus habentes, Pisanorum præcipuos, quemadmodum ad suam securitatem in quouis leuissimo motu eorum numerum haud exiguum solebāt, Florentiam non euocarunt: nec Petrus Medices tot imminetibus periculis, externo milite forum curiamq; muniuit, ut in multo leuiore suspitione sæpenumero alia fuerat factum: quæ prouisio, magna iniecit hisce mutationibus impedimēta. Quod autem ad Pisanas res attinet, illud constat, Pisanis Florentini nominis natura insensissimis, Ludouici Sfortiæ autoritatem stimulos addidisse: qui cum prius clam cum quibusdam Pisanis ciuibus ob priuata maleficia exulibus, ea de re egisset, eodē die Galeacius Sanseuerinās, qui ab eo apud regem relictus erat, populum ad tumultuandum concitauit: quæ ex re Ludouicus dominatum Pisanum breui ad se peruenturum sibi persuadebat: ignarus, eam ipsam rem nō multò post omnium ipsius calamitatum causam futurā. Sed & illud perspicuum est, cum priore nocte Pisani quidam, quod animo agitabant, cum Ostiensi cardinale communicassent, eum qui ad eam diem nunquam forsitan pacati consilij autor extitisset, graui oratione eos diligentius non modò speciem primordiaq; rerum, sed interius quid temporis processu parere possent, expendere, hortatum fuisse. Libertatem rem esse desiderabilem ac preciosam: talemq; quæ digna sit, ut nullum periculum defugiamus, si qua spes affulgeat minimè friuola, nos eam posse aliqua saltem ex parte, tueri: sed Pisanam urbem uiris opibusq; spoliatam, uires non habere

quas Florentinorum potentia possit opponere: sp̄e quoque illam esse fallacem, qua se Gallia regis autoritate tutos esse, sibi pollicerentur: propterea quòd, tametsi apud eum non plus Florentinorũ pecunia posset, ijs præsertim quæ Seresanæ tractata fuerant, ad calculum reuocatis, Gallos in Italia non esse perpetuò mansuros: ex præteritis enim facile futura posse prouideri: stultumq; admodum esse, si quis se perpetuò exponat periculo, adiumentis minimè perpetuis obnixus: sp̄e q; incertissima, cum hoste infinito potentiore, certum bellũ suscipere: in quo de aliorũ auxilijs sibi certò nihil, quod ex aliena uoluntate, & quod est maius, ex euentorum magna uarietate penderet, possent polliceri: quæ quãuis obtinerent, non idcirco effugerent, sed multo atrociores, uno eodemq; tempore, & ab hostium militibus uexati, & amicorum grauatè rem gerentibus, belli calamitates, efficerent, quæ eò essent amicis acerbiores, quod scirent se, non propriam libertatem defendere, sed pro alieno imperio, seruitutis tantum nomine, non seruitute ipsa commutata, decertare: nullum esse principem qui molestias sumptusq; alicuius belli uellet suscipere, nisi ut eis dominaretur: quod quidem bellum, propter opes uicinitatemq; Florentinorum, qui dum auram uitalem traherent, nunquam ab eis uexandis cessaturi, sustinere, nisi summa cum difficultate, non posset. In ea rerum omnium perturbatione Pisis, itinere Florentiam uersus suscepto, discessit Carolus, incertus omnino quem modum Pisanorum rebus uellet imponere: ac Signiam uenit, qui locus Florentia distat miliaria septem: ibiq; se continuit, ut antequam urbem ingrederetur, Florentini populi tumultus aliquantum

conquiesceret: qui arma eo die quo Petrus Medices urbe fuerat exactus, sumpta, nondū posuerat: nec non quo Ambigneo spaciū ueniendi daret, quem ut maiorem Florentinis terrorem, in ipso urbis ingressu incuteret, ea lege acciuerat, ut bellica tormenta Castrocari relinqueret: quingentosq; Italos equites, quos secū in Aemilia habebat, simul Sfortianas copias exautoraret: excepto Calatino, quem Gaiazzi uocant comitem, qui cum trecentis leuis armaturæ equitibus eum secutus est: nā non paucis neq; lenibus signis aduertebatur, regis animum fuisse, armorum terrore Florentinos eò impellere ut sibi liberum atq; absolutum ciuitatis cederent imperium: quod ne dissimulare quidem cum eorum oratoribus potuit, qui sæpius Signiam, ut cum eo de eius in urbem introitus forma, deq; fœdere, quo de agebatur, certius aliquid constituerent, uentitabant. Non est autē dubiū, quia rex, propterea quòd sese ei opposuissent, Florentino nomini esset uehementer infensus, maximumq; odium concepisset: & quanquam liquidò constaret, eā rem à reip. uoluntate non esse profectam: & ciuitas eade re se apud eum accuratè purgasset, tamen ex eius animo ea offensio deleri minimè poterat: in eam enim opinionem, ut creditur à plerisq; suorum erat inductus, qui occasionem eius urbis dominatum occupandi, nequaquam prætereundā esse ducebant: siue auaritia moti, opportunitatem tam opulentæ urbis diripiendæ, amittere nolebant; eaq; uox per totum exercitum erat peruagata, eam urbem, ut cæteris esset exemplo, puniendam esse, quòd prima Italicarum ciuitatum Gallorum potentie obuiā ire ausa esset: nec ex consilij regij principibus deerant, qui ut Petrum Medicem in pristinum

gradum restitueret, hortarentur, atq; in primis Philip-
 pus Brescius Sabaudia ducis frater, cum priuatis ami-
 citijs, tum promissis ad id inductus: quo factum est, siue
 horum sententijs obtinerentibus (etsi Maclouienſis pon-
 tificex contrarium suaderet) siue hoc terrore iniecto, fa-
 cilius se Florentinos ad suam uoluntatem flectere posse
 sperarent, siue ut in ipso facto, id quod magis arrideret
 minore negotio arripienti occasionem haberet, rex ad
 Petrum scripsit: atq; ut Brescius scriberet, efficit: quib.
 literis eum ut ad Florentiam accederet, hortabantur: se
 tum eius amicitia, qua inter patres ipsorum extiterat,
 memoria: tum propter praestantem in se animum, que
 in arcium deditioe demonstrasset, uelle eum in pristi-
 nam auctoritatem restituere: sed haec litera Petrum non
 iam Bononia, ut crediderat rex, inuenerunt, propterea
 quod is Ioannis Bentiuoli uerborum asperitate permo-
 tus: ueritusq; ne a Mediolanensium duce, ac forsitan ab
 rege ipso sibi insidia struerentur, Venetias suo aduerso
 fato, profectus erat, quo tamen ei a Cardinale fratre suo
 qui Bononia subsisterat, missae fuerunt. Florentini de re-
 gis uoluntate admodum ambigebant: uerum cum non ui-
 derent, quibus uiribus, quauis se ei possent resistere, eam
 in urbem minus periculoso consilio admittere constitue-
 rant, se aliquo modo posse placare sperantes: Et tamen
 ut in omnem essent euentum parati, fecerant ut pleriq;
 ciues suas domos clam uiris e Florentina ditioe imple-
 rent: atq; ut duces qui reipub. stipendijs militabant, cum
 multis e suis militibus, dissimulata causa, sese in urbem re-
 ciperent: utq; tam in urbe, quam in uicinis locis, quisq;
 ad maioris capanae pulsum, arma sumere paratus esset.
 Rex igitur cum exercitu magna cum pompa atq; appa

ratu, summo studio & magnificentiâ, tam aulæ suæ, quã ciuitatis, disposito, atq; ut uictoris modo ingredi uideretur, armatus ipse, equusq; ipsius, hastam erectã femoriq; inixam gestans, in urbem est inuectus. Hic statim de compositione ceceptum est agi: uerũ multis difficultatibus interuenientibus. nam præter quorundam è regijs familiaribus, in Petrum Medicem studia immoderata, postulataq; intolerabilia pecuniarum, Carolus palã Florentiæ dominatum postulabat: affirmãs ex eo quod armatus esset in urbẽ ingressus, militaribus regni, Galliæ institutis sibi deberi: à qua petitione etsi deniq; discessit, certos tamẽ ueste longiore utentes (sic enim Galli doctores siue togatos homines uocant) suos legatos relinquere uolebat, ea autoritate, ut Galliæ institutis, ei haud exigua in ea ciuitate potestas in perpetuum attributa uideri posset: contra uerò, Florentini pertinacissimi erãt, nullum periculum adire recusantes, ut suam libertatem sartam tectam conseruarent: quare cum inter se tam diuersis agerent sententijs, animi partium magis magisq; accendebantur: nihilominus tamẽ neutra pars ad dissidia armis terminanda parata erat: nam populus Florentinus mercaturæ longa consuetudine potius quã rei militaris exercitationibus deditus, cum intra urbis suæ muros regem potētissimum tanto cum exercitu ex ignotis ac ferocibus nationibus conflato cerneret, uehementer formidabat: Gallis autem non mediocrem iniiciebat metum Florentini populi ingens multitudo: qui quo tempore status reip. fuerat mutatus, argumenta audaciæ maiora quã quisquam credidisset, ostenderat: is quoque rumor peruulgatus non parum eos terrebat,

bat, nimirum ad campani æris quod in turribus suspensi solet, ingentem sonitum, infinitam armatorum uim ex toto Florentinorum agro concursuram facturam: in hoc communi metu, ad inanes sæpe rumores, utraque pars magno tumultu repente ad arma concurrebat: ne rùm, neutra alteram inuadebat, aut prouocabat. Irritiũ fuit de Petro Medice regis consilium: propterea quòd Petrus inter spem quæ facta fuerat & metum, ne aduersarijs prædæ dederetur, suspensus, consilium super regijs literis petiuit à Veneto senatu. Nihil profectò magis necessarium in rebus arduis: nihil rursus periculosius, quàm ex alterius pendere consilio: nec cuiquam est dubium, alieno consilio minus egere prudentes, quàm imprudentes: & tamen fructum maiore ex consilio capiendo sapientes percipiunt: quis enim tanta præditus est sapientia, qui per se omnia perspiciat, & cognoscat, atque in contrarijs sententijs, quæ sit potior, dijudicare ualeat? Verùm quis alium consulens certò scit, se fidele consilium auditorum? Nam qui dat consilium, ni ualde sit fidelis, aut bene erga eum qui petat, affectus, non modo insigni utilitate impulsus, uerùm exiguo quouis proposito commodo, quauis leui cupiditate, sæpe consiliũ in eum dirigit finem, qui maximè sibi accommodatus esse uideatur: cumq; hi fines non rarò ab eo qui consiliũ capit, ignorentur, consilij infidelitatem, nisi prudens sit non animaduertit. Hoc ipsum Petro Medici accidit: quippe Veneti existimantes Petri in patriam reditum, Carolo omnia quæ à Florentinis optabat, faciliora esse futurũ, id quod tanquã rebus ipsorũ aduersum, ipsis molestissimũ fuisset: idcirco sibi magis quã Petro consulentes ne se regis potestati, qui se ab eo iniuria affectũ duceret.

committeret, grauiſſimis uerbis monuerunt: utq; in aiorem ei ſui conſilij ſequendi anſam præberent, ſe eius res complexuros, omneq; ſtudium & operã, ſi quando tempus id poſceret, poſituros, ut in patriam reſtitueretur, promiſerunt: nec hoc contenti, ne is tunc fortè Venetijs diſcederet, ei (ſi quod poſt fuit peruulgatum, à uero nõ aberrat) occultiſſimam cuſtodiam appoſuerunt. Interea Florentiæ erant ab omni parte exulcerati animi, ac pro pmodum ad manifeſtam contentionem deuoluti, dum neq; rex à ſuis poſtremis poſtulatibus nuſquam uult diſcedere: neq; Florentini ad intolerabilem pecuniæ ſummã ſe obſtringi patiuntur: neq; ut iuris aliquid aut poteſtatis in Florentina repub. habeat rex, ullo modo uolunt aſſentiri: quas controuerſias, exceptis armis inextricabiles, Petri Caponij uirtus explicauit. Fuit Petrus unus ex quatuor ſelectis ciuibus ad res cum rege tractandas, uir ingenio atq; animo magno: easq; ob res magnæ apud ſuos autoritatis: tum etiã quòd ex familia eſſet honeſtiſſima: atq; ab ijs ortus, qui plurimum in ciuitate potuiſſent. Itaq; cum is eiusq; collegæ aliquando corã rege eſſent, atq; à regio ſcriba compositionis capita iniquiſſima, ab rege tanquam poſtremo propoſita recitarentur, Caponius rei indignitate uehementer commotus, libellos è ſcribæ manu abreptos, rege ſpectante, diſcerpſit, uoceq; concitata ſubiunxit: Quandoquidẽ tam iniqua poſtulantur, ueſtras uos inſlabitis tubas, nos cãpanas pulſabimus noſtras: illud haud obſcurè innuens, eas controuerſias armis eſſe decidendas: eodemq; metu, collegis ipſum ſequentibus, è regio cubiculo diſceſſit. Certum eſt, huius ciuis iam prius Carolq; totiq; aulæ noti, quòd paucis antè menſibus legatus Florentinorũ in Gallia

Gallia extitisset, uerbis magnum terrorem Gallis iniectum fuisse: secum præsertim reputantibus, tãtam in eo homine confidentiam nequaquam sine causa esse: quãobrem eo reuocato, postulatisq; quibus assentiri Florẽtini recusabant, relictis: Rex & Florentini in hanc sententiam scœdus pepigêre: ut præteritis oblitteratis iniurijs, ciuitas Florentinorũ amica, scœderata, atq; in perpetua Gallie regum tutela esset, ut Pisana urbs, Ligurnumq; cum suis arcibus in regis essent potestate, quas Rex sine ullo prorsus sumptũ Florentinis restituere statim bello neapolitano confectõ teneretur. Confectum autem intelligi debere, ubi Neapolim urbem occupasset: aut rebus pace cõpositis, aut quacunq; ex causa rex ipse Italia discederet: utq; regij præfecti præsentis iurarent se eis conditionibus restitutos. Interea uerò temporis, dominatus, iurisdictio, administratio, oppidorũ uectigalia, ut consueuerant, Florentinorum essent: ut iisdem conditionibus Petrasancta, Seresana, Seresanelumq; comprehenderentur: uerũ, quoniam Genuenses in hæc se ius habere existimarent, regi eorũ cõtroversias uel pactione, uel iure definire satageret, permitti: quas nisi intra superscriptum tempus composuisset, eas Florentinis restituere: ut Rex duos Florentiæ legatos relinquere posset, sine quorum interuentu, dum id bellũ geritur, nihil quod eõ pertineat, tractare liceret: nec eodem tempore, nisi re cum eisdem communicata, suarum copiarum imperatorem deligere: illico omnia alia Florentini imperij oppida, quæ aut desecissent, aut ui capta essent, restituere: eadem armis recuperare si quidem Florentinos recipere recusaret, licitum esset. Regi in belli Neapolitani subsidium, aureorũ nummũ

intra dies quindecim, quinquaginta millia: quadraginta millia per totum mensem Martiū: triginta millia per totū Iunium proximè sequentes, donarent: Pisanis perduellionis crimen, aliaq; post commissā delicta condonarent: exilij pœna Petrus Medices, eiusq; fratres absoluerentur: bonorum publicatio aboleretur: ea tamen lege, ne Petrus ad Florentinorum ditionem propius quā passuum centum millia (id quod fiebat, ut Romæ habitandi facultate priuaretur) eius uerò fratres totidem ab urbe Florentia accederent. Hæc fuerunt præcipua Florentini cum Carolo fœderis capita: quod quidem fœdus præterquam quòd legitimè perscriptum est, maxima etiam ceremonia fuit in augustissimo urbis fano in ipsa sacrorum celebritate promulgatum, atq; sancitum, ubi rex ipse, ad cuius petitionem hoc factum est, urbisq; magistratus, cunctis regijs proceribus, Florentinoq; populo astante, solenni sacramento, manibus aræ maximæ admotis, se quòd fœdere contineretur, seruaturos promiserunt. His in hunc modum actis, biduo post Carolus Florentia decimo ab ingressu die profectus, Senas uenit quæ ciuitas fœdere cū rege Neapolitano Florentinisq; coniuncta, eorum auctoritatem secuta erat, donec Petri Medicis Seresanam profectio, Senenses ut de sua salute cogitarent, adegit. Senæ, ciuitas frequens, agroq; admodum fertili: quæ etiam primū opibus & potentia post Florentiam, locum in Hetruria diu quòdam tenuit, suis legibus uiuebat: ita tamen ut nomen potius libertatis, quàm rem ipsam agnosceret: quippe in multas siue factiones, siue membra ciuium, quos ipsi ordines appellat, distracta, ei obtemperabat parti, quæ aut temporū casibus, aut principum externorum fauore, reliquis po-
 tent

tentia præstabat: ea uerò tempestate, is ordo, qui à monte nouo nomen habet, primas obtinebat. Senis igitur paucissimos dies cōmoratus, ibiq; præsidio relicto, propterea quòd, cum ea ciuitas iam ab antiquis temporibus propenso animo imperij respiceret maiestatem, regi erat suspecta, Romam uersus iter suscepit, indies insolentior, rerum successu multo maiore, quam spes unquam extitissent, factus: tempestatesq; benigniores, & clarius quàm anni ferret tempus, cælum nactus, hoc uti beneficio sine ulla intermissione decreuit, formidabilis non modò apertis inimicis, uerum etiam ijs qui aut ab eo aliquando steterant: aut à quibus nulla in re fuerat prouocatus: quamobrem tum Venetus senatus, tum Mediolanensium dux, tanto rerum successu perterriti, ueritiq; præsertim, quòd & arces Flōrentinorum in suam potestatem redegisset, & Senis præsidium imposuisset, ut eius cogitationes, nequaquam in uno regno neapolitano conquiescerent, ut communi periculo occurrerent, de nouo inter se fœdere percutiendo, agere cœperunt: citiusq; rem ad exitum perduxissent, si res Romanæ contra Carolum firmiores, quod pleriq; sperarant, extitissent: nam Calabriae ducis, cui se Pontificis copiae prope Romam, Virginiusq; Ursinus cum reliquo Aragonensium exercitu adiunxerat, consilium fuit, ut Carolo iter intercluderent, Viterbij consistere: ad quod præter alia multa, loci opportunitas, quòd is circumquaq; Pontificis ditione septus esset: Ursinorūq; castellis propinquus, inuitabat, sed toto iam Latio propter Calumniorū ultra Tiberim excursiones, tumultuante, & propter impedimenta, quæ ab Ostia, ne comineatus Romā, ut solitum erat, mari importaretur, exhibebantur, ibi

non est ausus consistere: dubitabat præterea Ferdinandus de Pontificis mente: qui audita Petri Medicis mutata tunc, iam tum Gallorum postulatis aures præbere cœperat: de quibus tum Romam Ascanius Cardinalis, ut cum eo ageret (cum prius Cardinalis Valentinus fidei obses, Marinum Columnensium oppidum iuisset) uenerat. Ac quanquam Ascanius sine certo responso discessisset, quod in Alexandri pectore illa pugnabāt, primū quod Caroli fidem eius mentis inscius suspectam haberet: deinde quod proprijs uiribus diffideret: nihilominus ubi Carolum Florentia profectum audiuit, Pōtiffex ad eum Concordiensem ac Terniensem episcopos, magistrum item Gratianum, qui audiendæ Pontificis confessionis munere fungebatur, ut suis regisq; Alfonso res componere satagerent, legauit. At Caroli erat alia sententia, ut qui cum Pontifice solo rem componere constituisset: idcirco Tramolliam regulum, & Gannaiū regij senatus præsidem ad eum misit: qua etiam de caussa, Ascanius cardinalis, Prossperq; Columna eò uenerūt, qui simul ac Romam attigerunt, Alexander (qua de caussa, nescitur) mutata sententia, Calabriae ducem cum toto exercitu illicò in Urbē immisit: captisq; Ascanio & Prosspero, eos in Adriani mole, quæ olim Castellum Crescentij, nunc S. Angeli dicitur, custodiendi mandauit: ab eisq; ut sibi Ostia restitueretur, postulauit: quo in tumultu Galli oratores ab Aragonijs capti fuerunt: sed hos exēplò dimitti iussit: nec multò post, Ascanium etiā & Prossperum, sed hos ea conditione, ut è uestigio Roma discederent: ad Regem postea, qui Nepete constitrat, Federicum Sanseuerinatem Cardinalē, misit, cœpitq; de suis tantum rebus agere, animo tamen ualde ambiguo: nam

iam Romam tueri ac propugnare constituebat: itaque Ferdinando & ducibus reliquis permittebat, ut debiliora Urbis loca muniarent: iam eam tueri, tum quòd comenatu maritimo ab ijs qui Ostiæ erant, prohiberetur, tum quòd Vrbs peregrinis hominibus, quorum uariæ solent esse uoluntates, esse referta: tum diuersas Romanorum factiones metuens, difficile existimans, Roma discedere cogitabat: idcirco in collegio à singulis purpuratis chirographum exegit, quo se obstringerent, sese Pontifici comites fore: nunc difficultatibus & periculis suis omnibus consilijs imminentibus, perterrefactus, ad concordiam animum conuertebat: dum his cogitationibus suspensus fluctuat, Galli Transiberinam regionem uniuersam, iam hoc iam illud oppidum occupâtes percurrerant: nemo enim erat qui resisteret, nemo qui illorum furori non cederet, etiam ijs aliorum exemplum sequentibus, qui maximè resistere debuissent: uel ipse Virginius Ursinus, tot tantisq; uinculis Aragonijs obligatus, nimirum regij exercitus imperator, equitum totius regni magister, qui uulgo Conestabilis appellatur, Alfonso arētissima affinitate deuinctus, quòd eius filio Iordano, Ferdinandi regis demortui filia extra legitimum torum suscepta, nupsisset: à quibus etiam Castellæ in regno, honoresq; acceperat: horum omnium oblitus, nec minus etiam quòd ab ipsius commodis omnes Aragoniorum calamitates originem traxissent, ita res suas Gallis, Italorum militum subtilibus eiusmodi sectionibus parum assuetis, ac mirantibus, ita cōposuit, ut ipse quidem regis neapolitani stipendia faceret: eius uerò filij, Galli signa sequerentur: quin etiam, se Gallis, in suis, quæ in Pontificis ditione locis haberet, receptū,

transitum, commicatum daturum: Campanianum item nonnullaq; alia loca depositi nomine Gurcensi Cardinali traditurū: qui repromitteret se ea simul atq; regius exercitus, Latij agrive Romani fines excessisset, restitutum. Eodem modo simul Pitiliani comes, Vrsinæq; gētis ceteri, conuenere. His in hunc compositis modū, Carolus Nepete, Braccianum præcipuum Virginij oppidum, uenit: Ostiam uero Ludouicum Lignū, & iuum Alegrium cum cataphractis quingentis, duobusq; Heluetiorum nullibus, ire iussit: quo traiecto Tiberi, & Columnijs iam omnia percurrentibus, coniuncti, Remam occupare conarentur: qui Romanorum quorūdam suæ factionis opera, se uati compotes futuros, & si tempestatibus commutatis, impedimenta aucta fuissent, omnino sperabat. Et iam Ciuitas uetus, Cornetum, ac deniq; totū serè Latium, in Gallorum uenerat potestatem: iam tota Pontificis curia, iam Romanus populus uehementer consternatus, concordia ardentibus uotis expetebat: quamobrē Pontifex ad maximas redactus angustias, sentiensq; paulatim defensionis fundamenta deficere, nulla re alia retinebatur, quā quod memoria teneret, se inter primos regē ad res neapolitanas incitasse: post etiā sine ulla prorsus caussa, autoritate, consilijs, armis ei pertinaciter restitisse: quib. de causis, merito existimabat, eā fidem quam ab rege acciperet, eodem robore futuram, quo ea fuerat, quā ab eo rex accepisset: terrorē augebat quod apud eum haud exiguu in honore esse Ostensem, multosq; alios cardinales, sibi pariter infensos, uideret: quorum suasionibus, Christianissimiq; regis Gallie appellatione, ac iam tot seculis inueterata eius gentis religionis opinione, necnō expectatione, quæ semper corū

qui nomine tantum noti sunt, maior esse consuevit, ne rex animum ad ecclesiam corrigendam conuerteret, metuebat: quæ res Pontificem mirum in modum terrebatur: utpote, qui quanta cum infamia pontificatum esset adeptus, recordaretur: quem etiam moribus atque artibus nequaquam à tam fœdis initijs abhorrentibus, perpetuò administrasset. Hanc Pontificis hæsitacionem regis sedùlitas, promissaq; efficacissima sustulerunt: qui protectionem suam in regnum neapolitanum accelerare summo opere cupiens, nec quicquam prætermittens, quo Pontificis impedimenta posset amouere, ad eum denuò legatos misit Belcarium Sinisciallum Marisciallūq; Giensem (illum Prætorē, hunc Tribunū militum possumus dicere) & quē antea miserat, Gannaium præsidem, qui ei persuadere satagentes, non esse regis mentem, ut se eis rebus immisceret, quæ ad Pontificiam autoritatem pertinerent, nea ab eo aliud petere, quàm quantum ad transeundi securitatem opportunū uideretur, in id incubuerunt, ut regem sponte uolensq; in Urbē admitteret: affirmātes hoc ab eo maximè expecti: non quia non in eius potestate esset, armis sibi aditū patefacere, sed ne quicquam de ea obseruantia detraheret, qua sui maiores Pontifices coluissent: quodq; simul ac rex in Urbē pedem posuisset, quæ inter ipsos fuisset, controuersia, hæ statim in sinceram beneuolentiam cōiunctionemq; conuerterentur. Duræ Pontifici partes uidebantur, se primum omnium amicorum auxilijs nū dare: seq; in hostis potestatem, eo in urbem prius quàm res suas cum eo composuisset, recepto, tradere: uerū tandem, omniū periculorū hoc minimū ratus, regijs postulatis annuere decreuit: ergo Calabriae ducē ex urbe,

publica tamen fide prius à Carolo impetrata, quo securè per Pontificis ditionem iter habere posset, emisit: uerùm Ferdinandus ea re magno animo spreta, per D. Sebastiani portam, quum Latine Roma loqueretur, Latinam appellatam, die postremo anni Christiani 1494 eadem prorsus hora egressus est, qua per portam que nunc à S. Maria populi nomen habet, Flumentana olim dicta, cum omnibus copijs rex armatus hastam femori innixam gerens, quo modo Florentiam quoq; ingressus erat, in Urbem intrabat: quo etiam tempore Pontifex incredibili timore plenus, æstuansq; se in arcem Angelicam, duobus tantum cardinalibus comitatus, Baptista uidelicet Vrsino, Oliuerioq; Caraffa Neapolitano, recepit. Regi aderant Ostiensis, Ascanius, Columna atque Sabellus Cardinales, ac pleriq; alij, qui nullum finem faciebant regem obtestandi, ut Pontifice tot tamq; scedis uitijs cooperto, cunctisq; mortalibus inuiso, ab illa sede submoto, alius in eius locum surrogaretur, ostendentes non minus ipsi fore gloriosum, remp. Christianam tam scelerati Pontificis tyrannide liberare, quàm Pipino Caroloq; Magno suis maioribus fuisset, sanctos Pontifices ab eorum iniurijs, à quibus iniuste opprimebantur, uindicare: hanc rem non minus esse ad ipsius securitatē necessariam, quàm optabilem ad gloriam: nam qui posset Alexandri promissis fidem habere, hominis ex fraude dolisq; conflati, in cupiditatibus insatiabilis, proiectæ in cunctis actionibus impudentiæ, atq; ut res ipsa docuerat, odio in Gallicum nomen ardentissimi? quiq; regi non sponte neq; ingenuè, sed necessitate metuq; coactus reconciliaretur? Horum hortatibus, & præterea quòd Pontifex ex regis postulatis Angelicam arcem, tanquàm

pro-

promissorum obsidem tradere recusaret, bis è Marcianis ædibus, in quibus rex ipse erat, tormenta bellica, ut ad arcem uerberandam collocarentur, fuerunt educta: uerùm neq; rex sua natura ad Pontificem uiolandum erat propensus: & in eius secretiore consilio plus illi poterant, quos Alexander donis & promissis sibi conciliarat: itaq; demũ inter eos fœdus in hunc modũ ictum est: ut inter Pontificem & regem amicitia perpetua, fœdusq; ad utriusq; defensionem esset: ut regi Ciuitatis ueteris, Terracinae, & Spoleti arces dederentur, quas tenerent Galli, donec rex Neapolitano regno potiretur: quanquam arx ei Spoletana tradita postea non fuit: cardinalibus & regulis Pontificium imperium agnoscentibus, qui regis partes essent secuti, omnes offensiones iniuriasq; remitteret Pontifex: regni neapolitani regi diploma possessionemq; tribueret: Gemen Othomannũ Baiasettis fratrem, traderet, quem Baiasetes Barbaro Othomannorum gentis more, quæ regni successionem fratrum ac proximorũ suorum sanguine sanciant, persequebatur: atq; ob id Rhodũ aufugerat: illincq; in Galliam ductus, erat deniq; Innocentij pontificis potestate traditus: quapropter Baiasetes Christi uicarij auaritia tanquam instrumento quo imperium reipub. Christianæ inimicum in pace contineretur, usus: quotannis Põtifici sumptus, qui in eo tum alendo, tum custodiẽdo fieret, nomine, aureorum numũ quadragena millia persoluebat, quo ad eum dimittendum, sine alijs principibus, ut eo in se uterentur, tradendum, essent tardiores: hunc sibi à Pontifice tradi, omnino uoluit rex, ut eius autoritate expeditione, quam in Turcam moliebatur, reddere faciliorem: eam se uanis assentattonibus suorũ

inflatus, de uictis Aragonijs, obire cogitabat: & quoniã aureorum nummum quadraginta millia, quæ in eius anni sumptus à Turca mittebantur, Senogallie ab Romanæ urbis præfecto, intercepta fuerant, uolebat Rex ut Pontifex sibi tum pœnam, tum etiam illius pecuniæ restitutionem condonaret. His omnibus, illud quoq; erat adiunctum, uti cardinalis Valentinus, specie quidem, ut Pontificis legatus, re autem uera paternæ fidei obses, regem tres menses sequeretur, Pontifex sancita cõcordia, in Vaticanum, ubi pontificia est domus, reuersus est: de inde ea pompa & ceremonijs, quibus magni reges accipi consueverunt, in D. Petri templo regem accepit: qui cum ueteri consuetudine Pontificis pedes abiectus osculatus esset, post etiam ad eius uultum osculandũ admisus, alio die ipso Pontifice sacra peragente, interfuit: locus ei ad sedendum secundum primum episcopum cardinalem, est datus: qui etiam antiquo ritu Põtifici sacra procuranti, aquam lauandis manibus effudit. Has ceremonias Pontifex, quo posterorum memoriæ mandarentur, in Angelicæ arcis quodam porticu, nobili pictura exprimi uoluit. His peractis, Pontifex, rege id poscente episcopos Maclouensem & ex Luceburgensium familia Cardinales pronunciauit: nec quicquã omisit, quo se animo sincero & candido regi reconciliatum esse, demonstraret. Romæ Carolus mensem sere egit, præmissis tamen ad regni neapolitani fines ex suis nõ paucis: quo in regno iam omnia erant tumultibus plena: adeo ut Aquilani omnesq; Aprutini prius quàm rex Roma discederet, iam Gallica signa extulissent: & Fabricius Columna Albensem ac Taacotiensem tractũ occupasset: nec reliquæ regni partes erant pacatiores: nam simulac

Ferdi-

Ferdinandus Romā deseruit, illico popularū in Alfonso odia sese proferre cœperunt: quæ multarum Ferdinandi patris sui acerbitatum memoria acuebat: ob eas causas de superiorum temporum iniurijs, atq; Alfonso crudelitate ac superbia, ardentissimè conquerētes, Gallorum desiderium palam ostendebāt, ita ut Andiovinæ factionis reliquiæ, tametsi cum memoria & multitudine tot regulatorum, quos diuersis temporibus regno expulerat, atq; in uincula coniecerat) quod quidem per se magnum ualidumq; ad status mutationem instrumentū erat) coniunctæ, parui essent hoc tempore momenti, cū alijs causis comparatæ: adeò sine his stimulis, totius regni uoluntates erant in Alfonso inflāmatæ: qui cognito Ferdinandi filij ab Roma discessu, in tantum est terrorem coniectus, ut famæ & gloriæ pristinæ, quā longo usu, in multis Italiæ bellis sibi non paruam pepererat, oblitus: neq; ullo modo sperans se huic fatali tempestati posse resistere, sese regno abdicare constituerit, nomēq; regium atq; maiestatem in Ferdinandum trāsferre, fore sperans, unā secum odio tam acerbo remoto, summæq; expectationis iuuenē, à quo nemo fuerat læsus: qui que per se gratia apud omnes polleret, ad regiam dignitatē euecto, desiderium Gallorum in suis fortè imminutum iri: quod quidem consilium antea usurpatum, forsitan aliquid profuisset, in ea tempora dilatatum, in quibus res erant non solum uehementer agitatæ, uerum etiā precipites rucere incipiebant, nō satis erat ad tantam sistendam ruinam. Fama etiam est (si modò non prorsus hæc spernere fas est) Ferdinandi spectrum ter diuersis noctibus Iacobo regiæ domus chirurgo apparuisse: et primò lenioribus uerbis, post admodum minacibus mandasse,

diceret hæc suo nomine Alfonso, ne speraret, se Regi Galliæ posse resistere: quòd in fatis esset, eius progeniè infinitis casibus uexatam, ac demum tam præclaro regno spoliatam, extinctum iri: eius rei causam esse, cum multa ab ipsis patrata scelera, tum uerò illud maximè, quòd ipsius suasu Puteolis rediens, in D. Leonardi fano quod in uia est, quæ Ghiaia, hoc est Glarea dicitur, prope Neapolim, commissum est, cuius quidem sceleris nomen cum ille non expressisset, existimarunt homines, Alfonso eo loci, Ferdinando persuasisse, ut non paucos regulos, quos diu in carcere detinuisset, clam necari iuberet. Quicquid eius rei sit, certum est, Alfonso suæ conscientiæ stimulis agitatam, cum neq; dies, neq; noctes animo quietem inueniret, in somnoq; eorum nobilium quos occiderat umbræ obuersarentur: populus itè pœnas ab eo reposcens turbulentissimè concitaretur, re tantum cum regina sua nouerca communicata, cuius precibus ne fratri quidem aut filio suum consilium aperire uoluit, nec duos tresue dies, quo sui regni annum uertentem terminaret, supersedere, quatuor triremibus preciosa suppellectile oneratis, Neapoli discessit: tantum in ipso discessu pauorem præferens, ut si iam à Gallis esset circumuentus: quasi in se cælum atq; elementa conspirasse suspicaretur, ad omnem strepitum pauidè respectans, Mazarim oppidum ipsi à Ferdinando Hispaniæ rege donatum, in Siciliam fuga se recepit. Huius fugæ nuntium rex eadem hora, qua Roma proficiscebatur, accepit: qui cum Velitras peruenisset, Cardinalis Valentinus occultè profugit: qua de re, quamuis pater grauius quereretur: regi q; se quomodocunq; uellet, satisfacturum ostenderet, ipsius tamen iussu & consilio factum
 credi-

creditum est: ut qui pacta cum rege facta seruare, aut contra, non seruare penes se esse uellet. Velitris primū agmen Montefortinum Pontificij iuris in Latio oppidum se contulit: cui Iacobus è comitum familia, & è Romana nobilitate uir imperabat: qui primò Caroli stipendijs conductus, cum plus in eo posset Columnensium odium, quàm proprij honoris ratio, ad Alfonso transierat. Id oppidum, tormentis illis fulmineis uerberatū, quamuis situ munitissimum, paucis horis expugnarunt Galli, omnesq; qui in eo erant, tribus Iacobi filijs cum paucis alijs exceptis trucidarunt: qui cum in arcem refugissent, & Galli è tormenta librassent, deditioe facta capti sunt. Ex hoc loco exercitus ad Montem sancti Ioannis Piscariae Marchionis oppidum in eodem Latio regno neapolitano finitimum, est progressus. Erat hoc oppidum & situ & arte munitissimum, neq; defensoribus minus instructū, cum in eo essent aliunde acciti milites trecenti, & oppidanorum quingenti, extrema omnia subire parati: quamobrem existimabatur, expugnari, nisi multorum dierum spacio non posse: uerū Galli è paucis horis tormentorum globis petito, tanta uic ac pertinacia rege qui Verulis è se contulerat spectante oppugnarunt, ut omnibus difficultatibus superatis, id uic eodem die expugnauerint: ubi cum insito à natura furore, tum ut hoc exemplo alios à resistendo detererent, ingentem stragem ediderunt: ac cum omni reliqua barbara feritate usi essent, flammis quoq; in aedificia seuierunt, qui belligerandi mos multis retrò seculis inauditus in Italia, totum regnum incredibili terrore compleuit. In uictoria enim quouis modo parta, uictoris furor non ultra seuiebat, quàm uictos milites dispo-

liare, eosq; sic liberos dimittere: loca ul' capta, diripere: incolas, ut pecunia data se redimerent, captiuos abducere: uitæ hominum parcere, qui in ipso pugnae feruore non cecidissent. Nemo deinceps ausus est se Gallis opponere: neq; usquã præterquã hoc loco ad tantum, tamq; nobile regnum obtinendum fuit Gallis pugnandum: ad cuius defensionem, non uirtus, non animus, non consilium, non honoris cupiditas, non potentia, nõ fides in quoquam enituit. Itaq; Ferdinandus, qui Roma profectus, sed ad regni fines contulerat, Neapolim ob patris fugam euocatus, assumptis solenniter, sed non solito cum apparatu ac letitia, regia autoritate ac nomine, exercituq; congregato, in quo turmæ equitum erãt quinquaginta, & selectorum militum sex milia, quibus præerant clarissimi Italiae duces, ad Sangermanum, ut ibi hostes transitu prohiberet, consedit: hoc autem fecit loci adductus opportunitate: quem quidem ab una parte montes alti ac prærupi cingunt, ab altera paludes & stagna: à fronte uerò Garilianum, quem ueteres Lirim appellabant, decurrit: etsi eo loci non tam pleno aluio, quin interdũ uado transitum præberet: his de causis, lociq; angustijs, is locus meritò unum è portus neapolitani claustris, appellatur. Montem quoq; proximũ ut Cancellarum aditum tueretur, præsidio muniuit. Verum hæ omnes copiae, ad gallicũ nomẽ perterritæ, iam nullum uigorem præseferebant: duces quoq; ipsi, pars de sua suarumq; rerum salute solliciti, ut qui regnũ posse defendi, nullo modo sperarent: pars cupidi rerum nouarum, nutare nõ minus fide quã animo incipiebant: nec aberat metus, toto admodum tumultuãte regno, ne à tergo periculosus aliquis motus exoriretur. Metu igitur

tur conseruati, ut monte S. Ioannis expugnato, Gyensem trib. milit. cum tercentum cataphractis & peditem bis mille, appropinquare acceperunt, turpiter S. Germanū, tantoq; cum terrore deseruerunt, ut in itinere octo magnis tormentis sine præsidio relictis, se Capuam receperint: quam urbem, nouus Rex, tum Capuanorum in Aragonios beneuolentia, tum situs opportunitate, quòd à fronte flumen Vulturnū, eo loco admodū profundū habeat fretus, se tueri posse sperabat: eodēq; tempore, suis uiribus minimè alijs locis distractis, Neapolim Caietamq; tenere. Eum Galli, sed sparsi, cōfusiq; sequebantur, more potius iter facientū, quàm bella gerentium, progredientes, quacunq; prædæ occasio sese ostenderet, eā iter suum dirigentes, sine ordine, sine uexillo, sine duce: sæpenumero plerisq; ipsorū ibi pernoctantibus, unde manè Aragonij discesserant. At, ne Capuæ quidem maior uirtus fortunæ uē sese ostendit, nam posteaquā Ferdinandus ibi exercitū posuisset, qui à Sagermania fuga, numero erat non parū imminutus, Regina literis certior factus, Neapoli ex ea fuga, talē animorum mutationē factā esse, ut nisi ipsemet ueniret, res ad tumultum spectare sine dubio uideretur: statim eum paucis, ut imminētī periculo sua præsentia occurreret, eò contendit: data tamen fide, se postridie Capuā reuersurum: sed Ioannes Iacobus Triultius, cui eius urbis cura ab Ferdinando erat commendata, occultè iam ab rege Gallie caduceatorem, ut tutò ad eum deduci posset, postulauerat: qui ubi uenisset, Triultius unā cum quibusdam nobilibus Capuanis uenit Caluium, quò eodē ipso die Carolus uenerat: quod quidem Triultius, non paucis Capuanorum fidem Ferdinando seruare

paratis, conuicio etiam contradicentibus fecit. Ibi ad regem sic armatus ut uenerat, introductus, ciuium Capuanorum & militum nomine, regem sic est affatus, ut diceret, se cum uideret Ferdinandum uiribus, quibus regnum tueretur, destitutum esse, cui dudum aliqua spes fuit, fidelem operam nauassent, regis fortunam, si quidē honestis conditionibus acciperentur, sequi decreuisse: illud quoq; adiecit, se minimē diffidere, quin Ferdinandum ipsum ei esset adducturus, modò eum, quemadmodum eius dignitas merebatur, uellet agnoscere. Cui rex uerbis quàm humanissimis respondit, se Capuanorum, militumq; pollicitationem accipere, Ferdinandi quoq; aduentum sibi gratissimum fore, modò sciret, se nullam partem regni Neapolitani, quamuis minimam, retenturum: sed in Gallia opes & honores accepturum. Quid ad tam foedam transitionem Ioannem Iacobum Triultium insignem belli ducent, quiq; honoris rationem in primis habere consueuisset, impulerit, in obscuro latet. Affirmabat is, se Ferdinandi uoluntate ad regem uenisse, ut res ipsius cum eo componere tentaret, à qua spe prorsus exclusus, constaretq; regnum neapolitanum armis non posse defendi, uisum fuisse, non modò licitum, uerumetiam laudabile, simul & Capuanorum ciuium, & militum saluti consulere. Verum enim secus eo de facto mortales existimarunt: nam creditum est Triultiū, quòd uictoria potiri regem Galliae cuperet, ad id fuisse compulsū: ea spe ductum, ut regni Neapolitani potitus rex, animum ad Insubriae imperium esset conuersurus: in quo, cum esset ex clarissima familia natus: nec apud Ludouicum Sfortiā, siue principis in Seuerimates nimio fauore, siue alia de caussa, se eo loco haberi, quo
ipsius

ipſius uirtus, atq; in principem merita poſcerent, cerne-
ret, ab eo proſus animū ab alienaſſe: qua etiā de cauſa,
ſa, pleriq; cum Ferdinādo primū ſuaſiſſe, cautius quā
fortaſſis interdum occaſiones ipſe poſcerent in Aemi-
lia procederet, ſuſpicabantur. At Capuæ iam antè Tri-
ulcij reditum, Ferdinandi domus equiq; à militibus dire-
pti fuerunt: equitum alæ in uaria loca dilabi coeperant:
iam Virginius & Pitilianus cum ſuis turmis Nolam ur-
bem, quam Pitilianus Aragoniorum beneficio poſside-
bat, prius tamen ſibi & ſuis fide publica impetrata, re-
ceperant. Redibat ad dictam diem Ferdinandus, Neapo-
litanorum animis ad tempus, Capuanæ deſenſionis ſpe,
non nihil pacatis & erectis: iamq; ad ſecundum ab Ca-
pua lapidem acceſſerat, antequām id quod poſt ipſius
diſceſſum acciderat, percepſſet: cum cognito eius redi-
tu, populus uniuerſus ne eum reciperet, ad arma cucur-
rit: quam ob cauſam de communi conſilio è nobilitate
quidam ei obuiam ſunt miſſi, qui ne ulterius procederet
denunciarent: propterea quòd ciuitas, cum & ab ipſo
diſertam cerneret ſe, & Triulcium ſuarum copiarum
præfectum ad regē Galliæ tranſuiſſe, eius domū à pro-
prijs militibus direptam, Virginium Pitilianūq; abiſſe:
exercitum ſerè omnem dilapſum eſſe, neceſſitate cem-
pulſa, ut ſuæ ſaluti conſuleret, uictori ceſſiſſet. Ferdinā-
dus igitur, ubi ad lacrymas uſq; ut ſe admitteret fruſtra
inſtituſſet, Neapolim redijt: certus, regnum uniuerſum
Capuanorum exemplum ſecuturū, quo exemplo Auer-
ſa inter Neapolim & Capuā ſita, illicò ad Carolū ora-
tores ſuos, qui ciuitatis nomine deditiōne facerent, mi-
ſit. Cumq; Neapolitani idē iam palām agerent, ſtatuit
inſelix rex, tam repētinae tempeſtati minimè reluſtari.

Itaq; in arcis nouæ, quæ regum sedes fuit, aream, multis nobilibus ac popularibus conuocatis, ad eos huiusmodi uerba fecit: Deum immortalẽ omnesq; eos homines quibus mea consilia nota fũere, testari possum, me nulla de causa tantoperè hanc regiam personam mihi imponi expetiuisse, quàm ut cunctis mortalibus ostenderem, me à patris auiq; mei imperij acerbitate semper abhorruisse: utq; benefaciendo eã mihi apud meos omnes beneuolentiam compararem, è qua illi sua acerbitate excidissent: non permisit domus nostræ fatũ, ut hunc fructum, regno ipso longè præstantiorem, possem colligere. Nam regem esse, à fortuna plerunq; datur: uerũ eum regem esse, qui salutẽ ac felicitatem suorum ciuũ, quasi unicũ regnandi finem, rebus omnibus anteponat id ab ipso tantũ, atq; à propria uirtute proficiscitur. Res nostræ in angustiissimum locum redactæ sunt, possumusq; potius queri nos regnum perfidia, atq; ignauia ducum militumq; nostrorum, amisisse, quàm possint hostes gloriari, se id propria uirtute quæsiuisse: neq; tamen spe prorsus destitueremur, si uel ad breue tempus nos sustineremus: propterea quòd & ab Hispaniæ regibus, & ab Italiæ principibus uniuersis, auxilia potentissima comparantur: iam enim eorum sunt aperti oculi, qui antea non peruiderant incendium quo regnum nostrum constagrat, ad se quoq; nisi maturè occurrerint, peruenturum: mihi uerò saltem animus non esset defuturus, regnum uitamq; ea cum gloria, quæ iuuenem regem, à tot regibus longa serie ortum, eaq; quam de me ad hunc usq; diem, expectationem habuistis, deest, terminandi: uerũ quoniã hæc fieri iam nõ possunt, quin simul communis patria in grauißima pericula uocetur

fortu-

fortunæ cedere potius constitui, uirtutemq; occultā habere, quā meum hoc regnum retinere conando, ei fini contraria accersere: propter quem optaueram ad regiam dignitatem conscendere. Itaq; suadeo, hortorq; ad Galliæ regem legatos de pace mittatis: quod ut citra uestræ existimationis labē facere possitis, uobis fidē, iusq; iurandū, quo uos mihi paucis antē diebus obstrinxistis, liberē remitto: moneoq; obsequijs atq; alacritate in eo accipiendo, innatam eius gentis superbiam mitigare studeatis: quod si barbaris ipsorū moribus fiat, ut aliquando eorum dominatum auersemi, meum uerò reditum expetatis: in eis ero locis unde uestræ uoluntati ferre opem ualeam: semper ad omnia pericula uitam uestra omnium causa profundere paratus: uerū si tales erga uos fuerint, ut imperandi lenitate & clementia, uobis satisfaciant, à me nec ciuitas hæc, nec regnum hoc nobilissimum, ullam unquam sentiet molestiam. A uestro bono meæ calamitates leuamen accipient: idq; multo fiet magis, si in uobis aliquam memoriam superesse cognouerō, à me neq; regionum dum essem filiorum primus: neq; post regio nomine assumpto, quemquā iniuria affectum fuisse: in me non auaritiæ, non crudelitatis ulla uestigia unquam extitisse: mihi non mea, sed maiorum meorum peccata nocuisse: me nunquam, siue retinendi, siue recuperandi regni causa, ut ullus huius regni ciuis aliquid patiat, causam præbiturum: mihi molestius esse facultatem uitia patris auiq; mei corrigendi amittere, quā regia dignitate regnōue priuari. Harum inquam, rerum memoria, si in uobis uiguerit, si etiam me regem Alfonsi senioris proauī mei similem potius quā Ferdinandi, atq; huius postremi Alfonsi, futurum per-

suasum habueritis, tametsi exul, patriaq; & meo regno spoliatus, me tamã haud omnino infelicem existimabo. Audiri hæc uerba absq; misericordia minimè potuerit: quin etiam constat, plerisq; ea lacrymas excussisse: uerũ enim uerò tantum erat uulgi ac totius ferè nobilitatis in duos postremos reges odiũ, tantũ Gallorum desiderium ut hac oratione nulla ex parte tumultus sedari potuerit sed ubi is se in arcẽ recepisset, uulgus regia equilia, quæ in arcis erant area, diripere, nobilissimosq; equos abducere cœpit: quam insolentiam, cum rex ferre non possit paucis comitatus, magna animi constantia ex arce quo id prohiberet, erupit, tantumq; in ciuitate iam prorsus ab eo alienata, maiestas, regisq; potuit nomen, ut omnes impetu represso, ab equilijs retrocederent: at in arcem reuersus, id ageret, ut naues quæ in portu erant, quãdo aliter eis hostes priuare nequiret, deprimerentur in mari, cœpit aliqua adductus coniectura suspicari, Germanos qui in arcis præsidio quingenti fuerant, de se capiendõ cogitare: quare repentino consilio, eis suppellectilem, quæ in arce asseruabantur, condonauit: quã dum illi inter se partiuntur, rex è custodia omnibus, Russano principe, comiteq; Populensi exceptis, regni proceribus, qui è paterna auitaq; immanitate superessent, emisissis, ex arce militari subsidiariãue porta egressus, triremes, à quibus in portu expectabatur, unã cum Federico, reginaq; olim aui coniuge, & Ioanna filia, conscendit: ac paucis è suis comitatus, ad insulam Ischiam, quæ antiquis Aenaria fuit, quæq; ab urbe Neapoli triginta miliaria distat, nauigauit: identidem dum in conspectu Neapolim haberet, Vatis uersum clarissima uoce pronuncians, cuius ea est sententia: Frustra homines uigilare

lare ad ciuitatis custodiam, quæ à Deo non custodiatur: cumq; iam nihil præter difficultates, laboresq; obijcerentur, ei suæ uirtutis periculum, simulq; alterius ingratissimi animi ac perfidiæ, quæ in eos quos fortuna percudit, existere consueuit, faciendum fuit: nam cum arcis præfectus, eum uno tantum comitatum in arcem admitteret, rex ut intromissus fuit, sese in eum tanto impetu coniecit, ut & ferocitate, & regie maiestatis recordatione, sic ceteros perterrefecerit, ut è uestigio tum præfectum ipsum, tum arcem in suam redigeret potestatem. Ferdinandi ab urbe discessu, omnes passim tanquam concitissimum torrenti, ad uictoris tantum famam ea consternatione cedebant, ut ducenti è Lignini turmis equites Nolam profecti, quo se Virginius ac Pitilianus cum cataphractis quadringentis receperant, eos minimè resistentes caperent: illi enim partim publica regis fide, quæ regem concessisse à suis acceperant freti, partim eodem quo & cæteri, terrore percussi, nihil reluctantes, se dederunt: sic ipsi in Mondraconis arcem captiui ducti: ipsorum uerò equites prædæ expositi fuerunt. Interea Carolus neapolitanis oratoribus Auersæ qui dedere urbis causa uenerant, repertis, cisq; in fidem receptis, ac multis regia liberalitate priuilegijs cõcessis, postridie, quæ fuit Februarij dies uicesima prima, Neapolim est inuentus: tantoq; omnium applausu ac lætitia susceptus, ut qui eloqui tentaret, is eum esset laborem in cassum sumpturus: concursus incredibili cum gaudio factus est omnis sexus, ætatis, conditionis, generis, factionis, quasi ad patrem, atq; eius urbis conditorem: nec alijs cedere in eo studio qui aut ipsi, aut maiores ipsorū ab Aragonijs ad honores euecti essent, ac beneficijs affecti uoluerūt:

qua celebritate ac frequentia primùm ad urbis augustis-
simum templum, post in arcem Capuanam, quæ Gallie
regum sedes olim fuerat (nam arx noua ab hostibus te-
nebatur) deductus est, cum admirabili inauditæ felicitatis
cursu, uel supra Iulij Cæsaris exemplum, prius uicis-
set, quàm conspectus extitisset: tanta deinde facilitate,
ut ne tentoria quidem in ea expeditione explicare, ha-
stam uè unam frangere necesse fuerit: multi præterea ap-
paratus minimè necessarij: cum & ipsa classis tam im-
mani sumptu comparata atq; instructa, maris tempesta-
te quassata, atq; in Corsicam insulam delata, non prius
ad neapolitanum litus accederet, quàm rex in urbem re-
ciperetur. Ita intestinis disidijs, quibus celeberrima no-
strorum principum sapientia obscurata erat, præclara
ac præpotens Italiæ pars, summa cum ignominia, Itali-
cæ militiæ irrisioneq; grauißimo omnium cum pericu-
lo atq; infamia, ab Itolorum imperio, ad transalpinarũ
gentium dominatum translata fuit: nam quoniam Fer-
dinandus senior, etsi natus ipse in Hispania esset, tamen
quòd ab incunte ætate aut rex, aut regis filius ipse in I-
talia semper egisset: quodq; in alia prouincia principa-
tum non haberet: essentq; eius tum filij tum nepo-
tes Neapoli & nati & educati inter Ita-
los iure optimo cense-
bantur.

PRIMI LIBRI FINIS.

FRAN-

FRANCISCI GUIC-
CIARDINI HISTORIA-
RVM SVI TEMPORIS
LIBER SECVNDVS.

In hoc secundo libro Pisanorum à Florentinis defectio manifesta narratur: Florentinorū cū rege Gallix de recuperandis Pisis actiones: noua Reipub. Florentinorum ex Hieronymi Sauonarolæ cōsilio, forma: Venetorum & Ludouici Sfortiæ aduersus Gallos, apparatus: & eorundem cum Gallis ad Tarum pugna: Ferdinandi Aragonij in regnum neapolitanum reditus: pax inter Mediolanensem ducē, & Gallix regem: eiusdem regis trans Alpes in Gallia suam reditus: quando primū, & vnde in Italia Gallicus morbus cœpit apparere.



VM hæc Romæ atq; in regno Neapolitano geruntur, in alia Italiae parte exiguus ignis scintillæ, maximum tandem incendium, in multorū, sed illius præcipue qui nimia dominandi libidine, eū & excitauit, & fuit pernitiem parituri crescebant: nam & si Carolus Florentiæ de re Pisana ita transegisset, ut ipse Pisas, quoad regnum neapolitanum subegisset, retineret: iuris autē dictio, uectigaliaq; omnia in Florentinorum essent potestate: nihilominus Florentia discedens, ut hæc seruentur, nihil constituerat, mandaueratve: quamobrem Pisani, in quos tum præfecti tum militum, quos rex ad eius urbis præsidium reliquerat, studia propendebant,

cum excutere Florentinorum iugum constituissent, omnes magistratus, Florentinosq; uniuersos, qui ibi remanserant, partim expulerat, partim carceribus custodiaq; mandarant: bona fortunasq; illorum omnes occupauerant: signisq; & factis defectionem prorsus confirmarant: in qua ut possent persistere, legatos non modò ad regem posteaquàm Florentia erat profectus, qui ipsorũ causam tuerentur, uerumetiam, ut ab omnibus obtinerent auxilia nihil prætermittentes, ab ipsa statim defectione, Senam Lucamq; miserunt: quæ ciuitates nomini Florentino insensissimæ, Pisanam defectionem libentissimis ac propensissimis animis acceperunt. Itaq; simul eis certam pecuniæ summã destinarunt: & insuper Senenses equites aliquot extemplò submiserunt: quimetia Veneti senatus animum missis oratoribus, tentarunt: à quo & si benignè accepti, nullam tamen spem certã retulerunt. Præcipuũ uerò suæ defensionis firmamentum in Ludouico Sfortia repositum habebant: quem ut ipsis defectionis autor extitisset: sed ad eos tuendos promptũ fore minimè dubitabant: qui quamuis Florentinis aliter ostenderet, clam tamen eos multis & hortationibus & pollicitationibus confirmauit: Genuensibus quoq; , ut Pisanos armis cæterisq; ad bellum necessarijs munirèt: mitterent præterea Pisas præfectum, peditesq; trecentos, persuasit: qui odio Florentinorum incensi, tum ex eo quòd Pisas suo imperio adiecissent, tum quòd Ligurini portum Thomæ Fregosio Genuensium duce quẽ ipsi possidebant, emissent, nato: postremò etiam cum Florentini Petransanctam Seresanamq; occupassèt, aucto, nò modò ad ea perficienda prompti extitere: uerumetiam bonam partem oppidorum occupauerant, quæ Florentini

*tini in Lunigiana possidebant: iamq; unius regie episto-
 le prætectu, quam de restitutione quorundam bonorū,
 quæ publica fuerant, acceperant, in Petresanctæ rebus
 sese immiscebant: quibus de rebus Florentinis Mediola-
 ni ex postulatibus, dux ipse respondebat, non esse in sua
 potestate, ex pactis quæ cum Genuensibus haberet, ea
 prohibere: dumq; uerbis eis satisfacere conatur, uariâ-
 que eos lætat spe, factis contraria prorsus agitare non
 cessat: ut qui speraret, Florentinis à Pisanum recupera-
 tione reiectis, se facile eius urbis imperio potiturum: id
 quod urbis opulentia atq; opportunitate, allectus ar-
 detissimè cupiebat: quæ cupiditas in eo minimè erat no-
 ua, sed iam tum nata cum Mediolano paulò post Ga-
 leacij fratris sui necem, propter affectati regni suspicio-
 nem, qua paruuli ducis mater, atq; alumna Bona tene-
 batur, pulsus ibi menses cōplures fuit, relegatus: stimu-
 labat præterea illa recordatio, cum cogitabat, Pisas, an-
 tequam in Florentinorum potestatem ueniret, Ioanni Ga-
 leacio episcopo è Vicecomitum familia, primo Medio-
 lanensium duci paruiffe: quare & sibi gloriosum fore
 ducebat, id postliminiò recuperare, quòd aliquando à
 suis maioribus possessum fuisset: existimabatq; aliquo iu-
 ris colore id posse defendi, tanquã Ioan. Galeacio mini-
 mè licuisset in successorum suorum Mediolanensium du-
 cum detrimentum Pisanum imperiũ ab eo quidẽ, sed pe-
 cunia & uiribus mediolanensis imperij, partũ Gabrie-
 li mariæ filio extra matrimonium suscepto, testamento
 relinquere. Nec contenti Pisani, ciuitatẽ à Florentino-
 rũ dominatu, remouisse, oppida insuper pisani agri oc-
 cupare studebãt: quæ omnia ferè, urbis autoritatẽ, quẽ-
 admodũ plerunq; solent, secuta, primis defectiois die-*

bus ipsorum praefectos: Florentinis à principio grauioribus, dum cum rege componūt, dumq; ab eius discessu expectant, ut is publico solenniq; sacramēto obstrictus ei rei prouideret, curis intētis, eis malis sese minimè opponentibus, receperunt: uerū quandoquidē ab eo remedium differri uidebant, missis eò militibus partim ui partim pactione, quæ amiserant, Cascina, Buto & Vicopisano exceptis, quibus in locis suas Pisani uires coegerant, recuperarunt: nec Carolo Pisanorum actiones erant molestæ, quorum causa apud regem multos apertè fautores habebat: quorum alij misericordia, ex opinione quæ iam regis familiarium animos occuparat, Pisanos à Florentinis acerbius fuisse tractatos mouebantur: alij quo se Cardinali Maclouienſi opponerent, qui se Florentinis studere demonstrabat: sed præter ceteros, Belcarius pecunia emptus Pisanorum: quem tamē Cardinalis honores aucti præcipuè urebant: quam ob causam, incipiebat, ut est aulæ mobilitas, eadem ambitione ab eo disſidere, qua cum ut haberet qui cum alios deijceret, antè fouisset: ergo hi tanti regis existimationis & fidei nulla debita ratione, regi suadebant, utilius esse, Florentinos in ea necessitate continere: Pisasq; eo in statu, saltem donec regno neapolitano potitus esset, conseruare: quorum consilijs inductus rex, cum utranq; partem uaria spe sustentare conaretur, Florentinorū oratores dum Romæ ageret, ut coram se Pisanorū querimonias audirent, introduxit: Pisanorum causam egit Burgondius Lollius, ciuis Pisanus, curiæ Romanæ aduocatus: is acerbissimè querebatur, Pisanos per annos octuaginta usq; ad eò iniqua atq; atroci seruitute oppressos fuisse, ut ea ciuitas, quæ quondam nobilissimis uictorijs, in O-

rientem usq; imperium suum extendisset, quæq; Italicas inter urbes potentia & fama in primis uiguisset, nunc crudelitate atq; auaritia Florentinorum, ad extremam sit uastationem redacta: Pisas habitatoribus uacuas esse quòd bona ciuium pars, tam asperum iugum fere nō ualens, eam sponte deseruisset: quorum consiliū prudentis simum fuisse, eorū quos amor patriæ in ea retinuisset, miserias declarasse: qui & acerbis magistratuum exactiōibus, & priuatorū à Florentia insolentib. rapinis, omnibus propemodū fortunis nudati essent: nec ullā iā ipsis superesse uitæ tuendæ rationē, quandoquidē inaudita impietate atq; iniquitate, mercaturā facere, artēq; ullā, præter eas quæ manu & opera fiunt, exercere prohiberētur: omnes Pisanos à publicis muneribus, etiā ijs ad quæ extranei admittūtur, excludi: iam in salutē uitamq; ipsorū scuitiā adhiberi: atq; ut funditus Pisanorū reliquias deleat, aggerrū & fossarū in toto Pisano agrotuendorū procuratiōē, semper à maioribus summa diligētia cōseruatā, intermitti uoluisse: qua re intermissa, fieri non posse, quin, quòd regio tota sit depressa, & stagnantibus immodicè aquis insalubris, quotannis uarijs & grauissimis morbis conflētentur: hac de caussa templa, ædesq; amplissimas, aliāq; nobilissima tum publica tum priuata ædificia, magnificentia atque pulchritudine inestimabili à maioribus extructa, passim corrue-
re: non esse ignominiosum præclaris ciuitatibus, si post multorum annorum curricula, tandem in seruitutē cadāt, cū sit hoc fatale, ut omnia quæ orta sunt, intereāt, & aucta senescāt, atq; mutantur: uerū, nobilitatis & magnitudinis ipsarū memoria, misericordiam potius in eorum qui uicissent, mentibus ingenerare debuisse.

quàm acerbitatē asperitatēq; augere: præsertim uerò, illud unumquenq; secum reputare debere, quòd omnibus & ciuitatibus & imperijs fato quodam euenturū est, id ipsum quoq; aliquando sibi accidere posse, imò necessariò futurum, nihil Pisanis iam reliquū esse, quo se Florentinorum immanitas insatiabilisq; cupiditas ultra possit efferre: iam tot tantasq; calamitates ferri non posse: itaq; cunctos uno animo non modò patriam, uerum etiam uitam ipsam deserere potius constituisse, quàm sub tam iniquum, tamq; impium dominatū reuerti: Regem se cū lacrymis, quas populi Pisani uniuersi ad eius pedes suppliciter proiecti, exuberantissimas esse existimaret, orare recordaretur, quanta pietate ac iustitia libertatem, qua iniustissimè fuerant à Florentinis spoliati, Pisanis restituisset: hoc suum in eos beneficium, quòd tanti principis cōstantia atq; animi magnitudine dignū esset, cōseruaret: uelletq; potius pater & liberator eius ciuitatis appellari, quàm eisdē in tam pestiferam seruitutem coniectis, sese Florentinorum rapacitatis & crudelitatis ministrū præbere. Ad has criminationes, haud minore dicendi ui, Franciscus Soderinus Pontifex Volaterranus, qui postea fuit cardinalis, ex Florētinis oratoribus unus, respondit: Florentinorum in Pisanos ius æquissimum esse, ut qui anno MCCCIII Pisanorū urbem à Gabriele maria Vicecomite, legitimo eius urbis domino, emissent, à quo uix in possessionem adducti à Pisanis ui de possessione fuissent depulsi: idcirco Florētinis necessitate fuisse compulsos, bello sanè diuturno interceptam possessionem recipere conari: cuius belli haud minus felix exitus extitisset, quàm belli gerendi causa: nec minus Florentinorum pietas gloriosa, quàm

uicto-

uictoria: qui cum occasionem habuissent, Pisanos fame iam penè enectos, sic perire sinere, quo eis spiritū iam iam euanescentem, restituerent, cum exercitu in urbem ingressi, maiorem secum uim commeatus inuexerunt, quàm armorum, nullo unquam tempore Pisanam ciuitatem in continenti principatum tenuisse, quin ne Lucam quidem urbem tam propinquā, ut eis pareret obtinere unquam potuisse: itaq; se intra suos angustissimos fines semper inclusam continuisse: maritimam potentiā breuem fuisse: propterea quòd Dei iusta uindicta, ipsorum multis iniurijs & sceleribus prouocati: ciuilibus item discordijs, diuturnisq; inter se odijs, multis antè annis quàm Florentinis uenderetur, iam omni exciderat dignitate, opibus & habitatorib. nūdata, atq; usq; ad eò debilitata, ut Iacobo Appiano ignobili ex agro Pisano scribæ, minimè fuerit difficile Pisanorum dominatū inuadere: eumq; annos complures retētum, pòst filijs suis hæreditarium tradere: nec Florentinos Pisanum dominatum magnifacere, nisi ob situs opportunitatem, marisq; commoditatem: quòd uectigalia quæ illinc extrahabantur, parui essent momenti, exactionesq; ad eò leues, ut impensarum rationem, quæ necessariò fierent, haud multum excederent: quarum tamen maior pars ab externis mercatoribus ad Ligurni portum tuendū, exigeretur: quòd autem ad mercaturam, artes, & reip. munera, non esse Pisanos alijs legibus obstrictos, quàm cæteræ Florentini imperij ciuitates, quæ moderato ac mansueto se gubernari imperio consistentes, dominum mutare (quòd nec ea superbia atq; pertinacia esēt, quæ propria est Pisanorum: nec ea perfidia, quæ in eis ad eò nota est, ut uetustissimo totius Hetruriæ prouerbio ce-

lebretur) minimè cupiebant: quòd si cum primũ Pisana ciuitate potiti sunt Florentini, multi Pisanorum statim urbem sponte deseruerunt, id ab illorum impotente superbia, qua factum est, ut proprijs uiribus & fortunæ seruire noluerint, non culpa Florentinorum esse profectum, qui eos iustissimo ac mansuetissimo imperio rexerant, itaq; tractauerant, ut eis imperantibus, ea ciuitas neq; diuitijs, neq; uiris esset imminuta: quin potius Ligurni portus maximo sumptu recuperatus, sine quo ea urbs omni commodo atq; emolumento nudata remanserat: omniũ præterea artium ac disciplinarã in eam publico introducto studio, alijsq; multis, necnon fossarum atq; aggerũ diligenti procuratione continuata, Florentinos semper eam frequentissimã reddere studuisse. Hæc esse tam manifestè uera, ut fictis & falsis lamentationibus obscurari nõ possent: omnibus meliorẽ sortem desiderare permissum esse, uerũ debere etiã unumquenq; quod cuiq; dedit sors patienter tolerare: alioqui si cuiuis alterius imperio subiecto ad libertatem aspirare licitum sit, omnia dominatus, atq; superiorũ iura peruersti atq; confundi. Florentinos minimè necessarium ducere, in eo elaborare, ut Carolo Christianijs. Francorũ regi, quid eum facere deccat, persuadeant. qui cum rex sapientissimus ac iustissimus sit, se certò scire, eũ uanis querelis & calumnijs à recto se abduci minimè passurum: per seq; quid prius quàm exercitus in urbem Pisanam reciperetur, promississet: quid item Florẽtiæ in tanta celebritate solenniterq; iurasset, in memoriam reuocaturum, cogitaturumq; quò quis potentia ac maiestate maior est, eò ipsi gloriosius esse, ad iustitiam & fidem conseruandam, potentiæ suæ amplitudinem explicare. Ma-

nifestè

manifestè apparebat, à Carolo Pisanos benignioribus aliquanto auribus auditas fuisse: eorumq; beneficio cupuisse, ut quãdiu bellũ neapolitanũ gereretur, ab utraq; parte arma suspenderentur: aut Florentini ut rex pisanam ditionem uniuersam retineret: affirmabatq; quãns primũ Neapoli potitus esset, se quæ Florentinis promississet omnia representaturum: id Florentini, quibus omnia iam regis uerba suspecta erant, constanter recusabant: obnixè ut promissis staret, postulantes: quib. ut se uelle satisfacere ostenderet, re autem uera quo ab eis ante præscriptum tempus auri libras septingentas, quas ex pacto debebant, extorqueret: eodẽ quo Roma discessit tempore, Cardinalem Maclouiensem Florentiã misit: cui rex occultè mandauit, ut Florentinos spe sustentaret, donec aurum extorsisset: quo factò deniq; res eodem in statu sineret: de qua fraude, etsi Florentini haud parum dubitarent, nihilominus ei quadringentas auri libras, quarum dies aduentabat, tradiderũt: quas ubi accepisset, Pisas quasi eius ciuitatis possessionem Florentinis daturus profectus, Florentiã re infecta redijt, excusauitq; Pisanos se tam obstinatos reperisse, ut ipsius auctoritas parui ad eos flectendos ponderis extitisset: cogere uerò eos nõ potuisse, quòd eiusmodi mandatũ à rege non haberet: nec sibi, utpote sacerdoti, fas esse ea consilia capere, è quibus Christianorũ sanguis fundendus esse uideretur: noua tamẽ præsidia, in arcem quam nouã Cittadellam uocant, imposuit: in ueterem etiam impositurus, si Pisani quorũ animi unà cum uiribus quotidie crescebant, assentiri uoluissent: nã Ludouicus Sfortia, existimans maiore præsidio, nec non peritiorè quoquam ac strenuo duce ibi opus esse, Pisas ipse, quanquam

consuetis artibus nomen Genuensium prætexeret, Lucium Maluetiū cum nouis militū copijs immiserat : nec ulla occasione qua Florentinorum molestias fouere posset, præterita: quo eos à Pisanis infestandis magis remoueret, Iacobum Appianū Plombini regulum, Ioannēq; Sabellum cōmunibus cum Senensibus impensis conduxit, ut Senēses maiore animo Montepolitianū, quod oppidum cum recens à Florentinis defecisset, nulla fœderis quod cum Florentinis haberēt, ratione habita, in suam fidē receperant, tuerentur: nec leuioribus Florentini angustijs molestijsq; ab intestinis rebus, cōsuetabantur: qui ut reip. statum ordinarent, simul ac Rex Florentia discesserat, in comitijs, quæ ueteri more populo uniuerso in curiæ campum conuocato, apertis suffragijs de ijs quæ per summum magistratum proposita erant, peragebantur, quandam reip. formā constituerant, quæ popularis status nomine, multis partibus ad paucorum potentiam magis, quàm multitudinis propēdebat: quæ res cum plerisq; qui maiorem animo licentiam conceperant, molesta esset: atq; ad id ipsum priuata alicuius præcipui ciuis ambitio accederet, de reip. forma denuo agendum fuerat: de qua cum certo die principes magistratus, ciuesq; primarij deliberarēt, Paulus Antonius Soderinus ciuis & sapiens & grauis, uerba uti fertur, in hunc modum fecit: Etsi ab ijs qui de Rep. scripserunt, præstantissimi ciues, popularis status minus laudatur, quàm is in quo aut ad unū principē, aut ad optimates omnia referuntur: tamen quoniam desiderium libertatis in hac ciuitate antiquum est, ac penè cum ipsis ciuibus natum: sintq; ciuium nostrorū rationes ad æqualitatem, popularis reip. fundamentum maximè necessarium

rium, accommodatæ: multitudinis imperium omnibus reliquis à nobis anteponendum esse, facile demonstrari posset. Verùm enim uerò ea de re prolixius differere, superuacaneum arbitror, quando quidem in omnibus superiorum dierum consultationibus, semper omnium consensu, decretum est, ut resp. populi nomine atq; auctoritate gubernetur: sententiarum autem uarietas hinc nata est, quod plerique in comitijs, ad eas resp. rationes libenter accesserunt, quibus ciuitas, ante quam eius libertas à Medicea familia opprimeretur, regebatur (quorum de numero me unum esse fateor) existimantes, statum hoc recenti modo constitutum, multis in rebus nomine potius quam re, popularem esse casibusq; qui ab huiusmodi imperijs sæpenumero existunt, perterriti, perfectiorem aliquam formam, per quam ciuium concordia & securitas conseruetur, requirunt: quæ quidem res, nec rationibus, nec documentis superiorum temporis in hac ciuitate sperari potest, nisi in ea resp. forma quæ tota à populi potestate, sed ordine & modo constituta, pendeat: quæ quidem duobus firmissimis fundamentis nititur. Primum ut omnes tam huius ciuitatis, quam reliquæ ditionis magistratus, & munera suis temporibus communi consilio eorum qui nostris legibus, ad resp. gubernacula aditum habent, decernantur: sine cuius consilij auctoritate, nouæ leges ferri non possint: ita ut cum in priuatorum ciuium potestate non sit, neq; cuiusquæ priuæ conspirationis, factionis, dignitates imperiæ distribuere, nemo aliorum cupiditate studioque excludatur: sed ex uirtute & meritis hominum distribuentur: itaq; unūquēq; uirtute, bonis moribus, publicè & priuatim benemerendo, sibi uiam ad honores patefacere

oportebit: abstinere præterea à uitijs, ab inferenda alteri iniuria, ac deniq; ab omnibus ijs quæ in bene institutis ciuitatibus, odiosa molestaq; esse uideantur: neq; in unius paucorum uic potestate erit, siue nouis legibus, siue unius magistratus autoritate, aliam reipub. formam introducere: quoniam nisi semel recepta, comitiorum suffragijs mutari non poterit. Alterum est, ut grauioribus deliberationibus, cuiusmodi sunt de bello & pace, de nouis legibus ponderandis atq; explorandis, ac generatim omnia ad huius ciuitatis atq; imperij administrationem opportuna, à magistratibus ei muneri destinatis, atq; ab consilio ex ciuibus peritissimis ac prudētissimis populi suffragijs selecto & conflato, tractentur: nam quoniam horum cognitio negotiorum, in quemuis minime cadit, ab ijs gerantur oportet, qui earum sunt rerum capaces: quæ res cum non raro celeritatem taciturnitatemq; requirant, de his cum populo agi nõ potest: sed nec ad libertatis conseruationem necessarium est, ut hæ res in magno admodum numero hominum tractentur: securam etenim libertas erit, dummodo magistratuum distributio, legumq; nouarum deliberatio, à consensu multitudinis pendeat. His duobus ritè constitutis, status uerè popularis constabit, iacta libertatis fundamenta, reip. forma laudabilis ac diuturna stabilita erit: nam cõplura alia quæ ad formam qua de agitur, omnibus numeris absolucendam spectant, præstat in aliud tẽpus differre, ne statim initio homines tyrannidis præteritæ recordatione suspensæ, quiq; liberæ ciuitatis consilijs parum assueti, quæ ad libertatis tutelam necessaria sunt, satis peruidere non possunt, perturbentur: quanquam ea eiusmodi sunt, ut citra periculum, in commodius tem-

pus, opportunitatemq; maiorem differri posse uideantur. Hanc autem Reip. descriptionem, indies magis ciues amabunt, & complectentur: usuq; facti ueritatis capaces, expoliri quotidie eum statum, donec ad suā perfectam formam redigatur, optabunt. Interea eis quæ iecimus fundamētis, sustinebitur: quæ quanta felicitate poni constituiq; possint, quantamq; utilitatem sint allatura, non modò rationibus ostendi potest, uerum etiā exemplis. Nam Venetorum resp. quamuis è sola constet nobilitate, nō sunt tamen in ea ciuitate nobiles aliud, quàm priuati ciues, numeroq; tot ac tam diuersis conditionibus, & generibus, ut quin ad popularem statum plurimum accedat, & quin eam nos multis in rebus imitari possimus, negari non possit: at ea resp. hisce duobus fundamētis maximè nixa est, quibus per tot secula libertate simul & ciuili concordia conseruata, ad tantam gloriam & magnitudinem conscendit: quæ res non, ut multi credunt, ab urbis situ profecta est: propterea quòd in eo situ & loco potuerunt esse, ac re uera interdum discordiæ ac seditiones extiterunt, uerum ab reip. forma sic temperata, tantaq; proportione constituta, ut ab ea effectus tam præstantes atq; admirabiles necessariò proficiscantur. Nec minus mouere nos nostra debent exempla, quàm aliena: uerum contrario modo considerata: nam quoniam in nostram ciuitatem nunquā huic similis forma introducta est, ea fuit caussa, quamobrem res nostræ tam crebris mutationibus fuerint obnoxie: ac modò à uiolenta tyrannide conculcate, modò à paucorum ambitiosa auarâq; dissensione laceratæ: tunc ab effrenata multitudinis licētia, quassatæ: ita cum propter quietem ac felicitatē incolarum ciuitates initio fuerint.

ædificatæ, nostræ Reipublicæ fructus, nostræ felicitates, nostra ocia, fuerunt publicationes bonorum, exilia, miserorum ciuium cædes: non est in comitijs forma ab ijs diuersa proposita, quæ alijs tēporibus in hac ciuitate extitere, quæ dissidiorum & calamitatum plena fuerunt: quæq; post infinita tum publica tum priuata mala, tyrannos deniq; nobis pepereret: unde enim nisi ab his causis factum est, ut apud maiores nostros dux Athenarum libertatem opprimeret: post etiam sequentibus temporibus Cosmus Medices eandem oppressam retineret? quod quidem minimè est mirandum: nam ubi magistratum descriptio, legumq; latio, non de communi ciuium quotidiano consensu, sed paucorum arbitrio peraguntur, tunc ciuibus non iam in publicum bonum, sed in suas cupiditates, finesq; priuatos intentis, factiones & partes, quibus adiunctæ sunt totius ciuitatis seditiones, pestes atq; interitus certissimi rerump. imperiorumq; omnium existunt. Quanto igitur maiore prudentia uidebimur præditi, si eas reip. administrandæ rationes suggerimus, quas & ratione & domesticis exemplis, perniciosas esse possumus cognoscere? ad easq; accesserimus, è quibus salus ac felicitas ciuitatis prouenire & rationibus & documentis aliorum, perspicitur? Quippe ueritate impulsus, illud dicam: In hac nostra ciuitate, eum gubernandi modum, in quo pauci autoritate immoderata reimp. gerant, paucorum semper tyrannorum reimp. fore: qui eo erunt uno tyranno perniciosiores, quo perniciēs omnis capitalior ac nocentior est multiplicata, quàm sola: quòd si nihil aliud insit mali, in eo saltem propter opinionum diuersitatem, ambitionem, uariasq; hominum cupiditates, diuturna cōcordia

in eo sperari non potest: discordia uerò omni tempore perniciosissima, in hoc esset perniciosior, in quo ciuem tanta potentia suffultum, proscripsistis: quo tam præstanti uestri imperij parte mutilati estis: in quo Italia externo milite foeta, tota in grauissimis periculis cernitur: rarò equidem, ac fortassis nunquam antea in ciuitatis potestate penitus fuit, seipsam suo arbitrati componere: quæ potestas, quoniam uobis Dei benignitate concessa est, nolite per Deum, uobismet ipsi nocendo, Florentinorumq; prudentiæ famam cum ignominia sempiterna obscurando, occasionem amittere liberi status in ciuitate constituendi: qui nò modò uos beatos faciat, sed cuius perpetuitatem uobis polliceri possitis: atq; ita uestris liberis ac nepotibus eum thesaurum, eamq; felicitatem relinquere, quam nec uos, nec maiores uestri, aut possederunt unquam, aut cognouerunt. Hæc Pauli Antonij uerba fuerunt: uerum enim uerò, Guidantionius Vespucius, clarissimus iuriscōsultus, uir ingenio ac dexterritate singulari, ad ea huiusmodi orationem habuit: Si resp. eo modo, qui à Paulo Antonio Soderino propositus est, præstantissimi ciues, optatos fructus tanta facilitate ederet, quanta de scribuntur, palato admodum corrupto is esset, qui alium in patria nostra reip. statum desideraret: perniciosus ciuis esset, qui eam reipub. descriptionem non adamaret, in qua uirtutes, merita, hominum dignitas, præter cetera omnia, præmijs & honoribus afficerentur: uerum equidem uidere nequeo, qui fieri queat, ut ea resp. quæ in multitudinis potestate penitus sit posita, tot tantisq; bonis circumfluere redundareq; possit: nam satis constat, quod & ratio docet, & usus demonstrat, & sapientum autoritas confirmat, in

tanta multitudine talem prudentiam, talem usum, talẽ ordinem minime inueniri, quibus nobis polliceri ualeamus, sapientes ignaris, bonos malis, rerum usu peritos, ijs qui negotia nunquam tractarunt, antepositum iri: quippe ut ab iudice rudi & imperito, recta iudicia expectari nequeunt, sic à multitudine confusa et imperita consilium sententiæ prudentia et ratione munita, nisi fortè casu, sperari nullo modo potest: & nos, quod à uiris sapientibus nullisq; alijs negotijs intentis, uix dijudicari atq; explicari potest, id ab ignara atque imperita turba, ex tanta ingeniorum, generum, morum uarietate conflata, suisq; priuatis negotijs tantum intenta, distinguere & cognosci posse, credemus? Accedit his immoderata de se cuiusq; opinio, qua nemo non ad honorum cupiditatem excitabitur: nec honestis libertatis fructibus in populari administratione erunt contenti, sed ad primos honorum gradus omnes aspirabunt: uolentq; in rerum grauiorum ea difficilium deliberationibus locum habere: cuius rei ea est causa, quòd minus apud nos quàm in ulla alia ciuitate illa animi moderatio, qua prudentiori ac præstantiori ceditur, locum habet. Itaq; persuasi, iure omnes in omnibus æquales esse debere, honorũ gradus qui uirtuti, ac meritis debentur, cum in multitudinis erunt potestate, confundentur: istaq; in maiorem partem cupiditas diffusa, eos armabit potentia, qui aut sapient minus, aut minus erunt digni: nam cum numero uincant, plus etiam in ea rep. in qua sententiæ numerantur, non appenduntur, poterunt. Quamobrem quis hoc præstabit, ut contenti ea forma quam uos hoc tempore introducetis, nouis inuentis, legibusq; nulla prudentia constitutis, quibus homines sapientes resistere ne-

qui-

quibunt, modos reip. gubernandæ sapienter excogitatos, non sint breui perturbaturi? quæ res cum semper, in huiusmodi rep. sunt periculosæ, tū uerò maximè hoc ipso tempore: cum ea sit hominum natura, ut uio extremo, in quo nolentes detenti fuerunt, declinato: in aliud extremum medio præteruecto, sine cunctatione uolentes decurrant. Sic qui è tyrannide sunt elapsi, sese nisi retineantur, in effrenatam licentiã præcipitant: quæ quidem & ipsa iure tyrannis potest appellari: nam & populus, cum indignis dat, quod adimit dignis: cū gradus, & merita ciuium confundit, tyrāno est similis: cuius tyrannis cò fortè perniciosior est, quo periculosior ignorantia, quæ nec pondus, nec mensuram, nec legè habet, quàm malitia: quæ tamen ipsa aliqua regula, aliquo fræno, aliquo tergimino gubernatur. neq; uos Venetorum exemplum moueat, apud quos & situs momenti aliquid habet: & reip. institutio inueterata plurimū ualet: estq; ita composita, ut rerum grauium deliberationes, pence paucos sint potius, quàm multos: adde illorum ingenia quæ cum nō sint fortè eo acumine prædita quo sunt nostra, multo sunt pacatiora, ac faciliora: nec illis duobus tantum, quæ proposita sunt, fundamentis Veneti nituntur, uerum ad perfectionem & stabilitatē eorum plurimum refert, eos perpetuum ducem aliaq; instituta complura habere: quæ si quis in hanc ciuitatem uellet inducere, innumeros qui repugnarent inueniret: propterea quòd nō nunc primū exoritur ciuitas nostra: neq; modò pristinā institutionē capit: idcirco inueterata cōsuetudine sepe numero cōmuni utilitati repugnāte, necnon hominib. ne conseruandæ libertatis prætextu, noua tyrānis quærat, suspicantibus, haud sanè multum prodesse

sana consilia possunt: ut corpori malè affecto, et noxijs humoribus redundantì, medicinæ non tantum profunt, quantum euacuato ac purgato: quibus de causis, atque etiam ob rerum humanarum conditionē, in peius semper ferè uergentium, magis timendū est, ne quod in hoc principio minus perfectè erit constitutum, tēporis progressu penitus perturbetur, ac dissoluatur: quā sperandum, ut aut tempore aut occasione perficiatur. Quid? an non domesticis exemplis abundamus, sic ut minimè aliunde sint petenda? quando enim Reip. gubernacula penes populum penitus fuerunt, quin ciuitas illico plena discordijs tota sit conuulsa, & status mutatio consecuta? Quòd si etiam aliorum exempla intueri libet, cur non in memoriam reuocamus, populi illam absolutam potestatem, tot tantosq; in urbe Roma motus excitasse: ut nisi scientia & uirtus militaris obstitisset, illius reipub. uita breuis esset futura? cur item non recordamur Athenas florentissimam ac potentissimam ciuitatē, nulla alia de causa imperium amisisse, inq; suorum ciuium atq; externorum seruitutem incidisse, quàm quòd res magnæ & graues multitudinis arbitrio decerneretur? Illud autem uidere nequeo, qua ratione dici queat, in ea reip. forma quæ in publico ciuium concilio proposita est, libertatem integram minimè reperiri, propterea, quòd omnia ad magistratuum auctoritatem referantur: qui quidem perpetui non sunt, sed temporibus commutantur: nec paucorum suffragijs creati, sed à multis cōprobatì, sortis arbitrio, ex ueteri ciuitatis consuetudine relinquuntur. Itaq; qui possunt aut factione aut ciuium propria libidine distribui? Illud quidem certius nobis persuadere poterimus, res grauiores, à prudentioribus peri-

peritioribus & grauioribus expensum ac tractatū iri: qui eas alio modo, alia taciturnitate ac grauitate gubernetabunt, quàm populus harum rerum planè rudis & imperitus, atq; ubi minus est opus, sæpenumero profusus: ubi autem res ipsa largitatem poscit, usq; adeò tenax, ut dum minimis parcere uult, in maximos sumptus, grauis simaq; pericula incurrat. Grauisissimus est, ut Paulus Antonius dixit, Italiae morbus, ac nostræ potissimum patriæ: quamobrem, quæ esset imprudētia, cum medici doctiores ac peritiores requiruntur, ijs se committere, qui minore eius artis scientia, usuq; sunt præditi? Postremò illud est tenendum, uos populum longè pacatiorem facilioremq; ad salutaria sibi consilia, atq; ad cōmune bonum amplectendum habituros: si ei in reip. moderatiū locum, auctoritatemq; attribueritis: nam si eius arbitrio & potestati omnia iubeeceritis, uerendum erit, ne insolentior, ac difficilior, atq; ad uestrorum sapientum bonorumq; ciuium consilia, contumacior fiat. In eo consilio in quo non ita magnus ciuium erat numerus, ea sententia quæ Reip. descriptionem non tam popularem et laxam probabat, obtinuisset, si hominum deliberationibus, diuina auctoritas, Hieronymi Sauonarolæ Ferrariēsis, ex ea sodalitate, quæ Prædicatorum appellatur, ore non interuenisset. Hic cum iam annos complures Florētiæ rerum diuinarum interpret extitisset, atq; ad singularem doctrinam, sanctimonie famam celeberrimā adiunxisset, sibi apud maiorem populi partē uatis nomen atq; auctoritatem uendicarat. Nam quo tempore in Italia nullum nisi summæ tranquillitatis signum apparebat, pro concione sæpenumero prædixerat, externos exercitus in Italiam tãto cum mortalium terrore, uen-

turos, ut nulli muri, nullæ armatorum copiæ eorū furo-
 ri pares essent futura: afferebatq; se hæc atq; alia multa
 quæ quotidie prædicebat, neq; humana cōiectura, neq;
 ex cuiusquã scriptoris scientia, sed Dei solius instiuctu
 atq; afflatu prænunciare: quin etiã de reip. Florētina cō-
 mutatione aliquid innuerat: atq; hoc eodē tempore eã
 libertatis rationem in comitijs ciuitatis agitatum, palã
 detestabatur: affirmãs Dei esse uoluntatē, ut talis forma
 reip. constitueretur, quæ prorsus et absolutè esset popu-
 laris: ne unquã in paucorum ciuium esset potestate, uel
 securitatem aliorum, uel libertatem labefacturæ. Itaq;
 cum ad multorum desiderium, tanti nominis autoritas
 accessisset, qui secus sentiebãt, tantæ animorum inclina-
 tioni, reluctari nequiuerunt: idcirco ea re multũ diuq;
 deliberata, & agitata, tandem in eam sententiam itum-
 est, ut ex omnib. ciuibus, nõ quidem (ut in multis Italiae
 locis fuit diuulgatum) ex plebis fece, sed ex ijs tantum,
 quibus, antiquis ciuitatis legibus, aditus ad remp. cõce-
 ditur, consiliũ constitueretur: cuius cõsiliij ea modò po-
 testas esset, ciuitatis atq; imperij Florentini magistratus
 omnes creare: pecuniæ cogendæ decreta, legesq; à ma-
 gistratibus, & selectioribus consilijs constituta confir-
 mare. Vt ciuiliũ autem dissensionum causæ tolleretur
 omnisq; metus ex ciuiũ animis eximeretur, publico de-
 creto Atheniensium uidelicet exemplo sancitũ est, ut ea
 delicta quæ in reip. statum ad eum usq; diem commissa
 fuerant, perpetua obliuione in posterũ abolerentur: his
 iactis fundamentis, resp. forsitan bene composita, & sta-
 bilis fuisset constituta, si eodem tempore ea omnia in-
 troducta fuissent, quæ ad eam diem in hominum prudẽ-
 tium consultationem uenerant: uerũ cum de eis statue-
 re si-

re sine multorum, qui propter rerum præteritarũ memoriam, suspicionum erant pleni, non liceret, decretũ fuit, ut magnum illud consilium tanquam recentis libertatis fundamentum tunc constitueretur: quæ deessent, in temporum opportunitates, & quum publica utilitas usu atq; experientia ab ijs cognosceretur, qui eam rationum inductione cognoscere non poterant, reseruentur. Hoc modo Hetruriæ res laborabãt: interea rex Neapoli potitus, ut uictoriæ fastigium imponeret, in duas res potissimum animum intendebat: una erat, ut duas arces neapolitanæ urbis, quæ Ferdinandi nomine adhuc tenebantur, quarum uni Nouæ, alteri ab Ovo erat nomen, expugnaret: turrim enim quæ sancti Vincẽtij dicitur, ut portus esset propugnaculum extructam, paruo negotio iam obtinuerat: altera ut uniuersum regnũ ad suum imperium reuocaret: quibus in rebus fortuna eandem sibi benignitatem ostentabat: nam & arx noua regum sedes in maris litore posita, quingentorũ Germanorum, qui in præsidio erant, ignauia atq; auaritia, leui facta defensione, ea lege deditioem fecit, ut incolumes, cum ijs quæ ipsi possent exportare, exire permitterentur: qua in arce cum magna uis comæatus esset, Carolus parum futuri sollicitus, cum comæatum quibusdam è suis condonauit: & arx altera, quam diximus nomen ab ovo ducere, scopulo imposta, olim continenti coniuncta fuit: uerũm Luculli opera inde dirempta, ponte angusto cum proximo Neapoli litore, coniungitur: hæc quoq; assiduis tormentorũ ictibus uerberata, quib. etsi muri corona lædebatur, infra coronã tamẽ illæsa perstabat moles, paucos post dies & ipsa cũ Gallo cõuenit, ut si intra octauũ diẽ nemo ferret suppetias,

in regis potestatem concederet: præfectis uerò militum
 ipsisq; militibus in diuersas regni partes missis, obuiam
 aliquot dierum itineribus proceres, & syndici ciuitatũ
 certatim (dum omnes ad Gallos accipiendos primi esse
 uolunt) procedebant, tanta cuiusq; uel propensione uel
 terrore, ut & arcium præfecti pene omnes, eas citra ul-
 lam tergiuersationem dederent: & arx Caietana, om-
 nibus necessarijs rebus instructa, leuiter oppugnata, se
 se hostis misericordiæ cõmendauit: atq; hoc pacto pau-
 corum dierum spacio, regnũ uniuersum, præter Ischiã
 insulam, præterq; Brundusinam & Gallipolitanam in
 Apulia, & Rhegynam in Calabria arces, Carolo urbẽ
 ipsam in extremo Italiæ angulo ex aduerso Siciliæ sitã,
 tenente, mira facilitate in Caroli potestatem uenerunt:
 idem & Trupia & Mantia fecerunt, quæ initio statim
 gallica erexerãt uexilla: uerũ cum rex eas certis suis
 familiaribus donasset, illæ quemuis alium, præter regẽ
 ipsum recusantes, mutata sententia, ad pristinum domi-
 num redierunt: idẽ post fecit ciuitas Brundusina: ad quã
 cum Carolus neminem misisset, quin socordia quadam
 non modò non expeditis, sed uix Syndicis, quos ciuitas
 Neapolim, ut cũ rege transfigerent, miserat, auditis, qui
 Ferdinandi nomine arces tenebãt, spaciũ ciuitatis ad
 Aragoniorũ fidem persuasione reuocandæ habuerunt:
 cuius exemplo, Hydruntinorum ciuitas, quæ gallicum
 nomen conclamauerat, cum nemo ad eam accipiendam
 uenisset, in proposito non perstitit. Ad Carolum omnes
 totius regni proceres ac reguli, Alfonso Daualo Pisca-
 riæ marchione excepto, qui à Ferdinando in arce noua
 relictus, ut Germanorum ad dedendam arcem inclina-
 tionem agnouerat, in Siciliam cum paucis alijs, quorũ
 bona

bona suis donarat Carolus, profugerat: se ut nouum regem reciperent, contulerunt: qui tanti regni possessionem, pactione prorsus stabilire cupiens, prius quam arcem ab Ouo appellatam obtineret, ad se Federicū Aragonium, fide data, uocarat: qui tum quòd in eius patris aula diu egisset, tum quòd regi esset affinitate coniunctus, toti gallicæ nobilitati erat acceptus: cū hoc de pace in hunc modum egit, ut Ferdinando se amplū in Gallia principatum, magnaq; uectigalia daturum polliceretur, si modò is quæ reliqua in regno teneret, relinqueret: ipsi quoq; Federico, pro ijs quæ possideret, maiora repositurum: uerū cum Federico nepotis esset uoluntas comperta, qui nullas omnino condiciones admittere nisi ei Calabria relinqueretur, decreuisset, grauibus respondit uerbis: Quandoquidem Dei, Fortunæ, omniumq; mortalium cōsensione regnum Neapolitanum adeptus esset, Ferdinandum huic diuino consilio nequaquam reluctari in animo habere: nec tanto regi cedere sibi turpe ducere: itaq; se haud minus quàm reliqui, ipsi in eodem regno parere uelle, modo ei pars aliqua regni (Calabriam inuens) concederetur: in qua nō quasi rex, sed tanquam è suis proceribus & clientibus unus, regis Galliæ clementiam animiq; magnitudinem posset colere: in cuius gratiam aliquando se occasionem eam uirtutem declarandi, quam aduersa fortuna in suam ipsius salutem exerere prohibuerat, habiturum speraret: hoc cōsilio nihil gloriosius esse Carolo posse: taleq; esse qualia antiquorum regum fuisse memorantur: qui huiusmodi operibus suum nomen immortalitati consecrarent: diuinosaq; apud mortales erant honores consecuti: neq; minus tutū quàm gloriosum esse: propterea quòd

Ferdinando in suam fidem recepto, regnum esset firmū habiturus: neq; fortunæ ullam commutationem in posterum formidaturus: cuius esset proprium, quotiescunq; uictoria moderatione ac prudentia munita non esset, inopinato aliquo casu gloriam tanta molitione partam inquinare. Verum cum Carolo uideretur, si quam regni partem suo æmulo concederet, reliquum quoq; in apertissimū discrimē uocari, Federicus ab eo re infecta discessit: & Ferdināus cognita arcium deditioe, cum longis nauibus quatuordecim malè instructis, cum quibus Neapoli soluerat, in Siciliam, ut ibi in omnem occasionem intentus esset, in Ischiana arce Inico Daualo Alfonso fratre, uiris uirtute & fide præstantibus, relicto nauigauit. At uerò Carolus, quo eo receptaculo ad regnū instandū peropportuno hostes priuaret, classē quæ tandem in portum Neapolitanum appulerat, eò iussit contendere: uerū cum desertum oppidum reperisset, atq; arcis expugnationem difficillimā esse uideret, ne oppugnare quidem uoluit: quamobrē statuit rex è provincia Narbonensi, Genuaq; alias naues ad Ischiæ oppugnationem atq; ad mare, quod interdū Ferdinandus infestum habebat, tutum præstandū, accersere: sed enim fortunæ, diligentia consiliūq; paria non erant: quòd omnia frigidè admodum negligenter & perturbatè administrarentur: etenim Galli tanto rerum prouentu solito insolentiores facti, grauioribusq; negotijs, fortunæ temeritati permissis, ludis tantum & uoluptatibus intenti erant: qui uerò apud regem plus poterant, unum illud agebant, ut quàm uberrimum possent, fructū, nulla sui principis uel dignitatis uel utilitatis habita ratione ipsi perciperēt. Eo tēpore Gemes Othomānus Neapoli

poli mortè obiit, summa cū Caroli molestia, propterea
 quòd ad bellum, quod in Turcarū imperium animo agi
 tabat, eum hominem maximum atq; aptissimum instru
 mentum fore existimaret: eius mors à Pontifice lento ue
 neno procurata fuisse constanti hominū opinione, cre
 dita est: siue quòd eū inuitus regi concessisset, atq; idcir
 co se libris auri quadringentis, quas quotānis à Baiafe
 te eius fratre acciperet, priuasset, sui doloris remedium
 duceret, ut per quem eo priuatus esset, is ab eodē nullū
 cōmodum perciperet: siue quòd Caroli gloriæ inuide
 ret, metueretq; si fortè aduersus Turcas res ei prosperè
 cederēt, mox suas cogitationes, quēadmodum à multis,
 etsi priuatae utilitatis gratia extimulabatur, ad ecclesiā
 Rom. quæ quòd ab antiquis & moribus & ritibus peni
 tus desciuisset, magis indies Christianæ religionis auto
 ritas imminuebatur, corrigendā conuerteret, omnibus
 certò metuentibus, eam labem in eius pontificatu, mul
 to maiorem futuram: qui pontificatus turpissimis arti
 bus partus, nunquam fortè post hominum memoriā de
 terioribus fuit administratus: nec desuere qui crederent
 (nihil enim tam iniquū est, quod in eius Pontificis scele
 sta natura, nō facile crederetur) Baiafetē cognito regis
 Gallie in Italiam apparatu, per Georgium Bucciardū
 pontificem pecunia corrupisse, ut Gemen uita priuaret
 Verū enim, nihil eius morte Carolus intermittens, quan
 quam alacritate animi, quā prudentia & consilio ma
 iore, de bello Turcis inferendo cogitare, archiepiscopū
 Dyrrhachinū, natione Epirotā, in Greciam misit: qui
 per quosdā exules de aliquo motu in illa prouincia ex
 citando, spem faciebat. At noui atq; inopinati casus, eū
 noua agitare animo consilia coegerunt. Suprà dictum

est, imperij mediolanensis obtinendi cupiditate, Aragoniorumq; ac Petri Medicis, metu Ludouicum Sfortiam adductum esse, ut regis Gallie in Italiam transitum procuraret: cuius aduentu, cum uoti sui compos factus esset, Aragonijq; in tantas angustias compulsi, ut difficulter propriam salutem tueri possent, ob eius oculos nouus metus, priore lōge grauior ac iustior, obuersari cepit: nimirum sibi totiq; Italiae impendens seruitus, siquidem ad regis Gallie potentiam regnum Neapolitanū accederet: eam ob rem, ut Carolus in Hetruria omnia difficiliora inueniret, optauerat, sed cum uidisset eum sibi summa facilitate et Florentinorum Rempub. adiunxisse, & Pontificis conatū elusisse: quodq; nemine repugnante, iam in regnum Neapolitanū penetraret, tanto ei maius indies suum periculum uidebatur, quanto maior ac facilior uictoria Gallorum cursus euadebat. Idem timor animos quoq; Veneti senatus ceperat occupare: qui primum suum propositum constanter secutus ut se à partium studijs integer conseruaret, tanta diligentia se nō modò ne quid faceret, uerumetiam ne ullam significationem daret, unde aliqua suspicio moueretur, eum in alterutram partē magis inclinare, continuerat, ut ad regem Gallie Antonio Lauredano, & Dominico Triuisano legatis, tamen non prius quàm regem Alpes superasse accepisset, decretis, tam diu eos mittere distulerat, ut rex Florentiam prius esset ingressus, quàm illi ad eum peruenissent: cōspecto post tantæ felicitatis cursu, regemq; fulminis in modum nemine resistente uersam percurrere Italiam, aliena detrimenta propria pericula ducere cepit: timereq; ne aliorum exitio suum quoq; adiungeretur: præsertim uerò, quòd Carolus Pi-

fas, aliaq; Florentinorum munita loca occupasset: Senis præsijs imposuisset: idem in Pötificis ditone fecisset, argumentum esse uidebatur, eum præter regnum neapolitanum, aliud animo agitare: his de causis factū est, ut Ludouici Sfortiæ suasionib. faciles aures præberet: qui simul ac uidit Carolo cedere Florentinos, Venetos hortari, ut unà secum communibus periculis occurrerēt, cœperat: crediturq; si uel in Latio, uel in regni neapolitani sinibus Carolo aliqua difficultas obiecta fuisset hosce arma in eū sumpturos: sed uictoriæ celeritas, quæ ad eam impediendam comparabantur, omnia irrita fecit: & Carolus, cui Ludouici actiones iam essent suspectæ, Ioannem Iacobum Triultium cū centum cataphraetis, atq; honorifico stipendio conduxerat: multis præterea promissis Fregosium Cardinalem Obiectumq; Eliscū in suas partes pellexerat: hos quasi idonea ualidaq; ad Genuensium res commouendas, instrumenta: illum, quod Guelforum factionis Mediolani princeps esset, animum ab Ludouico alienissimum gereret: his accedit quòd Tarentinum principatum rex ei tradere recusabat: ea, ut ille aiebat, de caussa, quòd nisi toto regno in suam potestatem reducto, minimè esset obstrictus: quæ res cū Ludouico essent molestissimæ, naues longas duodecim, quæ Genuæ armabantur, retineri iussit: ac ne uel le naues regis nomine instruerentur, edixit: hinc factū esse, questus est rex, quominus Aenariæ, quæ nūc Ischia dicitur, denuo expugnationem maiore apparatu teneret. Gliscentibus igitur ab omni parte suspicionibus, atq; odijs, tamq; repentina de regno neapolitano uictoria Veneto Senatui, Sfortiæq; maius ac propinquius periculum ostentante, nihil ultra differre, sed consilia

sua exequi sunt compulsi: quod quidē ut maiore animo
 aggredierentur, sociorum potentia faciebat: ad id enim
 haud minus pontifex Gallorum territus armis, Caesarq;
 Maximilianus erant animati: qui cum ob multas odij in
 Gallicum nomen causas, tum propter grauissimas à Ca
 rolo acceptas iniurias, omni tempore plus quā ceteris
 omnibus res secundæ Gallorum molestissimæ fuerunt.
 In Ferdinando autem atq; Isabella Hispaniæ regum, rei
 bene gerendæ firmamentum maioremq; spem Veneti
 Ludouicusq; collocabāt: qui cum paulò antè nulla aliæ
 de causa, quā ut Ruscimonis comitatum reciperent,
 se ei ad regnum neapolitanum subigendum, nullo impe
 dimento futuros obligasset, ad id tempus liberā sibi con
 traria moliendū, facultatem callidè reseruarant: nam (si
 quidem uerum est, quod ipsi diuulgauerunt) in eius resti
 tutionis capitibus ea exceptio adiecta fuit: ne ulla re te
 neri intelligerentur, qua Pontificis iuribus aliquo mo
 do derogaretur: ex quo inferebant, si à Pontifice sui iu
 ris tuendi causa ad regnum neapolitanum defendendū,
 appellarentur, in ipsorum esse potestate, id fide integra
 promissisq; facere. Post etiam illud adiunxerunt, eiusdē
 pactiois uerbis uetari ipsos sese Carolo opponere, ea
 lege, si regnum illud ad Carolū iure spectare constaret.
 Verū enim uerò cuiusque modi hæc sint, certum est, eos
 eum primū illas terras recepissent, non modò spes
 Aragoniorum fouere cœpisse, auxilia promittere: Pō
 tifici ne eorum causam desereret, occultè instaret: uerū
 etiam ab initio regem Galliæ lenibus uerbis, quasi eius
 gloriæ studiosi, studioq; religionis incitati, fuisse horta
 tos, arma potius in religionis hostes, quā in eius cult
 tores conuerteret: quod quidem facere non desiterunt,

sed maiore vi, uerbisq; ad suspicionem mouendā aptioribus, quo magis ea expeditio procedebat: quæ quo maiorem haberent auctoritatem, quoq; Pontificis atq; Aragoniorum spes magis sustentarent (nihilominus tamen ex aduerso rumore dissipato, se tantum de custodienda Sicilia cogitare) classē comparabant, quæ post captā Neapolim, in Siciliam appulsa est: quanquam apparatus ostentatione, ut moris est illorum, maiore quam re, utpote quæ octingentos tantum hastatos equites (quos Giannettarios ab haste cuiusdam forma nominant) militemq; pedites Hispanos aduexerit. His simulationibus egerant illi, donec Ostia à Columnijs occupata, minæq; Gallorum in Pontificem, eis honestiorē id quod animo conceperant, emittendi occasionem dederunt: quam illico amplexi, per Antonium Fonseca ipsorum legatū regi apertè dum Florentiæ esset, denunciarunt, se Pontificis regniq; neapolitani, quod Pontificis Rom. iuris esset, patrocinium pro Christianorum principum officio, suscepturos: qui cum iam cum Venetis Mediolanensiumq; duce, de fœdere agere cœpissent, cognita Aragoniorum fuga, eis ut pro communi in Gallos tutela, secūs facerent, uehementer instabant. Itaq; tandem mense Aprili Venetijs, ubi horum principum omnium erant legati, fœdus inter Pōtificem, regem Romanorum, reges Hispaniæ, Venetum senatum, ac Mediolanensium ducē percussum est: specie quidem ac nomine ad eommunē sociorum defensionem, loco eis qui adiungi uellent, idoneis conditionibus, relicto: uerū cunctis existimantibus faciendum esse, ut ne Rex Galliæ regnum Neapolitanū teneret, occultioribus cōsilijs decretum fuit, ut Hispani milites qui in Siciliam uenerant, Ferdinandum Arago-

nium, qui magna populorum uoluntatis spe adductus, in Calabriam ingredi tentabat, ad regnum recuperandum iuuarent: utq; eodem tempore Veneti classe, maritima inuaderent loca: conaretur dux Mediolani, quo si fortè ex Gallia noua subsidia uenirent, ea impedire posset, Astam urbem, in qua exiguo cum præsidio, Aurelianus dux remanserat, occupare: Regibus autem Romanorum, Hispaniæq; regum pecuniæ summa à socijs, ut ualido exercitu in regnum Galliæ arma mouerent, contribueretur. Cupiuerūt præterea idem socij uniuersam Italiam in idem fœdus consentire, eamq; ob rem Florentinos ducemq; Ferrariæ in societatem pertrahere uehementer institerunt: negauit dux antequàm fœdus inuulgaretur inuitatus, se arma in regē Galliæ sumpturum: cæterum, Italico astu, ut Alfonso, maximus natus filius, stipendia Mediolanensium ducis, ipsi centum quinquaginta cataphractis legati eius copiarum nomine attributis, faceret, permisit. Diuersa erat Florentinorū causa, qui & ad societatem magnis promissis erant inuitati, & causas iustissimas habebant ab rege discedēdi: quibus statim fœdere promulgato, Ludouicus Sfortia sociorum omnium nomine, siquidem fœderi se uellent adiungere, totis uiribus ipsis affuturos, si rediens Neapoli Carolus, eos lædere tentaret, repromisit: daturusq; operam, ut primo quoq; tempore, Pisas Ligurnumq; recuperarent. Rex præterea, spretis quæ Florentiæ fecerat, promissis, nec initio eos in oppidorum possessionē reducerat, nec Neapoli potitus arces restituerat: fide ac iureiurando, eorum consilio posthabitis, qui Pisanorū causæ studētes, Florentinos simul ac sua recepissent, cū reliquis Italiæ principibus consensuros affirmabant: qui-

quibus Maclouienſis Cardinalis (eſi magnam pecuniæ ſum accepiffet) frigidè, ne ipſorum cauſſa, cum reliquis aulæ proceribus in contentionē ueniret, reſiſtebat. Neque in eo tantum, ſed multis alijs in rebus quoq; rex, ſe nec fidem magnificere, nec quantum Florentinorū amicitia eo tempore ipſi prodeſſe poſſet, cogitare, demōſtrauit, uſq; adeò, ut oratoribus ipſorum apud ſe de Mōtiſpolitiani deſectione querentibus ſagitantibusq;, uti, quemadmodum tenebatur, Senenſes ad eius reſtitutionē adigeret, ſubridens reſponderit: Quid ego facerem, ſi ueſtri homines, à uobis aſperius tractati, deſiciūt? His tamen omnibus ſpretis, Florentini, rati maiorē ſuæ utilitatis habendam eſſe rationem, quàm doloris, foederatorum uocibus minimè auſcultandū eſſe duxerunt: partim ne in regis reditu Gallica in ſe arma denuo prouocarent, exiſtantes ſe facilius ſua ab ijs qui ea tenebāt, poſſe recipere, quàm ab alijs: partim quòd illorum promiſſis parum fiderent, haudquaquā ignari, ſe Venetis, quòd illorum conatibus diuerſis temporibus obuiam iuiſſent, inuiſos eſſe: partim quòd ſatis intelligerent, Ludouicum iam dudum ad Piſanorum dominatum aſpirare. Interea Galli neapolitanis delitijs deliniti atq; enervati, caſuq; magis quàm prudentia recti, ut Aragonios ex paucis locis, quæ adhuc ipſorum nomine tenebātur exigerent (quòd quidem fortunæ aſpirantis flatum ſequentibus, ſacillimum extitiſſet) minimè inſtiterunt. His de cauſis factum eſt, ut in regno neapolitano eorum exiſtimatio ac multo magis etiam gratia paulatim elanguereſceret: nam eſi rex populis ac ciuitatibus ſe facilem ac benignum priuilegijs atq; immunitatibus per totum regnum concedendis, ex quibus quotannis aureorum nu-

nūm ultra ducenta milia percipere poterat, præbuisse
 reliqua tamen regni negotia, eo ordine ac prudentia,
 quam poscebant, nequaquā gerebantur: rex enim à la-
 boribus, atq; à querelis & postulatis hominum audien-
 dis alienus, negociorum pondus omne in suos prorsus
 reiecerat: qui partim ignorantia, partim auaritia, om-
 nia corruerunt: nobilitas nec humanitate, nec premijs
 delinita: aditus ad regem, atq; ad eius familiares, diffi-
 lis, hominum personarumue nulla distinctio, nulla me-
 ritorum, nisi casu, gratia: animi corū qui ab Aragonijs
 erant alieni natura, minime confirmati: in restituendis
 in suum statum regni proceribus, multæ difficultates ac
 dilationes interpositæ: Andicuinæ factionis atq; aliorū
 primæ nobilitatis hominum, quos senior Ferdinandus
 eiecerat, bona ijs qui ea donis, alijsq; inusitatis artibus
 ambirent, condonata: in alios temerè, in alios sine cau-
 sa multa profusa: omnia ferè totius regni munera magi-
 stratusue, & multorum fortunæ Gallis attributa: oppi-
 da & ciuitates, quæ nullum præter reges, dominum a-
 gnoscere consueuerant, magno cum ciuium suorum do-
 lore, maiorem partem Gallis dominis parere iussæ: quæ
 omnia eò molestiora erant omnibus, quo prudentiori-
 bus rectoribusq; institutis, per Aragonios reges erant
 assueti: quantoq; maiora omnia à nouo rege sibi pollice-
 bantur: his accedebat innatus gallicæ genti plenus arro-
 gantiæ spiritus, uictoriæ felicitate inflator atq; turgi-
 dior: quamobrem tantam de se opinionem conceperat
 ut omnes Italos præ se contemnerent, nihiliq; facerent:
 adde in capiendis hospitijs impetum atq; insolentiam,
 tam Neapoli, quam in alijs regni partibus, in quas mili-
 tes erant distributi: qui omnibus in locis, suos hospites
 male

malè multabant: unde fiebat, ut illud quo flagrauerāt omnes ferè mortales, Gallorum desiderium, iam in ardentissimum odium commutatum esset: uicissimq; in odij quod contra Aragonios conceperant locum, Ferdinandi misericordia: eiusdem uirtutis expectatio, quæ passim in animis ferè omnium semper fuerat: eius deniq; diei, quo tanta cum mansuetudine & constantia, quæ Neapolitanos ante suum discessum, erat affatus, memoria, irrepserat: ex quo & urbs ipsa, et totum ferè regnū haud minore desiderio Aragonios reuocandi occasione præstulabuntur, quam paucis diebus antè eorum euerisionem concupierant: quin etiam Alfonso nomen tanto perè inuisum, iam gratis auribus accipiebatur, iustam scueritatem appelliantibus, eam quam, dum rem domesticam regni uiuo patre procuraret, crudelitatem solebant appellare: & quam per multos annos superbiam atq; elationem uocarant, eam animi ueridici sinceritatem nominabant. Ea est uulgi natura, ad plus quàm par sit, sperandum, minusq; quam necesse sit patiendū, propensa: rerum uerò præsentium semper pertæsa: quod quidem regni neapolitani incolarum est maximè proprium, qui inter omnes Italiæ populos inconstantia nouarumq; rerum cupiditatis notantur. Ante nouum Italiæ foedus iam ferè in Galliam quamprimum redire, leuitate magis sua, suorumq; ardenti cupiditate incitatus quàm consilij maturitate, in regno enim innumerabilia grauiaq; principum & regionum negocia inchoata remanebant: necdum uictoria plenè regno nondum penitus subacta, ad fastigiū perducta. Vbi uerò tot principum in se imitum foedus accepit, animo uehementer commotus, cum suis quid in tanto casu agendum esset,

omnibus præsertim uerissimè affirmantibus, multis retro seculis inter Christianos nullam usq; adeò potentem societatem esse confecta, deliberabat: quorum fuit sententia, primo quoq; tempore, illinc esse discedendum: quòd uererentur, ne quo diutius ibi moram traherent, eo maiora fierent impedimenta: fœderatis enim ad maiores apparatus expediendos, tempus præberetur: & iam fama erat, eorum accitu magnas Germanorum copias in Italiam uenturas: iamq; de ipso Casare rumores incalcescebant: idcirco faceret rex, ut ex Gallia recentes copię Astam celeriter contenderent: tum quo illa ciuitas conseruaretur, tum uerò etiam quo dux Mediolani sua tueri cogeret; essentq; ulterius progredi paratæ, si quidem rex sic expedire iudicaret. In eodem quoque consilio decretum fuit, omni adhibito studio, amplissimisq; promissis enitendum esse Pontificem ab illa societate abstrahere, atq; ad regni neapolitani possessionem suo diplomate confirmandam inducere, quam, etsi Romæ se citra tergiversationem concessurum promississet ad eam diem eius confectiõnem, uel cum ea adiunctione ne quid ea concessione de aliorum iure detractum intelligeretur recusarat; nec tamen in tam graui deliberatione, tantisq; curis, res Pisana memoria excidit. nam cum multis de causis cuperet, penes se esse de ea statuere, uereturq; ne sociorum auxilio arx quæ Cittadella dicitur, sibi à Pisanis eriperetur, eò sexcentos pedites Gallos in naues impositos unà cum Pisanorum legatis qui apud se erant, misit: qui ubi Pisas appulerunt, eodè modo affecti quo & reliqui in ea urbe relictì, prædandiq; cupiditate incensi pecunia à Pisanis accepta, cum alijs Pisanorum militibus in castra ad Librafactæ castellum

*stillum, uenerunt: ubi Pisani Lucio Maluetio duce, pau-
 cis ante diebus positis castris, quòd Florentini suarum
 partem copiarum Montempolitianum uersus miserāt,
 audaciores facti, cum posita hostes appropinquare co-
 gnouissent, ante lucem discesserant: sed eò cum hoc Gal-
 lico præsidio denuo reuersi, eam breui expugnarunt:
 nam Florentinorum copiae quæ ut ei præsidio essent re-
 dibant, quo minus id facere possent, Serchio flumine
 quod aquarum inundatione intumuerat sic ut transmit-
 ti non posset, impediabantur: alterum uerò iter, quod
 præter Lucæ mœnia ducit arripere, Lucensium metu,
 qui Pisanorum libertati impensius fauebant, non erant
 ausi: quorum copijs post Librasactã occupatam, Gallis
 qui sibi Librasactã retinuerant, per uniuersum Pisano-
 rum agrum tanquã Florentinorũ hostes manifesti, sub-
 sidio fuerunt: quibus hisce de rebus apud Carolum ex-
 postulantibus, nihil aliud respondebat Carolus, nisi se
 cum primùm in Hetruriam peruenisset, promissa serua-
 turum: hortans, hanc breuem moram sine molestia tole-
 rarent. Verum enim uerò Carolo non ita facilis erat di-
 scessus deliberatio, ut expromptum erat ab eundi deside-
 rium: quòd tantæ eius copiae non erant, ut in duas par-
 tes distractæ, possent sine periculo inuitis sociorum ar-
 mis, eum Astam deducere: & quæ relinquerentur, satis
 essent ad regnum neapolitanum, in tantis motibus, qui
 iam iam imminebant, faciliè tuendum. His angustijs cir-
 cumuētus, ne regnum defensoribus nudatum desereret,
 & de suæ salutis propugnatoribus partem detraheret,
 & ne se in tam manifestum discrimen prorsus conijce-
 ret, ad regni defensionem minora præsidia quàm neces-
 sitas posceret, relinquere coactus fuit. Itaq; Helueticorũ*

dimidias copias cū Gallici peditatus parte, & cataphra-
ctos octingentos, cum circiter quingentis equitibus Ita-
lis, quibus præerant urbis Romæ præfectus, Prosperus
Fabricius Columna, Antonellusq; Sabellus, in regno re-
linquere statuit: qui duces omnes ab eo beneficijs affecti
in illa omnium ferè regni oppidorum ac regionum di-
stributione fuerant, Columnij præsertim: nam Fabricio
Albensem ac Taliacotij ditionē à Virginio Ursino prius
possessam, concesserat: Prospero Traiecti ducatum Fō-
danamq; urbem unā cum multis Caietanæ familiæ ca-
stellis, Montem præterea Fortinum, atq; alia uicina op-
pida, quibus familiam Comitum spoliarat, attribuit. cū
his igitur copijs existimabat si opus foret, eorum regu-
lorū uires coniunctum iri, qui uel propriæ securitatis
caussa, suam magnitudinem optare cogebantur: præser-
tim uerò Salernitani principis à se ad maris præfecturā
restitui, nec minora rex à Bisini.ano principe expecta-
bat. Proregem in toto regno, Gilbertū Mompenseriū
ducem, generis potius claritate (erat enim è regia stirpe
ortus) quàm propria uirtute commēdatum, constituit
alios item duces compluribus regni: locis, quibus singu-
lis oppida prouētusq; donarat, præfecit: inter quos præ-
cipui fuere, Obigninus ab rege Magister equitum crea-
tus, cui Calabriam attribuit: Caietæ, Belcarium impo-
suit, quem etiā magnum ærarij Quæstorē nuncupauit:
Aprutijs Gratianum Guerram, magnæ uirtutis & no-
minis ducem. His omnibus se pecuniam quidem & mili-
tum supplementa subsidio breui missurum spondit
rex: uerum unde in bellum sumptus interea fierēt, nihil
præter regni uectigalia, quorum exactio uacillantibus
iam populorum animis, atq; Aragoniorum memoria
ple-

plerisq; in locis reuiuifcente, reliquit: quippe, Ferdinā-
 dus, quibus diebus rex Neapoli discessum adornabat, in
 Calabriā eis Hispanis qui nauibus in Siciliam uenerāt
 comitatus, descendit: ad quem illico multi eius regionis
 incolæ confluxerunt: nec mora, Rhegyni ei urbē, cuius
 arx in eius fide semper manserat dedidere: atq; per eof-
 dem dies Veneta classis Antonio Grimano, uiro magni
 in ea ciuitate nominis præfecto, apparere cœpit. At, ne
 que his rebus, neq; alijs imminentis defectionis signis
 profectionis consilium aut internissum aut retardatiū
 ulla in parte fuit: quoniam præterquam quod necessita-
 te forsitan impellebatur, incredibili in Galliam redeun-
 di tum rex ipse, tum eius familiares ac ministri omnes
 ardore flagrabāt: quasi eadem fortuna, cuius beneficio
 tantam erant uictoriam adepti, satis ad eam conseruan-
 dam uideretur. Eo tempore Ischiam, Liparamq; regni
 neapolitani (quanuis Siciliae propinqua) mēbra: itemq;
 Rhegyum nuper receptū, atq; in eadē Calabria, Terrā
 nouam unā cum arce, necnon alia per eum tractum lo-
 ca Ferdinandus obtinebat: præterea Brundusium, ubi
 constiterat Federicus, Gallipolis, Mantia, Trupiaq;: pri-
 us tamen quam rex abiret, uaria Pontificem inter & re-
 gem, nec citra concordiae spem agitata fuerunt: de qui-
 bus à Pontifice ad regem, ab eo rursus sancti Dionysij
 cardinalis ad Pontificem reuersus est: ad quem rex quo-
 que Francium Antistem familiarem suum misit: etenim
 rex neap. regni diploma à Pōtifice sibi tradi uehemēter
 cupiebat: Ad hæc ut Pontifex si secū facere nollēt, saltē
 cū hostibus suis ne faceret, seq; Romā quasi amicū reci-
 pere ne recusaret, postulabat: quibus postulatis, quanq̄
 Pontifex initio aures præberet, tamen ut ei fidē haberet

in animum suum inducere nunquā potuit: idcirco cum neq; se à socijs uellet seiungere, neq; ei diploma, quod id nō satis ad gratiæ cum eo reconciliationē pignus firmum arbitrabatur, tradere, reliquis petitionibus uaria impedimenta obijciebat: ad eā uerò qua rex regni neapolitani iura in se transferri uolebat, etsi ea conditione contentus erat, ut saluis aliorum iuribus, id faceret, Pōtiffex respondebat, uelle se prius legitima disceptatione, ad quem spectaret, cognoscere: interea tamen cū in animo haberet ne rex Romā ingrederetur armis prohibere, Venetum senatū, ducēq; Mediolani de auxilijs ad se mittendis appellauit: qui ei mille equites leuis armaturæ, cū duobus peditū millibus submiserunt: receperūtq; se mille alios grauioris armaturæ equites submissuros: quibus subsidijs cum suis uiribus una coniunctis Gallorum potentiæ obuiam iri posse sperabat: sed postea nimis periculosum tam longè ab suis imperijs suas copias abesse rati: necdum totum exercitum destinatum haberent in promptu, parsq; etiam tum in Astensi expeditione distineretur: præterea in memoriā Pontificis perfidiā reuocantes, quodq; Carolo transeunte Ferdinandū cum exercitu euocasset, pauloq; post, eundem abire iussisset, mutato consilio ei ut se in locum aliquem tutū potius reciperet, quàm dum Romā tueri conatur sese tam graui periculo obijciat, præsertim cum etsi Romā rex ingrederetur, illinc è uestigio esset nullo ibidem relicto præsidio, discessurus, suadere cœperunt: quæ res sp̄ regi alicuius cum Pontifice compositionis auxerunt. Neapoli igitur rex uicesima die Maij discessit: uerū quoniam primum solito ritu nomen, et regia insignia nō dum ceperat, paucos antequam proficisceretur dies, so-
len-

leniter maximoq; apparatu ac celebritate in primario urbis templo, de more superiorum regum, ea cum honoribus & iureiurando nouis regibus præstari solitis, accepit, Nomine totius ciuitatis uerba fecit Ioan. Iouianus Pontanus, cuius nomini propter excellentem hominis doctrinã, ciuiles actiões, moresq; clarissimo, haud paruam hæc actio notam inuicit: quippe cum Aragoniæ regū diu scriba princeps, atq; à secretis fuisset, magnæq; apud eosdem autoritatis & gratiæ, Alfonsi etiam in literis præceptor, uisus est, siue ut munus oratoris exple ret, siue quo Gallorum gratiam magis sibi conciliaret, se nimium in illorum regum uituperatione dilatare, à quibus tantis fuerat honoribus affectus: usq; ad eò difficile interdum est eam moderationem, eaq; præcepta tenere & cõseruare, quæ alijs ipse præscripseris: etenim Põtanus magnitudinẽ ingenij, orationisq; facultate omne doctrinæ genus complexus, scriptis etiam de moribus libris, cunctos mortales erudiuerat, atq; ad sui admirationem conuerterat. Carolus igitur discedens secū habuit grauis armaturæ equites, quas Galli lanceas uocant, octingentos: ducentos item è Gallica nobilitate ad regis custodiã delectos: Triultium præterea ipsum, cum grauis pariter armaturæ equitibus centum: Heluetiorum peditum tria millia, Gallorum atq; Vasconum duo millia: mandauit præterea rex, ut in Hetruria sibi Camillus Vitellius eiusq; fratres, cū ducentis & quinquaginta cataphractis præstò essent: utq; triremes Ligurnum uersus procederent. Regem sequebantur sine ulla custodia, præterquàm quòd se nusquam abituros promiserant. Virginius Ursinus & Pitiliani comes, quorum causa, quòd se iniuste captos esse quererentur, primum regio

consilio commissa fuerat: apud quem ita egerant, ut dicerent quo tempore se dederant iam hominibus ab se missis fidem publicam non modo regis ore concessam: uerum etiam in tabulas relatum, regisq; manu subscriptam fuisse: qua de re per suos nuncios qui regis literas expectabant certiores facti, eaq; fide freti, ad primū Nolam Gallorum nuncium, regis insignia extulissent: atq; primo equitum Gallorū præfecto, qui secum paucissimos equites traxerat, claus tradidissent: quibus tamē quadringentis cataphractis muniti, facile resistere eo tempore potuissent. Adhæc ueterem Vrsinæ gentis fidem, quæ cum semper Guelforum patrocinium suscepisset, ipsi natiq; ipsorum, & quicumq; ex ea gente nascituri essent, nomen insigniaq; Gallie regū in animo insculpta atq; impressa haberent: ex quo etiam factum, ut regem tanta alacritate in eorum oppida, quæ in Latio haberent, recepissent: idcirco nec conuenire, nec iustum esse, fide regia, suisq; actionibus propositis, atq; expensis, ut captiui retinerentur. Verū nō minus expedit, Lignini nomine, à cuius militibus Nole capti fuerant, ex aduerso respondebatur, fidem regiam, quamuis inchoatā atque ab rege subscriptam, perfectè tamen concessam intelligi non posse, nisi regio signo obsignata, atq; à libellorum magistris subscripta, eiq; cuius inter sit tradita fuerit: hunc esse in omnibus priuilegijs & publicis monumentis uetustissimum cuiusuis aule morem: idq; in eum finem obseruari, ut si quid ab ore principis, siue curis & negotijs occupati, siue parum de re & negotio edocti fortè eecidisset, corrigi posset: neq; Vrsinos hac fiducia ut se tam exiguo militum numero dederent motos, sed necessitate timoreq; impulsos, quod nec defensionis, nec fugæ

ta regione iam undiq; uictoricibus armis occupata, illa facultas reliqua esset: quod uerò de suis in Gallicum nomen meritis afferebant, id esse falsum: quæ si uel maxime extarent, uel ab alijs prædicarentur, ab ipsis honestius potuisset dissimulari quàm iactari: esse autem cum alijs mortalibus exploratum, eos non sua uoluntate, sed periculi uitandi causa Aragonijs, à quibus dum secunda uterentur fortuna, maximis fuerant beneficijs affecti desertis, oppida regi sua aperuisse. Itaq; cum hostis stipendia facerent, atq; ab Gallico nomine alienissimi, necdum integram fidem accepissent, optimo belli iure captos esse. Hæc aduersus Vrsinos dicebantur: quæ & Lignini potentia, & Columniorum autoritate, à quibus tum ueteri æmulatione, tum factionũ diuersitate aperte oppugnabantur, suffulta, eò rem adduxerant, ut nunquam eorum causa ad exitum perducì potuerit: sed ut regem sequerentur eis fuerat iniunctum: facta tamẽ spe eos cum primùm rex Astam peruenisset, liberatum iri. At Pontifex quanquã, quòd socij Roma discederet suaderent, à reconciliatione haudquaquam alienus cum rege continenter ageret, nihilominus, metu deniq; superante, etsi regi nonnullam spem eius aduentus expectandi præbisset, biduo quàm Romam ingrederetur, purpuratorum collegio, ducentisq; grauis armature, & mille expeditis equitibus, peditum uerò tribus millibus stipatus, idoneoq; in Angelica arce præsidio relicto, Orvietum discessit: Romæ ad regem cum honore et pòps accipiendũ D. Anastasiæ cardinalẽ suo nomine esse iussit, qui ut Angelicam arcẽ uitaret, per Transiberinã regionẽ ingressus, ibi castra posuit: nec in Vaticanũ ipse, quod ei nomine Põtificis deferrebat, diuertere uoluit.

At Pontifex, ubi regē Viterbiū appropinquare cognouit, etsi ei denuo spem fecisset, se cum eo in commodum quempiam Viterbium inter & Oruietum locū conuerturum, Perusiā tamen eo consilio profectus est, ut si rex iter illud teneret, ipse Anconam ueniret, quō inde maris commoditatem secutus, se in locum tutissimum posset recipere: rex nihilominus etsi ei erat iratus, Centūcellanā, hoc est Ciuitatis ueteris, Terracinē semq; arcē Pontifici restituit: Ostiam retinuit, quā discedens in Ruerei cardinalis Ostiensis episcopi potestate reliquit. Inter quoq; per Pontificiam ditionem tenuit pacatē atq; amicē, præter Tuscanellam, quæ quōd primum copiarum agmen accipere recusaret, ui captā, non sine multorum cæde, prædæ militibus fuit. Sex postea dieb. rex Senis sine ulla caussa cōtriuuit: parum nec per se, nec ab Ostiensi Triultioq; admonitus cogitans, quā perniciosum esset ea mora tantum spacij hostibus ad se comparandum, uiresq; coniungendum, præbere: nec idcirco tamē temporis iacturam consiliorum utilitate pensauit: Senis enim actum de arcibus Florentinorum restituendis fuit, quōd rex Neapoli discedens, tanta asseueratione promiserat, totiesq; in itinere confirmauerat: ob quam restitutionem Florentini, præter aureorum numūm triginta millia, quæ de summa Florentiæ regi promissa restabant, ei septuaginta millia se mutuo daturōs pollebantur: adhæc cum eo Franciscum Siccum suorum militum præfectum cum trecentis cataphractis, & duobus millibus peditum Astam usq; dimissuros: ad quod quidē efficiendū, regem qui ei erant à consilijs ferē omnes uehementer hortabantur: mouebat enim eos rei numariæ difficultas, exercitus augendi opportunitas, & regia cū iure-

ture iurando fides: retinere modò Petrasanctam, et Serresanam quasi quoddam instrumentum quo facilius animos Genuensium ad obsequium suū fidemq; conuerteret: sed fata obstabant Italiæ, ut in ea nouarum calamitatum succensa materies remaneret. Ligninus autē iuuenis & imperitus, nisi quod è regis matris sorore natus, & ob id in summa apud regem gratia, siue leuitate quadam motus, siue molestè ferens Florentinos cardinalis Maclouiensis auctoritatem esse secutos, eam restitutionem impediuit; nulla re alia se moueri affirmans, quàm Pisanorum misericordia: quod autem ad Florentinorū auxilia attinet, eis se facile posse carere dicebat, quòd satis essent Gallicæ copiæ ad cunctas Italiæ uires simul coniunctas uerberandas; cum Lignino Pienes regulus faciebat, sperans sibi ab rege Pisanum & Ligurnicum dominatum concessum iri. Actum est etiam Senis de eius ciuitatis administrandæ formæ: nam pleriq; ex populari censorioq; ordine, ad eius ordinis qui à Monte nouo habet nomen, potentiam deprimendam id unum agebāt, ut noua reip. forma introducta, præsidioq; quod ad prætorium Montis noui nomine tenebatur remoto: ibidem gallicum præsidium cui Ligninus præesset, collocaretur: quæ quidem res, quamuis in regio consilio tanquam non diu mansura reijceretur: nihilominus tamen, Ligninus ut qui (etsi frustra) speraret se eius urbis dominatu potiturum, id obtinuit, ut Carolus eius ciuitatis patrociniū certis conditionibus susciperet, seq; eorum quæ possiderent, Montepolitiano excepto, cuius causam dixit se nec Florentinorum nec Senensium nomine uelle suscipere, defensorè fore promitteret. Senes ses uerò, etsi ea de re nihil in compositione expressim

fuerat, Lignino præfecturam, assentiente Carolo detulerunt, eiq; aureorum nummum uiginti millia in annos singulos decreuerunt ea conditione, ut is uicissim in urbe uicarium cum prætoriana cohorte trecentorum militum perpetuò haberet: quam quidem ex ijs qui in gallico exercitu erant, reliquit: horum uanitas consistoriù citò apparuit, propterea quòd nò multo post Nouamòtana factio, armis autoritate recepta, & præsidium urbe deiecit, & Lillanum quem rex ibi legatum suum esse iusserat, dimisit. Sed iam in Gallia togata res uehementer laborabāt, quòd tum à Venetis, tū à Ludouico Sfortia, qui per eos dies mediolanensis imperij diplomata, iuracq; magna cum pompa augusta autoritate suscepèrat: uicissimq; ipse Cæsaris legatis se eius maiestatem conseruaturum sacramento obstrinxerat, magni siebāt apparatus, ad regis in Galliam reditum intercludendum: uel saltem quo Mediolanense regnum, per quod tanto regionum spacio ei erat iter tenendum, à Gallorum iniuria uicq; tuerentur: in eumq; finem suas quisq; recensuerat copias: nouos delectus partim in commune, partim proprios equitum habuerant: & post uarias difficultates tandem Ioannem Bentiuolum communibus stipendijs conductum, in societate unà cum Bononia pertraxerant. Genue quoq; Ludouicus ad eius urbis tutelam triremes decem proprijs sumptibus, quatuor item magnas naues Pontificis, Venetorum, & suis armabat: in id præterea intentus quod ex foedere tenebatur, ut Astam expugnare conaretur, duo milia peditū in Germania conscribi mandauerat: atq; ad Astensem expeditionem Galeaciū Sansseuerinatem cum septingentis cataphractis, & tribus peditum milibus delegarat, uictoria

riæ usq; adeò sua opinione securus, ut homo natura in rebus secundis insolētissimus, Aurelianū ducē ludibrio habens, moneret, ne in posterū ducis mediolanensis appellationem, quā post Philippimariæ Vicecomitis mortem pater eius Carolus assumpserat, usurparet: ne in Italiam nouæ Gallorum copiæ transirent, permetteret: quæ Astæ erant, eas in Galliam redire iuberet: atque ut hæc se facturum atq; seruaturum promitteret, Astam urbē pignoris nomine Galeacio Sansseuerinati traderet: cui rex haud minus posset confidere, quā ipsi, utpote quem superiore anno in Gallia in D. Michaelis sodalitatē atq; ordinem cooptasset: adhæc suas præter modum uires eadem iactantia extollere, sociorum, ut regi in Italia resisterent, prouisionem, regis Romanorū, Hispaniæ ad regnum Galliæ inuadendum apparatus. uerū Aurelianēsem parum huiusmodi mimarū uanitas permouebat: qui simul ac noui fœderis cōsilia perceperat, Astam munire institerat, magnaq; diligētia perfecerat, ut noui milites ex Gallia mitterentur: qui cum ab rege quoq; ad suummet subsidium accerferētur, celeriter Alpes transire incipiebant: quamobrem Aurelianus nihil hostes ueritus, educto ex oppidis milite, in Saluciarum marchionatu oppidum & arcem Valsineriam, quā Antonius maria Sansseuerinus possidebat, cepit: qua re Galeacius, qui prius Castella quædam parua occupauerat cognita, sese cum exercitu Anoniū Mediolanensis imperij Astæ propinquum oppidum, nec se hosti nocere posse sperans, nec ab eo sibi damnum inferri timens, retraxit. Verumenimuerò, Ludouici natura ad res quæ maximos exigent sumptus suscipiendas propensissima, & contrā à sumptibus faciendis uel in summis ne-

cesitatibus alienissima, causam ei, ut suas fortunas omnes in summum discrimē adduceret, præbuit: ctenim stipendiorum paruitate factum erat, ut paucissimi Germanorum militum uenissent: eademq; de causa, qui cū Galeacio erant, paulatim dilaberentur: contraq; Gallorum copiae nouis è Gallia delectibus continenter augebantur: qui quòd ad regi suo suppetias ferendas acciti essent, magna celeritate contendebant: & Aurelianus iam trecentos cataphractos, Heluetiorum tria millia, & totidem Vasconum coegerat: ac quanquā à Carolo ei seridò fuisset iniunctum, ut ab omni expeditione liber, si quando aduocaretur, sibi ut occurreret præstò esset, tamen ut est difficile propria commoda negligere, Nouariæ occupandæ occasionem amplecti decreuit: in quā cum se introducturos eius ciuitatis nobiles duo Opicini quibus inuisus admodum erat Ludouicus, propterea quòd ipsos aliosq; nō paucis Nouarienses fictis criminibus iniquisq; iudicijs, certis aquarum emissarijs agrisq; ut sua prædia quæ ibi apparabāt uberiora atq; ampliora faceret, spoliauerat: itaq; Aurelianus re cum ipsis cōposita, Ludouico Salutarum marchione comitatus, Pado noctu ad Pontemsturiæ, Montisferratensis marchionis oppidum traiecto, à coniuratis ipse cum suis copijs nemine resistente, Nouariam est receptus: unde illico Viueuum usq; suorum equitum parte excurrere iussa, opinio fuit, si cum omnibus copijs celeriter Mediolanū uersus cōtendisset, magnos in urbe motus excitatū iri: nam & Nouariæ amissione nunciata, Mediolanensium animi ad res nouas erecti, & Ludouicus homo haud minus timidus in aduersis, quàm in secundis insolens, ut ferè insolentia cum timiditate coniungi solet, inutilibus la-

cry-

erymis suam ignauiam consternationemq; ostendere: et copię quę cum Galeacio erant, in quibus solis eius erat sita defensio, ab hostibus interclusę, nusquam apparere. Verum, cum nõ semper hostium conditiones offensio nesq; sint ducibus notę, in bellis sæpenumero pulcherrimę occasiones amittuntur: sed ne uerisimile quidẽ uidebatur, principis tanta potętia suffultires, tam subita conuersione posse mutari. Aurelianus, quo rem Nouariensem stabiliret, ut arcem expugnaret, ibidem constitit: quę quinto oppugnationis die, ni unius diei interuallo subsidio iuuaretur, deditionem fecit: quo temporis spacio, Sanseuerinati facultas prębita est, se Vigeeunum suis cum militibus recipiendi: & Ludouico, qui ut sibi uulgi animos reconciliaret, uestigalia pleraq; nuprimposita pręconis uoce susstulerat, suas copias augendi: Aurelianus tamen admotis ad Vigeeuni muros copijs, hostem ad pugnam prouocauit: ex quo tãtus inuasit Seuerinates terror, ut oppidũ deserere, Ticinũq; ponte nauibus constrato, transire in animo haberent: at, Sfortianis pugnam detrectantibus, Aurelianus Trecaesium copias reduxit: quo facto Sfortianę res meliore loco esse cęperũt: nam ad eius copias alij subinde equites peditesq; accedebant: quod Veneti, sibi totã ferẽ prouinciam Carolo obuiã eundi relinqui gaudentes, ut Ludouicus partem copiarum quas in parmensem agrũ miserat reuocaret, annuerunt: quibus & ipsi de suis quadringentos equites epirotas adiunxerunt: adeo ut Aureliano ulterius progrediẽdi sit præcisa facultas: cumq; aduũ quingentos equites Vigeeunum usq; procurrere imperasset, & Sfortiani equites ex oppido egressi, in eos impetum fecissent, Aureliani graui accepto detri-

mento, in castra redierunt. Iam Sanseuerinas uiribus superior, Trecastrum copias eduxit, Aurelianoq; copiam pugnandi fecit: ac postremò omnibus collectis copijs quibus præter Italos milites, nuper equites mille, et duo milia peditum Germanorum accesserant, ad Nouariã, in quam Aurelianus cum omnibus se copijs receperat, mille passus castrametatus est. Nouariensis defectionis nũvio, Carolo qui tum Senis erat, stimuli additi, ad iter accelerandum: idcirco, ut quicquid moram iniicere posset, declinaret, cognito, Florentinos præteritis periculis admonitos, ac quòd Petrus Medices regem sequeretur, nihil boni ominantes, etsi Carolum maximis honoribus accipere decreuissent, urbem tamen armis & uiris ad sui tutelam implere, Pisas per Florentinorum dittonem Florentia ad dextram relicta, contendit: cui in oppido Poggibonzio factus est obuiam Hieronymus Sauonarola: qui, ut cõsueuerat, autoritate nomineq; diuino interpositis, eum uerbis efficacissimis, ut sua Florentinis restitueret hortabatur, grauissimè quoq; interminatus, ni quæ tanta ceremonia & religione, manibus etiã Euangelij eodice contacto, & tanquam in Dei cõspectu iureiurãdo promiserat, seruaret, breui deo iudici grauissimas pœnas daturum. Variæ & illic, & die sequenti in Castello florentino, pro sua inconstantia respondit rex: nunc se ubi Pisas uenisset, restitutum promittens, nunc fidem datam in contrarium retorquens: nimirum se, priusquam Florentiæ iurasset, Pisanis promississe suã ipsius libertatẽ conseruaturum: nihilominus tamen Florentinorum oratoribus restitutionis faciebat spem, ubi primùm Pisas peruenisset. Pisis igitur denuò ea res ad regium consilium delata fuit: nam gliscẽte indies magis

& magis apparatus fama, atq; ad Parmam sociorū
 vires conuenire, difficultates per Longobardiam tran-
 seundi, reuocari tamen ad calculos incipiebant: idcirco
 pecunia atq; auxilia per Florentinos oblata, à plerisq;
 desiderabantur: uerū quominus admitterentur, per eos
 dem stetit, per quos etiam Senis reiecta fuerant: qui ita
 differabant ut dicerent, si quid tamen aduersi hostiū in-
 cursu pati cogerentur, siue per Longobardiam iter fa-
 cere prohiberentur, eam ciuitatem in sua potestate esse
 praestare, in quam se possent recipere, quam in Floren-
 timorū manu relinquere: qui eis receptis oppidis, haud
 meliore essent in Gallos fide, quam ceteri Italarum ex-
 titissent: atq; etiam illud addebāt, ad regni neapolitani
 securitatem, Ligurnici portus oppurtunitatem optabi-
 lem esse: si namq; regi consilia de Genuensium statu cō-
 mutando (ut sperandum erat) succederent, cū in sua po-
 testate ab Massiliae portu in Neapolis usq; portum, ma-
 ria omnia habiturum. Poterāt equidem in regis animo
 parum ad saniolem partem eligēdam comparato, hęc
 consilia non nihil: uerū multò efficaciores tum precēs
 tum lacrymæ Pisanorum: qui frequentes cum mulierib.
 & paruulis infantibus, nunc ad regis pedes abijcere,
 nunc cuius aulicorum militumūe minimo se commen-
 dare: planctibus ac miserabili ululatu futuras suas cala-
 mitates, Florentinorum insatiabile odium, extremā pa-
 trie uastitatem deplorare: quæ illud unum quæri & la-
 mentari posset: regem eis libertatem concessisse: se eam
 ipsi conseruaturum promississe: quibus Christianissimi
 regis Gallie uerba firma & rata esse credentibus, ipsis
 occasionem Florentinorum in se odium magis magisq;
 prouocandi atq; inflammandi dedisset: quo ciulatu &

& clamoribus usq; adeò uel turmales equites, ipsosq; sagittarios, ac plerosq; Heluetiorum commouerunt, ut magno numero ac tumultu regem adirent: atq; omnium nomine Salasartes è regijs clientibus unus, uehementer flagitaret, ut honoris sui ipsius causa, pro regni Gallici gloria, & suorum qui singulis horis uitam pro eo parati erant profundere solatio, quiq; ipsi fide meliore, quàm qui Florentinorum pecunia erant corrupti consulebãt ne Pisanos eo beneficio quo ipsemet eos affecerat, spoliaret: quòd si pecuniæ causa, ad tantæ infamiæ consilia se adduci pateretur, aureas singulorum catenas, omneq; argentum potius acciperet, stipendiaq; & pensiones, quas ab eo capiebant, sibi retineret: atq; eò usq; militaris processit impetus, ut sagittariorum gregarius unus, Maclouienfi Cardinali minari sit ausus: & quidam alij insolentioribus uerbis Gyensem tribunum, & Gannarium præsidem acceperint, quos eam restitutionem suadere constabat: itaq; rex tanta suorum uarietate confusus, suspensum negociũ reliquit: tam ab omni certa sententia procul, ut hoc ipso tempore, & Pisanis de more promitteret se nunquam eos in Florentinorum potestatem traditurum, & Florentinorum oratoribus qui Lucæ præstolabantur significaret, quod in præsentia iustis de causis non faciebat, id simulac Astam peruenisset, se esse facturum: quocirca ne id agere prætermitterent, ut eorum ciuitas eò suos legatos ire iuberet. Pisis discessit arcis præfecto mutato, & præsidio opportuno in arce quæ Citadella dicitur, relicto: idem in aliorum oppidorum arcibus fecit: cumq; incredibili Genua potiundi cupiditate per se arderet, & ab Rouereo Cardinali, à Fregosio, & Obiecto Flisco, atq; alijs exulibus qui ei faci-

hæ commutationis spem faciebant incitaretur, ab Sere-
sana cum eis toto eius consilio tantam exercitus dimi-
nationem improbante, Philippum Brescium Sabaudie
ducis fratrem, cum centum uiginti cataphractis, & pe-
ditibus quingentis, qui recentes è Gallia uenerant mi-
sit, mandauitq; ut Vitelliorum equites, qui quòd retrò
longius abessent, secum esse iam nõ poterant, eos seque-
rentur: utq; alij quidam exules, cum ijs copijs quas eis
Sabaudie dux attribuerat, in occidui litoris oram de-
scensionem facerent: ac deniq; ut classis, in qua reliquæ
erant naues longæ septem, nothæ siue onerariæ magnæ
duæ, totidemq; biremes prædatoriæ, illas Galeones, has
Fustas uocant: quibus omnibus Miolansium præstcerat,
litora radens terrestribus copijs præsidio esset. Iam pri-
mum ægmen Giensi duce Pontremulum uenerat, quæ
ciuitas trecentis auxiliarijs peditibus dimissis, citò dedi-
tionem, Triultio ad id hortante ea lege fecit, ut ne quid
detrimenti hominibus eorumq; fortunis miles inferret:
uerùm irrita fuit ducum fides. Heluetij enim per tumultum
magno impetu ingressi, cunctis habitatoribus ad
internecionem cæsis, oppidum directum incenderunt,
atq; id se facere ulciscendæ iniuriæ caussa differebant.
Nam Gallis Neapolim proficiscētibus, dum per Luni-
gianam iter faciunt, & rixa quædam casu esset exorta,
circiter quadraginta Heluetiæ gentis homines à Pon-
tremulensibus cæsi fuerant. Eodem tempore circa Par-
mam sociorum copiæ intentè admodum colligebantur:
equitum grauis armaturæ duo millia et quingenti, pedi-
tum octo millia, equitū leuis armaturæ ultra duo millia
Epirotæ. maiore ex parte, atq; ex alijs finitimis Græco-
rum nationibus, qui in Italiam à Venetis conducti, pa-

trio nomine omnes Stratiotæ appellantur. Huius exercitus robur, præcipuè in Venetis copijs erat: nam Sfortiana, quòd dux ipse cunctas firè vires suas Nouariam uertisset, uix quartam totius exercitus partè implebāt. Venetorum legionibus, in quibus multi clari nominis ductores militabant, imperabat Gubernatoris generalis nomine Franciscus Gonzaga Mantuæ marchio, admodum adolescēs, sed cuius expectatio, quòd animo magno et gloriæ cupido existimabatur, ætatem superabat: cui legati duo aderāt uiri clarissimi à senatu dati, Lucas Pisanus, & Melchior Triuisianus. Sfortianis eodem gubernatoris appellatione præerat Calatiæ comes, cui Ludouicus multum confidebat, qui militari gloria Roberto Sanscuerino patri suo nequaquam par, cauti potius quàm magnanimi ducis laudem erat consecutus: cū eò erat Franciscus Bernardinus Vicecomes Gibellinæ factionis Mediolani princeps, atq; ob eam causam Ioan. Iacobo Triultio oppositus. Inter hos atq; alios exercitus principes cum disputaretur, an ad Fornouum, siue Forumnouij paruulum uicum, ad mōtis radices situm, locus castris esset capiendus, uisum est cum propter loci angustias, tum (quod postea diuulgarunt) quo hosti facultatem in planiciem descendendi præberent, ad Glareolā tribus ab Fornouo miliaribus statua habere: quæ res primo Gallorum agmini, quòd multo antè reliquū exercitum montem superauerat, apud Fornouum castrametandi locum dedit: reliquæ enim copiæ, diu conuulsi maioribus tormentis hæserant, quòd difficillimè per aspera & confragosa Appennini iuga traherentur: quæ multo difficilior educta essent, nisi Heluetij illius maculæ, quam regio nomini in Pontremulensi clade in-

de in-

de inuissent, delendæ cupidi, ut trāsportarētur humeris suppositis magna alacritate laborassent. Vbi Fornouū prima agmina peruenerunt, Giensis ad Itatorū castra præconem misit, qui regis nomine iter liberum atq; expeditum postularet: diceretq;, regem citra maleficium comæatu æquo precio persoluto, copias suas traducturum, ut sese quàm primum in Galliam reciperet: atque interea aliquot equites, ad speculanda hostium castra, et regionem iussit excurrere: qui in fugā ab equitib. Græcis, quos Franciscus Ganzaga eis obuiam misit, cōiecti sunt: qua occasione si Itatorum acies sese ad castra usq; Gallorum extendissent, creditum est ab eis prima corū agmina facile potuisse fundi: quo factō, reliquæ regis copię ulterius progredi nullo modo potuissent, nec die sequenti eadem occasio, quamuis Giensis periculo cognito, suos in loca editiora contraxerat, præterierat: uerū Itali duces partim situs munitione territi, partim ea agmina firmiora rati, partim etiam ueriti, ne reliquus exercitus in propinquo esset, in eos signa inferre non sunt ausi: illud certè constat, eo die nondum uniuersas Venetorum copias conuenisse: quæ tam serò ad Gla-reolæ castra conuenerant, ut manifestum sit Carolum, ni tam diu Senis, Pisis, alijs in locis citra ullam necessitatem hæssisset, citra impedimentum aut hostilem occursum potuisse transire: qui deniq; cum primo agmine cōiunctus, die proximo ad Fornouum cum omnibus copijs confedit. Nunquam fœderatorum principes, regē tam exiguis copijs iuga Appennini recto itinere superare ausurū crediderant: eamq; ob rem à principio sibi persuaferant, eum maiore exercitus parte Pisis relicta, cū reliquis classe in Galliam reuersurum. Post autem ubi

cognouissent eum terrestre iter tenere, existimarāt, ne ad ipsorum castra propius accederet, per uiam Burgi, quod castellum à Tarri ualle nomen habet, ac montem Centicrucium, asperum ac difficilem, in Derthonensiū fines cogitare, sperans Aurelianum ducem circa Alexādriam sibi obuium futurum. Vbi autem cognitū est, Fornouum rectā contendere, Italorum acies quæ prius cū ducum hortatione, tum hostium paucitatis fama, admodum alacres fuerant hebescere, multumq; de pristino uigore remittere cœperunt: in ipsorum enim animo obuersabatur gallici equitatus robur, Heluetiorum uirtus, quibus Italicus peditatus citra controuersiam lōgē inferior censebatur: ancorum tormentorum expeditus usus, quo maximè homines cū secus cogitarunt, perinouentur, inexpectata Gallorum audacia, qui numero tanto inferiores, tam prope auderent accedere. His cogitationibus etiam animis ducum refrigeratis, quid Giēsis præconi respondendū esset, in consilio disputari cœptum: hinc periculosum admodum uidebatur, in fortunæ temeritatē totius Italiæ statum ponere: illinc in magnā infamiam Italicam militiam uocari, si ullum metū præferrent, quominus gallicis copijs, quæ tanto inferiores numero, in ipsorum oculis transire auderēt, sese opponerent: qua in deliberatione cum uariarent ducū sententiæ, post multam disputationem deniq; decretum est, ut de regis petitione Mediolanum scriberent, id omnino facturi quod illic ab duce atq; oratoribus sociorū inter se consentientibus, decerneretur: interim cum ea res agigaretur, dux et uenetus orator, periculo propiores, in eandem sententiam descenderunt, nimirum hosti abire uolenti, iter minimè intercludendum: sed potius

ut est

ut est in communi prouerbio, Argentum ei pontē esse faciendum; alioqui uerendum esse, ne in desperationem conuersa necessitas, quòd innumeris exemplis demonstrari poterat, uiam sibi multo cum sanguine eorū qui se parum prudenter opponerent, aperiret: at Hispaniæ regum legatus, cupiens absq; suorum regum periculo, fortunæ periculum fieri, uehementer et cum obtestatione institit, ne ullo modo abire permitteretur: neue illius exercitus profligandi occasio dimitteretur: qui si euaderet, Italiam rem in eisdem periculis, atq; adeò maioribus relinqui, quàm prius fuerit: nam cum Astam et Nouariam rex teneret, obsequentes Taurinos, qui hodie Pedemontani uocantur, haberet, Galliæ præpotens atque opulentissimum regnum à tergo, finitimos Heluctios, paratos quanto uellet numero, eius stipendia facere, regem deniq; ipsum autoritate atq; animis auctum cerneant, si sociorū exercitus gallicis copijs tanto superior ei tam abiectè liberum iter permitteret, cum Italiã maiore spiritu inuasurum: quam ob causam suis regibus propemodum necessarium fore, noua consilia institueret: quandoquidem satis animaduertent, Italos aut nolle, aut non audere cum Gallis acie decertare: nihilominus tutiore sententia in eo consilio obtinente, Venetum senatum qui proculdubio idem censuisset, ea de re consulere decreuerunt: uerum frustra iam erat omnis deliberatio: propterea quòd exercitus principes, postquã Mediolanum scripserunt, uix fieri posse, ut in tempore responsum haberent cogitantes, quantaq; ad ignominiam sempiternam turpitudinis nota Italici militiæ inurere tur, si sic Gallos abire sinerent, præcone sine certo responso dimisso, hostem progredientem infestis signis in-

uadere, Venetis legatis, magis tamen Triuisano, quam eius collega assentientibus decreuerūt: adhac Galli insolētia atq; audacia pleni, ut qui cum ad eā diem qui eis occurreret, neminē reperissent, existimabant hostem nequaquā se eis oppositurum: qui si maximē auderet, nullo negotio à se in fugam coniectum iri (tantus erat armorū Italicorū conemptus) tamen cum è monte descēdentes, Italarum castra infinitis tentorijs & papilionibus referta: in tam amplo ac patenti loco, ut Italiæ more, in eo totus exercitus ad pugnam instrui posset, cernerent: cumq; secū hostium numerū tam grandem reputarent, qui nisi pugnare uellent, locū usq; adeò uicinum haud cœpissent, eorū ingentes spiritus elanguescere tāto pere cœperunt, ut pro læto nuncio essent habituri, si modò Itali ipsos ita abire permisissent: atq; id eò magis, quòd cum Carolus Aureliano scripsisset, usq; eò procederet, donec ei occurreret: utq; tertia die Iulij cū quāto maximo posset militum numero Placentiæ esset, atq; is respondisset, se in tempore affuturum: post ab eodē accepit, Sfortianum exercitum ipsi oppositum, in quo noningenti grauis, mille & ducenti leuis armaturæ equites, & peditum quinque millia erant, adeò ualidum esse, ut absq; certissimo periculo, cum præsertim suarum copiarum partem ad Nouariæ atq; Astæ præsidium relinquere cogeret, ulterius progredi nō posset. Itaq; rex ad noua consilia animū uertere cōpulsus, Philippo Arge. nono, qui paucis diebus antè Regis nomine ad senatum uenetum legatus, Venetijs discedēs, Pisano & Triuisano iam ad castrēs legationem destinatis, se datum operā ut regem ad pacē flecteret receperat, mandauit ut ad eosdē legatos præconē cum literis allegaret quibusq;

quibus nunciaret se cum eis pro cōmuni utilitate cupere sermonē conferre: qui & receperunt se insequēti die manē in cōmodum inter utrunq; exercitum locum conuenturos: uerūm Carolus, siue quōd eo in loco cōmeatu destitueretur, siue alia de causa mutata sententia eius congressus exitum minimē sibi expectādum esse duxit. Lucer utranq; castrorum frontē minus quā tria miliaria aberant: atq; in dextra Tari fluminis ripa (tametsi torrens potius quā flumen dicēdus sit) qui in Appēnini iugis ortus, perq; angustā uallem inter geminos colles compressam, aliquousq; delapsus, in patentē Gallia togatae, quā Longobardiā hodie uocant, planiciē emissus in Padum influit, protendebatur. In horū collium dextera, ad usq; fluminis ripam sociorū exercitus tēdibat, in hac parte potius quā in sinistra quā hostis iter facturus erat, de tribunorum consilio constiterat: ne facultas ipsi Parmā uersus flectendi relinqueretur: cui ciuitati propter factionum studia diuersa dux Mediolani nō satis fidebat: atq; eō minus, quōd à Florētinis rex Franciscum Siccum Astam usq; obtinuerat, cuius filia in nobilem, atq; in toto Parmensi tractu potentē Taurellorum familiam nupserat. Erant castra sociorū fossis atq; aggeribus munita, bellicisq; tormentis egregiē instructa: præter quæ, Galli Astā petentes, transmissis ad Fornoum Tero, transire cogebantur, ita ut inter eos flumen tantum interesset. Eam noctem Galli haud mediocri cum molestia peregerunt. Itali enim & ipsi peruigiles, Illyricos equites in castra Gallorum usque excurrere iuebant, qui ad quemuis strepitum excitati ad arma conclamabant: nimbi præterea maximi cum fulguribus, tonitruis, frequentib; usq; & horribilib; ful-

minibus repente ingēti cū fragore exorti, quæ quidem omnia tristè aliquid portendere uidebantur: his Galli magis quàm Itali terreri, non modò quòd montibus atque hostibus septi, eoq; loci essent, ut si quid aduersi eis accideret, spes nulla salutis reliqua esset, in angustias multo maiores erant redacti: & ideo iustiores habebant terroris causam: uerum etiam quia uerisimilius uidebatur, eas celi minas non nisi ob res magnas apparere solitas, eam potius partem innuere, ubi tantæ maiestatis potentiaq; rex uersaretur. Die igitur sexta mensis Iulij primo diluculo Gallicæ copiae flumen transire cœperunt, præmissis tamen ancis machinis quamplurimis, quas primum agmen, cui rex hostes ratus in id primam impressionem facturos, trecentos quinquaginta cataphractos, centum item alios quos Triuictius ductare consueuerat, Helueticorum præterea tria milia illius exercitus neruumq; spemq; adiunxerat, pariter sequebatur: cum his Engilbertus ducis Cleuensis frater, Diuionensisq; præfectus, qui Helueticos adduxerat, pedites erant: his rex trecentos è Prætorianis suis, quos illi Arcierios uocāt, atq; unā ballistarios equites dimissis equis aliquot, necnon quicquid reliquum erat apud se peditatus adesse iussit. Hæ primi erant agminis acies: has sequebantur in secundo agmine principes, in quorum medio erat rex ipse armis firmissimis undiq; protectus, equo præferoci insidens, & cū eo qui prudentia atq; autoritate eam partem exercitus gubernaret, Tramollia magni in Gallia nominis dux. Nouissimum agmen ducebat Foisseus dignitate comes, quem impedimenta non procul in sequebantur. His in hunc modum constitutis, rex tamen à pacificatione non alienus, eodem tempore quo

castra moueri cœperūt, per Argentonem cum Venetis legatis agere uoluit: sed enim cum propter eius profectiōē, iam totus Italarum exercitus esset in armis, ducesq; pugnam committere omnino statuissent, iam nec tēporis exiguitas, nec exercituū propinquitas, ullū spatiū, ullāmue colloquendi cōmoditatē relinquebant: Et iam undiq; expediti equites concurrere, iam omni ex parte tormenta cum horribili fragore displodi: iamq; Itali è castris suis erumpētes, ad pugnam in fluminis ripa acies explicare: ob id tamen Galli procedere pars in fluminis crepidine, pars quod in angusta planicie ordines explicari non poterant, per collis plagas minimē intermittebant: cumq; legio prima iam eō peruenisset, ut ex aduerso hostium castra spectaret, Mantuanus Italicarum copiarum imperator, cum delecto grauis armaturæ equitum agmine, cumq; firma Græcorum equitum turna, alijs item expeditis equitibus, adiunctis sibi peditum quinq; millibus, flumen post Gallorum postremam legionem traiecit: in altera ripa Antonio Monseltrio, Federici olim Urbini ducis ex non iusta coniuge filio, cum non parua manu, ut signo dato extemplo flumine traiecto, primæ pugnae succederet, relicto: mandauit præterea, ut pugna statim cœpta, pars una expeditorum equitum, et reliqua Græcorum Tarō ad Fornouum transmissio, in Gallorū impedimēta quæ siue militum penuria, siue (ut fama fuit) Triultij callido consilio, sine præsidio prædæ exposita ponē sequebātur, impetum faceret. In alia parte Tarum cum quadringentis cataphractis, in quibus erat Alfōnsi Estensis equitum turma, ipso Alfōnso, ut uoluit pater, absente: Et cū duobus peditū millibus Calatiæ comes transmisit, quo Gal-

lorū primas acies inuaderet, in altera & ipso ripa Annibale Bentiuolo cum ducentis cataphractis, ad subsidium oportunè ferendum, collocato: ubi autem castra Itali habuerant, duæ ualidæ equitum grauis armaturæ turmæ, & pedites mille remanserunt: propterea quòd ueneti legati in omnem euentum subsidium sibi adesse uoluerunt. Vbi autem rex extremum agmen à tanto robore premi, contra quā sibi sui duces persuaserant, est cōspicatus, à tergo primo agmine relicto, extremis ordinibus opem laturus accurrit: tantoq; una cum acie, reliquas medijs agminis turmas anteuertit, ut cū inire pugnam inciperent, ipse in suorū fronte inter primos pugnans inueniretur. Quidā memoriæ tradiderunt, Mantuani copias non sine confusione, propter riparum altitudinem arborumq; & stirpium, & uirgultorū; quibus passim torrentium ripæ uestiuntur, impedimenta, flumen transmississe: addunt alij eiusdem pedites cū iisdē de causis, tum uerò flumine pluuia nocturna aucto, tardius ad pugnam peruenisse: neq; omnes flumen tamen traiecisse. Quicquid sit, certū est, Mantuani aggressionem fuisse admodum grauem, ac præferocem: nec minore impetu ac uirtute Gallos eius impressionem excepisse, turmis ab omni parte permistè in pugnam ruētibus, non militiæ Italiæ more, ut binæ acies inter se committerentur, alteriq; defessæ aut cedere coactæ, altera succederet: nec nisi ad extremum uno ex multis cohortibus agmine facto, in hostem procederent: ita ut sæpenumero prælia, in quibus semper paucissimi cadebant, integrum ferè diem absumerent: ac nō rarò nox ipsa pugnam ancipiti uictoria relicta, dirimeret. Fractis hastis, quarū concursu non pauci cum equitibus equi ab omni parte ceci-

cecidere, res eadem uirtute ferratis clauis, gladijs, atq;
 alijs breuioribus armis geri cœpta: equis haud segnius
 quàm uiri, calcibus, dentibus, ac toto corpore decertā-
 tibus: Italis uirtutem suam initio Mantuani ducis præci-
 puè exemplū imitati, egregiè demonstrantibus: qui ua-
 lidam secum nobilium iuuenum, & lectissimorum equi-
 tum, quas Itali Lanceas Spezzatas appellant (sunt hi mi-
 lites fortissimi extra ordinem stipendia merentes) aciem
 ducens, atq; in omnia pericula intentus, nullum fortissi-
 mi imperatoris munus prætermittebat. Tam ferocè im-
 petum magna uirtute Galli sustinebant: sed tanto maio-
 re numero admodum pressi, iam manifestè non sine re-
 gis sui periculo inclinare incipiebant: apud què nō ma-
 gno interuallo, Borbonius nothus, quamuis strenuè di-
 micans, captus fuit: cuius casu Mantuanus similem suc-
 cessum in regem ipsum, in tantum discrimen impruden-
 ter sine eo præsidio & ordine, quæ tantum principem
 decerēt, adductum, ad eum penetrare cum multis è suis
 totis uiribus nitebatur: aduersus quos rex paucis suorū
 stipatus, magno animo egregiè se magis sud equiq; fero-
 citate, quàm suorum tuebatur: cui in tanto periculo ea
 consilia quæ metu suadente in rebus difficilibus in homi-
 num mentes uenire solent, minimè defuerunt: nimirum
 cum se tantum nō à suis desertū uideret, ad diuina præ-
 sidia conuersus, Dionysio & Martino Gallici regni
 dijs tutelaribus habitis uouit, si se cum exercitu incolu-
 mem in Taurinos educerēt, simul ac trans Alpes rediis-
 set, se ad eorum fana, quorum alterum Lutetiæ Pari-
 siorum, apud Turones alterū, cum maximis donis uen-
 turum: ad hæc anniuersarijs magna cum solennitate ac
 ceremonia sacris, tanti ab eis accepti beneficij memo-

riam celebraturum: quibus uotis nūcupatis, quasi uigore auctus, supra solitas uires, supraq; naturæ habitum, maiore animo pugnam capeſſit. Verūm regis periculo perſpecto, qui ab eo minus aberant procul ita fuerūt inflammati, ut ad regem ſuum ſuis corporibus protegendum conuolantes, Italos reprimerent, donec principū legione regem ſtipare conſucta, quæ retrò manſerat ſuperueniente, aliquot ex ea turmæ, tanto impetu in hoſtium latus impulerunt, ut hoſtium uis non mediocriter infringeret: acceſſit etiam, quòd Rodulphus Gonzaga, Marchioniſ patruus experientiſſimus belli dux, dum ſuos cohortatur, ordinesq; quos perturbari uidebat reſtituit: atq; nunc huc, nunc illuc excurrens egregij ducis munere fungitur, & galeam fortè aperit equeſtri gladio in facie à Gallo uulneratus, ex equo cecidit: cūq; ſui in tanta confuſione ac tumultu, & conſertiſſima ferociſſimorum equorum multitudine eum ſubleuare nequirent: atq; in eum alij ſuper alios uiri equiq; ruerent, conculcatus potius quàm hoſtilibus armis cæſus, uitam amiſit: qui caſus eo certè uiro indignus eſt uiſus: nam in conſultationibus, tum prioris, tum eiufdem diei, imprudentiæ eſſe tantam rem in fortunæ arbitrio, abſq; neceſſitate ponere iudicans, aduerſus nepotiſ ſententiā, à pugna committenda abſtinendum eſſe cenſuerat. Ita caſibus diuerſis pugnæ alea commutata, cum nec quicquā ſeſe oſtenderet, quo alteri alteris ſuperiores eſſe uiderentur, utri uictores eſſent futuri minimè cōſtabat: idcirco ſpei q; timoriſq; examine equato incredibili ardore omni ex parte pugnabatur: unoquoq; exiſtimante in ſua dextera ſuaq; uirtute uictoriā repositam eſſe. Gallorum animos regiſ præſentia & periculum accendebat: quòd

quòd non secus apud eam gentem consuetudine inueterata uencrabilis atq; augusta est regis sui maiestas, quã natura illa suprema, numenue diuinum: deinde quòd eo loco essent, ut in sola uictoria sperare salutem possent: Italos uerò incitabant prædæ opimæ cupiditas, sui imperatoris uirtus & exemplum, arridentis initio pugne successus, militum ingens, unde sperare opem possent, numerus: quod sperare Galli non poterant, quoniã eorum acies aut erant omnes in conflictu implicatæ, aut hostis impressionem singulis momentis expectare cogebantur. Verum, maxima est, ut omnes norunt, in rebus humanis omnibus fortunæ potestas: maior in bellicis rebus, sed incredibilis, immensa, infinita in ipso martis cõflictu: ubi si quid temerè factum, si qua uox uel à gregario milite inaniter missa, ea uictoriam ad eos transfert, qui iam uicti uidebantur: ubi repente casus innumerabiles accidunt, quos nec prospicere, nec gubernare consilio duces ullo modo possint. Quapropter in tam ancipiti Marte sui moris nequaquã oblita, id effecit, quod nec dum militum uirtus, nec armorũ uis efficere potuerat: nam cum Græci equites ad impedimenta Gallorum inuadenda emissi, ea citra negocium diripere cœpissent, & alij mulos, alij equos agminales, aliaq; ut fieri solet, trans flumen abducerent, non modò altera Græcorum pars, cui Gallos à latere inuadere iniunctum erat, sed et qui in ipsum certamen erant ingressi, suos cõmilitones præda onustos in sua castra redire cõspicati, prædæ cupiditate incitati, ad impedimenta diripièda & ipsi sunt conuersi: quorum exemplum equiq; peditesq; eadẽ de causa è pugna turmatim discedebant: ex quo, Italis nõ solum suo subsidio destitutis, uerumetiam per fœdant

confusionem numero decertantiũ diminuto, nec se Antonio Monfeltrio commouente, quòd mortuo Rodulfo Gonzaga, cuius erat muneris eum ubi opus esset euocare, à nemine uocaretur, usq; eò procedere Galli sunt aucti, ut nihil iam Italos apertè cedentes, præter Mantuani uirtutem sustineret: qui acerrimè pugnans, hostiũ impetum tamen sustinebat: suos iam exemplo, iam uocibus feruentissimis hortabatur, mallent prius uitæ, quàm honoris iacturam facere: at ut pauci multos sustinerèt, fieri iam non poterat: cumq; omni ex parte pugnautes aucti in eos incumberent, & iam pars cæsi, pars uulnerati essent, præsertim qui cum Mantuano pugnam sustinebant, fugam omnes traiecto iterum Taro capessere coacti sunt: qui cum nocturno imbri, tum diurno, dum pugna committitur cum grandine mugituq; cælesti, usque eò excreuerat, ut multum negocij fecerit ijs qui denno transire cogebantur. Eos magno furore ad flumen usq; Galli passim sternentes, captiuum nullum facientes, prædam lucrumuè susq; deq; facientes, sunt insecuti: illud modò crebrò in clamantes: Redeat uobis in mentem commilitones, Guineguastium. Est autem Guineguastium in Morimis, quorũ hodie regio Picardia uocatur prope Taruannã locus, ubi postremis Aloisij XI annis, Gallorum copie in pugna cum Maximiliano rege Rom. cõmissa, iam propemodũ uictrices, prædandi studio perturbatæ, fusæ fugatæq; sunt. Interea tamen dum in hac exercitus parte tanta uirtute pertinaciq; pugnatur, prima Gallorum acies, in quam Calatinus comes alam equitum unam mouerat, tanto impetu in hostem ferebatur, ut Itali pauore consternati, ordines sua sponte desererent: ita ut iam aliquot ex ipsis trucidatis, inter quos

Ioannes Picininus, & Galeacius Corregius, sese ad maximum suorum agmen manifestè fugientes, reciperent. At Giensis tribunus, præter quas secum haberet Calatini turmas, in ulteriore fluminis ripa alteram equitum grauis armaturæ aciem ad pugnam instructam conspiciatus, suis ut Calatini equites insequerentur, minimè permisit: quod consilium post à plerisque prudens habitum est: ab alijs minus forte, rationem magis quàm euentum considerantibus, abiectum potius quàm prudens: etenim minimè ambigitur, si eos esset insecutus, comitè cum sua manu terga daturum: quo factò, tanto pauore eos qui ultra flumen remanserant, compleuisset, ut retineri quin se fugæ mandarent, nullo modo potuisset. Nam Mantuanus, qui alijs fugientibus cum parte suorū flumen quo potuit ordine restrictus superauit, eos ita dubios atq; attonitos reperit, & de se suisq; rebus intutum collocandis sollicitos, ut iam uia quæ Placentia Parmam ducit, uiris, equis, impedimētis, Parmam se recipientib. referta esset: qui tumultus ex parte ipsius Mantuani præsentia atq; autoritate sedatus fuit: nam milites ad signa coactos, in ordinem redigere insistebat: uerum multo magis Pitiliani aduentus, qui ex pugnae tumultu arrepta occasione, ad Italorum castra peruaserat: ubi cohortando asseuerandoq; hostes maiore in perturbatione consternationeq; uersari, militum animos perturbatos restituit & confirmauit: quod si factum nõ esset, communis fuit omnium sententia, Italorum copias uniuersas, aut eadem hora, aut nocte saltem insequenti, ingenti terrore percussas uasa cõclamaturas. Italis igitur in sua castra reuersis, illis exceptis qui (ut in huiusmodi rebus accidere solet) perturbatione ac tumultu acti,

nec non inflato flumine territi, uagi palantesq; fuga in uaria loca dilapsi, in Gallos totis serè campis sparsis incurrentes, ab eis cæsi fuerant: rex cum suis ad primam sui exercitus phalangem, quæ à sua statione nusquam se dimouerat, accessit: ibiq; cum ducibus deliberauit, an illico flumen quo in suis castris hostem inuaderet, esset traiciendum: quod quidem tum Triultius tum Camillus Vitellius, qui suis equitibus eos qui ad tentandam Genuam profecti erant sequi iussis, ipse cum paucis regem ut pugna interesset, secutus erat, suadebant: quod quidè etiam uehementius Franciscus Siccus faciebat, uia quæ procul cernebatur, uiris equisq; plenã ostendens, quod quidem arguebat, eos aut Parmam uersus fugere, aut in castra ex fuga reuerti. Verùm et flumen superare id demum magni erat laboris: & miles qui partim pugna uerat, partim in acie armatus steterat, adeo erat fessus, ut principum Gallorum consilio decretum fuerit, locus castris caperetur: sicq; ad Medesatum oppidum in colle ab eo loco ubi pugnatum fuerat, circiter mille passus situm, consistere: ubi sine ordine, neq; satis cõmodè, quod impedimentorum bona parte ab hostibus exuti essent, eam noctem egere. Hæc fuit illa inter Italos Gallosq; ad Tarum memorabilis pugna: quod ea fuerit prima, in qua longissimo interuallo in Italia cum strage & sanguine pugnatum sit, ante hanc enim paucissimi in conflictu interibant: hinc autem quãquam ex gallicis copijs uix ducenti, ex Italicis tamen supra trecentos grauis armaturæ equites desiderati, totq; alij, ut tria millia perijissete constat: inter quos Rinuccius Farnesius alæ equitum à Venetis præfectus, multi præterea nobiles & clari uiri: Bernardinus Montonius & ipse in Venetorum exercitu

citu copiarum ductor, claua ferrea percussus, etsi capite galeato, semianimis cecidit, Braccij Montonij aui sui fama, qui inter primos italicae militiae instauratores numeratur, quã propria fortuna aut uirtute clarior: fuitq; Italis ea strages admirationi longè maiori, tum quòd praelium haud ultra horam productum est: tum quòd propria uirtute armisq; utrinq; decertantibus, tormenta uix locum habuere, Victoriã eiusq; diei gloriã utriq; ad se pertrahere conati sunt: Itali, quòd eorum castra atq; impedimenta intacta atq; integra fuisse, cum Galli bonam partem, & in his regis ipsius tentoria amississent: gloriabãtur præterea, se hostes debellaturos fuisse, nisi pars ipsorum ad pugnandũ destinata, prædæ cupiditate à conflictu (quod quidem uerum esse haud abnuebant Galli) abstinuisset: atq; usq; ad eò hanc sibi gloriã adscribere Veneti adnitebãtur, ut in omnibus eius imperij urbib; ac Venetijs præcipuè ipsorũ iussu ignes de more atq; alia lætitiæ signa edita fuerint: nec segnius publicum exemplum priuati sunt secuti: in sepulchro enim Melchioris Triuisani quod est in Franciscinorũ quos Minores uocant, fano, in eius morte uerba illa exarata fuisse, eum ad Tarum flumen cum Carolo rege Francorum prosperè pugnassee: nihilominus tamen omnium ferè mortalium consensus, palmam Gallis adiudicauit, tum ex eorum qui in ea pugna cecidere numero tanto minore, quàm in parte aduersa: tum quòd hostem trans flumen profligauerunt: tum quòd ipsis expeditũ ulterius progrediendi iter, de quo erat contentio, & propter quòd in certamen erat uentum, remansit. In iisdem castris sequentem diem egit rex: quo etiam die per Argentonum cum hostibus aliquod colloquium fuit:

unde inducia usq; ad noctem pactæ fuerunt : hinc enim rex itineris securitatem optabat, utpote qui sciret complures superesse ex Italarum copijs, qui non pugnauerant: quos cum in ijsdem castris manere uideret, tot die rum per Mediolani imperij regiones iter, hoste continenter à tergo imminente, periculosum uidebatur : il- linc præ ingenij imbecillitate certi aliquid statuere ne- sciebat: quod melioribus consilijs repudiatis, sæpenumero in suis deliberationibus facillitabat. Eadem ambigui- tas in Italarum animis uersabatur: qui etsi initio admo- dum territi essent, eò uenerant securitatis, ut uespere e- iusdem quo pugnatum erat die, aliqui fuerint, referen- te ac multum hortante Pitiliano, sermones, de Gallorū qui in loco erāt incommodo, ac minimè munitis castris noctu inuadendis: tamen plerisq; contradicentibus, id consilium tanquam nimis periculosum reiectum fuit. Rumor eodem tempore per totam Italiam peruagatus est, Ludouici Sfortiæ homines, eius occulto mādato pu- gnare noluisse : propterea quòd, cum in ipsius ditione tante essent Venetorum copiae, non minore forsitan ex eorum uictoria metu afficeretur, quàm Gallorum, quos nec uictos, nec uictores esse cuperet : utq; in om- nem euentum esset tutior, uires suas integras conser- uare uoluisse : affirmabatúrque illud ipsum obstitisse, quo minus Italarum exercitus uictoria potiretur: quæ opinio à Mantuano ceterisq; Veneti exercitus præ- fectis, quo sibi maiorem existimationem conciliarent, fomenta capiebat, quam etiam libenter amplecteban- tur ij, qui Italicæ militiæ gloriam augeri cupiebant. Verum audiui ipse ab homine grauißimo, qui tum Mediolani eo gradu erat, ut integram negotiorum no-

titiam haberet, hunc rumorem ualidis rationibus confutari: aiebat is, quod cum Ludouicus uires ferè uniuersas ad obsidendam Nouariam conuertisset, eum tantas copias ad Tarum non habuisse, quæ ad uictoriam consequendam magnum possent momentum afferre: quam sociorum exercitus obtinuisset, nisi ei plus proprii errores nocuissent, quàm quòd maiorem militum numerum non haberent: quum præsertim constet, non omnes uenetas copias in aciem pugnamq; descendisse: quòd si Calatinus unam modò suarum partè copiarum in hostem immisit, eamq; frigidè satis, id ea potuit fieri de caussa, quòd prima Gallorum acies erat adeò firma, ut is rem magni esse periculi cognosceret, si se fortunæ committeret: & in eo homine fortia facta, quam secura, maiorem ut solet, admirationem excitassent: neque tamen Sfortianæ copiae non fuerunt prorsus inutiles: nam etsi minimè pugnarunt, tamen obsistere quo minus Giensis cum sua prima acie, regi qui cum minore debilioreq; exercitus parte suo maximo periculo illius pugnae pondus totum sustinebat, opem ferret. Quid? quod non minus ratione quàm autoritate hæc opinio cõfirmatur? etenim qui uerisimile est, ut, siquidè hoc in Ludouici Sfortie animo fuisset, non potius præfectis & legatis suis mandasset, dissuaderent, ne se Italarum acies ad iter Gallis intercludendum opponerent: cum, si rex uictoria potitus esset, haud magis eius copiae hosti tam propinquæ, etiã si pugnae se minimè miscuissent incolumes, quàm aliorum extitissent: ac, quo cõsilio, qua ratiõ, quo usu rerũ, sibi polliceri poterat, si in certamè uentũ esset, fortunã ita parẽ futurã, ut nec uictus nec uictor rex esset futurus: quoniam & illud extra cõtrouersia est,

contra ipsius nutum minimè Venetos pugnam fuisse cõ
 missuros: quippe qui acies suas in Insubriã nulla alia de
 re miserant, quã ut eius securitatem & salutẽ tueretur.
 Manè ante lucẽ Carolus nullo edito tubæ, ad profectio
 nem occultandam, signo, suas omnes copias eduxit: nec
 eo die est eum sociorum exercitus secutus: qui etsi maxi
 mè uoluisset, aquis fluminis quod receti pluuiã noctu in
 tumuerat impeditus, minimè potuisset: tantũ sole in oc
 casum iam inclinante, nec sine periculo Calatiæ comes
 cum expeditis equitibus ducentis eorũ uestigia est per
 secutus: eisq; in Placentina uia, proximo præsertim die
 admodum infestus fuit: illi nihilo secius, quãuis fessi, suũ
 iter sine ulla confusione tenuerunt: quippe commeatus
 à uicinis oppidis & castellis partim metu, partim Triul
 tij opera, abundè suppeditabatur: qui cum expeditis e
 quitibus in hoc præcurrens, homines nunc mimis, nunc
 sua, quæ apud omnes Insubres erat magna, sed apud
 Guelfos maxima autoritate & gratia, ualde permoue
 bat. Sed nec sociorum copiæ, postridie quã discesserant
 Galli, è suis castris prodeuntes, ita erant animatæ, præ
 sertim Veneti legati, ut sese fortunæ arbitrio iterum uel
 lent committere: nec Gallis tantum appropinquarunt,
 ut uel minimum eis negociũ facerent: quin secundis ca
 stris ad Trebiam non procul ab urbe Placentia castra
 metati, atq; ut commodius haberent, cum ducenti cata
 phracti, itemq; Heluetiorum cohortes, & omnia ferè
 tormenta inter flumen & Placentiam constitissent, sic
 ea nocte fluuius imbribus intumuit, ut uel extrema adhi
 bita diligentia nec pedes, nec eques, nisi post multas diei
 horas, ac ne tum quidem citra magnam, etsi minui cœ
 pisset, difficultatem, flumen superare potuerint, tamen
 nec ab

nec ab hostili exercitu lōgè disito, nec ab Calatino, qui ne motus aliquis ibi fieret metuens, Placentiam erat ingressus, quicquam infestum sensere: cuius metus nequaquam sine causa fuit: nam creditum est, si Carolus Triultij consilium secutus, uexilla explicasset, Francisciq; Ioannis galeacii paruuli filij nomen iussisset inclamare, facile in Insubria mutationem aliquā futuram: adeò eius quem ut uerum dominum agnoscebāt, nomen apud omnes erat gratiosum, tyranni uerò odiosum atq; inuisum, tantiq; Triultij autoritas & gratia momenti: uerū cum rex in id modò intentus esset, ut ultra progrediretur, auribus ab huiuscemodi consilijs auersis, quanta maxima potuit celeritate iter suum cum non parua cōmeatus, primis diebus exceptis, inopia est persecutus: quo enim magis procedebat, eo melioribus præsidijs oppida custodita reperiēbat: quòd Ludouicus Sfortia Dertionam Gaspare Sanseuerino cognomento Fracassā, duce, necnon Alexandriam non paucis equitibus pedibusq; ex Nouariæ castris eductis munierat: cūq; Galli, Trebia superata, Calatinum qui ad suos leuis armaturæ equites, quingentos Germanorum pedites è Placentino præsidio eductos, semper à tergo infestum habuissent (neq; enim ut è castris sibi reliqui equites expediti, atq; unā quadringenti cataphraeti mitterentur, obtinere potuerat, quòd Venetorum legati, periculi in quo ad Tarum uersati erant memores, ei rei assentiri noluerunt) tamen ubi prope Alexandriam accessissent, itimere montes uersus, qua Tanarus minore alueo decurrit, capto, nulla neq; militis, neq; alterius rei iactura facta, octauis castris Astam incolumes peruenerunt: quam in urbem rex ingressus, exercitum foris metari iussit, eo

consilio, ut auctis copijs tandiu in Italia consisteret, donec Nouariam obsidione liberasset: sociorū uerò exercitus qui regem Derthonam usq; secutus erat, cum uideret se ei nocere non posse, cum Sfortianis copijs sese ad Nouariam adgregauit: quæ quidem urbs fame iam incipiebat laborare, propterea quod nec ab Aureliano duce, nec à suis commeatus, quæ par fuerat diligentia, in eam introductus erat: quod quidem facere, in magna regionis ubertate facillimè potuissēt: quin periculi magnitudinem, nisi remedij facultate amissa, minimè expēdentes, quæ in urbe erant, ad uictum opportuna, nullius rei habita ratione, omnia consumpserant. Per eosdem ferè dies, ad Carolum Cardinales & militum præfecti, rebus Genuensibus infeliciter tentatis, redierunt: quoniam regia classis Spedia primo appulsu capta, Rapallum contendit: quem locum etiam citra negocium occupauit: uerum è Genuæ portu octo longarum nauium, unius onerariæ, cum duabus Cantabricis nauibus classis profecta, noctu pedites sexcentos exposuit, qui nullo negotio suburbium Rapalli, cum gallico præsidio cœperunt: moxq; gallicam classē accedentes, eam post longam pugnam cum præfecto captam incendunt: qua uictoria ea loca clariora facta sunt, in quibus superiore anno uicti Aragonij fuerant. Nec fuit hæc iactura ab ijs qui terrestri itinere uenerāt, sarta: nam per litus orientis in Bisamnicā uallem, atq; ad Genuæ suburbia progressi, spe sua quam de tumultu genuensi conceperant, frustrati, nuncioq; de amissa classe accepto, inter montanum asperum sanè ac difficile fugientibus similes tenuerunt: atq; in Pociferam uallem sese, quæ in aduersa urbis est parte, demiserunt: unde quanquam et

agresti

agresti manu, & militib. ab Sabaudia duce subsidio missis aucti, eadem celeritate in Taurinos contenderunt: nec dubium est quin, nisi qui in urbe erant Fregosioris factionem ueriti, se intra moenia cōtinuissent, eos prorsus sudissent fugassentq;. His rebus cognitis, Vitellij qui Clauarum uenerāt tumultuosius, nec sine periculo Serresanam redierunt: sic omnia illius orae oppida ab exulibus capta, præter Spediam, ad Genuensium fidem redierunt. quod etiam in occidentis litore Albintimiliã, quæ urbs iisdem diebus à Paulobaptista Fregosio, atq; à quibusdam alijs exulibus capta fuerat, fecit. Bellum hoc eodem tempore, sed maiore fortunæ ludibrio, haud minus in regno neapolitano, quàm in Longobardia gerebatur: Ferdinandus enim Rhegyo capto, uiciorum locorum recuperationem moliebatur: habebat secum militum circiter sex millia, qui tum ex ipso regno, tum è Sicilia illum sponte sequebantur, equitesq; & pedites Hispanos, quos Hernandus Consaluus ex familia Aguilara, patria Cordubensis, ducebat, uir impiger, & Beticis bellis multum exercitatus: qui cum primùm in Italiam uenit, Hispanica iactantia, Magnus ad supremã ipsius potestatem innuendã est appellatus: post ob præclaras uictorias, omnium ferè consensu ea appellatio ad insignẽ eius uirtutẽ, atq; in re militari scientiã singularẽ declarandã, perpetua mansit. Huic exercitui, à quo nõ exigua eius regionis pars ad res nouas excitata fuerat, obuiã iuit ad Semenariã, propinquũ mari oppidũ, Obgninus cum ijs Gallorũ copijs quæ in Calabria præsidij causa relicta fuerant, cumq; equis & peditibus, quos regni neapolitani reguli, gallica arma secuti, suppeditauerat: quib. in certamen adductis, quantũ miles ueteranus

Et exercitatus à tyrone atq; imperito diflet, apparuit: quippe non modò Itali Siculiq; sine delectu à Ferdinando Aragonio collecti, uerumetiam Hispani tyrones erant, belliq; satis expertes: tamen ferociter aliquandiu pugnatum est: quoniam uirtus atq; autoritas ducũ, qui suo muneri nulla in parte deerant, eos qui alioqui inferiores erant sustentabat: ac præter ceteros Ferdinandus ita rem gerebat, ut eius persona uirtuteq; erat dignum: cumq; eius esset equus interfectus, ibi occisus proculdubio aut captus fuisset, nisi Ioannes Capuanus, Termini ducis frater, qui à puero ipsi ministrauerat, atq; ab eo in ipso ætatis flore uehementer amatus, è suo equo exiliens, in eum, regem insilire fecisset: memorabiliq; eximie fidei atq; amoris exemplo uitam suam, ut domini uitam conseruaret sui, impendit: nam illico fuit interfectus. Consalius per montiũ tramites fugiẽs, Rhegyum, Ferdinandus Palmam, quæ ad mare prope Semenariã sita est, euasit: ubi in classẽ receptus, Messanam nauigauit: hac belli offensione animo ac desiderio fortunam iterum tentandi, aucto: quod non modò intelligeret magno sui desiderio Neapolitanos teneri, uerumetiam à cõpluribus primæ nobilitatis uiris, et bona populi parte occultè uocari: idcirco ueritus ne mora, suiq; in Calabria exercitus profligati fama, hunc suorum ardorem fortè restingueret, collectis, præter eas triremes, quas ab Ischia duxerat, easq; quatuor, quibus pater ipsius Alfonso Neapoli soluerat, nauibus Hispaniæ classis, ac quanto maximo potuit numero, è Sicilia ciuitatibus et regulis, è Messanæ portu, nihil, quòd uiris quib. eas instrueret destitueretur, moratus: utpote qui uiribus ad rẽ tantam destitutus, haud minus specie atq; rerum ostentatione

tatione, quàm rebus ipsis uti cogeretur, soluit. E Sicilia igitur cum sexagenis maioribus, & uicenis minoribus nauibus, cumq; Ricaiensio Catelano Hispanicæ classis præfecto, uiro magnæ in rebus maritimis uirtutis, & peritiæ, uerùm tam paucis ad pugnandum uiris, ut in maiore nauium parte nulli essent, præter eos qui naualibus munijs obeundis erant destinati. In hunc igitur modum paruæ eius erant uires, sed fauor erga eum studiâq; populorum magna: idcirco ubi ad Salernitanum litus naues appulisset, illico Salernitani, Melfiani, & ipsa Caua ciuitas, Aragonia signa extulerunt: biduum deinde classem præter Neapolim circumduxit, expectâs sed frustra, ut in urbe aliquis motus à suis excitaretur: nam Gallis sumptis extemplò armis, præsidijs firmioribus in locis opportunis dispositis, tumultû qui iam effere uescebat represserunt: quin etiam omnibus suis periculis occurrissent, si eorum consilium audacter essent secuti, qui Aragoniorû naues militibus malè instructas coniicientes, Mompenserio, ut milite gallica classe quæ in portu stabat repleta, in hoste incurreret, suadebât. Ferdinandus igitur tertia die spe sua frustratus, in altû quo se in Ischiam reciperet, egit naues: quod Aragoniæ factionis homines conspicati, ratiq; cõiuratione penè detecta, Ferdinãdi causam iam propriam ipsorum factâ, simul coeuntes, necessitatemq; in uirtutem conuertere statuentes, clam ad eum reuocãdum schapham submiserunt, oraruntq; quo negocium facilius procederet, animosq; ijs qui eius causâ uellent, adderet, in continentem aut omnes suas copias, aut partem exponeret. quã obrem denuo Neapolim postridie eius diei quo ad Tarrum pugna commissa est reuersus, classem ad litus ap-

pulit ut ad D. Magdalenaë fanū, quod mille ab urbe passus abest, quā paruus riuus potius quā fluius, Sebetus appellatus, omnib. ignotus, nisi neapolitanorū poetarū carminibus fuisset celebratus, in mare ingreditur, militem exponeret: qua re conspecta Mompenserius, haud minus ad audendum quum erat timendum, quā ad timendum ubi pridie erat audendum promptus, ex urbe cum omnibus ferè suis copijs, ut eius in terram descensum prohiberet, sese effudit: quæ quidem res tantā occasionem oportunitatemq; Neapolitanis rei perficiendæ præbuit, quantā uix optare potuissent: quapropter malleo aneis machinis, quæ nostro more in turribus templorum suspensæ sunt percussis, populus ad arma concitatus, à Carmelitana æde urbis mœnibus uicina, initio factō, quam & reliquæ tota urbe sunt secutæ, moxq; portis occupatis, palām Ferdinandi nomen conclamarunt. Gallos hic repentinus tumultus sic perterrefecit, ut inter urbem iam rebellantem, & inimicū exercitum esse parum tutum rati, neq; eadem qua exierant uia se posse reuerti sperantes, circa urbis muros uia sanè longa, montosa, ualdeq; difficili circumductis copijs in urbem redire per proximam arci nouæ portam decreuerunt. At Ferdinādus Neapolim interea ingressus, equoq; cum è suis aliquot, à Neapolitanis impositus, totam urbem incredibili omnium letitia & plausu inequitauit: faustis acclamationibus tota urbs personabat: nec satiari poterant mulieres florum aquarumq; odoriferarum nimbis regem conspergere: quin è nobiliorib. complures in uiam accurrentes, eum complexæ ab eius frōte sudorem abstergebant: neq; segnius tamē quæ ad defensionem erant oportuna, comparabantur: nam Pi-

scarie

scariæ marchio cum eis copijs, quæ cum Ferdinãdo ingressæ fuerant, nec non cum neapolitana iuuentute, intercludere ac munire omnes uiarum aditus, unde ab noua arce Galli urbem possent inuadere, non intermittebat: Galli ubi in arcis aream conuenerunt, omni ui adhibita, in urbis uicos perrumpere tentarunt: uerùm balistis atq; igniuomis tormentis minoribus uerberati, omnia ueriò uiarũ capita, idoneis præsijs firmata nacti, nocte superueniente, equorum partim utilium, partim inutilium ad duo millia in ipsa area, quòd in arce neq; locus, neq; pabulum ad eos alendos esset, relictis, miles cum Mompenserio, luone Alegrio nõ paruæ existimationis duce, Antonello Salerni principe, alijsq; nõ paucis tum Gallis tum Italis insignibus uiris, in arcem sese incluserunt: & quanquam per dies aliquot crebris & in arcis aream, & circa portum eruptionibus infesti essent, ædificiaq; urbis tormentis uerberarent, nihilominus ab hoste semper repulsi, omni spe urbis per se recuperandæ ceciderunt. Neapolitanæ urbis exemplum Capua, Aversa, Mondraconis arx, aliaq; circumiecta oppida secuta sunt, maiorq; regni pars nouis rebus studere coepit: inter quas Caietana ciuitas maiore animo quàm uiribus sumptis armis, quòd triremes aliquot Ferdinandi ante portum cõparuissent, fuit à Gallis qui in præsidio erant, magna cum strage superata, atq; eadem uictoriæ insolentia direpta. Eodẽ tempore Veneta classis Monopolim Apuliæ urbem, expositis Græcorum equitum alis, & non paucis peditum cohortibus, terra mariq; coepit oppugnare: qua in oppugnatione Petrus Bembus Trierarchus, tormenti ex urbe emissi ictu est interfectus: sed tandem urbem Veneti ui expugnarunt,

arce quoq; Gallo præfecto metu consternato tradente, potiti sunt: moxq; Pulygnanum pactione obtinuerunt: sed Ferdinandus ut Noua atq; Oui arcibus potiretur, erat intentus: sperabat enim breui deditioem facturæ: quòd ad tantam quæ ibi erat hominum multitudinẽ alendam perexiguus esset commeatus: cumq; in id continenter incumberet, ut proxima circa arcem loca occuparet, eos in maiores subinde angustias redigere conabatur: nam Galli cum eorum classis, in qua quinq; erant onerariæ naues, triremes quatuor, biremis una & una notha nauis, in portu tuta esse nequiret, eam inter Vicentinam turrim, Oui, & Picifalconis arces, quæ ab ipsis Gallis tenebantur, reduxerant: cumq; ea loca tenerent, quæ à tergo arcis nouæ sunt, ubi regum erant horti, ad Cappellam usq; extendebantur: ac fano crucis munito, usq; ad Pedegrottam (quam Pedem cryptæ licet appellare) diuumq; Martinũ excurrebant: aduersus quos Ferdinandus capto & munito hippodromo, quem locũ Caualleriam uocant, perq; Coronatã ductis uijs, S. Hermetis montem post etiam Picifalconis tumultum, castellum in summo positum obtinentibus Gallis, occupauit: quod castellum ut auxilio priuarent, quoniam si eo potiri possent, hostiles classes è loco eminenti infestandæ, facultatẽ habuissent, Ferdinandi milites Crucis adẽ oppugnarunt: uerũ tormentorum ictibus magno cũ detrimento repulsi, expugnatione desperata, proditione obtinere, quæ auctori exitium attulit, tentarunt: nã cum Maurus quidam qui intus erat, Piscario suo olim domino, dolo se eum locum traditurum recepisset, atq; ob id ei persuasisset, ut noctu appositis ad murũ cœnobij scalis, de eiusdem noctis hora atq; intrandi modo constitueretur

retur, secum ad colloquium ueniret, idq; fecisset, ibi telo balista emisso, perq; guttur adacto, insigni perfidia fuit iugulatus. Nec Ferdinandi reb. Prospcri prius, post etiam Fabricij Columnæ transitio parum commodauit: qui etsi nondum militiæ sacramento quo se regi Galliæ obstrinxerant liberati, statim serè Neapoli recepta, ad Ferdinandi stipendia transierunt, hoc prætextu, quod stipendia ipsis nõ essent idoneis temporibus persoluta: quodq; Virginius Ursinus, Pitilianusq; essent ab rege liberaliter accepti, suorum uerò in regem meritorũ perexigua esset habita ratio: quæ quidem causse plerisque beneficiorum ab rege acceptorũ magnitudine inferiores sunt uisæ: sed forte illud quis uerius existimabit, id quo tanquam freno retineri debuerunt, calcar potius extitisse, quo ut secus facerent sint impulsæ: quippe, quo maiora erant præmia quæ possidebant, tanto forsitan in eis, Gallo:ũ res iã inclinari cernentibus, ea conseruãdi cupiditas potetior extitit. Arce igitur hunc in modũ obfessa, mariq; Ferdinãdi nauibus intercluso, indies magis commeatus obfessis deficiebat: solaq; ea spes eos sustentabat, quod è Gallia opem mari sibi allatum iri confiderent. nam Carolus ubi primum Astam uenit, Perone Bascho Villafrancam, quæ haud longè abest à Nicæa misso, è portu classem quæ duo millia partim Vasconũ, partim Heluetiorum, atq; unã commeatum ferret, euocarat: cui Arbanum, uirum quidem bellicosum, sed maritimis rebus parum assuetum: quæ ad insulam Porezã appulsa, classèq; circa ea loca Ferdinandi, in qua triginta erant uela, duæq; magnæ Genuensium naues conspecta, extemplò se fugæ mandauit: quam hostes ad Iluam, (quæ nunc Elba dicitur) insulam usq; persecuti sunt: un-

de illa parua nauī Cantabrica amiffa, tanto terrore in Ligurni portū feſe immiſit, ut in præfecti poteſtate non fuerit uctare, quo minus maior militum pars in continentem deſcenderent: mox etiam eius imperio contempto Piſas contenderent. Huius claſſis fuga, Mompense riuſ, alijq; qui cum eo erant, commeatus inopia coacti, de arce in qua iam obſeſi tres meſes fuerant, Ferdinādo dedenda pacti ſunt, ni triginta dierum ſpacio ſubuetum eſſet, ſaluſ omnibus qui in arce eſſent cum ſuis fortunis ſe in prouinciam Romanorum abiturum: atq; in eius rei fidem, obſides Iuo Alegriuſ, tresq; alij ſunt dati; at, tam breui tempore opem nullā, niſi ab ijs ipſis qui in regno erant, expectare poterant: itaq; Perſiuſ e regijs præfectis unus, cum Heluetiorū cohortibus, unaq; gallici equitatus parte, & cum Biſiniano principe cōpluribus item alijs proceribus, Neapolim uerſus contendit: cuius aduentu cognito, Ferdinandus ei obuiam Ebulum uſq; Metalonæ comitem, cum exercitu maiorē partem tumultuario, ex neceſſarijs & amicis collecto miſit, qui quanuis numero longè ſuperiore cū hoſtem ad Paruum lacum (oppidum id eſt Ebulo uicinū) offendiſſent, eumq; propius accedere conſpexiſſent, ſeſe in ſugam dederunt: qua in fuga Venantiuſ Iulij Varani Camerinatū reguli filiuſ capitur: uerū Gallis eos haud longè perſequentibus, paruo accepto detrimēto, ſe Nolam, mox Neapolim receperunt. Victores ſuum de ferēda arcibus ope inſtitutum perſequentur, tanto ex ea uictoria hoſti iniecto metu, ut Ferdinandus de Neapoli iterum deſerenda cogitaret: uerū Neapolitanorū, qui haud minus proprio, ex deſectionis memoria metu, quā Ferdinandi beneuolentia commoti, hortatibus confir-

*matus, ad Capellā quod templi nomen est, constitit: utq̄;
 hostem ad arcem accedere prohiberet, ducta fossa iam
 antea à S. Hermetis monte ad arcem Ovi cœpta, omnes
 colles ad Capellam usq̄; & supra tormentis uirisq̄; mu-
 niuit: adeò ut quamuis Galli qui uia Salernitana Nu-
 ceriam per Cauam & Pedegrottæ montem ad Glareā,
 quam illi Ghiaram appellant, prope Neapolim uenif-
 sent, tamen quod omnia bene munita essent, & Ferdinā-
 dus se illis fortiter ostenderet: ipsi uerò tormentorū pi-
 lis, ijs præsertim quæ in Picifalconis uertice, qui arci
 Ouatæ imminet, & eis locis ubi olim delicia magnifi-
 caq̄; Luculli ædificia tantoperè celebrata, fuerunt, erāt
 collocata, ultra procedere, & ad Capellā accedere pro-
 pius nequiuerunt: cumq̄; ibi diutius hæcere nō possent,
 quòd natura eis locis omnibus reliquis amœnitatibus
 æffatim suppeditatis, dulces ac puros latices negauit, ci-
 tius quàm fecissent retrocedere duobus tribusue relictis
 tormentis, parteq̄; commeatus, ut in arces immitteretur
 aduectis, compulsi sunt: ac sic Nolam uersus abierunt:
 quibus ut se opponeret Ferdinandus, relictis qui arcem
 obsidere pergerent, cum suis copijs se in Palmæ plani-
 cie prope Sarnum continuit. At Mompenserius suorū
 discessu omni auxiliij spe prorsus abiecta, trecentis ho-
 minibus, qui numerus proportionem tam cōmeatus ino-
 piæ, quàm defensionem respōderet, in Noua arce relictis:
 idoneo quoq̄; in Ouata disposito præsidio, noctu cum
 reliquis qui erant ad duo millia & quingenti, militibus
 nauibus suis conscensis, Salernum nauigauit: quæ re co-
 gnita, Ferdinandus grauissimè conquestus est: aiebat e-
 nim minimè deditiois tempore pendente licuisse cum
 arcis Nouæ militibus discedere, ni prius utramq̄; arcem*

Nouam & Ouatam tradidisset:quamobrem parū ab-
 fuit, quin pactionis seueritatem secutus, hanc iniuriam,
 & Mompenserij fraudem obsidum sanguine, ulciscere-
 tur: propterea quòd arces non præscripto tempore, sed
 circiter mensem unum post, traditæ fuerunt. Qui in ar-
 ce noua remanserant, fame coacti, eam illa conditione,
 ut obsides dimitterentur, tradiderunt: iisdem quoq; ferè
 diebus, qui in Ouata arce erant, eademq; de caussa, se ar-
 cem prima proxima Quadragesimæ die, ni antè subue-
 niretur, tradituros promiserunt. Per eosdem ferè dies
 Alfonsus Aragonius Messanæ diem obiit suum, in quo
 ad regiam dignitatem euecto, ea gloria & felicitas, qua
 dū Calabria dux esset, nomen eius perillustre apud om-
 nes mortales extiterat, in summam infamiam infelicitate
 temq; fuit commutata. Fama est, eum paulò antequam
 è uita migraret, cum filio serio admodum egisse, ut Nea-
 polim, ubi odium aduersus eum olim conceptum, in be-
 neuolentiam propemodum conuersum erat, reducere-
 tur: Ferdinandum uerò magis regnandi cupiditate, quàm
 paterna pietate ductum, argutè, nec sine aculeo respon-
 disse, tam diu expectaret, dum ab se ita regnū esset con-
 stabilitum, ut ne iterum ipsi esset fugiendum. Ut autem
 res suas arctiore cum Hispaniæ rege uinculo stabiliret
 Ferdinandus, uxorem impetrata à Pontifice uenia, ami-
 tam suam Ioannam aui sui & Ioannæ eiusdem regis so-
 roris filiam, duxit. Dum uarijs euentis, sicuti ostensum
 est, arces neapolitanæ obsidentur, Nouaria quoq; dura
 obsidione premebatur: quòd & Mediolani dux eam ua-
 lidissimis copijs circumuallasset, & Veneti subsidiū tan-
 ta alacritate illic habebant, ut hominum memoria uix
 ulla in expeditione, sumptibus minus pepereisse uiderè
 tur:

tur: nam breui temporis spacio in sociorum castra conuenierunt equitum grauis armaturæ tria millia, totidē expeditorum, Germanorum mille, peditum Italarum quinquies mille: in quo autem præcipuum robur situm erat, fuerunt Germanorum peditū, quos Lantzknacht appellant, decem millia, ferè omnes Ludouici Sfortiæ stipendia merentes, ut Heluetijs opponerētur, quorum nomen, nedum aliud, peditatus Italicus sustinere nō poterat, usq; adeò Italarum uirtus atq; existimatio ab aduentu Gallorum erat diminuta. Has duas Germanorum legiones fortissimi centuriones præfectiq; ducebant, in quibus principatum obtinebat Georgius à Petraplana in Austria natus, qui paucis antè annis sub Maximiliano Rom. Rege merens, in Belgis sanum Odemari magna cum laude regi Galliæ ademerat. Venetus Senatus non modò diligens multis militibus ad eam obsidionem mittendis fuerat, uerumetiam quo suos milites ad fortia præclaraq; facinora magis animaret, ex gubernatore ad imperium militare Mantuæ marchionem euexerat, ut eo honoris gradu ipsius uirtutem in Tarenfi pugna declaratam, commendaret: quin etiam gratia admodum exemplo, laudeq; sempiterna digno, non solum stipendia ijs auxit, qui fortiter egerant, sed et compluriū qui in acie ceciderant filijs stipendia aliaq; præmia, filiabus uerò dotem decreuit. His tantis copijs Nouaria obsessā tenebatur: quòd fœderatorum esset consiliū, in hoc præcipuè Ludouici Sfortiæ nutum sequentium, ne certaminis fortunam cum Gallis, nisi necessitate cōpulsis, tentarent: uerum locis oportunis circa urbem munitis, comæatum importari prohiberent: sperâtes quòd in ea parum pro hominum multitudine esset, eam non

multos dies posse sustinere: nam præter ciues et incolas, eosq; qui ex agro illuc confugerant, Aurelianus partim Gallorum, partim Heluetiorum ultra septem millia delectorum militū habebat. Itaq; Galeatius Sansseuerinus Sfortiani exercitus ductor, abiecta omni urbis ob tantam propugnatorum copiam oppugnandæ cogitatione, castra ad Mugnias habebat, loco in Vercellensi uia ad commeatus, si qui Vercellis adueherentur, impediendos, admodum opportuno: Mantuanus uerò cum Venetis copijs, primo aduentu aliquot oppidis circa Nouariam ui captis, ac paucis diebus post, Brionæ, quæ quidem alicuius erat momenti, arce, Camarianum & Burgarum loca inter Nouariam Vercellasq; sita, munierat: ac quo facilius commeatus intercluderet, copias circa urbem compluribus locis disposuerat, eademq; loca diligenter communierat. Rex quoq; uicissim, quo propius Nouariam esset, Asta se Taurinum contulerat: & quanquam sæpenumero Cherium nobilis cuiusdam foemina, quæ in eo erat oppido, captus amore commicaret, belli tamen apparatus hac de causa minimè intermittebantur: sed qui è Gallia ueniebant milites, ut quàm celerrimè Alpium iuga superarent urgebantur, eo cõsilio ut duo millia cataphractorum in aciem producerentur: nec minore studio procurabatur, ut Heluetiorum dena millia descenderent, ad quos conducendos Diuionensis prætor erat missus, eo consilio ut simul atque appulissent, omnia conaretur quo Nouariæ subueniretur, sine quorum auxilijs nihil memorabile tentare auderent: propterea quòd regnum Galliæ equitatu hoc tempore potens, & magna tormentorum copia, eorumq; tractandorum peritia instructissimum, peditatu pro

tu proprio destitueretur: nam armis militaribusq; exercitationibus in nobilitate tantū retentis, in plebe et uulgaribus hominib. longo ocio emollitis, opificibusq; & pacis quæstui deditis, antiqua illius gentis ferocitas defecerat: nam pleriq; regum superiorū uarijs illius populi conpirationibus rebellionibusq; edocti, furorē metuentes, eos exarmare, atq; ab exercitationibus militaribus remouere studuerant: quamobrē Galli de suorū peditū uirtute diffisi, timidè se pugnae, nisi in eorum exercitu cohortes Heluetiorū aliquot essent, cōmittebant. Ea natio omni tempore inuicta & ferox, suā annis antea circiter uiginti, existimationem plurimum auxerat: propterea quòd à Carolo Burgundiæ duce ualidissimo exercitu appetiti (hic est ille Carolus qui potētia ac feritate regno Galliæ cunctisq; finitimis maximo terrori fuit) eum ter paucis mensibus acie uicerant: ultimo uerò conflictu siue pugnans, siue fugiens (nam quo id modo acciderit, obscurum est) etiam uita priuarāt. Eorum igitur uirtute, quòdq; inter eos & Gallos nulla esset æmulatio aut contentio: nec ex cōmodorum respectu, ulla, quem admodum de Germanis, suspicandi causa, nullum externum peditē præter Heluetiū conducebant: quorū opera cum in omnibus grauioribus bellis, tum eo tempore libentius, quòd intelligerēt rem plenā esse periculi, No uariæ tantis copijs circūfessæ, & contra tantam Germanorū, qui bellica disciplina pares erant Heluetijs, uim opitulari. Inter Taurinum & Nouariā media est Vercellarum urbs, Mediolanensis olim imperij membrum, uerū à Philippomaria Vicecomite, in diuturnis, quæ cum Venetis ac Florentinis gessit, bellis, Amideo Sabaudia Duci, quo ab eis descisceret, concessa: qua in

urbe neutra pars adhuc erat ingressa: quòd paruuli ducis mater, quæ filij quoq; tutelam gerebat, quamuis animo in Gallos penitus propensa, suum tamen studiũ, donec rex firmiores copias haberet, occultabat, atq; interea Mediolanensium duci grata uerba dabat, spẽq; eundem fouebat: uerũ ubi rex copijs auctus, se Taurinum eiusdem ducis urbem transtulit, annuit ut Vercellis eius milites acciperentur. Itaq; ex loci oportunitate, in spẽ uenerat maiorẽ, Nouariæ ubi omnia subsidia auxiliãq; conuenissent, afferri opem posse: quam obrẽ & ipsi fœderati iam non mediocriter suspensi, hæsitare incipiebant: idcirco Ludouicus Sfortia unã cum Beatrice coniuge sua, quæ ei non minus in rebus grauioribus, quàm in iucundioribus comes assidua esse solebat, ut maturitate maiore, quo nam pacto in his difficultatibus agendum foret, constitueret, in castra uenit: in cuius conspectu, atq; ut fama fuit, eiusdem potissimum consilio, post multas disputationes ab uniuersis ducibus ac præfectis, decretum fuit, ut ad securitatem omnium maiorem, Venetorum copię cum Sfortianis in omnibus circa Nouariam locis ad obsidionem opportunis, idoneis præsijs relictis, ad Mugnias coniungerentur: ut Burgaro præsidium educeretur: quòd cũ Vercellis tria distet miliaria, si fortẽ Galli ualidis copijs oppugnatum uenirent, aut cum ignominia deserendum, aut contrã quam decretũ esset, eum uniuersis copijs defendendum: ut Camariani, à Mugnianis castris passuum tria millia positi, præsidium auerteretur: utq; aggere & fossa, itemq; tormentorũ magno numero castris munitis ac septis, alia ex occasione atq; ex hostium progressibus deliberanda relinquere-tur: eo tamen nequaquam prætermisso, ut totus ager

Nonariensis uastaretur, omnesq; arbores ad usq; Nouarie mœnia deicerentur: ut & homines & prædatorij equi, quorum in urbe ingens erat numerus, eo damno atq; incommodo afficerentur. His rebus hunc in modũ constitutis, totoq; exercitu circumquaque perlustrato, redijt Mediolanum Ludouicus, quo facilius res necessarias compararet: quoq; etiam autoritate armisq; sacratibus, humanis uiribus fauorem conciliaret, Veneti cum Ludouico à Pontifice impetrarũt, ut is Fecialem unum ex ijs qui clauam argenteam præferunt, ad Carolũ mitteret, qui ei præciperet, intra decimum diem ipse cũ eis copijs quas secum haberet, Italia discederet: aliud item breue temporis spaciũ præstituit, quo suos omnes è Neapolitano regno deduceret, alioqui pœnis illis quas Ecclesia minari solet propositis, sc̃se Romam coram ipso sisteret: quo remedio Pontifices olim ueteres usi sunt: nã ut legitur, haud alijs armis Adrianus eius nominis primus, Desiderium Longobardorum regem, qui cum ingentibus copijs Romam turbatum ibat, ut Ternio, quò iam processerat, Papiam rediret, coegit: uerũm ea ueneratione ac maiestate, quæ ex uitæ sanctimonia Pontificum in hominum pectoribus gliscebat, extincta, difficile erat ex moribus & exemplis usq; adeò contrarijs, eodẽ effectus sperare: itaq; eius irridens mandatum, respondit: se Neapoli redeuntem, quo ei pedes reuerenter oscularetur, Romam uenisse, sed Pontificẽ ibi expectare noluisse: se mirari, eum nunc tantoperè, ut Romam ueniat urgere: uerũm tamen ut ei pareat, in id incumbere, ut sibi uiam quæ Romam ducit, aperiat: rogare ne frustra hoc incommodi suscipiat, se expectare in urbe ne grauetur. Per eos dies Carolus Taurini cum Floren-

tinorum legatis nouas pactiones, iisdē qui & aliās ad
 uersati fuerant, ualde repugnantibus fecit: quibus con-
 tradicendi maiorem occasionem dedit, quod alijs Pisa-
 norum montanis castellis, quæ in Caroli reditu amise-
 rāt receptis, atque ad Pontefaccum positis castris, eoq;
 pacta militum salute, potiti, omnes tamen Vascones fe-
 rē, qui cum Pisanis erant contra fidem datam, exeuntes
 trucidarant, atq; in mortuos multa crudeliter fecerant:
 quod etsi contra præfectorum Florentinæ ciuitatis uo-
 luntatem acciderat, à quibus aliquot ægrè fuerunt con-
 seruati, sed militum quorundam opera, qui antea Gal-
 lorum captiui acerbissimè fuerant accepti, tamen in re-
 gis aula hoc factum ab aduersarijs in eam partem acci-
 piebatur, ut perspicuum esset animi in gallicum nomen
 insensissimi argumentum: difficiliorem compositionem
 quæ tamen deniq; perfecta est, reddidit, omnibus alijs re-
 bus anteposita, non promissorum quidē, & iurisiuran-
 di solenniter præstiti memoria, sed præsens pecunia-
 rum egestas, & regni neapolitani tuendi necessitas. In
 hanc igitur sententiam conuentum est, ut citra ullam di-
 lationem Florentinis omnes arces, omnia oppida, quæ
 in Caroli essent potestate, restituerentur: Florentini
 intra biennium Genuensibus, si quidem illi in regis fi-
 dem & potestatem uenirent, Petrasanctam Seresanāq;
 si ita regi uideretur, traderent: ea tamen lege, ut & ipsi
 ab rege idoneam compensationē acciperent: ut Floren-
 tinorum legati illicò aureorum nummum triginta millia
 ex pactione Florentiæ facta, repræsentarent: ipsi uicis-
 sim ab rege gemmas pignori acciperent, ut si qua fortē
 occasione suprā dicta Florentinorum loca non restitue-
 rentur, ipsi pecuniam suam possent recipere: ut facta lo-

corū restitutione, Florentini aureorū septuaginta milia regi mutuò dare tenerētur: quos ipsis restituere quatuor regni Gallie supremi Quæstores (hos illi Generales Franciæ appellāt) repromitterēt: hanc summā regis nomine regijs præfectis in regno neapolitano tunc agētibz, atq; inter ceteros, portionem unā Columnijs ducibus, si modò cum Ferdinando nō cōuenissent (qua de re etsi de Prosperi transitione aliqua extarent indicia, rex nondum certò cognouerat) numerarent: ut Florentini, si quidē in Hetruria omnia pacata haberent, Neapolim ad Gallicum exercitum subsidio, cataphractos ducētos quinquaginta mitterent: quòd si in Hetruria bellum aliud nullum præterq̄ Montispolitiani caussa haberent, tunc Vitelliorum copias, quæ in agro Pisano agebāt, in regnum neapolitanum usq; illis ijsdem equitibus comitarentur: uerūm id nisi per totum ab eo quo profecti essent tempore Octobrem facere minimè cogerentur: ut Pisanis omnia delicta ad eum diē cōmissa remitterētur: ut certus modus in restitutione bonorū quæ ablata fuerant constitueretur: quod ad artes et opificia attinet, Pisanis ad ea exercenda, aliqua facultas honesta concederetur: ut in omniū horum fidē, sex obsides è præcipuis Florentinorum ciuibz quos rex nominaret, regi traderētur, qui certū temporis spaciū in regis aula manerēt. His hunc in modū transactis, gēmisq; acceptis, & triginta millibz, qui extēplo ad Heluctios conducendos missi fuerunt, persolutis: literæ & regis mandata ad arcibz præfectos, ut eas sine ulla tergiuersatione illic Florentinis traderent, confectæ fuerunt. At Nouariæ in dies duriora omnia ac difficiliora fiebant: tametsi militum uirtus magna esset, & maxima ex rebellionis memoria

Nouariensium in defendendo pertinacia: nam comestus usque, eo iam erant diminuti, ut cibarijs necessarijs destituerentur: & quanuis Aurelianus, postquam se arctius obsessum sensit, inutiles atque imbelles ex urbe dimisisset, id tamen haud tantum erat, ut fame reliqui omnino leuarentur: quin & ex Gallis & Heluetijs minus ad haec incommoda patienda aptis, complures iam morbis tentari incipiebant: quamobrem & ipse Aurelianus quartana febris uehementer afflictus, crebris nuncijs & literis Carolo instabat, opem laborantibus ferre ne ultra differret: qui quod nondum ea supplementa militum haberet, quibus tuto rem posse gerere, tanta celeritate uti non poterat, quae satis tam urgenti necessitati faceret. Saepe tamen comestum noctu in urbem ualidis equitum peditumque praesidijs inferre tentarunt Galli: uerum semper ab hostibus deprehensi retrocedere, interdumque cum non exiguo eorum, qui cibaria conuehebant detrimeto, sunt compulsi: utque obsessis uias omnes comestus habendi intercluderet. Mantuanus, Sodalium Franciscinorum aedem Nouariae muris propinquam inuasit: qua capta ei ducentos cataphractos, & Germanorum peditum tria millia imposuit: quo facto cum exercitus multis laboribus leuabantur, quod uia ad comestum ipsorum conuehentos tuta reddebatur: tum uero uia portae quae ad montem Blandranum uergit, quae in urbem faciliorem aditum praebat, claudebatur: uallum quoque a Gallis ad caput suburbani uici, qui a D. Nazarij fano appellatur, constructum, pulsus inde Gallis, sequenti die occupauit: ubi Pitilianus comes a Venetis cum Gubernatoris honore conductus, sclopeti glande circa ilia saucitatus, haud longe a mortis periculo absuit. His hostium

stium

stū successibus Aurelianus, se alia suburbana loca quæ cum se in urbem receperat munienda curauerat, posse tueri desperans, sequenti nocte iussit incendi, suosq; omnes ad urbem modò tuendam, ac propugnandam reuocauit: atq; in extrema fame subsidij aduentantis spe sese sustentabat: nã Heluctijs paulatim appellentibus Gallorum exercitus Scesia amne traiecto, ad primum extra Vercellas lapidem exierat: Burgaròq; præsidio firmato, reliquas Heluetiorum cohortes præstolabatur, eo consilio, ut cum primum illi ad exercitū uenissent, Nouariæ opem ferre conarentur: quæ res secum nō paucas difficultates trahebat: quippe Itolorū copiæ loco se natura & arte munito continebant: iterq; quo Vercellis Nouariam itur, aquis redundabat: & quod difficultatē augebat camporum fossis ualde latis & profundis frequens & impeditum: adhæc Burgarum inter, quod à Gallis tenebatur, atq; Italorum castra, Camarianum ab Italis munitum erat: quibus impedimentis fiebat, ut nec in rege, nec in alijs magna rei conficiendæ alacritas eluceret: & tamen si omnes Heluetiorū copiæ simul citius affuissent, Galli Martis fortunā tentassent: cuius euentus anceps utriq; parti erat omnino futurus. Cognito igitur utrinq; periculo, nunquam inter regem & Sfortiam deerant clandestina per internuncios de pace colloquia: tametsi per exigua spe, tum quòd neuter alteri fideret, tum quòd uterq; quo suam existimationem tueretur, compositionis desiderium dissimularet: uerū casus aliam ad tantæ rei confectiōem uiam aperuit: nam cum per eosdem dies Monserratensis Regina (Marchesiam, ut alibi diximus, uocant) è uiuis excessisset, agereturq; de paruuli filij ab ea relictī tutore, et Saluciarum

Marchio, Constantinusq; de mortuæ frater, ex antiqua
 regum Macedonia, quæ in multis antè annis Mahumetes
 Othomannus occupauerat, stirpe ortus, ad id munus
 aspirarent, rex eius principatus quietis cupidus, ut de
 ordinum consensu res componeretur, Argentonum Ca
 saleuasium delegauit: quo cum etiam ad suum de eiusdè
 principis foemine morte dolorem declarandum Man
 tuanus aulæ suæ magistrum misisset, inter eos, ut fit, in
 cidit sermo de pace, & quæ quantaq; bonæ ex ea ad u
 tramq; partem essent peruentura: qui sermo eò proces
 sit, ut Argentonus quo sibijpse satisfaceret, ea de re ad
 Venetos legatos, eis quæ ad Tarum cum ipsis agi erant
 cepta repetitis, literas daret: qui quidem aurè præben
 tes, req; cum Ludouici Sfortiæ præfectis communicata,
 tandem effectum est, ut omnium cõsensu ad regem, qui
 tum Vercellis erat, mitterent petitum, ut aliquos è suis
 delegaret, qui cum commodo in loco possent agere, qui
 ab eis quoq; delegarentur: cui petitioni annuente rege,
 postridie inter Burgarum & Camarianum conuene
 runt, Venetorũ nomine Mantuanus & Bernardus Con
 tarenus, Græcorum equitum legatus: ducis uerò Medio
 lanensis nomine Franciscus Bernardinus Vicecomes:
 ab rege uerò cardinalis Maclouiesis, Aurengiusq; prin
 ceptus, qui recens cum è Gallia uenisset, regis mandato,
 totius exercitus præcipuam procurationẽ suscepserat:
 cum his quoq; erant Giensis, Pienes, & Argentonus:
 qui cum sæpius conuenissent, & ipsorum nonnulli di
 uersis diebus ad alterius castra ultro citroq; commeas
 sent, negotij controuersia ad Nouaria restitutionem re
 uocabantur: etenim rex in restitutione quidem se facilè
 præbens, in restitutionis autem modo, ut quamminima
 sue

suæ existimationis iactura fieret laborans, instabat ut
 regis Romanorum nomine, ad quem Mediolanensis im-
 perij iura directò spectarent, Nouaria cuiusdam è Ger-
 manis præfectis, qui tum in castris erant, depositi iure
 traderetur: cōtra uerò socij, ut libera relinqueretur ur-
 gebant: cumq; hæc controuersia aliæq; emergentes tam
 repente componi nequirent, uelut qui Nouariæ obsessi
 tenebantur, ad tantam necessitatem redacti, ut partim
 fame, partim ex ea morbis enatis, iam ad duo millia eo-
 rum, qui cum Aureliano erant, interijssent, opus habu-
 issent, induciæ in dies octo factæ: Aureliano & Salucio
 Vercellas cum paruo comitatu irent, permissum: sed ea
 lege, ut nisi pax fieret, cum eodem comitatu Nouariam
 redirent: & quoniam per ea loca quæ hostes teneret eis
 erat iter faciendum, id tutò se facturum nō dubitarent,
 Mantuanus in quandam turrim Burgaro haud procul
 sitam, quam Foisseus tenebat, se custodiendum tradidit:
 nec qui Nouariæ erant milites Aurelianum abire per-
 misissent, nisi ipse fidem eis dedisset, se intra treis, ad sum-
 mum sex dies aut rediturum, aut eos ipsius opera exe-
 di facultatem habituros: in cuius rei fidem Giensis, qui
 Nouariam, ut Aurelianum deduceret, uenerat, nepotem
 obsidem reliquit: nam non modò cibi quibus homines ue-
 sci consuerunt, absumpti erant, uerumetiam immunda
 & fœdi, à quibus homines in tanta cibariorum ege-
 state nequaquam abstinerant. Verum ubi Aurelianus
 ad regem peruenit, induciæ in paucos dies prolatae ea
 conditione sunt, ut præsidio Nouaria educto, urbs in
 populi potestate relinqueretur: isq; iuraret se eam neu-
 tri parti, nisi de communi consensu traditurum: in arce
 triginta milites remaneret, quibus in diem uictus ab

Italorū castris suppeditaretur. Ita Nouaria omnes præfidiarij milites, ab Mantuano, & Sanseuerinate Galeacio in locum tutum deducti, exiuerunt: uerū ita fame debilitati & consumpti, ut eorum non pauci uix Vercellas appulsi, interierint: reliqui ad illud bellum prorsus inutiles remanserint. Iisdem uerò diebus Diuionensis prætor cum reliquis Heluetiorum phalangis in castra uenit: qui etsi decem tantum millia postulasset, tamen ad auri Gallici famam, quin integri ferè pagi oppidaq; concurrerent, prohibere nequiuit, ita ut uicenum millium numerum explerent: è quibus dena millia sese cum exercitu prope Vercellas coniunxerunt, reliqui, quòd parum tutum uideretur, tantas eius gentis copias simul in eodem exercitu coniungi, duodecim ab castris miliaribus consistere: horum aduētus si dies aliquos antè fuisset, facile cōpositionis consilia interrupisset: quippe in regio exercitu, præter hos, erant Gallicæ gentis peditum octo millia: Heluetiorum duo ex ijs qui Neapoli remanserant: & mille octingentorum grauis armaturæ equitum turmæ: sed cum tanti in negotio progressus esset facti, iamq; Nouaria relictæ, etsi Aurelianus contrà totis uiribus niteretur, atq; in eius sententiã complures alij concurrerent, nō sunt tamen intermissa colloquia: idcirco quibus id negocij commissum erat, quotidie in Italorū erant castris, ut cum Ludouico Sfortia; qui nuper, quo tanti momenti rem ipsemet, quam semper coram sociorum legatis ageret, redierat: ac deniq; regij legati ad regem redierunt, atque illa, in quibus inter eos poterat conuenire, retulerunt. Vt inter regem Gallie & Mediolani ducem pax perpetua, atq; amicitia esset: nec tamen ob id dux ceteris suis foederi-

deribus quicquam derogaret: ut rex assentiretur, à populo Nouariensi duci Mediolani Nouaria, à præsidarijs militibus arx restitueretur: Spedia atq; alia loca ab utraq; parte occupata, redderentur: Regi licitum esset Genuæ, quæ eum supremum dominū agnosceret, quotquot ipsi uisum esset, naues armare: omnibusq; eius ciuitatis commodis uti quacunq; in re, eo excepto, ne quid in eius reip. hostium fauorem, atq; ut in huius rei fide Genuenses certos obsides regi traderent: dux Mediolani naues ad Rapallum amissas, itemq; naues longas duodecim Genuæ retentas, ei restituendas curaret: in præsentia uerò binas Genuenses naues onerarias, quas Carraccas uocant magnas suis sumptibus armaret (eas cum quatuor alijs, ut suis opem ferrent, in regnum neapolitanum rex mittere cogitabat) ut anno insequenti ei tres eiusdem modi dare teneretur: terrestribus copijs quas rex eodem mitteret, iter expeditum, modò ne plures simul per eius terras iter facerēt quàm ducenti cataphracti, præberet: quòd si rex ipse ad eam expeditionem rediret, dux eum cum certo numero militū comitaretur: Venetis intra duos menses in hanc pacem uenire liceret: quòd si facerent, suam è neapolitano regno classem deducerent: nec Ferdinando ullam opem ferre fas esset: quòd si non seruarent, & regi in eos arma mouere uideretur, tum dux Mediolani ei auxilio esse teneretur: ad quem quicquid ex Venetorum imperio caperetur, pertineret. Dux per totum sequentem Maium ducatorum quinquaginta millia Aureliano propter impensas Nouariæ factas repræsentaret: de summa uerò quam regi in Italiam descendenti commodarat, ducatorum octuaginta millia detraheret, eiq; remitteret: reliqua summa

duci, sed latiore tempore, redderetur: Triultio remitteretur exilij pœna, eiq; bona sua restituerentur: Bastardus Borbonius in Tarenſi prælio, & Miolanſius ad Rapallũ capti, reliquiq; captiui omnes redderentur: Fracasſam quem paulo ante miſerat, omnesq; ſuos, ac Genuenſium homines dux Piſis euocaret: nec Florentinos ullo modo quo minus ſua recuperarent impediret: arcẽ Genuenſem, quam Caſtelletum uocant, in ducis Ferrariæ manum, qui ab utraq; parte ad hoc accitus in Italorum uenerat caſtra, intra menſis ſpaciũ deponeret: qui eã biennium communibus partium impenſis cuſtodiret: ac ſacramento ſeſe obſtringeret, eam uel dicto tẽporis ſpacio, ſi quidẽ Ludouicus promiſſa non ſeruaret, regi Galliæ traditurum: Ludouicus ſe dicto tempore Caſtelletũ deſiſturum ſtatim pace conſecta promitteret: atq; in eam rem regi obſides daret. Has conditiones ab ijs qui eas tractauerant, ſibi expoſitas, rex ad ſuum conſilium retulit: in quo fluctuantibus multorũ animis, in hãc ſententiam Tramollia locutus eſt: Si in hac deliberatione, magnanime Rex, ageretur aliud nihil, quã fortibus factis nouam gloriam regno Francorum comparare, remiſſius fortãſſis, quo temetiſum nouis periculis exponeres (etiãſi tuum, rex inuicte, ipſius exemplum tibi ſecus ſuadere deberet) hortarer: neq; enim ulla re alia quã gloriæ cupiditate impuſſus, aduerſus totius ferme regni tui conſilia & preces, te in Italiam ad regnũ Neapolitanum recuperandum uelle proficiſci, anno ſuperiore ſtatuiſti: ubi tanta cum fama & gloria expeditione iſta tua ad felicem atq; optatum exitum perducta, perſpicuum eſt in deliberationem uenire, nõ ſolũ, an noui honoris & gloriæ parandæ occaſio ſit reſpuen-
ſed

sed an ea quam tam grauibus impensis, totq; periculis
 es consecutus, contemnenda sit: & per ignauiam amit-
 tenda, honosq; partus in maximam ignominiam cōuer-
 tendus: ac sis ne is tu, qui consilia, qui res tuo nutu susce-
 ptas damnes ac reprehendas. Poteras enim rex, poteras
 sine ulla existimationis iactura tuæ, in Gallia pacatus a-
 gere: nec quod iam ab omnibus mortalibus summæ for-
 midini atq; animi infirmitati tribuitur, tūc alij rei ascri-
 bi, quàm aut negligentiae, aut ætati suis iucunditatibus
 occupatæ poterat. Licuisset simulac Astam peruenisti,
 minore tuo dedecore in Galliam Nouariensibus rebus
 quasi ad te nihil pertimētibus omiſſis redire: nunc quā-
 do quidem cum exercitu hīc consedisti, peruulgastiq; te
 hīc esse, ut obsidione Nouariam libereres: eaq; de caussa,
 è Gallia tot nobiles euocati, tantoq; auro Heluetij con-
 ducti, quis dubitet si id minus præſliteris, tuam totiusq;
 regni tui gloriam, in infamiam atq; ignominiam sempi-
 ternam abituram? Verūenimuerò, sunt rationes ac rio-
 res (si quis in fortium regum pectoribus, aculeus laudis
 & gloriæ cupiditate acrior esse potest) aut saltem ma-
 gis necessariae: quippe receptus noster in Galliam hoc
 tempore, Nouaria concordiae prætextu relicta & amif-
 sa, aliud est nihil quàm totius Neapolitani regni amissio:
 quàm tot belli ducum fortissimorum, tot Galliae nobiliū
 interitus, qui cum ea spe ac fide quam tu rex eis dedisti,
 te supplementa ad eius regni defensionem breui trans-
 missurum, illic remanserint, ubi te inuictissimo in limi-
 ne Italiae exercitu fultum, hostibus cessisse acceperint,
 de subsidio desperantes, spem omnem defensionis abij-
 cient. Ab autoritate atq; existimatione magnam partē
 (quod ignorat nemo) bellorum successus pendent: quæ

ubi inclinatur, simul etiam inclinatur militum uirtus: immittitur populorum fides: deficiunt ad bellum sustinendū imposita tributa: & contra hostibus animus crescit: dubij alienantur: in infinitum difficultates augentur: ad hunc igitur tam infelicem nuntium pristino uigore nostris in militibus senescente, hostium uerò uiribus auctoritateq; augetur, potest ne aliquis dubitare, quin breui totius regni neapolitani rebellionem, citò nostri exercitus calamitatem, atq; illam expeditionem, tantam cum gloria coeptam & gestam, nobis aliud nihil, quam damnum atq; infamiam longè maximam peperisse, sumus audituri? Etenim qui sibi hanc pacem fide bona fieri persuadet, is se rerum presentium statum parum expendere: parum eorum quò cum agitur naturam compertam habere demonstrat: cum sit cognitu facile, simul ac Italiae terga uerterimus, nihil eorum quæ proponuntur, seruatum iri: eaq; auxilia quæ nobis erunt promissa, Ferdinando mittentur: & illijpsi, qui se nos Italia expulisse gloriabuntur, Neapolim ut nostrorum spolijs locupletentur, contendunt: quam ignominiam equidem facilius ferrem, si qua probabili ratione dubitari de uictoria posset: uerum quò huiusmodi hæsitatio in cuiusquam uenire mentem potest, qui nostri exercitus magnitudine, regiõisq; in qua sumus oportunitate perspecta, recordetur, nos itineris longitudine fessos, cõmectatu omni destitutos, numero paucissimos, in regione inimica, tanta uirtute ac ferocitate contra maximas Italarum copias ad Tarum confluisse? qui fluuius eo die hostium sanguine quàm proprijs aquis plenior, magno impetu redundauit: uia nobis ferro aperuimus: uictoresq; dies octo per Mediolanensis imperij campos, in quib.

nihil

nihil nisi hostile occurrebat, iter nostrū tenuimus: nunc duplo maiorem equitatum habemus, tot pedites Gallos quibus tunc carebamus: proq; tribus Heluetiorum milibus, nunc duo & uiginti millia nostrum nutum imperiumq; sequuntur: hostes, & si Germanico peditatu aucti, tamen illud perparum est, si cum nostris conferantur: equitatus præterea ipsorum idem est, ijdem duces: semel à nobis malè mulctati: in certamen timidi pauentesq; redibunt. An fortè tam parua sunt præmia uictoriae, ut à nobis sint contemnenda? ac non potius talia et tanta, ut uel cum aliquo periculo sint expetenda? neque enim hic tantum parta agitur gloria, regni neapolitani conseruatio, tot tuorum ducum equitumq; nobilissimorum salus, sed totius Italiae imperium in medio positum est: quæ si quidè hîc fortiter agendo uicerimus, tota passim erit nostræ uictoriae præda. Nam, quæ aliæ gentes? qui exercitus hostibus reliqui sunt? quorum in castris cuncta sunt arma, cuncti duces ac centuriones, quos ex omnibus locis cogere potuerunt: una fossa superata, uallum unum perruptum, nobis res tam magnas, Italiae uniuersæ possessionem atq; opes, tot iniurias ulciscendi potestatem, ante pedes, in manum atq; in sinū reponet: qui stimuli homines imbelles atq; ignauos accendere soliti, si nostram bellicosissimam & ferocissimam nationē non mouent, equidè dicere poterimus nobis potius uirtutem, quàm fortunam defuisse: quæ nobis occasionem præbuit in tam exiguo campo, tam paucis horis præmia tam magna, tantæq; dignitatis consequēdi, quibus nec maiora, nec præstantiora potuissimus optare.

Finem dicendi Tramollia fecerat, cum Aurengius contra eius sententiam, in hunc est exorsus modum: Si res

nostræ, Rex Christianissime, in tantas temporis angustias redactæ non essent, sed eo consistere gradu, ut nobis vires cum prudentia atq; industria coniungendi spacium relinquerent, nec in eam necessitatem impelleret, ut si quidem in armis pertinaces esse uelimus, cum impetu et furore, cōtraq; omnia militaris scientiæ præcepta nobis agendum sit, essem & ipse ex illis unus, qui pacem respiciendam esse sentiunt: etenim, haud pauca sunt, quæ nos ad eam reiiciendam hortantur: cum negari nō possit, quin in bello gerendo perseuerare nobis sit honestissimum, atq; ad res neapolitanas ualde oportunum: sed enim angustia ad quas Nouaria eiusq; arx redacta est, ubi ne in unum quidem diem cibaria sunt, nos si quidem ei subuenire uolumus, ut repētè hostem inuadamus, cogunt: quòd si ea amissa, tamen in aliam Mediolanensis imperij partem bellum trāsferre cogitamus, tempestas iam instat hyberna, bellis in his depressis atq; aquis redundātib; locis, gerendis admodum incommoda, militum nostrorum natura, Heluetiorū multitudo ingens quæ sic est cōparata, ut nisi eis quàm primum utamur, nobis quàm hosti nocentior esse possit: pecuniæ summa penuria, qua fiet ut hīc diutius nos tueri non possimus, nos, si quidem pacem non admittimus, ut bello finē citò imponamus impellunt: id quod aliter fieri nequit, quàm ut in hostes rectà signa inferantur: quæ res, tum ipsorū tum regionis conditione & statu, adeò est periculosa, ut hac ratione agere, summam & temeritatem & imprudentiam esse, negare possit nemo. nam castrorum locus (cuius muniendi ac sepiendi tantum temporis habuerunt) usq; adeò & natura & arte munitus est, loca circūiacentia in quibus præsidia collocarunt, ita sunt ipsorū

defen

defensioni oportuna, itaq; operibus communita: regio tota crebris fossis aquarumq; impedimentis tot tantisq; nostris equitibus difficultates obijciunt, ut qui cogitat continuato rectoq; itinere in eos tendere, ac non potius paulatim captata occasione, & spacijs, et regione, ut dicitur, locisq; castrorum sensim occupatis, ad eos accedere, is aliud agit nihil, quam sese temere in maximum, ac tantum non certissimum discrimen conijcere. Nam quo consilio, qua belli disciplina, quo praestantiu imperatorum ducumue exemplo, tanta temeritate, tantum exercitum, in tam bene munitis castris, tot circumuallatum tormentis, inuademus? Si quis non temere & casu agere uelit, cum oportet hostem e suis castris, aut quopiam superiore occupato loco, aut intercluso comœatu, depellere: quarum rerum nullam, nisi mature & longo temporis progressu, sperari posse uideo: cuius quidem rei quam facultatem habeamus, nemo non uidet. quid, quod ne noster quidem equitatus, eo numero ac robore est, quo eum esse pleriq; forte existimant? multi enim, ut omnes scimus, morbis affecti sunt: non pauci partim accepto comœatu, partim sine comœatu in Galliam rediere: bona pars eorum quos habemus, diuturno militiae labore fessi, abeundi cupidiores sunt, quam pugnandi: numerus ille ingens Heluetiorum, qui nostri exercitus praecipuus neruus est, tam forte nobis est perniciosus, quam inutilis, si paruus esset. Si quis enim eius gentis naturae morumq; peritus est: nouitq; quam difficile sit, cum simul omnes unum in locum conuenere, eos regere & moderari, is nobis, eos tumultum aliquem periculosum non excitaturos, rebus praesertim lento gradu (ut necesse est) procedentibus, spondeat: quo rerum statu,

tum stipendiorum caussa, quibus expleri nunquam possunt, tum alijs euentis mille possunt occasiones, quibus commoueantur incidere: sic, eorum auxilia num remedia nobis salutaria sint futura, an noxia uenena, prorsus ignoramus, at in huiusmodi ambiguitate, quæ nostra consilia firmare possumus, quæ aliqua de re gloriosa & magna certi quicquam constituere? Victoriæ laudē dignam maiore, atq; ad regni Neapolitani defensionē tutiorem, quàm compositionem fore, nemo ambigit: uerū in omnibus humanis rebus, ac bellicis præsertim, consilia ex necessitate capienda sunt: nec eius partis obtinendæ, quæ uel difficillimè fieri, uel fieri ne potest quidem, cupiditate, omnia in extremum apertumq; discrimen adducenda: nec minus est boni imperatoris sapienter, quàm fortiter agere. Neq; enim Nouariensis expeditio tua Rex, præcipuè fuit: nec ad te, qui ad Mediolanense imperium directò minimè aspiras, nisi aliorum spectes, pertinet: nec Neapoli discedere placuit, quo in Taurinis consistens, bellum gereres, sed ut in Galliam quæprimum reuersus, pecuniã denuò ac militem cogeret, quo ualidioribus præsidijs regno Neapolitano ferre opem posses: quòd quidem, & nauibus Nicæa profectis, & Vitelliorum copijs, adiunctis Florentinorum auxilijs, ac pecunijs, tam diu sustentabitur, ut ualidos firmosque apparatus ac supplementa, quæ tua Rex, diligentia, ubi in Galliam redieris comparabit, facillè expectare posse uideatur. Equidem is nō sum, qui ducem Mediolani pacta seruaturum esse, præstare uelim: uerū, cum & ab eo, & ab Genuensibus obsides acceperit rex, & Genuense Castelletum ex pactiois formula depositū fuerit, aliquod tamen eius fidei pignus habebis: nec esset usque
ad cō

adeo mirum, si is, ne semper primus tuis armis petere-
 tur, pacem optaret: nec foedera inter multos icta, ea fir-
 mitate & consensione animorum sua natura sunt, quin
 sperari possit, quempiam aut remissiore fore, aut ab
 alijs disiunctum iri: in quibus rima quantumvis paruu-
 la ageretur, fenestra quavis exigua se nobis ostenderet,
 uictoria facili tutaq; potiremur. Quae cum ita sint, con-
 cordia ut amplectare, rex Christianissime, hortor: haud
 equidem quod per se utilitatem laudemq; contineat, sed
 quonia sapientis est principis, in difficultibus molestisq;
 consilijs, eam partem pro facili atq; optabili ducere, quae
 aut necessaria sit, aut quae difficultatis minus, ac pericu-
 li habere uideatur. Aurengij principis uerba dux Au-
 relianus tanta acerbitate suscepit, ut arbo ira efferve-
 scentes, atq; ab iurgijs ad conuicia excurrentes, Aure-
 lianus coram omnibus eum mentiri dixerit: nihilomi-
 nus maior consilij pars, ac totius serè exercitus, ad pacem
 inclinabat, tanta erat omnium, nec minor regis quam
 aliorum in Galliam reuertendi cupiditas, ut eorum men-
 tes obcaecaret, quo minus regni Neapolitani pericula,
 quamq; turpe esset Nouariam ipsis spectantibus & con-
 sentientibus amitti: deniq; Italia eis conditionibus tam
 incertis, tamq; iniquis cedere, cognoscerent. Haec causa
 tanto seruore fauoreq; ab Aurengio acta fuit, ut pleri-
 que existimauerint, eum quo regi Romanorum cui erat
 addictissimus, gratificaretur, haud minus ducis Medio-
 lani commoda, quam Caroli regis spectasse: & quidem
 magna eius apud Carolum erat autoritas, partim inge-
 nij ac uirtutis opinione comparata: partim quod à prin-
 cipibus illi facile sapientes habentur, qui ad eorum se-
 sum & uoluntatem magis accedunt, ac loquuntur. Pax

igitur confecta est, quæ uix à Ludouico Sfortia sacramento confirmata erat, quum rex nihil aliud quam in Galliam suam cogitans, Taurinum conuolauit: quanquam, ut Vercellis quamprimum discederet, ea quoque fuit caussa, quòd ea pars Heluetiorum, quæ in regijs agebat castris, quo sibi de trimestri stipendio, quemadmodum secum semper egisse Ludouicum XI, quamuis ipsis promissum non fuisset, nec tam diu cum illo meruissent, asserebant, de rege ipso deq; aulæ præcipuis retinendis agebant: è quo periculo tametsi repentino discessu euasisset, tamen cum illi Diuionis præfectum, aliosq; à quibus conducti fuerant, captiuos retinuis-
sent, ut eis obsidibus datis & promissis, de eo quod petebant denique caueret, necesse fuit. Taurino Rex pacis constabiliendæ cupidus, Giensem Tribunum militum, Gannatimq; præsidem, & Argentonum ad Mediolani ducem, quo cum inducerent, ut cum ipso in colloquium ueniret, allegauit: quod quidem is se cupere ostendebat, sed de aliqua fraude dubitare: & siue id ipsum metueret, siue dedita opera difficultates, ne socijs aliquid suspicandi ansam præberet, siue ambitione, quasi nequam inferior ipso rege eò adduci uellet, petebat, ut is congressus in cuiuspiam fluminis medio fieret: ubi pons aut nauibus, aut alia ex materia ita factus esset, ut inter utrunq; ligneum uallum firmum ac robustum intercederet: quo modo Galliæ atque Angliæ reges, alijq; principes occidentales, in colloquium aliquando descenderunt: id cum rex quasi sua indignum persona recusasset, obsides uerò accepisset, Peronem Baschum Genuam misit, quo ibi naues binas ex pacto acciperet: quodq; quatuor alias suis impensis armaret, quibus Neapolita-

nis arcibus subueniret: iamq; certior factus, subsidiū Nē-
 cæa missum, Neapolim peruenire non potuisse: idcirco
 deditioem, ni intra tricesimum diem auxilio iuuaren-
 tur, pactos, in has naues tria Heluetiorum millia impo-
 nere, easq; cum ea classe, quæ se Ligurnum receperat, et
 cum aliquot alijs quæ ex Prouincia expectabatur, con-
 iungere cogitabat, quæ sine magnis Genuensium nau-
 bus, ad hanc expeditionem, Neapolitano portu ualida
 classe iam occupato, non erant idoneæ: præter enim à
 Ferdinando eò adducta nauigia, Veneti triremes uice-
 nas, & quaternas ibidem onerarias naues habebant. Ve-
 netias item Argentonum rex misit hortatum, ut & ipsi
 in idem foedus transfirent: moxq; iter in Galliam tanta
 celeritate ardoreq; ipse cum suis omnib. cœpit, ut in Ita-
 lia ne paucos quidem dies morari, donec Genuēsēs ob-
 sides darent, quemadmodum proculdubio, nisi tam citò
 abiuiisset fecissent, sustinuit: atq; in hunc modum sub O-
 ctobris mensis finem anni MCCCXCV. in Galliã **1495.**
 uicto, quàm uictori (etsi uictorijs clarus rediret) simi-
 lior, reuersus est. Astæ quidem, quam se de Aureliano
 emisse simulauit, Triultiū cum quingentis Gallicis ca-
 taphractis præfecit: qui omnes paucis pòst diebus suo
 proprio iure regem sunt secuti: ad regni uerò Nea-
 politani subsidiū aliud nihil, quàm naues, quæ Ge-
 nuæ, & in Prouincia instruebantur, itemque auxi-
 lia, pecuniamq;e, quarum rerum supra mentio-
 nem fecimus, à Florentinis promissam, reliquit. His
 rebus expositis, mihi nequaquam memoria indignum
 uidetur (cum hoc tempore fatale esset Italiæ calamita-
 tes ipsius ab aduentu Gallorum aut originem ducere,
 aut saltem eis ascribi) ostendere, eodem tempore, cum

morbum qui à Gallis Neapolitanus, ab Italis passim Gallicus dicitur, principium habuisse: nam Galli ea lue dum Neapoli agerent, correpti, eam post in patriam redeuntes, per Italiam uniuersam diffuderunt: qui quidem morbus, siue nouus omnino, siue in hoc nostro orbe ad hanc usque etatem, nisi fortè in quibusdā suis remotissimis extremisq; partibus ignoratus, usque adeò per multos annos fuit horribilis, ut tanquam grauissima calamitas memoriæ posteritatis tradendus esse uideatur. Nam cum sese uel pustulis foedissimis, quæ sæpenumero ulcera agebant, usque adeo malefica, ut omnem curationem respuerent: uel doloribus in ipsis totius corporis articulis & neruis, acerbissimis proderet: nec per medicos accommodata remedia, sed non rarò prorsus contraria, ac talia quibus is morbus potius irritaretur adhiberentur, complures mortales, nec etati nec sexui parcens, uita priuauit: plures aspectu penitus deformatos, inutiles, & cruciatibus ferè perpetuis obnoxios reliquit: quin & bona eorum pars, qui sanati uidebantur, breui temporis interuallo in eandem miseriam recidebant. Post autem aliquot annorum curricula, siue cœlesti siderum, unde ortum habuerat, diro aspectu mitigato: siue longa experientia remedijs oportunis ad eius curam inuentis, multo mitior esse cœpit: in plures etiam species, atque à prima diuersas, suapte natura commutatus: de qua calamitate nostri seculi homines iure queri possent, si in eos citra propriam culpam perueniret: propterea quòd, omnium eorum consensu, qui huiusce morbi naturam sedulò explorarunt, comperitum est, aut nunquam omnino, aut perquam rarissime

mè, in aliquem, nisi Veneris contagione peruenire.
Verùm æquum est hancignominiam à Gallico nomi-
ne remouere, nam pòst, eam luem scabièmque fœdis-
simam ex Hispania Neapolim importatam fuisse,
constitit: nec tamen eius gentis fuit propria, sed eò
quoque ex illis Insulis allata, quæ (ut alio magis op-
portuno loco referetur) Christophori Columbi Ge-
nuensis nauigatione, manifestari ijsdem ferè annis in
nostro orbe cœperunt: quibus tamen in Insulis hic
morbus naturæ benignitate, præsentissimum habet re-
medium: quippe tantum cuiusdam nobilissimi at-
que alijs multis dotibus memorabilis ligni,
quod ibi nascitur, succi hau-
stu, facillimè curan-
tur.

SECUNDI LIBRI FINIS.

FRANCISCI GUI-
CIARDINI HISTORIA
RVM SVI TEMPORIS
LIBER TERTIVS.

C. S. C. interprete.

Veneti Pisanorum tutelam aduersus Floren-
tinos suscipiunt: Guelphi & Gibellini apud Pe-
rusinos tumultuantur: Quo tempore Cypri re-
gnum in Venetorum ditionem venerit: Arago-
niorum & Gallorū de regno Neapolitano cer-
tamina: Caroli octavi in Italiam bellum medi-
tātis, apparatus: Federicus Aragonius rex Nea-
politanoꝝ inauguratur: Maximiliani Impe-
ratoris in Italiam aduentus: Alexandri Pont.
Ro. in Vrsinos bellum: Coniuratio Florentiæ
Mediceorum causa facta, deprehensa: eamque
ob causā multi capitali supplicio affecti: Caro-
lus Francorum rex moritur, atque in eius locū
Aloisius XII. ad regnum assumitur.



ALLIÆ regis trans Alpes reditus
parum decorus, etsi ab imprudentia po-
tius prauisq; consilijs, quam uirium im-
becillitate timoreue susceptus, in homi-
num animis spem haud mediocrem reliquit, Italiã tam
gravi uulnere affectam, citò ab Gallorum insolenti im-
perio ac dominatu prorsus liberam fore: ex quo Sena-
tus Veneti, Insubriæq; ducis laudes passim resonabant:

qui

qui sapienti atq; magnanimo consilio sumptis armis, ne tam præclara orbis terrarum pars, externis hominibus seruire cogeretur, effecissent: qui nisi priuatis cupiditatibus obcæcati, uel in suum ipsorum & detrimentum & dedecus, publicum bonum corruissent, nemo dubitat quin Italia ipsorum tum consilijs tum uiribus in pristinum splendorem restituta, per multos annos ab externarum gentium impetu tuta esset futura. Verum enim, ambitione quæ ut quisq; ipsorum suis finibus contentus esset non permisit, factum est, ut citò Italia in nouas perturbationes incideret: quoq; minus fructu uictoriæ quâ profligatis è regno neapolitano Gallis obtinuerunt, fruerentur: quam uictoriam, negligentia, regisq; consilij socordia, ut facile consequerentur effecit: nam subsidium ab ipso rege ex Italia discedente decretum, irritum fuit: quòd nec classis apparatus, nec Florentinorum auxilia præstò fuerunt. Neq; enim syncera fide cum Carolo Ludouicus pacem fecerat: propterea quòd recordatus, ut eorum mos est qui alterum læserunt, iniuriarum quibus eum affecerat, se eius fidci tutò posse committere, sibi nullo modo persuadere poterat, sed Nouariæ recuperandæ, à belloq; suum imperium liberandi desiderio, eum ut id promitteret, quòd obseruare nequaquam cogitabat, induxerant: cui simulationi, quin Senatus Veneti se immensis quas ea resp. in re Nouariensi sustinebat sumptibus citra infamiam leuare cupientis consensus accessisset, minimè dubitabatur. At Ludouicus ne tam repente omni abiecto pudore, sed aliquo prætextu tamen à fœdere discederet, ea perfecit quæ in sua esse potestate negare non poterat: obsides dedit, captiuos, à se multa persoluta, dimitti iussit: naues ad Rapallum captas, red-

didit: Fracassam, quem suo merere stipendio dissimulare non poterat, Pisas remouit, & Castelletū arcem Genuensem intra definitum tempus, Ferrariæ duci depositi nomine tradidit. Verū, ipsis Lucium Maluetium quasi Genuensium stipendia merentē, cum nō parua manu reliquit: duas naues Ferdinandi nomine Genuæ instructas, Neapolim ire permisit: quod quidem sic excusabat, quòd eas ante confectam pacem conduxisset, ut ei negarentur, Genuæ minimè permitti: clam impediuit, quo minus ab Genuensibus obsides regi traderentur: et quòd arcium Neapolitanarum deditionē maximè promouit, postquàm quatuor illæ naues regis impensis fuerāt instructæ, ipseq; Ludouicus binas quas ex pacto debebat comparasset, effecit ut Genuenses simulato metu, si quidem illæ Franco milite complerentur, ni prius sibi satisfarctur regem eas restitutum, nec eis Genuensem statum commutare tentaturum: quibus de rebus tanquā malitiosè excogitatis, cum rex per suos apud Ludouicū exposlaret, nunc se quidē naues daturū promississe, respōdebat, sed ut milite Gallo instrueretur, ut permitteret minimè teneri: nūc se in Genuenses absolutū imperiū non habere, sed eo modo definitū ac circumscriptū, ut in sua potestate non esset, eos ad quidcunq; uellet, adigere, ad ea præsertim quæ ipsi suæ reip. ac ciuitati periculosa esse censerent: atq; ut his maius firmamentum adiungeret, perfecit ut Pontifex Genuensibus & sibi cū sacrosanctæ censuræ denunciatione mandaret, ne regē Gallie ullum nauigij genus Genua deducere ullo modo permitterent: his de causis hoc subsidium summo desiderio ab Gallis in regno Neapolitano agentibus expectatum, quemadmodū etiam pecunia à Florentinis promissa

missa, irritum fuit: nam rebus Taurini compositis, cum Guido antonius Vespucius è Florentinorum legatis, qui rebus componendis interfuerant unus, cum necessarijs monumentis omnibus subito discessisset: perq; Mediolanensium fines sine suspitione, quòd Florentina Resp. nemini se aduersam declarauerat, iter faciens, Alexandria ducis mandato retentus fuit: atq; cunctis literarum monumentis ablatis, Mediolanum perductus: ubi tota compositione, Florentinorumq; promissis compertis, à Venetis Mediolaniq; duce decretum fuit, Pisanos perire, nullo modo esse permittendum, qui simul ac Rex Pisis esset profectus, res suas Venetis & Ludouico noua legatione commendarant: utriq; autè Pontificis atq; aliorum fœderatorum oratoribus consentientibus mouebantur: quorum is erat prætexus, pecuniam militemq; quæ Florentini, Pisis alijsq; oppidis receptis, in neapolitanum regnũ missuri erant, impediendi, quodq; cum rege Gallia coniuncti, atq; ea urbe recepta potentiores facti, eoq; impedimento liberati, Italiae saluti obesse multis modis possent. Verumenimuerò Pisanæ urbis dominatus consequendi cupiditate potissimum incitabantur: ad quã prædã multo antè ab Ludouico cupiditate præceptã, Veneti quoq; utpote qui dissoluta ceterorum Italiae potentum ueteri cõcordia, unaq; parte eorum qui se ipsis opponere consueuerant debilitata, cogitatione iam & spe Italiae totius imperium complexi, oculos incipiebant conuertere: ad quam quidè rem Pisanæ urbis possessio peroportuna esse uidebatur: ne nimirum portus commoditate, quem non posse diu Florentinos Pisis exclusos retinere existimabant, in mare inferum sese extenderent, urbisq; oportunitate pedem

alterum haud parui momenti in Hetruria ponerent. Promptiora tamen ducis auxilia fuerant: qui eodē tempore uarijs artibus Florentinos retinens, mandarāt ut Fracassa suorum negotiorum prætectu (nam prædia in eo agro habebat) Pisas proficisceretur: & Genuenses denuò militem submitterent: interea Veneti Pisanos auxilijs promittendis sustentabant: itaq; Genuam certum hominē militis conscribendi caussa, Genuensesq; cohortandi, ne Pisanos desererent submiserant: quanquam de milite Pisas submittendo lentius ageretur: quod cum Citadella regio præsidio teneretur, multoq; magis dum rex in Italia ageret, haud magnam in hisce rebus curā ponendam esse iudicabant. Ex altera parte Florentini nouis cum rege pactionibus per suos oratores Taurini confectis, suas auxerant copias, quo simul ac regia mandata proferrentur, Pisanos cogere ad se recipiēdos possent: quæ dum suis oratoribus retentis retardantur, Palaïam Castellum occuparūt: & ad Vicopisanum copias admouerunt: uerū huius Castellī oppugnatio irrita fuit, partim quòd militum præfecti siue prauo consilio siue suis uiribus, si qua parte Pisa est, castra posuissent, diffisi: præsertim quòd Pisani in loco eminentiore, satisq; urbi propinquo, uallum erexerant, in parte inferiore Bientinam uersus metati fuerant, loco parum ad oppugnationem oportuno: ubi consistentes Cascina & Pisis ad obsessos iter apertum relinquebatur: partim quòd Paulus Vitellius cum suis & fratrum turmis tribus millibus aureorum numūm à Pisanis acceptis, in urbem erat receptus: affirmans se ab rege atq; ab Linguadochæ summo Questore, Maclouiensis cardinalis fratre, qui Petresanctæ egrotus remanserat, habere mandata Pi-

fas, Pisanamq; ditionem, donec aliud mandatum acciperet tuendi ac propugnandi: res equidem erat permira, Pisanos eodem tempore simul & ab regijs hominibus, & ab Sfortianis defendi, & ab Venetis in spem erigi firmitioris defensionis: tametsi tum is Senatus, tum Sfortia apertum cum rege bellum gererent. Vitelliorum subsidio facile Vicopisanus defendebatur, idq; cum non paruo Florentini exercitus detrimento, qui loco tam aperto constiterat, ut tormentis in Vicum à Pisanis inuectis, non parum laederetur: itaq; cum ibi complures dies constitisset, coacti sunt castrorum præfecti illic exercitum non sine dedecore abducere. Verum cum regia mandata diuersis itineribus, eaq; duplicata occultè allata esset, illico Liguini oppidum, eiusq; & portus & arces à Sallentio Florentinis restitutæ fuerunt: erat enim is Bemontij uicarius, cui ab rege earum erat custodia demãdata: Lillanus uerò ut Taurinensem compositionem à Florentinis cõfirmari, eisq; oppida restitui curaret delegatus, cum Entrage Citadella Pisanae arciumq; Petrajanctensium & Mutronensium præfecto, de die & restitutionis modo agere cœpit. Verum Entrages, siue communi Gallorum in Pisanos studio, siue Lignini, cuius nomine atq; auspicijs eis erat arcibus rege Pisis abeunte præfectus, occultis mandatis inductus, siue puellæ cuiusdam, Lucæ Delantij ciuis Pisani filia amore stimulatus (neq; enim credibile est illum pecuniæ solû cupiditate peremptum, cum à Florentinis uberiorem sperare posset) uaria impedimenta cœpit interponere: nunc regis mandatis absurdè interpretandis: nunc se ab initio mandatû accepisse affirmans, ne illinc se dimoueri, nisi arcanam quandam tesseram ab Lignino acciperet, pateretur.

quibus de reb. cum per aliquot dies disceptatum esset, necesse fuit Florentinos ea de re denuò regem qui Ver- cellis etiã tum erat, appellare, ut huic malo quod in tantam eius & ignominiam & detrimentum natum erat, remedium adhiberet. Hanc Entragis contumaciam se molestissimè ferre ostendit rex: idcirco nõ sine indignatione Lignino imperavit, eum ad parendum cogere: decrevitq; unã cum novis mandatis, literisq; gravissimis Aurelianensis ducis, cuius is erat iuris, virũ autoritate conspicuum mittere: sed enim, cum Lighini pertinacia eiusq; studia plus quàm debile regis consiliũ possent, ea res aliquot dies producta fuit: ac tandem, nõ aliquis in quo esset autoritas, sed nobilis quidam priuatus cui Lanciampugno nomen erat, missus: cum eo Camillus Vitellius, ut in regnum neapolitanum cum pecuniarum parte quam à Florentinis acceperat, copias suas duceret, profectus est: quæ simul ac regia mandata cõparuerunt, ad eorum se exercitũ aggregauerant. Haud maiorem hæc mãdata, quàm priora fructum perperrunt: & si præfectus Citadellæ iam à Florentinis ducatorum duo millia, quibus milites præsidarios dum regis responsum affertur sustentaret, accepisset: & Camillo ducatorum tria millia fuissent numerata: nam Entrages præfectus, qui, ut creditur, occultiore uia ab Lignino contraria mandata acceperat: sed post multorũ dierum altercationem, cum præfectus existimaret Florentinos, quòd in urbe præter oppidanos & agrestem multitudinem, mille externi milites essent, non satis uirium ad suburbium Marcianum, portæ florentinæ Citadellæ contiguæ coniunctum, in cuius fronte iam antea ipso annuente uallum prægrande construxerant, ui expugnari-

gnandum habere: sic se uoti compotem, sine manifesta in regis mandata contumacia, fieri posse sperans, Florentinorum præfectos, ut exercitum ad portam florentinam admouerent, monuit: quod quidem nisi suburbio expugnato, facere non poterant: quòd si Pisani eos in urbem nolent admittere, eos se portam deserere, quòd ea Citadellæ tormētis sic obnoxia esset, ut inuitis ijs qui eam tenerent defendi nullo modo posset, coacturū: quare audita Florentinorū præfecti magno apparatu atq; ausu, necnon totius exercitus, qui ad Remigij fanū confidebat locum suburbio uicinum inflammato desiderio, tanta ui à tribus partibus in uallum, cuius totam rationem à Paulo Vitellio acceperant impetum fecerunt, ut propugnatoribus extemplò deiectis, atq; in fugam conuersis, dum eos insequuntur, simul cum eis permisti in suburbium per pontem qui tolli in altum poterat, uallo coniunctum, alios occidendo, alios capiendo, ingrederentur: nec dubium est quin eodem impetu, citraq; Citadellæ opem, eodem tempore per portam, in quam aliquot iam equites sese immiserant, Pisis essent potituris: nam Pisani in fugam coniecti, nihil iam resistebant: uerum Entrages cum rem cōtra quam cogitasset succedere uideret, Florentinos tormentorum pilis petere cœpit: quare inopinata legati ducesq; Florentinorū conterriti, cum iam multi interfecti, plures quoq; ulnerati essent, inter quos Paulus Vitellius in crure uulnus accepit, seq; eo die urbe potiri posse, Citadella repugnante, desperantes, signo receptui dari iussu, milites à pugna reuocarunt: & suburbium quidem paucos dies retinuerunt: nam tormentis è Citadella continenter uerberati, Cascinam uersus omnes suas copias contraxerunt: ibiq;

quid contra tam manifestam suorum contumaciam facturus esset rex, præstolabantur: quod dum faciunt, Florentinis alia ex parte nouæ & periculose molestiæ ab foederatis principibus præcipuè excitatæ, non desunt: qui ut Pisana recuperatione Florentinos excluderent, foederiq; Gallico renunciare cogerent, Petrum Medicæ hortati sunt, ut Florentiam Virginij Vrsini, qui in Tarenti pugna è Gallorum custodia elapsus, Braccianum reuerterat, ope redire tentaret: quæ res faciliè utrique persuaderi potuit: quippe, Virginio percõmodũ quomodocunque is conatus cecidisset, erat, suos ueteres milites & clientes alieno ære recolligere, seq; in pristinum militiæ gradum restituere: Petro quoq; pro communi exulum more uariæ spes per amicos quos Florentiæ habebat, ubi etiam multis nobilibus populi potentiã molestan esse intelligebat, perq; per amplas clientelas, quas ex inueterata Mediceæ familiæ potentia, in toto Florentinorum imperio retinebat, animum augebant. Hæc cõsilia Mediolani primum nata esse creditum est, quoniã Virginius cum è manibus Gallorum aufugisset, illicõ se ad Mediolani ducem contulerat: sed Romæ post constituta fuerunt, ubi apud Pontificem ab Veneto oratore, Ascanioq; Cardinale, cui id à fratre suo Ludouico mandatum erat, per multos dies agitata fuerant. Huius autẽ expeditionis fundamenta spesq; fuerunt, ut præter copias quas Virginius ex ueteranis suis militibus cogeret, unã cum decem millibus ducatorum, quos Petrus Medicæ ab se atq; ab amicis collegerat, Ioannes Bentiuolus Venetorum & Ludouici stipendia merens, è Bononiensium finibus in Florentinorum fines inuaderet: utq; Cætarina Sfortia, cuius liberi Mediolanensium ducis sti-

pendia faciebant, ab Imola Foroq; Liuij, ciuitatibus Florentino imperio finitimis, molestiam aliquam eisdē inferret: confidebant præterea non inaniter Senenses inueterato Florentinorum odio accensos, atq; ex eo quòd Montempolitianum retinere cupiebant: quòd quidem suis uiribus facere posse diffidebant, in sua uota propensos futuros: qui cum paucis ante mensibus & proprijs uiribus, & Plombini domini Ioannisq; Sabelli, suis, ducisq; Mediolani communibus stipendijs conductorum, Glanica paludis aditum occupare, quæ ab ea parte longo tractu inter ipsos & Florentinos finitima erat, tentassent: eamq; ob causam uallū ad pontem Valianū, ut turrim Florentinorum in extremo Montempolitianū uersus sitam percuterēt, construxissent, sua spe frustrati sunt: nam Florentini periculo commoti, quòd eo ponte amisso, Montalcini instandi facultate priuarentur: hostibus autem in Cortonæ, Aretij atq; aliorum locorū fines, qui in altera Glanis parte Florentinorum sunt ditionis, aditus præberetur, ualido præsidio misso, uallū à Senensibus inchoatum corruerunt: utq; sibi prorsus transitum illum uendicaret, trans Glanum amnem iuxta pontem uallum multorum militum capacem extruxerūt: cuius oportunitate ad usq; Montispolitiani portas excurrerant: omnia item oppida quæ Senenses in ea parte haberēt, uexabāt: his successibus accedebat, quòd post paulò quàm rex Gallia transiuisset, Senensium copias ad Montempolitianū fuderant: ac Ioannē Sabeliū copiarum ducem ceperant. Sperabant præterea Virginius & Petrus Medices, se receptum aliquem & comoda à Perusinis habituros, non modò quia Balliones, qui armis & clientelis suis dominatum ferè in ea urbē

obtinebant, Virginio utrisq; factionem Guelforum sectantibus coniuncti erant: & quia cum Laurentio Petri patre, ipsoq; Petro dum Florentiæ fuit, arctissima necessitudinis iura tenuerunt: atq; ab ipsis semper aduersus suorum inimicorum motus adiuti, uerumetiã, quod pontificatus beneficiarij, quanquam specie magis quã re cum essent, credebatur in hoc quod ad statum ipsorũ præcipue non spectaret, Pontificis uoluntati, accedente præsertim Venetorum ac ducis Mediolani autoritate, cessuros. Hac igitur spe Virginus Ursinus, & Petrus Medices Roma profecti, ratiq; Florentinos intestinis dissidijs inter se laborantes, atq; ab omnibus uicinis fœderatorum nomine armis petitos, uix posse resistere, ubi dies aliquot Ternium inter & Todium, locisq; circumpositis, dum Virginus factione Gibellina diuexata, à Guelfis pecuniam & militum cogit, constitissent, castra in Perusinorum gratiam ad Gualdium Fulginatum castellum, uerũ à Perusinis non tam eius possidendi desiderio accensis, quã partium studio quibus omnia circumiecta loca tunc maxime conflagrabant, de Pontifice aureorum numũm sex millibus emptũ, posuerunt. Paucis nanq; diebus antè, Oddij Perusia exules, aduersæq; Ballionum factionis principes, ab Fulginatibus, atque Ascifatibus, alijsq; uicinis, Gibellinas partes sectantibus adiuti, Corcianum munitum oppidum quinq; milliaria Perusia remotum, cum trecentis equitibus, & peditibus quingentis occuparunt: quo facto, tota regio est commota: nam Spoletum, Camerinum, atq; alia Guelforum loca Ballionum partes sequebantur: itaq; haud multò post, Oddij furtim Perusiam noctu sunt ingressi, quo repente casu Balliones tanto pauore correpti fuerunt,

ut sui

ut sui defendendi spe abiecta, iam fugam capesserēt: sed improviso atq; minimo momento, eam uictoriam quam eis eripere hostis potentia nullo modo poterat, corruerunt: cū enim iam nemine resistente ad primarij urbis fori aditum peruenissent, uelletq; ipsorum unus securi quam in hunc finem attulerat, catenam, qua urbes factionum morbo infectæ, uias transfuersas claudere cōsueuerant, perfringere: isq; à suorum multitudine ita premeretur, ut brachia explicare ad securim attollendam non posset, clara uoce, Retrocedite, ingeminauit: quo uerbo eos ut sibi locum ad explicandā securim darent, admonebat: quæ uox ab ijs qui sequebantur, repetita, atq; sic accepta, quasi de capessenda fuga admonerentur, cunctos citra hostem, aliudue impedimentum, in fugam coniecit: quibus persequētibus aut quam ob causam fugerent, prorsus ignaros: quod cum aduersarij animaduertissent, recepto animo, globoq; facto, multos in fuga ipsa trucidarunt: & Troilū Sabellum qui à cardinale Sabello eodem partium studio ut Oddijs opem ferret, missus fuerat, ceperunt: & fugientes Corcianum usq; persecuti, eodem uictoriæ cursu id oppidum receperunt: nec eorum sanguine qui in fuga cæsi fuerant satiati, immanitate qua se factiosi homines mutuò persequuntur, alios præterea complures Perusiæ laqueo suspensos necarunt. Ex his motibus cum cædes complures in locis uicinis patrantur, quòd partes suspectis temporibus, siue inimicos ulciscendi cupiditate, siue ne ab illis anteuertentur metuentes, Perusini in Fulginate commoti, copias Gualdiū miserant: quo frustra oppugnato, suis uiribus se eo potiri posse diffisi, Virginij, quæ ut facilius ad belli & prædæ famā confluerent mi-

lites ipsis detulerat, auxilia admiserunt: & tamen ab eo atq; a Petro Medice, ut suæ causæ palàm adesse uellent simulati, aut saltem aliqua tormēta & ad Castellionem lacus, agro Cortonēsi finitimum suis militibus receptū, nec non commeatus oportunitatem concedere, nihil horum, etsi id ipsum cardinalis Ascanius Mediolanensium ducis nomine flagitaret, & Pontifex literis minacibus, & fulmineis mandaret, assentiri uoluerunt: nam, quoniam post Cortani occupationem à Florentinis aliqua pecunia adiuti fuerant, atq; ab iisdem Guidoni ac Rodulfo Billionie familie principibus annuæ pēsiones cōstitutæ: præterea Ioannes Paulus Rodulfi filius, suis stipendijs conductus, cum ipsis sese coniunxerat: alieni præterea à Pōtificis amicitia, siue eius fauorem in suos aduersarios propensioem esse ueriti, siue ex eorum discordijs occasione capta, eam ciuitatem in pontificatus potestatem omnino subiungere cogitaret. Eodem tempore Paulus Ursinus, qui cum sexaginta cataphractis ex ueteribus Virginij equitibus per multos dies in Mōtepolitiano fuerat, post ad Plebis castellum sese transtulerat, Cortonæ Petri Medicis consilio clam de capiendâ urbe cum quibusdam agebat, eo animo, ut simul ac Virginij milites quorum nec numerus, nec uirtus primis cōsilijs respondebat, eò accederent, rem ad exitum perduceret: sed dum morā trahunt, proditione, quæ per quendam obscuræ conditionis exulem tractabatur patefacta, iam eorum pars fundamentorum deficere, impedimentaq; maiora sese ostendere cœperunt: nā Florentini periculis depellendis inuigilantes, trecentis in agro Pisano grauis armaturæ equitibus, peditum bis mille relictis, ducentos equites graues, mille item pedites, Rinu

cio Martiano duce, qui prope Cortonam consisterent,
 miserant: utq; Senensium copie cum Virginio coniūgi,
 quemadmodum inter eos erat constitutum, nequirent,
 ad Pogiū imperiale, Senensibus finitimum Guidobal-
 dum à Montefeltrio Urbini ducem ab ipsis paulò antè
 conductum, cum trecentis cataphractis, mille & quin-
 gentis peditibus ire iusserant: adiunctis etiam multis Se-
 nensibus exulibus, quo eam ciuitatem maiore in metu
 retineret. Verum Virginus Gualdio sepius frustra op-
 pugnat, ubi scloppet: glande Carolus eius nothus per-
 cussus fuit, acceptis clam, ut creditum est, à Fulminatib.
 p: cunijs, castra inde, nulla Perusinarum detrimentorū
 facta mentione mouit, atq; ad Tabernulas posuit, post
 Panicale in agro Perusino, denuò urgens, ut se Floren-
 tinorum hostes declararent: quod non modò ipsi est ne-
 gatum, uerum etiam ex Gualdiana oppugnatione in eū
 commoti, minacibus serè uerbis eum ex agro suo exire
 coegerunt. Itaq; cum Petrus ipseq; primum Vrsariane
 pagum Cortonæ propinquum, cum equitibus quadring-
 gentis uenissent: sperantes, ea in urbe, quæ ut militū de-
 trimenta uitaret, Florentinorum præsidia respuerat, a-
 liquem motum excitatum iri, postquam ibi omnia pacæ
 ta uiderunt, Glanum cum trecentis cataphractis, ac tri-
 bus peditum millibus maiore ex parte, quòd exigua pe-
 cunia conducti essent, armis haud sat bene instructis,
 traiecerunt: seq; in Senensem agrum prope Montempo-
 litianum inter Cantianum, Turritam, & Asinam longè
 receperunt: ubi dies complures ociosi, quibusdam ex-
 cursionibus exceptis, atq; aliqua abacta præda consti-
 tere: propterea quòd Florentini ad Pontem Valianum
 Glani transmissis, in Sansouino colle, atq; alijs circum-

positis locis confidentes, eorum conatus impediabant: nec à Bononia, ut sperabant, motus ullus apparebat: quòd Bentiuolus, cum aliorum commodis bello sese cõtra potentem ac finitimam ciuitatẽ implicare nullo modo decreuisset (etsi Iuliano Medici, qui Bononiam uenerat ut ueteres clientes & amicos, quos in Bononiæ mõtibus habebant, commoueret, multa permetteret) arma mouere noluit: cumq; ad id à fœderatis extimularetur, uarias excusationes causasq; comminiscabatur: quin ne inter fœderatos quidem ipsos eadem erat uoluntatum studiorumq; consensio: nam Mediolani duci, Florentinos usq; eo premi, ut infirmiores ad rem Pisanã redderentur, erat gratum: at Petrum Medicem ab se tantopere læsum Florentiam redire, minimè gratum erat: & si ille ut se in posterum ab eius autoritate pendere totum uelle ostenderet, fratrem suum cardinalem Mediolanũ misisset: Veneti uerò soli hoc bellum suscipere detrectabant: his accedebat præterea quòd dux Mediolani & ipsi toti erant in apparatibus comparandis, quibus Gallos regno neapolitano profligarent. Quamobrem cum Petro Virginioq; nõ modò spes quas sibi proposuerãt, uerum etiam pecuniæ ad militem sustentãdum deessent, pedite equiteq; multum diminuti, ad Balneum Rapolatum Clusini agri, quæ Ciuitas Senensibus paret, reuertuntur: quò paucis diebus post Virginium suo trahente fato Camillus Vitellius, ac Gemellius ab rege Galliæ missi, ut illum in regias partes traherent, Neapolimq; perducerent, uenerant: ubi rex Columniorum defectione cognita, Virginij opera uti cupiebat: quam prouinciã, etsi pleriq; è suis dissuaderent, hortarenturq; potius se fœderatis, à quibus magnoperè inuitabatur, adiungeret,

ret, aut ad Aragoniorum obsequia rediret, accepit: siue ea ratione speraret se facilius Albensem ac Taliacotiensem possessionem recuperaturum: siue quæ in regni neapolitani amissione acciderant, recordaretur, uideretq; magnam esse æmulorum suorum Columnensium apud Ferdinandum autoritatem: eaq; de caussa se in antiquam apud eum fidem atq; autoritatē posse redire desperaret: siue moueretur, ut ipsemet affirmabat, quod principes fœderati parum ipsi satisfacissent, in eo quod promissis, de Petro Medice restituendo, non stetit. Fuit igitur Virginius à Gallis conductus, ipsiq; ac Ursinæ gentis reliquis grauis armaturæ equites sexcenti fuerunt attributi: ea tamen lege, ut Carolum filium obsidem in Galliam mitteret (hi sunt fructus eorum qui fidē suam semel suspectam reddiderunt) acceptaq; pecunia, ut cum Vitellijs in regnum Neapolitanum, ubi tū antea, tum post arcium amissionem uarijs casibus & locis cōtinenter fuerat laboratum, & tum quoq; laborabatur, transfirent. nam cum initio Ferdinādus in Sarnensi planicie Gallis se opposuisset, illi relicta Pedegrotta, Nuceriæ ab hostium castris quatuor miliaria, constiterant: ubi quod utriusq; partis copiæ essent propemodum pæres, tempus leuibus pugnis incassum terebatur: nec memorabile quicquam gerebatur, eo excepto, quod circiter septingenti partim equites, partim pedites Ferdinādi ancipiti proditione, quasi in Gifonis castellum, locum Sanseuerino oppido uicinum, intromittendi ducti, omnes ferè aut cæsi aut capti fuere. Verumenimuerò Pontificijs militibus ad Ferdinādum appulsis, Galli inferiores facti, Nuceria sese remouerunt: eam ob rem ea urbs una cum arce à Ferdinando capta, magna cum eorum

cæde qui Gallorum partes erāt secuti. Interea Mompē
 ferius eos quos secum ex arce noua eduxerat, equis a-
 lijsq; ad bellū necessarijs instruere satagebat: quibus in-
 structis ac decuriatis, cum alijs coniunctus, Arianū op-
 pidum commeatu refertum, uenit: ex aduerso Ferdinan-
 dus hostibus iam inferior factus, Montefusculti conse-
 dit, ut ibi fortuna minimè tentat., opperiretur, donec à
 socijs maiora auxilia mitterentur: cepit Mompenserius
 oppidum, mox etiā arcem Sanseuerini: & fecisset pro-
 culdubio maiores progressus, ni difficultate numaria
 impeditus ac retardatus fuisset: propterea quòd cū ne-
 que è Gallia pecunia mitteretur, neq; ex neapolitano
 regno cogendi potestas esset, stipendia militi persolui
 non poterant: cūq; hac de causa milites, præsertim Hel-
 uetij, alieni à rebus gerendis essent, res gerere uiribus
 pares Mompenserius nequibat. In hunc igitur modum
 utriusq; exercitus affectis rebus, menses tres serè con-
 sumpti sunt: quo tempore, & in Apulia illius prouin-
 ciæ auxilijs atq; opibus adiutus, bellum gerebat Federi-
 cus, cum quo erat Cæsar Aragonius: contra quem regni
 & populi partes Gallorum sequentes, pugnabant: et
 in Aprutijs Gratianus Guerra à Populensi comite, atq;
 ab alijs regulis Ferdinando studenibus, infestis armis
 petitus, magno animo se defendebat: & Romane urbis
 præfectus, qui ducentos cataphractos regis nomine du-
 cebat, è sue ditionis locis, Montis cassini tractum, cum
 circuniacentibus oris, infestum habebat: ubi Gallorum
 res inclinare incipiebant: in causa erat Aubignei diu-
 turna grauisq; admodum ægritudo: qua factam est, ut
 impigro alioqui duci uictoriæ cursus, etsi Calabria uni-
 uersa principatusq; in regis Galliae fide manerent, in-
 terrum

terrumperetur. At Consulius Hispanis, alijsq; Arago-
nenfium amicis iterum collectis, qui & ob Neapolim
receptam erant aucti, aliquot oppida ceperat: atque in
ea prouincia Ferdinandi nomen tuebatur: in qua pro-
uincia eadē numaria difficultate Galli laborabant, qua
in castris eos paulo ante laborare diximus: nihilominus
Cosentiam, quæ ab eis defecerat, recuperarunt, & diri-
puerūt: nec tamen in tantis angustijs & periculis suo-
rum, aliqua ex Gallia prouifio aut subsidium compare-
bat: propterea quod rex Lugduni ludicris certamini-
bus ac decursionibus, alijsq; ludis, belli cogitationibus
sepositis, operam dabat: ac tametsi identidem se rerum
Italicarum denuo curam suscepturum affirmaret: re ta-
men ipsa nullam se rerum illarum memoriam tenere, fa-
tis ostendebat: & quanquam ab Argentone qui recens
Venetijs redierat, accepiſſet Venetum ſenatum respon-
diſſe, nullam ſe cum rege Gallie inimicitiam habere,
quod arma niſi poſt Nauariam occupatam, nec aliã ob
cauſſam, quã pro ducis Mediolanenfium ſocij ſui de-
ſenſione cepiſſet: idcirco ſuperuacaneum uideri, noua
pace ueterem amicitiam confirmare: præterea cū idem
Senatus per quosdam intermedios pollicitus eſſet, Fer-
dinandum ſe ad id inducturum, ut ei certã pecuniæ ſym-
mã repræſentaret: ac tributi nomine auri pondo quin-
genta quotannis penſitaret: utq; eius promiſſi certus eſ-
ſet, Ferdinandum Tarentum ad certum tempus regi re-
liſturum, rex quaſi in promptu ualidum ſubſidiũ quod
Neapolim mitteret haberet, aures huic compoſitioni
præbere recuſauit: tametsi præter rerum Italicarũ dif-
ſicultates, à Gallie finitimis, bello impeteretur. Ferã in-
de enim Hiſpaniæ rex, Perpẽnianum ipſemet uenerat:

suosq; in Tolosates usq; excursiones facere et prædari, & quæcunque possent, detrimenta inferre iusserat: nec grauiora minari cessabat: Gallie præterea Delphinus, unicus regis filius nuper è uiuis excesserat: quæ omnia si quidem in eo sensus aliquis fuisset, satis erant ad eum excitandum, quò facilius aut pacem, aut bellũ suscipere, aut ad aliquam saltem concordiam animum flecteret. In huius anni sine Citadella Pisane negotia finem habuerũt: rex præfecti pertinacia cognita, Gemellium postremò cum minacibus atrocibusq; mandatis, non ad ipsum modò arcis præfectũ, uerumetiam reliquos qui in eius arcis erant præsidio, Gallos miserat: ac nõ multò post Bonum affinem ipsius, quo ei per hominem cui fidere certò posset, facultate, superioris temporis contumaciam peccataq; obedientia abolendi: & ex aduerso, in quæ incommoda, siquidẽ in uetere persisteret contumacia, incurreret, demonstratis, facilius ad regis exequenda mandata se compararet: is nihilominus in eadẽ contumacia persistens, Gemellij uerba contempsit: qui paucos ibi dies commoratus, cum Camillo Vitellio, Virginioq;, ut ei iniunxerat rex, in regnum neapolitanum est profectus: nec Boni aduētus, qui Serefsanæ ducis Mediolani iussu detentus, multos fuerat in itinere dies, præfectum à sua obstinatione remouit: quin, Bono in suam sententiam pertracto, cum Pisanis Lucio Maluetio, Ludouici nomine interueniẽte, transegit: atq; ita Cal. Ian. anni MCCCCXCVI, Citadella à præfecto Pisanis, prius tamen aurcorum numũm sibi duodecim millibus, & octo millibus in præsidarios milites distribuẽdis, acceptis, tradita est: quam summam cum Pisani conficere totã non possent, à Venetis quatuor millia, à Ge-

nucn-

nuensibus & Lucensibus totidē: totidēq; ab duce Mediolani acceperunt: qui quidem dux, eodem tēpore suis artibus usus, tametsi parua ei fides haberetur, cum Florentinis agebat de amicitia, consiliorumq; communicatione contrahēda: iamq; cum eorum oratoribus ipsi de conditionibus conuenerat. Verisimile autem nullo modo uidebatur, aut Ligninum, Entragēmuc, aut quēuis alium tanta contumacia uti sine regis uoluntate ausum fuisse: cum id præsertim in suum non paruū cederet detrimentum: propterea quod, & si Entrages ita rem composuisset, ut Pisana ciuitas in regis Galliæ fide maneret, manifestò tamen in fœderatorum potestate remanebat: & quia Florentinis non restituebatur, Galli qui in regno neapolitano agebant, militū & pecuniæ subsidij priuabantur, in conuentione Taurinensi compromissis: Florentini tamen, qui summa uigilantia omnium harum rerum progressus obseruarant, quanquā initio multum dubitarent, in eam opinionem deniq; uenerūt, ut crederent omnia aduersus regis uoluntatem fuisse transacta: quæ res prorsus incredibilis ei uideri posset, cui regis natura, ingenijq; & morum conditio ignota essent: quamq; nulla ferè autoritate apud suosmet esset, quantum item homines ausint in eum principem, qui se ipse contemnendum præbeat. Pisani Citadella accepta, illicò eam funditus factò totius populi concursu, exciderunt: & quia se impares esse uidebāt ad se tuendos, eodem tempore ad Pontificem, ad Rom. Regem, ad Venetos, ad Mediolani ducē, ad Genuenses, ad Senenses, atq; ad Lucenses legatos de auxilijs ab omnib. rogandis miserunt: uerū ab Venetis atq; ab Insubriæ duce ardentius, in quem ducem primò urbis imperiū sponte transf-

ferre propensi fuerant, propterea quòd se eò adigi uiderentur, ut non tam de libertate tuenda sibi cogitandũ putarent, quàm ut ne sub Florentinorum dominatũ redire cogerentur: cumq; in eo magis quàm in alio sperarent, tum quòd is primum eos ad rebellionẽ incitasset, tum ob uicinitatem, tum quòd, cum ab alijs fœderatis spes modò inanes retulissent, ab eo oportuna præsidia obtinuisset: dux autem, etsi eius urbis potiundæ cupiditate arderet, tamen an eam acciperet, ne sociorum in se odia concitaret, suspensus hæserat (nam in eorũ consilijs Pisatorum res, quasi communes omnium agi cœperant) nunc eos ut id facere differrent hortando, nunc ut deditio palàm Sanseuerinorum nomini fieret, quò deniq; re ipsa suo nomini factam esse, ubi tempus opportunũ iudicaret, aperiret, suadendo: nihilominus ubi rex in Galliam reuertisset, arbitrareturq; se sociorũ necessitate leuatum, eam accipere decreuit. Verùm in Pisanis ea propensio, ex magna quam de Veneti senatus auxilijs conceperant, spe, de seruescere cœperat: neq; decræt etiam qui eis demonstrarent, facilius ipsos ope multorũ se posse conseruare, quàm unius; quibus ex causis in eã opinionem erãt inducti, ut hoc modo maiorem tuendæ libertatis spem sibi præponerent: quibus consilijs post adeptam Citadellam, roboratis, se cuiusuis fauore atq; ope munire promiscuè uidebantur: ad quam rem omnium Italiæ principum studia admodum erant oportuna ac propensa: etenim Genuenses Florentinorum odio, Senenses Lucensesq; partim odio, partim metu, aliquid subsidij præbere semper erant parati: utq; quod instituerant, ordine perficerent maiore, certis ad hoc cõditionibus cum singulis agere, seq; obstringere deliberabãt:

Veneti autem Insuperq; dominatus Pisani cupiditate alecti, ut sub Florentinorum redirent iugum, nequaquam latari uidebantur: apud Pontificem uero Hispaniaequē regum oratores, Florentinos deprimendi debilitandiq; desiderium, utpote qui nimium gallicis partibus studere uiderentur, Pisanorum causam apud eos commendatiorē faciebat: quas ob res singulis in locis benignē auditi, diplomateq; à Cæsare quo ipsis libertas confirmabatur, impetrato, Venetijs et Mediolano eadem promissa de libertate conseruanda reportarunt, quæ antè de cōmuni consensu, ut ab Gallis liberarentur, acceperāt: Pontifex quoq; ipse, omnium sociorum nomine & consensu, epistola ad illud ipsum eos est hortatus, eisq; repromisit, fore ut ab omnibus potēter defenderentur: nihilominus tamen, ualidiora præsidia ab Venetis Insubriumq; duce extiterunt: ab hoc adauctis quæ illic prius haberet, copijs: ab illis, haud paruo militū numero submisso qua in re si pariter perseuerassent, eò necessitatis Pisani non essent adducti, ut ipsorum alteris magis quā alteri sese applicuissent: ex quo cōmunis concordia conseruari facilius potuisset. Verum enim uero, citò accidit, ut Mediolanēsis semper à sumptibus faciendis alienissimus, naturaq; ad simulatē & callidè agendum pronus, ratus tunc se ad Pisanorum dominatum minimè posse peruenire, eaq; de causa, quæ Pisani ab eo peterent, parcius suppeditare inciperet, occasionem ipsis præbuit, ut in Venetos à quibus necessarijs omnibus liberaliter suppeditarentur, animo essent propensiore: ex quo factum fuit, ut paucis mensibus post quàm Galli Citadelam reliquissent, Venetus senatus à Pisanis ad id uehementer rogatus, ciuitatis Pisane patrociniū, Ludoui-

co Sfortia potius hortante, quàm sibi molestum esse demonstrante susciperet: idq; re minimè cum alijs fœderatis communicata, etsi ab initio eos ad copias mittendas essent hortati; qui post se promissis quæ Pisanis de auxilio ferendo fecerant, liberatos esse, dixerunt, quandoquidem citra ipsorum consensum cum Venetis priuatiuim conuenissent. Certissimum est, nec desiderium aliorum libertatis conseruandæ, quam in sua patria tantopere amant: nec communis salutis ratio, ut & tunc, & post magnificis uerbis prædicarunt: uerùm sola Pisani dominatus potiundi libido, Venetos ad ea compulit decreta: quibus non dubitabant fore, ut breui, uel Pisanorum uoluntate, qui, ut se in perpetuum à Florentinorũ seruitute uindicarent, Venetorum imperio libenter subijcerentur. Ea tamen res diu fuit in Senatu agitata, quòd communis ferè propensio quorundam tum ætate, tum etiam existimatione præstantium senatorum auiditate retardaretur: qui uehementer contradicerent, ostenderentq; si Pisanam defensionem soli reciperent, re esse multarum difficultatum plenam: quòd ea urbs terrestri itinere procul admodum ab eorum finibus esset, multò uerò etiam maritimo magis: ad quam nisi per alienam ditionem & portus, longoq; duorum, quibus Italia cingitur marium ambitu, peruenire nequirent: idcirco sine maximis impensis ab continuis Florentinorũ molestijs defendi non posse. Se non negare, quin Pisani dominatus accessio, Veneto imperio admodum esset oportuna: sed ante omnia conseruandi difficultates, multoq; magis temporum præsentium conditiones esse cõsiderandas, tum quid ea res esset paritura: propterea quòd, cum tota Italia naturali quodam instinctu, prop-

ter eorum magnitudinem suspectos animos gereret, fieri non posse, quin talis accessio omnibus esset summo opere displicitura: quæ res facile maiores & periculosiores pareret motus, quam pleriq; fortè putarent: eos non parum falli, qui sibi persuaderent, ceteros principes ociosè laturos, eorum imperio cunctis Italis formidabili, tantam Pisani dominatas oportunitatè accedere: qui si minus, ut olim, ad prohibendum proprijs essent uirib. pares, habere eos ex alia parte, posteaquam Transalpinis gentibus itinera, quibus in Italiam transirent, erant cõmonstrata, maiorem resistendi, exteris euocatis, occasionem: ad quorum opem implorandam, siue odio, siue metu, proculdubio illicò essent decursuri: præsertim cū illud commune humani generis uitium sit, ut seruire externis malint, quam cedere suis: quò credi posset, Ludouicum Sfortiam, tantum de se nunc cupiditati, & spei, nunc timori permittere solitum, in præsentiu uerò non minus ira quam æmulatione cum excitante, ne ad Venetos ea præda, quam tot artibus sibi destinasset, deueniret, non prius denuo Italiam esse omnem turbaturum, quam ut pisana urbs, ab ipsis occuparetur, passurum? qui quanquam uerbis & consilijs suis secus demonstraret, perspicuè admodum animaduerti posse, hunc non esse uerum eius animi sensum: sed insidias, atq; in minus sinceros fines, artificiosa consilia: cum quo eam ciuitatè defendere, prudentiæ esse: si minus aliam ob causam, ob eam saltem, ut impedimento sint Pisanis, ne se Ludouico tradant: at eam causam sibi quasi propriam assumere, seq; tanta inuidia, tantoq; onere grauare, id certè à sapientum consilio uehementer abhorrere: illud esse cogitandum, quam hæc consilia eis operibus aduersaren-

tur, in quibus tot mensibus insudarant, & insudarent etiam num: propterea quòd nullæ aliæ causse eum senatum ad arma tantis cum impensis & periculis capiendam, quàm se atq; unà Italiam uniuersam à barbaris asserendi desiderium, impulissent: cuius rei cum tam felici successu & gloria iecissent fundamèta, nihilominus cū rex Gallia uix trans Alpes sese recepisset, maiorq; regni neapolitani pars ualido exercitu eius nomine teneretur, quæ imprudentia, quæ infamia foret, ubi libertatis Italiae securitatisq; constabiliendæ tempus erat, nouarum calamitatum semina spargere, quibus Gallia regis in Italiam reditus, Romanorū uerò regis, qui, ut omnibus erat notum, nihil ardentius eius quod se in eorū imperiū iuris habere existimat, causa, cuperet, introitus facilior redderetur: haud eo loco uenetam rem esse, ut ad periculosa consilia suscipienda, nondum ad maturitatem perductis occasionibus, sese offerre compelleretur: imò neminem in Italia oportunitates temporū occasionumq; maturitates facilius posse præstolari: subita dubiaq; consilia ijs conuenire, quibus aut res difficiles, aut aduersæ admodum obijcerentur: aut etiam ijs, qui ambitione, suiq; nominis illustrandi cupiditate impulsī, ne ad id tempus fortè deesset, uererentur, non ei recip. quæ in tam sublimi potentia, dignitatis, autoritatis gradu est collocata, ut reliquæ Italiae omni formidolosa sit & inuidiosa: & quæ regum atq; aliorum principum comparatione immortalis propemodum, ac perpetua: cumq; idem semper esset Veneti senatus nomen, nihil esse causse, quamobrem sua ante tempus præcipitare consilia uelit: eius Senatus sapientiæ & grauitatis magis esse, pericula ista spe & cupiditate infuscata, ac

lemni-

lemniscata, nec non fines ipsos rerum, quàm principis (quod quidem hominum erat uerè prudentium) expēdere, ac temerarijs consilijs reiectis, tam in Pisanis quàm in alijs occasionibus, ab aliorum animis perterrefaciendis & irritandis, saltem donec Italia à Barbarorum periculis & suspicionibus aliquanto esse securior, abstinere: præcipue uerò ne illis ulia redeundi caussa præbeatur, cauere: propterea quòd res ipsa paucis mensibus ostendisset, cunctam Italiam, cum ab exteris non opprimebatur, semper ferè Veneti senatus auctoritatem fuisse secutam: uerùm, barbaris in Italia agentibus, factū esse ut nec qui se sequeretur, nec qui formidaret haberet, sed necesse fuisse unà cum cæteris, ut externorum uires armaq; timeret. Hæc atq; eiusmodi rationes, ut numeri maioris cupiditatē taceam, Augustini Barbadiçi eius reip. ducis suasionibus uincebantur: cuius auctoritas eò usq; creuerat, ut supra ducum superiorum auctoritatem euecta, potētiae potius quàm dignitatis nomen mereretur: nam præterquàm quòd cōplures iam annos in ea principis dignatione secunda egerat fortuna, præterq; multas præclaras dotes atq; ornamenta quibus erat præditus, illud quoq; magno erat artificio consecutus, ut multi senatores qui perlibenter se ijs qui tum prudentiæ fama, longoq; rerum usu, tum etiam quòd in ea rep. summos dignitatum honores erant consecuti, in ea ciuitate maioris erant auctoritatis, se opponebāt, ipsi coniuncti eius consilia partium potius studio, quàm senatoria grauitate integritatēue frequentes sequerentur: qui unà cū imperij propagatione, sui quoq; nominis clarissimā memoriā relinquere ardens: nec ea gloria contentus, quòd Cyprus insula, regibus è Lusimiana familia deficientib;

eius principatu, ad Venetum imperium accesserat, quã cunq; augendi imperij occasionem amplectendam esse suadebat: idcirco, eis qui in Pisano negotio eius cupiditati aduersa consilia afferebant, sese opponens, uerbis efficacissimis quã utilis, quãq; oportuna Veneto imperio Pisanæ ciuitatis accessio, demonstrabat: quantũq; haberet momenti, si ea ratione Florentinorum audacia reprimeretur: quorum opera in Philippinariæ Vice-mitis morte, Insubriæ dominatus adipiscendi occasionẽ amississent: qui etiam propter rei numariæ expeditã facultatem, in Ferrariensi bello, atq; in alijs expeditionibus, magis ipsis quã ceteri omnes Italiæ potẽtatis maiores, nocuissent: quã raræ huiusmodi occasiones esset, quanta cum infamia amitterentur, & quã graues pœnitentiæ aculeos neglectæ relinquerent, commemorabat: Italiæ conditiones eas non esse, ut ipsis ceteri potẽtatis per se possent opponere: nec ut hac siue indignatione, siue formidine impulsis, ad Galliæ regem confugerent metuendum: quòd, nec dux Mediolani, à quo tantis esset iniurijs affectus rex, ei fidere unquam auderet: nec Pontificis animum his cogitationibus moueri: nec regem neapolitanum, quanuis regnum recepisset suum iam gallicum nomen audire posse: nec ipsorum in Pisanam urbem ingressu, quantumuis alijs molestus esset, rem esse tam atrocem, nec tam periculum propinquũ, ut ab reliquis principibus ad ea remedia, quæ extremis ac desperatis rebus adhiberi solent, præcipiti consilio esse recurrendum duceret: lentis enim morbis periculosa remedia, quòd tempus nequaquam sibi eis utendis defuturum homines arbitrentur, non statim procurari: quòd si in ea imbecillitate ac dissidio reliquorum Italo-

rum ipsi tantam occasionem contemnerent, frustra maiorem rei gerendæ securitatem, alijs principibus in pristinum uigorem restitutis, atq; ab Transalpinarum gentium metu liberatis, expectari: ad nimij timoris remedium cogitandum esse, omnes humanas actiones multis periculis obnoxias esse: uerum homines prudentes cognoscere, nequaquam omnia mala semper euenire, quæ possint: fortunæ beneficio pleraq; pericula euanescere: multa, prudentia atq; industria uitari: idcirco timiditatem cum prudentia, quod plerique rerum cum nominatum naturam ipsam parum attendentes faciunt, confundendam non esse: nec ij sapientes ducendi, qui omnia pericula quæ quidem dubia sunt, pro certis habentes, atq; ob id omnia formidantes, sua consilia sic gubernant, quasi omnia sint certò futura: neq; enim ullo modo prudentes sapientèsue illos habendos esse, qui quæ futura sunt, supra quam par est, timent: hoc nomen hancq; laudem multo melius fortibus, magnoq; animo uiris conuenire: qui pericula quidem cognoscentes, eaq; ponderantes, in quo à temerarijs qui ea nec cognoscunt, nec ponderant, differunt, tamen quàm saepe homines nunc casu nunc uirtute è multis difficultatibus sese explicant, etiã animaduertunt. Itaque dum in deliberando non minus spem quàm formidinem in consilium accersunt: nec incertos euentus pro certis habent, haud tam facilè atque illi, occasiones quæ secum utilitatem cum dignitate afferunt, respuunt: igitur, aliorum Italorum debilitate diffensioneq; ante oculos positis, potentiam ex altera parte fortunamq; Venetæ reipub. patrum maiorumq; animi celsitudinem gloriosaq; facinora, Pisanorum patronium magno animo susciperent: qua ex re ad eos eius

urbis dominatus esset omnino uenturus, gradus procul
dubiò inter cetera maximè oportunus ad totius Italiae
imperium obtinendum. His persuasi patres, senatuscon-
sulto Pisanorum patrocinium suscipiunt: promittuntq;
disertis uerbis, se eorum libertatè propugnaturus: quæ
res ab initio minus fuit ab Ludouico Sfortia, quàm tan-
ta res debuit, expensa: qui ob id ne Pisis sua præsidia ha-
beret, exclusus, gaudebat se eo sumptu liberari: præte-
rea à suis in eam ciuitatem meritis minimè alienum du-
cebat, ut eodem tempore pisanæ ciuitatis causa tum Ve-
neti, tum Florentini grauissimis sumptibus grauaretur:
ad hæc, sibi persuadebat, Pisanos propter imperij sui tã
amplitudinem, tum uicinitatem: deinde etiam ob eorũ,
quæ ipsorum libertatis causa fecerat memoriam, sibi
tantopere deuinctos esse, ut se reliquis omnibus semper
essent anteposituri. Has cogitationes spesq; fallaces, ea
persuasio qua inconstantia rerum humanarum parum
memor, seipse nutriebat, quaq; se fortunam tantum non
sub pedibus tenere existimabat: cuius etiam se filium es-
se palàm asseuerabat: usq; adeò fortunæ blandientis au-
ra ebrius atq; inflatus erat, quòd ipsius & opera & cõ-
silijs Gallia rex in Italiam descendisset: sibi quoq; ascri-
bebat, quòd Petrus Medices parum ipsius obseques uo-
luntati, eiectus è Florentinorum dominatu esset: Pisa-
norum item à Florentinis defectionem: & Aragoniorũ
è regno neapolitano, qui sui erant hostes, expulsionem:
quodq; post mutata sententia, suis & autoritate & cõ-
silijs, tot principum aduersus Carolum conspiratio se-
cuta esset: Ferdinandi in regnum reditus: regis Gallia
conditionib. tãta maiestate indignis, ex Italia discessio:
ac deniq; quòd apud Citadellæ pisanæ præfectum plus
ipsius

ipsius siue industria, siue autoritas, quæ proprii regis uoluntas præcepta quæ potuissent: his actionibus atque euctis quasi certissimis regulis futura dimentiens: aliorumque et prudentiæ et ingenium præ sua prudentia ingenioque contemnens, sibi res Italiæ omnes suo arbitratu moderaturum esse, suaque industria quæuis circum agere posse promittebat: quæ uana persuasio nec ab ipsomet, nec à suis nec uerbis nec factis dissimulata: quin potius cum ipsi pergratum esset sic ab omnibus et credi et prædicari, Mediolanum noctes atque dies inanibus uocibus passim resonabat: passimque Latinis Italicisque uersibus et orationibus ad assentationem compositis, Ludouici Sfortiæ admirabilis sapientia celebrabatur: è qua pax bellumque Italiæ perderent: nomen ipsius et Mauri cognomentum laudibus in cælum ferebatur: quod quidem cognomentum ipsi iam inde ab adolescentiæ, quod fusco esset colore, atque ex opinione, quæ tum iam de eius caliditate diuulgabatur, libenter quoad in imperio mansit, retinuit. Haud minor Mauri huius autoritas in alijs Florëtinorum arcibus, quæ in Pisana fuerat: ita ut non amici modo, uerum etiam inimici eius arbitrio gubernari uiderentur: quippe et si rex grauissimis per legatos Florëtinorum querimonijs auditis, grauiter fuisset commotus: atque ut reliquæ sattem ipsis arces restituerentur, cum nouis mandatis, et cum Lignini literis Robertum Vestium cubicularium suum misisset, nihilominus cum eius autoritas haud pluris apud alios quam apud semetipsum fieret, tanta fuit Lignini audacia, qui multis affirmabat se non sic sine regis nutu agere, ut propter ipsius mandata, accedente mala præfectorum, quibus arces erant commendatæ, uoluntate, regis ipsius imperia parui fierent: idcirco Eienensis Bastardus

qui Lignini nomine Serefanæ præsidium tenebat, postquam eò copias & legatos Florētīnorum ad possessionem recipendam adduxisset, Genuensibus uiginti quinque millibus ducatorū acceptis, tradidit: idem fecit certo auri numero accepto, Serefanelli custos, autore atq; intercessore Mauro: qui Florentinis Fracassa cum centum equitibus, & peditibus quadringentis sub nomine tamen Genuensium, opposito, obsitit quo minus oppida quæ in Lunigiana antiserant, recuperarent: quarum iam partem ijs copijs quas ad Serefanam recipiendā miserant, recuperauerant: pauloq; post Entrages in cuius custodia Petræ quoq; sanctæ Mutronisq; arces erant: et ad cuius manus Librafacta similiter peruenerat, hæc retenta, quam haud multis post mensibus Pisanis concessit, eas Lucensibus ducatorum sex & uiginti millibus quantum ab ipso Mediolani duce constitutum fuerat, uendidit: qui cum prius Genuensibus tradi optasset, post mutata sententia, Lucensibus gratificari maluit, quò ad Pisanos iuuandos promptiores redderentur: quoq; hoc beneficio eos magis sibi obstringeret: quæ omnia in Galliam delata, quannuis rex se Liguuo iratum ostenderet, Entragemq; toto regno interdiceret, tamen ubi Bonus rediisset, qui præterquam quòd Pisani auri particeps fuerat, Genuæ Serefanæ uenditionem procurauerat, eius purgationes admisse fuerunt: benigneq; à Pisanis legatus cū eo missus, qui regi persuaderet Pisanos uelle regibus Francorum parere, fidemq; suam ad hoc iureiurando obstringere: tamen si paulo post, eius mandatis inanis cognitis, dimissus fuerit: nec Lignino alia inflata pœna, quam ut regia gratia exclusus uideretur, interdicta in regis cubiculo cubandi, quemadmodum cõ-

sueue-

sueuerat, facultas: quæ ei citò fuit restituta. Entrages ue-
 rò sola contumacia notatus, in qua non diu tamen reli-
 ctus est: nam in huiusmodi rebus, præter regis naturã,
 aliãq; media & studia, plus potuit non falsa persuasio,
 Florentinos ne se ab eo seiungerent, necessitate teneri:
 propterea quòd cum apud omnes Venetorum, ducisq;
 Mediolani nota cupiditas: illud pro explorato teneba-
 tur, nisi Pisis receptis, eos ad Italiæ defensionem foedus
 cum illis nunquam percussuros: quam ad rem eos indu-
 cere minis ac terroribus satagebant: nihil tamen aduer-
 sus eos tentabant: quod satis esse arbitrarentur ijs præsi-
 dijs quæ Pisis imposuissent, eius ciuitatis uitã tueri: nec
 permittere ut omni prorsus ditione agri priuarentur:
 quòd regni neapolitani periculum ab omni alia eos co-
 gitatione auertebat: nam Virginius ad Balneum Rapolanum,
 deinde etiam in Perusino agro, ubi aliquot die-
 rum moram traxit, multis militibus collectis, unã cum
 alijs Vrsinæ gentis, Aprutium uersus procedebat: quò
 etiam Camillus Paulusq; Vitellus cum suis copijs conten-
 debant: quibus cum Montisleonis castellani comiteatibus
 denegassent, id castellum diripuerunt: qua re cetera Põ-
 tificij iuris oppida in eo itinere posita, perterrefacta,
 nihil Pontificis prohibitione moti, omnibus in locis ca-
 strametari permittebant, comiteatumq; suppedita-
 bant: quam ob rem, multoq; magis quòd è Gallia nouæ co-
 piæ mari Neapolim uenire nunciarentur, uiderenturq;
 gallicæ res in regno neapolitano magna incremẽta ac-
 cepturæ: nec Ferdinãdus à pecunia imparatus, multisq;
 difficultatibus irretitus, tam grande pondus sine maio-
 ribus subsidijs sustinere posset: ad noua remedia quo se-
 ueretur, animum conuertere compulsus est. Ferdinan-

dum reliqui potentatus initio suo foedere non comprehenderant: & quanquam recuperato regno, Hispaniæ reges uehementer cõtendissent, ut in id foedus admitteretur, Veneti prorsus recusarant: rati eius angustias ipsorum consilijs promouendis aptas esse: nimirum, ut eius regni portio aliqua in eorum potestatem deueniret: quapropter Ferdinandus omni reliqua spe destitutus, quòd ex Hispania nouæ subsidia minimè expectabat: nec ceteri foederati oneri tam graui sese uellēt submittere, cum Veneto senatu conuentum est, utriusq; partis sponforibus, Pontifice Regumq; Hispaniæ oratoribus regum suorum nomine, ut Veneti in regnum Neapolitanum Manuæ marchionem cum grauis armaturæ equitibus septingentis, leuis armaturæ quingentis, ac tribus peditum millibus Ferdinando subsidio mitterent: classem præterea quam circa ea loca haberent, eandem ibidem tenerent: uerum ea conditione, ut hæc auxilia, si quando ipsi eis opus haberent, reuocare possent: ad hæc regi ad præsentem egestatem subleuandam, auri pondo CL. commodarent: ut autem sumptus recuperandi ratio constaret, ijdem sponfores se effecturos, ut cis Ferdinandus Hydruntem, Brundisium, & Traniū pignori traderet: utq; Monopolim & Pulignanum, quæ in ipsorum etiam tum erant potestate, retinerent, assentiretur, promiserunt: ea tamen lege, ut impensis in id bellū receptis, ea omnia restituerent: impensarum uerò nomine, siæ in bello, siue in præsidijs, siue in munitionibus factarum, supra duo millia auri pondo petere non possent, quibus portubus quòd in mari superoppositi sint, atq; ob id uenetæ urbi multum oportuni, Venetorū potentia ualde augebatur: quæ cum qui se opponeret, nemo iam

mo iam esset: nec post Pisanorum susceptum patrocini-
 um, eorum cōsilia, qui uentis usq; adeò prosperè stan-
 tibus, lentius uela explicari dariq; uoluisset, audirètur,
 in omnes Italiæ partes sese proferre ac dilatare incipie-
 bat: nam præter res neapolitanas atq; hetruscas, Astor-
 rem Fauentiæ dominum recens conduxerant, eiusq; re-
 gni patrociniū susceperant: quod quidē ad Florenti-
 nos, Bononiam, Aemiliamq; reliquam in metu cōtinen-
 dam admodum erat opportunum. His Venetorum auxi-
 lijs, alia quoq; fœderatorum auxiliā accedebant: quæ
 Pontifex, Veneti, duxq; Mediolani communibus impen-
 sis Ferdinando submittebant: quanquā Ludouicus Mau-
 rus, nondum prorsus à simulata Vercellensis composi-
 tionis obseruatione discedens, quanuis eius consilijs bo-
 na horum negociorum pars ageretur, suumq; his in re-
 bus nomen proferri nolens, clam se auri libras centum
 singulis mensibus appensurū in regni neapolitani subsi-
 dium, repromiserat. Vrsinorum ac Vitelliorum profe-
 ctio, res Aprutiorum iam in Gallos apertè commotas
 confirmauit: iam enim Teranum, ciuitasq; Teatina re-
 bellauerant: ac ne Aquila urbs eius regionis præcipua,
 idem exemplū sequeretur, metuebant: qua in fide Gal-
 lorum confirmata, Teranoq; pactione recepto, nec non
 Iulia noua direpta, omne ferè Aprutium Gallorum no-
 men sequebatur: atq; his de causis Ferdinandi res in to-
 to regno palàm inclinare uidebantur: nam Calabria fe-
 rè tota in Aubignini erat potestate: tametsi diuturnus
 eius morbus, cuius causa Ieracij constiterat, Consaluo-
 tum Hispano milite, tum regulorum prouinciæ uiribus
 bellum in ea prouincia accensum tenendi facultatē præ-
 beret, Caieta cum non paucis circūpositis oppidis, Gal-

lis parebat: Romanæ urbis præfectus cum suis copijs, cumq; suæ ditionis uiribus, Montiscasini castellis receptis, Leboriam terram ab ea parte infestabat: & Mompenserijs, etsi rei numariæ difficultas magno ipsi erat ad res gerendas impedimento, Ferdinandũ in loca munita compellebat, quem eadem pecuniæ inopia laborantem, multisq; alijs ad bellum oportunis destitutum, Venetorum præsidiorum spes ualde sustentabat: quæ quidem præsidia recenti fœdere constituta, tam citò quam opus fuisset, expediri nequibant: Bencuentũ Mompenserijs prodicione occupare tentauit: sed Ferdinandus aliquid ea de re suspicatus, repente in eam urbem cũ suis copijs est ingressus. Ad urbẽ Galli accesserunt, castraq; ad Pontemfœniculi posuerunt: captoq; Fenezano, Apice, alijsq; compluribus circumiectis locis, in quibus comæatu destituti, quòd uestigalia pecuaria in Apulia exigendi tempus instaret, quæ quidem uel totius regnĩ maxima ad summam ducatorum octuaginta millium ascēdebant, quæ omnia unius mensis spacio cogebantur: Mompenserijs tum ut hostes hoc commodo priuaret, tum ut suorum egestatem subleuaret, in Apul.ã copias suas conuertit: cuius regionis pars una ipsius nomine, altera hostium tenebatur: cuius uestigia ponẽ Ferdinandus sequebatur, in id magis, ut aliqua arte aut diligẽtia hostis progressus impediret, quàm ut pugnaret intẽtus, dum eius auxilia adessent. Interea classis magnarum nauium quindecim, & septem minorum Caietam peruenit: in quam Saonæ octingenti è Geldria pedites, ijq; Heluctij & Vascones, quos rex primũ magnis illis nauibus, quæ Genuæ armari debuerãt, portari constituerat, conscenderant: cui classi Ferdinandi classis quæ supra

Caietam

Caictam, ut in ea commeatū importari prohiberet, speculabatur, pecuniæ defectu, rebus necessarijs male instructa cesserat: sic gallica classis sine impedimento in portum inuecta, turmas nauales in continentem exposuit, à quibus Itrium, aliq; uicina oppida capta fuerunt, multaq; abacta præda: ac de Sueffa Ioan. Bæptistæ Carracioli opera, qui se eos occultè intromissurum receperat, obtinenda, speratū: uerū Federicus, qui prius cum suis copijs, circa Tarentum confederat, post à Ferdinando ad Neapolim custodiendam erat missus, re intellecta, repente in eam sese immisit: ubi episcopum aliquotq; alios prodicionis conscios captos custodiæ tradidit. In Apulia ubi summa totius belli uersabatur, uaria fortuna utriusq; exercitus res gerebatur: dum temporis iniquitate in oppida & castella miles distributus, quòd uno contineri non posset, in id unum incumberet, ut ualidis excursionibus, armenta gregesq; abigeret & prædaretur, magis industria & celeritate, quàm armis & uirtute usus. Foggia Ferdinandus cum suorū militum parte: reliquis partim Troia, partim Nuceria dispositis, confederat, ubi cum inter sanctum Seuerū, quòd cum trecentis cataphractis Virginius Ursinus, ut cum Mompenserio coniungeretur, uenerat, interq; Porcinæ oppidum, in quo cum centum cataphractis Marianus Sabellus erat, ouium aliarumq; bestiarum greges penè innumerabiles errare accepiisset, cum sexcentis grauis armaturæ, octingentis leuioris equitibus, & peditibus mille & quingentis, eò processit: ac circa auroram in S. Seueri conspectū uenit: ubi cum cataphractis, quòd Virginitio. si se commoueret, resisteret, cōsistens, leuis armaturæ equites excurrere iussit, qui per totam regionem

discurrentes, ad sexaginta millia bestiarum abigerunt: ac Marianum Sabellum, qui Porcina ad eos infestandos eruptionem fecerat, in oppidum triginta amissis cataphractis, cōpulerunt. Hoc detrimento ignominiaq; accepta, compulsus Momperferius, uniuersis suis collectis copijs Foggiam uersus, quo prædam existimationemq; recuperaret, duxit: ubi fortuna felicius quàm ab initio sperarat, aspirante, inter Noceriam et Troiam in octingentos pedites Germanos, primum mari Ferdinãdi stipendijs conductos: qui cum Troia ubi fuerant collocati profecti, sua temeritate magis quàm regis mandato, cōtraq; Fabricij Columnæ consilium, qui & ipse Troiæ considebat, quò se cum rege coniungeret, iter faciebãt: hi cum neq; fuga, neq; armis salutem suam tueri possent, nec se dedere uellent, omnes ad interneccionem pugnando, non tamen hostibus uictoria sine sanguine relicta, cæsi fuerunt: progressus post Momperferius in Foggia conspectu exercitum ad pugnam instructum posuit: sed cum Ferdinandus leuem tantum armaturam exire permitteret, Galli ad Saltum Incoronatæ castra sunt metati: ubi cum biduum non sine com meatus difficultate mansissent, maiore post prædæ parte recepta, denuò ad Foggiam rediere: ibiq; unam noctem cōmorati, sequenti die ad Sansuerum haud tota cum præda, quippe dū redeunt, à Ferdinandi equitibus una parte spoliati, rediere: atq; in hunc modum bestijs dispersis, & abactis, utriq; ex uectigali exiguam admodum utilitatem percipere. Paucis post diebus Galli com meatus difficultate acti, in Campobassum quod per ipsas tenebatur, profecti sunt: quo ex loco Coleonessam siue Grigonisam uicinum oppidum uicerunt: ubi ab Heluetijs ducū auctoritate

toritate contempta, ea crudelitate seuitū est, ut tametsi
 region. magnū terrorem incusserit, animos tamen mul-
 torum abalienauerit: & Ferdinandus quā poterat res
 suas tut. tus, Mantuaniq; reguli aduentum expectans,
 copias suas, sexdecim aureorum millibus à Pōtifice ac-
 ceptis, ijs adiunctis quos ipse conficere potuit, instau-
 rabat: quo tempore Helueticorum cohortes, alijq; pedi-
 tes, qui class. Caietam appulerant, ad Mompenserium
 accessere: ab alia uerò parte Mantuanus in regnum in-
 gressus, Capuamq; uia Sangermana multis eo itinere
 partim ui, partim deditioe castellis, oppidisq; quan-
 quam haud magni momenti occupatis, profectus, sese
 cum rege circa Iunij mensis initium, ad Nuceriam con-
 iunxit: quò Cæsar Aragonius copias quæ circa Taren-
 tum fuerant, conduxit: sic omnibus frètā tam Gallorum
 q̄ Aragoniorū uiribus unum in locū contractis, illis pe-
 ditatu, his equitatu superioribus, rei euētus anceps ad-
 modum uidebatur: quod quam in partem uictoria in-
 clinatura esset, dijudicari non posset. In Gallia uerò per
 regem de subsidijs in regnum neapolitanum mittendis
 agebatur: nam ubi de arcium neapolitanarū amissione
 rex accepit: & quoniā Florentinis arces non essent red-
 ditæ, suos pecunia, & ceteris auxilijs destitui, tanquam
 è ueterno, cum quo in Galliam redijse uidebatur, exci-
 tatus: denuo ad res Italicæ animum cœpit conuertere.
 utq; magis liber ab eis rebus omnibus esset, quibus reti-
 neri posset, atq; ut se gratum de beneficijs in suis peri-
 culis acceptis declararet, equis ad celeritatem compa-
 ratis, Torsium primū, mox etiam Lutetiam Parisio-
 rum uotis in Tarense pugna nuncupatis diuo Martino
 ac Dionysio sasis facturus, contendit: unde ea celeritate

Lugdunum reuersus, indies magis ac magis in hac cogitatione & cura accendebatur, quam ad rem sua sponte propensissimus erat: sibi ad maximam gloriam ascribens, quod tam nobile regnum acquisiuisset: quodque Galliarum regum primus, post multa secula ipse praesens in Italia armorum & uictoriarum gallicae gentis renouasset: cumque sibi persuaderet, difficultates quibus Neapoli rediens laborauerat, ex mala suorum disciplina potius, quam ab Italarum potentia aut uirtute, quorum nomen in re militari apud Gallos iam nullum erat, fuisse profectas: eius praeterea animum Florentinorum oratores, cardinalis Ostiensis, & Triultius, qui hac ipsa de causa in Italiam redierat, extimularent, cum quibus idem urgebant Vitellocius & Carolus Ursinus, necnon Montorij comes eandem ob causam ab regulis, qui in regno neapolitano Francorum partes sequebantur, missus; ac denique Belcarius ipse Caieta mari ad regem profectus: magnam spem uictoriae, modo citra ullam moram idonea auxilia mitterentur: & contra, eius regni res, auxilijs destitutas diu sustineri non posse, demonstrabat: praeter hos etiam haud minima procerum Galliae pars, antea ab rebus Italis abhorrens, idem propter ignominiam, quae gallico nomini inureretur, siquidem quod partum erat per socordiam amitteretur, multoque magis ne tanta Francorum nobilitas, quae grauisima esset omnium iactura, in regno neapolitano periret, suadebant: nec huiusmodi consilia motibus, qui Hispaniae regum nomine a Perpenniano gliscebant, frenabantur: propterea quod cum nomine quam re apparatus illi maiores essent: eorumque regum uires suis regnis tuendis, quam aliorum inuadendis essent firmiores, ei malo remedium idoneum putabatur,

batur, quod Narbonem, atq; ad alia Hispaniæ finitima loca, satis ualida equitum Gallorum ac peditum Heluetiorum præsidia fuerant missa: itaq; procerum omnium & regulorum qui tum in aula erant coacto concilio, decretum fuit, ut quanta maxima celeritate posset, Astâ Triulcius cum proregis appellatione atq; honore, cum cataphractis octingentis, Heluetiorum duo millia, & totidem Vasconum, reuerteretur: Aurelianus itē paulò post, cum alijs copijs Alpes superaret: ac deniq; cum reliquis omnibus ad bellum oportunis rex ipse, cuius nutu, si quidem potenter descenderet, nō ambigebatur Sabaudum, Salucium & Monferratensem, ad bellum insubribus faciendum admodum oportunos esse secuturos: credebaturq; omnes Heluetiorum pagos, Berna excepta, quæ Ludouico Mauro fidem dederat, se nihil cōtra ipsum moturam, regis stipendia summa alacritate facturos: quæ eo maiore cōsensu decreta sunt, quòd rex eius rei desiderio ardere uideretur: qui prius quàm in consilium ueniret, Borbonium uehementer orauerat, ut magna uerborum ui, bellum illud omnibus regni uiribus necessariò esse faciendum demonstraret, post etiā in consilio eodem feruore uerborum Ammirallio refutato, qui paucis consentientibus, non tam directò contradicendo, quàm multis obiectis difficultatibus, aliorū animos ab ea expeditiōe obliqua oratione auertere conatus erat, rex palam est contestatus, in sua nō esse potestate, aliud statuere, quòd Dei uoluntate atq; instinctu in Italiam ipsemet redire cogeretur. Fuit quoq; in eodē consilio decretum, uti naues triginta in quibus una maxima erat Normana appellata, itēq; altera & ipsa magna Rhodiorum equitum, ab Oceani occidentalis litore,

in Prouinciæ portus transirent: ubi triginta partim triremes, partim quos uocant Galeones, armarentur: quò tam magna classe in regnum neapolitanum, militum, comineatus, pecuniæ, aliarumq; rerum: ualidissimū subsidiū importaretur: ac nihilominus, dum ista parātur, sine ulla mora aliquod nauigium uiris & comineatu onustum, mitteretur: ad hæc, ut Mediolanum Rigaultus regiæ domus magister, proficisceretur: quoniam dux, q; duas naues, ut promiserat, non dedisset, nec ut regis nomine Genuæ naues instruerentur, permisisset, ac naues tantum ad Rapallum captas, restituisset, sed non naues longas duodecim in Genuæ portu retentas, excusare id factum esse Genuensium contumacia studuerat: ac uarijs artibus suos homines continenter apud regē tenuerat, ad quem Antonium mariam Palauicinū recens miserat, se pacta seruaturū confirmans: petensq; sibi quinquaaginta millium aureorum solutionem, quos ex compositione Aureliano duci deberet, prorogari: quibus ex artibus, tametsi perexiguum fructum reportaret, quòd eius mens regi esset, cum ex alijs actionibus, tum quòd ex literis atq; alijs monumētis & indicijs, quæ intercepta fuerant, inuenerat, ab eo continenter Romanorum Hispaniæq; reges ad bellum in Galliam mouendum extimulari: nihilominus sperans eum timore fortè ad id induci posse, à quo uoluntate alienus erat, Rigaulto mandatum fuit, ut sine ulla rerum præteritarum altercatione, duci significaret in sua esse manu, præteritarum memoriam offensarum abolere, si quidem promissa facere inciperet, triremibus restituentis, nauibus duabus tradendis, regi Genuæ armare permittendo: his præterea regis in Italiam reditum adiunxit: qui quidē
 ipsius

ipsius cum grauissimo detrimento foret, si dum ad pristina-
 nam amicitiam redire facultas præbatur, eam contem-
 neret, quã rex ab eo inanibus suspicionibus potius quã
 aliam ob causam imprudẽter spretam esse existimaret.
 Iam tantorum in Gallia apparatus fama in Italiam
 delata, sociorum animos uehementer perturbabat: ac
 præter ceteros Ludouicus Sfortia, primum hostium fu-
 rori expositus, maximis curis afflictabatur: cum præfer-
 tim cognouisset ab rege post Rigaulti ab aula discessũ,
 suos procuratores omnes cum uerbis & signis satis a-
 speris esse dimissos: quamobrem, periculi magnitudinẽ
 animo uoluens, quodq; omnia belli incõmoda, in se unũ
 suumq; imperium deuolutum iri, regis postulatis faciliẽ
 annuisset, nisi offensarum in regem conscientia, retẽtus
 esset: his enim tanta in eius animo diffidentia ingenita
 erat, ut difficilius fuisset medium ad utriusq; securitatẽ
 inuenire, quã in controuersie capitibus conuenire:
 nam cum id ab unius securitate auferretur, quod ad al-
 terius securitatem concederetur, neuter in alterius fide
 ponere uolebat, id quod alter in sua ponere recusaret:
 sic cum Ludouicus id consilium capere, quod ipsi mole-
 stius erat, quò saltem pericula differret, necessitate coge-
 retur, cum Rigaulto ijs artibus uti perrexit, quibus ad
 eam horam usus erat, uehementer asseuerans, se Genuẽ-
 ses coacturum, modò rex per idoneos sponsores Aue-
 nione de nauium restitutione caueret: atq; utraq; pars
 obsidibus datis repromitteret, nihil alteram partẽ noui
 in alterius partis detrimentũ tentaturam: quæ res mul-
 tis diebus agitata, eum demum finem propter uarias ca-
 uillationes ac difficultates interpositas habuit, quẽ aliæ
 pariter habuerant: uerũ Ludouicus nequaquam inu-

tiliter id tēporis terens, dum hæc colloquia pende-
 bant, certos homines ad regem Rom. misit, qui cum, ut in Ita-
 liam suo atq; Venetorum auxilio fretus ueniret, induce-
 rent: cum Venetis uerò per suos legatos egit, ut in hos
 sumptus, communis periculi uitandi causa, concurre-
 rent: atq; Alexandriam uersus ea præsidia mitterent,
 quæ Gallis opponi posse uiderentur: quod illi se factu-
 ros esse facile promiserunt: at non eandem facilitatem
 in regis Rom. transitu ostenderunt: quòd is parum esset
 eius Reip. amicus, propter ea quæ ipsi in continenti pos-
 siderent, quæ ad imperium atq; ad Austrios pertinerēt:
 nec assentiebantur, ut communibus impensis in Italiam
 exercitus conduceretur, qui in omnib. ab Ludouici nu-
 tu penderet: nihilominus uehementer id urgente Ludo-
 uico, quod præter cetera quæ illum mouebant, Vene-
 torum uires solæ in Insubria ei erant suspectæ. Venetus
 senatus ne is qui uehementer, ut constabat, perterritus
 erat, cum Gallo reconciliaretur ueritus, tandem ei est
 assensus: legatos eandem ob rem ad Cæsarem misit. Me-
 tuebant præterea Veneti & Ludouicus, ne Florentini
 simul ac rex Alpes superasset, in Ligustica ora aliquid
 mouerent: idcirco cum Ioāne Bentiuolo egerunt, ut cū
 trecentis grauis armaturæ equitibus, cum quibus erat à
 fœderatis conductus, Florentinos qua parte Bononien-
 sibus finitimi sunt, infestis armis inuaderet: polliceban-
 turq; eodem tempore ab Senensibus, atq; ab ijs qui Pisis
 erant, infestatum iri: sese præterea obligaturos, si fortè
 is Pistorium urbem occuparet, ipsi ad eam retinendam
 auxilio futuros: cuius rei, etsi Bentiuolus eis spem face-
 ret, tamen cum animo esset alienissimus, ac non parum
 Gallorum aduentum pertimesceret, clam ad regem mi-
 sit,

fit, qui præterita peccata, ob loci in quo sita Bononia est necessitatem, admissa, excusaret: pollicereturq; Bentiuolos ab eius nutu uelle pendere: eiusq; causa a Florentinis infestandis abstinere. Verum enim nec regis uoluntas quamuis ardentissima, nec quòd eius existimatio, & regni neapolitani pericula celeritatem maximam poscerent, satis poterant, ad ea quæ in consilio erant constituta perficienda: propterea quòd Maclouiensis in cuius manu nõ modò rei numariæ explicandæ, uerù etiam totius regni summa administratio posita erat, etsi palàm nihil repugnaret, nihilominus solutionibus necessarijs prolata dis, expeditiones in tantum retardabat, ut nulla prouisio ad exitum perduceretur: quod quidem face re putabatur, siue quòd ea ratio ad suam autoritatem perpetuandam potior uideretur, si nullum sumptum faceret, qui aut ad præsentem utilitatem, aut ad regis uoluptates non pertineret: siue ne quotidie nouas rerum difficultates, rei q; numariæ angustias proponere cogere tur: siue, ut non pauci dubitabant, largitionibus & promissis corruptus, arcana consilia cum Pontifice, aut Mediolani duce haberet: nec huic cessationi Regis cohortationes præceptaq; interdù iracundiæ uerborumq; contumeliosorum plena medebantur: nam cum eius naturam compertam haberet, ei promissis factis prorsus aduersis satisfaciebat, atq; in hunc modum rerum constitutarum effectione retardata, omnia serè consilia casu quodam inopinato conciderunt: nam rex cum omnes expectarent, ut paulò post in Italiam moueret, circa finem mensis Maij, Lutetiam proficisci decreuit: cuius profectiois eas causas afferebat: primùm, quòd ueterũ regum more antequàm è Gallia discederet, D. Diony-

sium Parisijs, Torsij uerò D. Martinum solita cum cere
 monia salutare uellet: deinde cum in Italiã transire pe-
 cunia exuberantissimus decreuisset, ne in eas rei numaria
 difficultates incideret, quibus anno superiore erat
 cõflictatus, opus esse ut et alias Gallie ciuitates, Lutetie
 exẽplo, à qua nisi ipsemet adesset, extorqueri nihil pos-
 set, ad pecuniam expediendam induceret: quodq; quò
 magis ipse in interiora Gallie procederet, eò magis e-
 quites qui è Normania & Picardia mouebãtur, ut iter
 accelerarèt, urgeret: affirmabatq; ante suum Lugduno
 discessum, Aurelianum se expediturum: seq; intra men-
 sem Lugduni futurum. Verumenimuerò, uerior ac po-
 tior eius profectiois caussa credita est, quòd amore cui-
 iusdam è reginae cubiculo puellae teneretur: quae re-
 gina paulò antè Torsium cum omnibus suis erat pro-
 fecta: nec suorum consilia, nec ardentis ac lugubres Ita-
 lorũ preces, cum ab huiusmodi proposito auertere po-
 tuerunt: qui ei quàm damnosum esset tẽpus bello oportu-
 num amittere, in tantis præsertim suorum in regno
 neapolitano angustijs, demonstrabant: quãq; pernicio-
 sa fama per Italiam dissipata, eum tunc remissiozem fa-
 ctum, cum Italiae appropinquare maximè deberet: par-
 uis momentis leui sæpe rumore, rerum agendarum exi-
 stimationem commutari: quam, ubi semel cœpit inclina-
 re, quanuis post multo gererentur maiora ijs quae prius
 homines sibi de ipsis promississent, erigere ac recupera-
 re difficillimum esset: hæc monita cum ille cõtemneret,
 mensẽq; amplius Lugduni fuisset, se ad illud ipsum i-
 ter accinxit, Aureliano minimè expedito, sed Triultio
 tantum cum paucis Astam, non tam ad belli apparatus
 quàm ut Philippum, qui paruuli ducis nepotis sui inte-

ritu, in Sabaudia ducatum nuper successerat, in sua amicitia confirmaret, dimisso: nec ante regis discessum de rebus neapolitanis effectum est aliud, quam quod sex naues cum commeatu Caietam sunt missae, spe facta, cito ualidam classem secuturam: procuratum praeterea, etsi serò, per mercatores Florentiae est, ut Mompenserio aureorum nummum quadraginta millia persoluerentur, propterea quod Heluetij Germaniq; milites, ni ante Calendas Iulias sua stipendia acciperent, se in hostium castra transitiones facturos, minati contestatiq; fuerant. Lugduni Aurelianus & Maclouiensis, totumq; consilium remansit, cum mandatis, uti bellicum apparatus accelerarent: quas res, si cardinalis Maclouiensis rege praesente lentè procurauit, multo etiam eo absente lentius administrauit: at neapolitanae res horum remediorum tarditatem expectare iam non poterant, quod bellum, tum propter utriusq; partis copias undiq; congregatas, tum ob multas difficultates quae ab utraq; parte nudabantur, eo loci redactum erat, ut id sine ulla dilatione terminari necesse esset. Ferdinandus postquam uenetas copias sibi adiunxisset, Castellum Francum occupauerat: ubi cum ducentis cataphractis Ioannes Sfortia Pisauri dominus, & Ioannes Gonzaga, Mantuani marchionis frater, foederatorum duces se ei adiunxerunt: ita ut in eius castris in summa essent mille & ducenti grauis, mille & quingenti leuis armaturae equites: perditum uerò quatuor millia. Galli quoq; eodem tempore ad Circellas, decem prope Beneuentum milliaria, suas copias admoouerunt: ad quas cum Ferdinandus quatuor millia passus accessisset, ad Frangetas Monfortianas copias duxit: quem locum quod bene munitus esset, primo

impetu capere nequiuertunt: Circellis quo eis opem ferrent, mouerunt Galli, sed in tēpore non affuerunt: quòd secundam oppugnationem ueriti Germani milites qui in præsidio erant, oppido ad uoluntatem hosti relicto, iam deditiōnem fecerant: quæ occasio si à Gallis cognita fuisset, eorum felicitatis causa extitisset, nisi aut imprudentia, aut aduerso fato eam amississent: nam eo die facile (quod omnes ferè fatentur) hostem in oppidi direptione magnam partem occupatum debellassent: miles enim prædæ intentus, præfectorum imperia non attendebat: qui præfecti cum uiderent inter Gallos, suaq; castra, unam modò uallem interesse, omni adhibita cura, militem ad signa reuocare conabantur. Hanc tam grandem, tam ostentatam occasionem cognouit Momperferius, cognouit Virginius: quorum alter imperabat, alter, certa uictoria demonstrata profluentibus lacrymis rogabat, ut uallem quanta possent celeritate, dum in Italorū castris omnia erant confusionis ac tumultus plena, dum miles pars rapere, pars rapta exportare intentus, ducum & præfectorū non audit imperia, transmitterent. Sed enim Persiuus unus Gallici exercitus, post Momperferium princeps, siue iuuenili leuitate motus, siue, quod magis est creditum, Momperferij inuidens gloriæ, allata uallis transmittendæ difficultate, quòd ferè sub hostis pedes esset ascendendum: præterea castrorum situm natura munitum: ac deniq; apertè militem à pugna dehortando, consilium usq; adeò salutare impediuit. existimatum etiam est, Heluetios Germanosq; ab eo instigatos, stipendijs importunius postulandis, tumultuosos esse: quamobrem, Momperferius pedem referre compulsus, Circellas est reuersus: quas cum postero die oppu-

oppu-

Oppugnare coepisset: & Camillus Vitellius circa muros egregij et ducis et militis munia obiret, saxo caput percussus, uitæ finem habuit: quo casu Galli non expugnatis Circellis, castra inde mouerunt, atq; Arrianum uersus duxerūt, eo tam animo, ut oblata occasione, pugnae fortunam tentarent: cui consilio contrarium prorsus erat Aragoniorum consilium, in qua sententia maximè Venetorum legati firmiter stabant, qui cum scirent hostem commeatus difficultate iam laborare, & pecunia penitus carere, in Gallia quoq; subsidia lentius expedi-ri, indies eorum res deteriores, & incommoda maiora futura sperabant: in alijs etiam regni partibus maiores molestias habituros: quippe in Aprutijs, quò Annibal Camerini reguli spurius recens ad Ferdinandi iuuandas partes sua uoluntate cum quadringentis equitibus suo iere conductis profectus, Bitontinum Marchionem debellauerat: adhæc dux Urbini cum trecentis cataphraetis, nuper à fœderatis conductus, expectabatur: quorū fortunam, præmiaq; maiora secutus, Florentinorum stipendia, quibus in annum & amplius futurum erat obligatus, reliquerat, ea usus excusatione, quòd cum esset Pontifisis beneficiarius, non poterat nõ Pontificis mandatis obtemperare: aduersus quē cum Gratianus Guerra procederet, in Sermonetæ planicie, cum Cælani Populique comitibus cum quibus erant trecenti equites, peditum tria millia ex agris collectorum, congressus, eos in fugā conuertit. Verum, amissa ad Frangetas uin-sendi occasione, simul etiam fortuna Gallorum aperte coepit inclinare, uno eodemq; tempore innumeris propemodum difficultatibus concursantibus: extrema pecunie inopia, commeatus caritas, populorum odium,

præfectorum discordia, militum contumacia, multorumq; ab castris partim necessitate, partim uoluntate discessio: nam & ab regno cogendæ pecuniæ, nisi per quã exiguæ facultas, nõ fuerat: nec ex Gallia summa aliqua saltẽ tolerabilis, suppeditata: quòd uel quadraginta millium aureorum Florentiam missorum, sera nimis fuerat explicatio. His igitur de causis, atq; insuper propter uiciniam multorum locorũ, quæ hostis propinquitate sustentabantur, cum ad comæatus conuentionem oportuna remedia inuenire nequirent, & castra confusionis essent plena, militum animi abiecti, Heluctij cum Germanis quotidie stipendia non sine tumultu flagitarent, consilijs deniq; omnibus Persiui & Mompenserij disidium plurimũ obesset, Bisiniani princeps, ut ad suum tutadum regnum cum suis omnibus copijs, Consalui qui circa ea loca suas habebat acies metu discederet, compulsus est: complures etiam milites pagani, manipulatim diffluebant: quippe præter quã quòd nullam unquam pecuniam acceperant, malè à Gallis atq; ab Heluctijs in prædæ comæatusq; distributione accipiebantur: quibus difficultatibus, maximè uerò ob comæatus angustiam, gallicæ copię paulatim de loco in locum retrocedere, quòd magnopere eorum apud omnes existimationem imminuebat, cogebantur: quanquã hostis eorum uestigia perpetuò insequeretur, nulla tamen pugnæ committendæ, quod summoperè Mompenserius Virginiusq; cupiebant, facultas præbebatur. Aragonij enim ne pugnare cogentur, castra semper in locis munitis, & ubi suis commoditatibus prohiberi non possent, metabantur: ad quos cum Philippus Rusius, qui centum cataphractos Venetorum nomine ducebat, ut

cum

cum his se coniungeret, progredere-
 tur, à præfecti Rô-
 mani turmis fuerat oppressus. Tandem cum Galli sub
 Montem Caluulum & Casalarborem prope Arriani
 constitissent, Ferdinãdus castris ab eis ad sagittæ idctũ,
 in loco tamen natura munito positus, ad cõmeatus sum-
 mam angustia, a quatione etiam interclusa eos redegit,
 ex quo in Apulia ubi commeatus commoditatem se pos-
 se nancisci sperabant, proficisci statuentes, ueriti in tam
 ta præsertim hostis uicinitate, ne in eas difficultates in-
 ciderent, in quas facillè exercitus discedentes incidunt,
 prima statim noctis uigilia uasis collectis, passuum ui-
 ginti quinq; millia, antequam consisterent, confecerunt:
 quos cum manè Ferdinandus insequi cœpisset, se autem
 eos consequi posse desperaret, ad Giesualdum castra po-
 suit: quod oppidũ, cum alio tempore quatuordecim mē-
 sium obsidionem sustinuisset, uno die expugnatum fuit:
 quæ res ualde Gallos fefellit: qui cum Venusiæ consiste-
 re loco & natura munito & fertili decreuissent, existi-
 marentq; à Ferdinando Giesualdum haud tam citò ca-
 ptum iri, in caussa fuit, ut Atellæ tempus inaniter, dum
 eam captam diripiunt, consumerent: quapropter pri-
 usquam inde discederent, Ferdinandus, qui capto Gies-
 ualdo iter accelerauerat, superuenit: & quanuis ipsius
 copiarum partem quæ præcesserat, repulissent, cum se
 Venusiam quæ octo passuum millibus inde aberat, reci-
 pere non posset, Atellæ, ut ibi, si fortè alicunde subsidia
 cõparerent, expectarent: atq; ob Venusiæ, multorumq;
 circa oppidorum quæ ab ipsis tenebantur, propinqui-
 tatem, commeatus cõmoditate uti posse sperantes, con-
 sistere: ubi Ferdinandus illico positus castris, in id tantis
 ut eos commeatu, quandoquidem certam uictoriam ci-

tra periculum & sanguinem, se adipisci posse sperabat, prohiberet: itaq; fossis circumquaq; ducentis, & vicinis oppidis occupandis sedulo incumbens, nulli diligentiae, labori, operae parcebat. Verum Gallorum res aduersae rem illi faciliorem indies reddebant: nam Germanorū cohortes, cum ab eo tēpore quo domo discesserant, nisi in duos menses stipendia accepissent, omniaq; solutionū tempora inaniter expectata praeiterijissent, in Ferdinandi castra transferunt: ex quo aucta ipsi hostis infestandi atq; latius euagandi facultate, difficilius in Gallorū castra commeatus Venusia, alijsq; ex circūiectis locis importabantur: nec Atellae tantum erat commeatus, ut Gallis multos dies sustentandis satis esse posset: nam frumenti copia perquam exigua ibi erat: cumq; ab Araconijs mole frumētariae in flumine muris proximo corruptae essent, molendi facultate priuabatur: nec praesentia incommoda, futurorum commodorum spe leuabantur: quandoquidem nulla ex parte alicuius opis aut subsidij signum apparebat. At enim, calamitas in Calabria accepta, res illorum omnes prorsus prostrauit: quippe Consaluis, occasione ex Obignini diuturna ualetudine, quamobrem multi ad Mompenserij se castra contulerant, accepta, cum in ea prouincia cōplura oppida cepisset, postremo cum Hispanis, ac non paucis eius prouinciae militibus, ad Castrouillarium confederat: ubi, cū Miletii comitem, Alberigumq; Sansseuerinum, multos praeterea alios regulos Laini, cum militū numero, suis ferè pari esse: qui continenter augetescentes, ubi ualidiores contraxissent copias, in se impetū facere cogitare, accepisset, anteuertere statuit, se illos incautos, loci natura fretos ac securos oppressurū sperans: propterea

quòd

quòd Laini arx ad Sapri flumen, quo Calabria à principi-
 patu separatur, posita est: oppidum uerò in aduersa flu-
 minis ripa: in quo ipsi castris positis ab arce, si quis
 eos recto itinere inuasisset, defendebantur: inter Laini
 uerò & Castrouillarium, Muranũ, nonnullaq; alia Bi-
 siniani principis castella, quæ ipsi tenebant, intererant.
 Verum, Consaluus diuerso prorsus consilio, Castrouilla-
 rio cum copijs suis uniuersis secunda noctis uigilia mo-
 uit, rectoq; itinere relicto, latum iter, etsi multo longius
 ac difficilius, quòd montes quidam erant superandi, ce-
 pit: atq; ubi ad flumen peruenisset, peditum cohortes,
 uia quæ ad pontem ducit, Laini arcem inter & oppidũ
 ire iussit: qui pons eadem quam paulò antè commemo-
 rauit, securitate, negligenter custodiebatur: ipse uerò cũ
 equitatu, amne duobus supra pontem milliaribus, uado
 transmissus, antè ad oppidum quàm luceret, peruenit,
 hostemq; sine excubijs & sine uigilibus nactus, momen-
 to oppressit, undecim regulis, omnibusq; ferè militibus,
 qui arcẽ uersus fugiẽtes in pedites inciderãt, qui iã pō-
 tis transitũ occuparãt, captis. Hac nobili uictoria, quæ
 prima Consaluo in regno neapolitano fuit, alijs quibus-
 dam Calabriae oppidis receptis, uiribusq; adauctis, Cō-
 saluus cum sex millibus militum in Ferdinandi castra,
 quæ circa Atellam erant, concessit: quò etiam paucis
 diebus antè centum cataphracti Candiani ducis fœde-
 ratorum auspicia sequentis, uenerant: nam ipse cum re-
 liquis suis equitibus, in Latio remanserat, Consalui ad-
 uentu, arctius Atella à tribus partibus circumsessa, ob-
 sideri cœpit: nam ab una parte Aragoniorum copiæ, ab
 altera Venetorum, à tertia Hispanorum positæ erant:
 quo fiebat, ut omni ferè commeatu inferèdo, præsertim

longè lateq; equitibus Græcis, quos Veneti miserant, discurrentibus, intercluderetur: à quibus equitibus multi Galli Venusia commeatum adducètes, capti fuerunt, sic ut qui intus erant, nullam iam facultatem prædatum excundi, nisi certis horis, magnoq; comitatu, qua etiam re omnino priuati fuerunt, haberent: cumq; Paulus Vitellius cum centū grauis armaturæ equitibus circa meridie erupisset, à Mantuano regulo in insidias pertractus, suorum partem amisit. In hunc igitur modum omni commoditate priuati, in tãtas demum angustias adacti sunt, ut ne cum præsidijs quidem flumine ad aquandos equos uti possent: in oppido uerò aqua usibus hominum necessaria destituerentur: quibus tot tantisq; malis uicti, omniq; spe prorsus destituti, iam duobus & triginta diebus obsidionem passi, ad deditionem compulsi, si de publica impetrata, Persium, Aluianum, unumq; ex Heluetiorum præfectis ad Ferdinandum miserunt: cum quo induciæ in hanc sententiã sunt constitutæ: ut in triginta dies utrinq; offensæ cessarent: quo tempore nulli obsessorum discedere liceret: ut ab Aragonijs singulis diebus ad uictum necessaria obsessis præberentur: liceret Mompensero suum regem de hac cõpositione certiore facere: si eo triginta dierum spacio opem nemo ferret, Atellam, atq; unà quicquid in regno neapolitano in sua esset potestate, cum omnibus militaribus tormentis, quæ in eis locis essent, saluis tamē militibus eorumq; fortunis relinqueret: quibus terra mariue in Galliam abire, Vrsinis quoq; alijsq; Italis militibus unà cū suis copijs, quocunq; extra regnum uellent, liceret: regulis uerò & alijs qui partes Gallicas erant secuti, si intra dies quindecim ad Ferdinandum irent, omnis pœna remissa

remissa esset, omniaq; quæ belli initio possidebant, restituerentur: quibus diebus exactis, Momponserius cū omnibus Gallis, multisq; Heluetijs, Vrsiniq; ad castellum ad mare Stabiarū deducūtur: ibiq; disputabatur, an Mompēserius ut regis legatus, ac totius gallici exercitus præfectus, omnia quæ in toto regno regis Gallie nomine possiderentur, uti ea restituerentur efficere, quemadmodum uolebat Ferdinandus, teneretur: quippe, Momponserius ad ea tantum se obligari quæ in sua essent potestate, asseuerabat: aiebatq; autoritatem suam eò non pertinere, ut illis præfectis & arcium custodibus parendi necessitatē imponeret, qui in Calabria, in Aprutijs, & Caietæ, multisq; præterea alijs & oppidis & arcibus essent, quarum custodiam ab rege ipso, & non à se accepissent: qua de re postquam aliquot dies fuit altercatū, Baias, quasi inde Ferdmandus eos dimissurus esset, sunt deducti: ubi eo prætextu, quasi naues quibus uehendi forent, nondum instructæ essent, tam diu fuerunt detenti, ut inter Baias & Puteolos sparsi, tum aeris grani affectione, tum multis alijs incommodis expositi, periculosissimis morbis inficerentur, adeò ut Momponserius ipse ibi uitam amitteret: atq; è suis qui erant supra quinq; milia, tot interirent, ut uix quingenti incolumes in Galliã redierint. Virginus autem Paulusq; Vrsini, petente Pontifice, qui eam iam familiam fortassis omnibus euertere statuerat, in Oui arcem inclusi fuerunt: horum quoque copie, quas Ioan. Iordanus, Virginij filius, & Aluianus ducebant, eiusdem Pontificis mandato, ab Urbini duce in Aprutio armis equisq; exutæ fuerunt: adhuc Ioãnes Iordanus Aluianusq;, qui Ferdinandi iussu copijs in itinere relictis, Neapolim redierant, in carcerem sunt cõ-

ieſti: quanquam Aluianus, ſiue ſua induſtria, ſiue occulto Ferdinandi, cui admodum carus extiterat mandato, fuga euadendi facultatem inuenit. Poſt Atelianam uictoriam, Ferdināduſ copijs ſuis ad reliqua recuperāda in uarias partes diſtributis, ad Caietam obſidendam Federicum Aragonium, Proſperumq; Columnam miſit: in Aprutium, ubi iam Aquila ad Aragoniorum fidem redierat, Fabricium Columnam: ipſe uerò Sanſeuerini arce ui capta, atq; ad aliorum terrorem præſecto unā cum filio capite mulctatis, ad Salernum copias eduxit: ubi Biſiniani princeps, cum eo in colloquium uenit: in quo res ſuas, Salernitani principis, et Capaccij comitis, necnon aliorum quorundam regulorum compoſuit, eā conditione, uti omnes res ſuas poſſiderent, ſed Ferdināduſ arces ad certum tempus teneret: quibus rebus compoſitis, Neapolim ſe contulerunt. In Aprutio non admodum eſt laboratum: quòd Gratianuſ Guerra, qui ibi cū equitibus octingentis erat, ſui defendendi facultate priuatus, ſeſe Caietā recepit. In Calabriā, cuius bona pars à Gallis tenebatur, Coſaluus redijt: ubi, et ſi Obigninus nōnihil obſtaret, tamen ad extremum ſe Groppolim recepit: cumq; Manfredoniā Coſentiamq; primum à Gallis direptam amiſſiſſet, omni reliqua ſpe deſtitutus, pactione totam Calabriā reliquit: eiq; ut terreſtri itinere in Galliam rediret, conceſſum. Certum eſt pleraq; ex ijs quæ diximus, negligentia ſocordiaq; Gallorum accidifſe: nam et ſi Manfredonia munita eſſet, atq; in fertili regione ſita, ſic ut comæatu probè inſtrui poſſet: in eaq; rex Gabrielem à Montefalcone, qui eā cuſtodiret, quòd cum hominem ſtrenuum exiſtimaret, reliquiſſet, nihilo minus poſt non longam obſidionem, fame deditonem
facere

facere est compulsus: alij aut cum se tueri possent, timore, aut incommodorum quæ obsessis proposita sunt impatientia, in hostium manus deuenere: quidam arcium præfecti, commeatum quem in arcibus copiosum inuenierant, initio distraxerunt: quapropter hoste conspecto, illico deditioem facere cogebantur: quas ob res Galli in regno neapolitano eam existimationem, quam eius uirtus, qui ab Ioanne Andioiuino arci Ouatæ præfectus fuerat, nomini gallico conciliarat, amiserunt: is enim post Ferdinandi uictoriam, eam per annos multos tenuit, donec absumptis omnibus, quibus uita sustinari poterat, necessitate extrema compulsus, eam reliquit. Cum igitur Aragonijs ad totius regni recuperationem nihil iam præter Tarentum, Caietamq; necnon quædam à Carolo Sanguine possessa, Sanctiq; angeli montem, unde Iulianus Lotharingus summa cum laude uicinia ioca infestabat: Ferdinandus in summo gloriæ fastigio collocatus, magnaq; spe se maiorum suorum magnitudini parem futurum, Sommam oppidum in Veseui Montis radicibus positum, ubi regina coniunx ipsius tum erat, cõcessit: hinc, siue militia laboribus exantlatis, siue nouis offensionibus corporis temperamento dissoluto, in tam grauem morbum incidit, ut Neapolim sine ulla propemodũ spe salutis delatus, huius uitæ curriculum, necdum anno à morte Alfonsi finito, concluderet: suæ uirtutis, tum ob recentem uictoriam, tum ob animi generosi indolem, tum ob multas regias uirtutes, quæ in eo haud mediocriter elucebant, non modò in toto suo regno, uerumetiam per totam Italiam maximam opinionem relinquens. Decessit sine liberis: idcirco ei Federicus patruus successit: cum quinq; trium annorũ

spacio reges in eo regno fuissent: cui statim è Caietana
 obsidione redeunti, regina eius nouerca, arcem nouam
 etsi permulti dubitarent, eam regis Hispaniæ Ferdinan-
 di fratris sui nomine retenturam, tradidit: qua in re, nõ
 modò populi neapolitani uoluntas egregia in Federicũ
 sese ostendit, uerum etiam principum Salerni & Bisinia-
 ni, comitisq; Capaccij, qui primi Neapoli eius nomen
 proclamarunt: eumq; è naui descendente obuiã pro-
 gressi, regem salutarunt: eo multo cõtenti magis, quàm
 mortuo: propter animi ipsius mansuetudinem: quodq;
 haud exigua suspicio suborta esset, Ferdinandum ut pri-
 mùm res suas confirmasset, eos qui quouis modo se Gal-
 lico nomini studere ostendissent, omnes acerbissimè per-
 sequi in animo habuisse: at Federicus, quo eos sibi inte-
 gra fide reconciliaret, omnibus suas arces magna cum
 laude liberaliter restituit. Hæc autem quæ tanta confu-
 sione, tantaq; gallici nominis cum ignominia & detri-
 mento acciderant, nec animũ nec apparatus regis Gal-
 liæ commouerunt: qui uoluptatibus irretitus, suum Lu-
 gdunum aduētum quatuor menses distulit: & quanquã
 interea sepe suis, qui Lugduni restiterãt, instaret, ut ma-
 ritimi terrestresq; apparatus accelerarētur, duxq; Au-
 relianus ad profectiõnem esset accinctus, nihilominus
 hysdem Maclouiensis artibus, & miles serò stipendijs re-
 presentatis, Italiam uersus lentè procedebat: & classis,
 quæ Massiliam cõuenire debuit, tanta tarditate instrue-
 batur, ut socijs spacium sit datum Villafrancam primũ,
 portum propè Niceam amplissimum, pòst ad Pomicas
 Massilienses usq; classẽ, quam Genuæ cõmunibus im-
 pensis coniuñxerãt, mittēdi, quò ne qua nauis Neapolim
 è Gallia mitteretur, impedirent: ad hanc tantam morã

nienfis opera iniectam, aliquam occultio- rem cauffam, in regis pectore multa & diligentia & arte nutritam, ab ijs qui uarijs de cauffis adnixi fuerant, regis animũ ab rebus Italiæ remouere, accedere, homines nõ infulsi opinabantur: itaq; fufpicabantur, regem Aureliani felicitati nonnihil inuidere, ad quem ex uictoria Insubriæ imperium perueniffet: erant præterea, qui regi perfuaderent, ni prius cum Hifpaniæ regibus aliquo modo cõtrouerfias componeret, qui ut uoluntatẽ cum eo in gratiam redeundi oftenderent, legatos miferãt, qui ei inducias, aliosq; concordie modos proponerent, è Gallia nõ effe ullo modo difcedendum. Alij ut Regiæ partũ propinquum expectaret, hortabantur: eius prudentiæ non effe, neq; amoris quo fuos populos complecti deberet, uitam fuam tot periculis exponere, ni prius filium tanti regni hæredem fufciperet: quæ ratio regiæ partu roborata eft: quippe breui mortuus eft ex ea natus filius. Sic partim negligentia, debiliq; regis confilio: partim difficultatibus magno quorũdam artificio interpoſitis, in tantum dilati ſunt apparatus, ut fuorum qui in Italia erant extremum exitium, cum totius regni neapolitani amiſſione ſecutum fit: idemq; ſuis in Italia amicis accidiffet, niſi ipſi res ſuas conſtanter defendiffent. Suprà dictum eft, Gallicorum apparatus metu, de Maximi- liano in Italiam euocando, Ludouici potius cauffa, quã Venetorum, agi cõceptum fuiſſe: cum quo eodem metu permanente conuentum eft, ut Veneti & Ludouicus in ſingulos menſes aureorum numũm uicena millia, idq; per tres tantum menſes, numerarent: ut is certum equi- tum peditumq; numerum ſecum duceret: qua pacto confecta, Ludouicus faciorum oratoribus comitatus,

Manzium locum ultra Alpes Germaniæ finitimum, colloquendi cum eo gratia, profectus est, quo in loco cum diu essent collocuti, eodemq; die sese Burmium cis alpes imperij Mediolanensis castellū recepisset, postridie Cæsar per speciem uenationis in eum locum uenit: quibus bidui colloquijs, tempore & modo in Italiam transeundi cum eis constituto, in Germaniam redijt, ut quod inter eos erat conuentum, perficeret. Verumenimuerò cū interea apparatus gallici rumores deferuescerent, sic ut Cæsarem in Italiã ea de caussa educere iam opus esse minime uideretur: Ludouicus ad ambitionem eo uti decreuit, quod ad propriam securitatem procurauerat: idcirco eum urgere ut in Italiam descenderet, non cessabat: cumq; Veneti eò adduci non possent, ut ei ultra illa sexaginta millia, triginta millia aureorū numūm, quæ Cæsar petebat compromitterent, Ludouicus ea se appèsurum repromisit: in huncq; modum tandem in Italiam paulò quàm Ferdinandus moreretur prius uenit: cuius morte cum iam Mediolano appropinquaret, cognita, in animo habuit pro sua uirili conari, ut regnū neapolitanum ad Ioannem unicum regis Hispaniæ generi sui filium perueniret: sed cum ei ab Ludouico ostēderetur, id toti Italiæ molestum fore, sic ut socij ab seinuicem diiungerentur: atq; ob id, Galliæ regis consilia promouerentur, nō solum abstinuit, sed etiam Federici successionem literis comprobauit. In Italiam secum perexiguū militum numerum duxit: breui tamen, reliquos, quos ex pacto ducere deberet, secuturos, erat rumor: ipse Vi geueni constitit, ubi coram Ludouico & Sanctæ Crucis cardinali Pontificis legato, alijsq; sociorum oratoribus, dictum fuit, rem uideri omnibus commodam, si

Maxi-

Maximilianus in Taurinos duceret, & ut Astam urbē occuparet, & Sabaudia ducem, Marchionemq; Monferratensem, ab Gallia rege quasi imperij membra diuelleret atq; alienaret: à quibus postulauit, ut aliquò in Taurinis ad se colloqui causa uenirent: uerum cū eius uires contemnendæ uiderentur, nec res ipsæ tantæ maiestati & nomini responderent, neuter ad eum uenire uoluit: nec erat spes Astensem expeditionē prosperè cessuram: Multum quoq; institit, ut Ferrariae dux ad se ueniret: qui tanquam beneficiarius imperij, Mutinam Regiumq; possidebat: utq; tutius id faceret, ei Ludouici generi eius fidem proponebat: qui & ipse uenire recusauit: afferebatq; suæ integritatis salua existimatione fieri non posse, quòd depositi nomine Castelletum genuense retineret: Itaq; Ludouicus, qui inueterata sua illa cupiditate stimulatus, ueritusq; ne Pisana ciuitas ab se tant opere cupita, cum totius Italiae periculo in Venetorum potestatem ueniret, hoc ipsum impedire summopere studens, Caesarem ut ad eam urbem proficisceretur, est hortatus, sibi inaniter persuadens, Florentinos Caesaris & sociorum uiribus impares, ab regis Galliae amicitia necessariò discessuros, nec ausuros Caesaris arbitrium recusare: qui si compositione non posset, disceptatione saltè ipsorum cum Pisanis cōtrouersias definiret: atq; ad hoc ipsum Pisa unà cum tota eius ditione in Caesaris manū deponerentur: quibus conditionibus ut Pisani assentirentur, sua autoritate facturum sperabat: Venetos autē reliquis praesertim foederatis consentientibus, nequaquam se rei, quæ præ se tantam communis boni speciem ferret, suaq; natura æquissimæ, opposituros: nam cum Pisana ciuitas in ueteri imperij iure esset, uideri nullum præter

Cæsare ipsum, eius urbis controuersiarum cognitorem legitimum dari posse: Pisis autem in Cæsaris manum depositis, sperabat Ludouicus tum pecunia, tum qua apud Cæsarem pollebat autoritate, se facile ab eo eius urbis dominatum impetraturum. Hæc sententia ad consilium eo colore relata: ut quandoquidem gallici belli metus cessaret, Cæsaris aduentu ad id utendum esse, ut Florentini aduersus Gallie regem, cum reliquis foederatis conspirare cogentur, Cæsari placebat qui molestè ferret, suum in Italiam aduentum nihil tanto nomine dignum parere: ad hæc cum uastissimus eius animus infinita conciperet, semperq; pecunia, non minus propter immoderatum quoddam uitæ genus, quam infinitis profusionibus egeret, pisanam ciuitatem instrumentum fore, quo aut à Florentinis, aut ab alijs ingentem pecuniarum numerum cogere posset, sperabat. In eam sententiam pariter omnes foederati, tanquam multum ad Italiæ securitatẽ faceret, ueneto quoq; oratore minimè contradicente, descenderunt: nam etsi uenetus senatus uideret, quorsum Ludouici consilia spectarent, sperabat nihilominus se ea impedire facile posse: confidebatq; Cæsaris præsentia Ligurni portum Pisanis acquiri facilius posse: qui Pisis adiunctus, Florentinos omni spe eius urbis recuperandæ priuare uidebatur. Foederati antea sæpe Florentinos in fœdus secum pertrahere conati erant, & eo tempore quo Gallorum aduentum maximè formidarent, se ita effecturos, ut Pisani sub illorum imperiũ redirẽt, spem fecerant: sed quum Venetorum & Ludouici cupiditas Florentinis esset suspecta, nec se leuiter ab Gallie rege alienare uellent, hæc haud magna propensione audierant: mouebantur præterea Petresanctæ, & Serefa-

ne regis aduentu recuperandæ spe, quod quidem ab socijs sperare minimè poterāt, multoq; magis merita sua, & ea quæ regis causa patiebantur, quàm illius naturâ consuetudinemq; metientes, sibi ex eius uictoria nō modò Pisas, sed reliquam Hetruriam quoque ferè omnem pollicebantur: hanc in spem Hieronymi Sauonarolæ sermonibus inducti, qui multas res prosperas & imperij incrementum, post multas calamitates ei Reip. destinatas, assiduè in concionibus, ingentia uerò mala Rom. curiæ, reliquisq; Italiæ principibus omnibus denuncia- bat: cuius orationi, etsi qui contradicerent nō deessent, tamen maxima pars populi magnam fidem adhibebat: & multi è ciuitatis primoribus, aut bono studio, aut ambitione, aut metu ducti ei adhærebant: itaq; cum Florentini in Galliæ regis amicitia perseuerare statuisset, haud ab ratione alienum uidebatur, ut fœderati, eos ui ad id, à quo animo erant alieni, compellere conarentur, idq; negotium minimè difficile censebatur, quòd essent omnibus uicinis inuisi: ab Galliæ rege opem sperare nō poterant: nam cum is suorum salutem deseruisset, cum aliorum quoq; obliuioni traditurum credibile erat: & grauissimis sumptibus iam per triennium cum uectigalium imminutione factis, ita erant exhausti, ut belli molestias diu ferre posse minimè crederentur: & hoc ipso anno continenter cum Pisanis bellum gesserant, in quo uarij euentus fuerant, ac magis ob rei bellicæ peritiam, utrinq; in multis militaribus factis declaratam, & pertinaciam qua res gerebantur, quàm ob exercituum magnitudinem, & locorum circa quæ pugnabatur nobilitatem (erant enim obscura quædam, paruq; momenti castrilla) memorabiles. nam cum Florentinorū copiæ,

paulo pòst quàm Citadella Pisanis tradita fuit, & ante quam Venetorum auxilia Pisas uenirent, Butium castellum cepissent, & deinde circa Calcium castra locassèt, atq; antequàm id caperent, ut commeatus facultatem sibi tutam facerent, in Dolorosa monte propugnaculū edificare cœpissent, pedites qui eum locum custodiebant, ob suam negligentiam, à Pisanorum militibus fusi fuerunt: & paulò pòst cum Franciscus Siccus cum multis equitibus in Butij uico, ut cōmeatus tutò ad Herculem Bentiuolum, qui cum Florentinorum peditatu paruam Verruculae montis munitionem obsidebat, conuehi posset castra haberet, repentè à peditibus Pisis egressis, in loco ubi equorum difficilis erat usus, oppressus, nō paruam illorum partem amisit: quibus successibus cum Pisanorum re: fausta magis uiderentur, maiorisq; felicitatis spes affulgeret (iam enim Venetorum auxilia aduentare incipiebant) Hercules Bentiuolus, qui in Bientina castello castra habebat, Ioannem Paulum Mansfronum, Venetorum militum ducem cum primo agmine ad Vicopisanum, qui duobus passuum millibus à Bientina distat, uenisse certior factus, timore simulato, et modo in aciem prodiens, modo quamprimū uenetæ copiae conspiciabantur, Bientinam recedens, ubi illū audacia & temeritate plenum animaduertit, magno astu quodā die eum in insidias petractum, cum bonæ peditum atq; equitum partis iactura fregit, & ad Vicopisani muros usq; est persecutus: sed ne uictoria prorsus leta esset, cū se recipere uellent, Franciscus Siccus qui se eo die Herculi coniunxerat, sclopetti glande ictus cecidit: superueniunt deinde reliquæ Venetorum copiae, in quibus erant octingēti Epirotæ, & cum illis Iustinianus More-

sinus

finus legatus: quocirca, cum Pisani longè superiores es-
sent, Hercules Bentiuolus regionis peritissimus, qui se
nec periculo obijcere, nec prorsus campis excedere uo-
lebat, loco munitissimo inter Pontaderam castellum, E-
ramq; fluuiam castra locauit, quorū oportunitate, ho-
stium impetum non parum cohibuit, qui toto hoc tem-
pore nihil præter Butium castellum, quod illorum arbi-
trio deditum fuit, ceperunt, & regionē uniuersam suis
Epirotis diripiebant, ex quibus trecenti, qui in Era ual-
lem excurrerant, à militibus ab Hercule eis à tergo mis-
sis, fusi fuerunt. Florentini eodem tempore à Senensibus
infestis armis petebantur, qui ex molestijs quas in Pisa-
no agro habebant occasione capta, & à socijs incitati,
Plumbini principem, & Ioannem Sabellum, ad Valid-
ni pontis uallum oppugnandum miserunt: sed Rinucium
Marcianum cum auxilijs aduentare audientes, tormen-
torum parte ibi relicta, tumultuose discesserunt: quan-
obrem Florentini rebus ab illa parte in tuto collocatis,
Rinucium cum copijs in pisanum agrum miserūt, adq̃
ut uiribus ferè æquatis, bellum ad castella in collibus si-
ta translatum fuerit: quæ quia Pisanis fauebant, res po-
tius Florentinis fiebant deteriores: accidit quoq; ut Pi-
sani Saccipontis castellum proditione ingressi, gradis
armaturæ equitum alam spoliarent, & Ludouicū Mar-
cianum captiuum facerent, quanuis florentinarum co-
piarum quæ nõ procul aberant metu, statim id deserue-
runt, & ut melius collibus, qui magni propter commea-
tum qui inde Pisas ferebatur, momenti erant, potiren-
tur, & Florentinis Ligurni portus commercium impe-
dirent, pleraq; ex illis castellis munierunt: ex quibus for-
tuito casu nobilitatum fuit Soianum: nam cum Floren-

tinus exercitus, cum eius eodem die expugnandi spe eò esset profectus, ideoq; omnia Cassinæ fluminis uada corrupissent, atq; grauis armaturæ equites ne hostes opem ferre possent, in fluminis ripa ad pugnam instructos collocassent, dum Petrus Caponius Florentinorum legatus, tormenta collocari curat, sclopetti globo ex oppido ictus, repente interiit, sinem profectò ob loci obscuritatem, & expeditionis paruitatem, haud sua uirtute dignum sortitus: quamobrem exercitus nulla alia re têtata discessit: eodemq; tempore Florentini milites in Lunigianam ad Verruculæ arci, quam Malespini marchiones Genuensium auxilijs fulti oppugnabant, opem ferendam mittere fuerunt coacti: unde facillè illos repulerunt. Pisanorum uires per aliquot menses ualidæ fuerant: nam præter ciues & agricolas, iam longo usu bellicosos multos Venetorum ac Mediolanensium ducis equites peditesq; habebant, quãuis longè maior esset Venetorum numerus: post autem, quia Sfortianis copijs stipendia non persoluebantur, minui cœperunt: & ideo Veneti denuo centura grauis armaturæ equites, & sex triremes cum comœatu miserunt: nec ulli sumptui, qui ad eius urbis securitatem esset necessarius, & Pisanorù bencuolentiam captandam oportunus, parcebant: Pisanorum autem animi quotidie magis ab Ludouico alienabantur, cum eius in sumptibus & apparatib. parcitatem, tum etiam inconstantiam odio habentes: nam modò se in rebus ipsorum ardentem ostendebat, modò frigidè procedebat, adeò ut ferè eius uoluntatem suspectam habentes, illi tribuerent: quòd Ioannes Bentiuolus uelut à fœderatis ipsi erat iniunctum, contra Florentinos exercitum non duxisset: præsertim quia illi magnâ stipen-

stipendiorum partem ipsius culpa, siue id auaritia, siue quòd ei Florentinorum molestiæ, sed non tamen summa oppressio grata esset, defuisse notum erat: quas ob res ipsemet suæ menti atq; proposito, in pisanis rebus contraria fundamenta iecerat, cuius gratia, ut in sociorum consilio Cæsari Pisana profectio decerneretur, autor erat: quod ubi decretum fuit, Cæsar duos legatos Florentiam miserat, qui ipsum ad expeditionem quam magnis uiribus contra Christianæ religionis hostes facere in animo habebat, necessariò sibi in Italiam ad eam pacandam, atq; in securum statum reponendam, ueniendum censuisse significarent: eamq; ob causam ab Florentinis ut se ad Italiæ defensionem cum reliquis socijs declararent, peteret: quòd si tamen aliud in animo haberent, mentem suam aperirent, uelle se eandem ob causam, et quia id ad Cæsaream autoritatem pertineret, illorũ cū Pisanis controuersias cognoscere, ideoq; cupere, ut donec ipse omnium rationes audiuisset, ab iniurijs abstineretur, quemadmodũ Pisanos facturos certò sciret, quibus idem mandasset: seq; ad ius omnibus æquè reddendũ paratum esse lenibus uerbis affirmabat: cui orationi honorificis uerbis Cæsaris uoluntate commendata, quantumq; eius æquitati fidem haberent demonstrantes, se per legatos quos statim missuri essent, animũ suum penitus ei aperituros responderunt. Interea uerò Venetie Cæsari aut Mediolanensium duci Pisis occupandis facultatem relinquerent, denuo de Pisanorum consensu, Annibalem Bentiuolum cum centum & quinquaginta grauis armaturæ equitibus eò miserunt: & paulò post alios Epirotas & mille pedites, duci se hos milites ideo misisse quòd ipsorum resp. liberarum ciuitatũ studiosi.

Pifanos ad agrum suum recuperandum iuuare uellet significantes, quarum copiarum ope Pifani ferè omnia in collibus posita castella recuperarunt: ob quæ beneficia, & ob Venetorum in eorum petitionibus, quib. modò militem, modò pecunias, modò commeatum tormentariumq; apparatus saepe flagitabant explendis, promptam beneuolentiam, Pifanorum studia, ita Venetorum studijs erant coniuncta, ut ea fide, eoq; amore quo Insurbria ducem prosequi solebant, in eos conuersis, cum Senatum in ipsorum patrocinio perseuerare summopere cuperent: & nihilominus Cæsaris, quia, ijs copijs quæ Pifis erant, & quas secum ducturus esset, se facile Ligurno potiri posse sperabant, aduentum urgebant. Florentini autem, qui præter reliquas difficultates, tunc temporis grauissima annonæ penuria premebantur, cū se solos contra tot principum potentiam esse cernerent, magno in metu uersabantur: nemo enim in Italia erat qui eis opem ferret, & oratorum quos in Gallia habebant literis, ab rege, quem uehemētissimè, ut ipsos in tantis periculis positos aliqua saltem pecuniæ summa iuaret, rogarāt, nullam opem sperari posse, certiores facti fuerant: sola Petri Medicis molestia carebāt, quod sociorum consilium fuit, hoc in motu eius nomine grauius non uti, quia Florentinos hoc metu, ad propriæ libertatis conseruationem magis coniungi, re ipsa compererant. Nec desinebat Ludouicus Sfortia, salutis ipsorum studij specie, & Venetorum potentia odio, illos uehementer, ut se Cæsaris iudicio subijcerent hortari, multa pericula & terrores ostendere, nullamq; præterea Venetos Pifis eijciendi rationem esse proponebat: ex quo statim ipsorum in integrum resitutio, res ad Ita

lia quietem ualde necessaria: eamq; ob causam ab Hispaniæ regibus, cæterisq; omnibus fœderatis expetita, sequeretur: sed tamen Florentini, neq; his insidiosis uerbis, blandaq; leuitate moti, neq; tot difficultatibus atq; periculis territi, ullam cum Cæsare animi declarationē facere, neq; sua iura eius arbitrio committere, nisi Pisis antea ipsis restitutis, quoniam eius neq; uoluntati, neq; authoritati fidebant statuerunt: notum enim erat, illum quòd per se nec uires, nec pecunias haberet, ex Mediolanensium ducis uoluntate pendere: neq; in Venetis Pisas deserendi uoluntas, aut necessitas cernebatur: ideo forti animo Ligurno muniendo, atq; instruendo, & copijs suis omnibus in Pisano agro colligendis operā dabant: nihilominus ne se à concordia alienos ostenderēt, & ut Cæsaris animum, si quomodo fieri posset, mitigarent, cum ipse iam Genuam peruenisset, legatos ad eum miserunt, qui ad ea quæ eius oratores Florentiæ exposuerant responderent: quorum mandata fuerunt, ut ei nulla declaratione opus esse persuaderent: quòd ea obseruantia qua eius nomen prosequiebantur, sibi à Florentina rep. quæcunq; optaret polliceri posset: monebant illum, nihil ad eius sanctissimū Italiæ pacandæ propositum magis oportunum fore, quàm ut Pisæ stationem Florentinis restituerentur: ex hoc enim fonte omnes liberationes ipsi & fœderatis molestas manare: quoniam uerò pisana res erat in caussa, ut quispiā alius ad Italiæ imperium aspiraret, ideo ut eam in continuis molestijs retinerent, procurare: quibus uerbis, quanuis nõ exprimeretur, Venetos denotabant, neq; iusticiæ ipsius esse, ut qui per uim spoliatus fuerat, contra Cæsarearū legum sententiā, antequam possessionem suam recipere-

ret, iura sua arbitro dijudicanda permittere cogeretur: illud tandem concludentes, remp. florentinā si hoc primum ab illo impetraret, cum nulla præterea caussa aliquid præter communem pacem expetendi superesset, omnem declarationē quæ illi æqua uideretur facturā: eiusq; æquitate per omnia fretam, iurium suorum cognitionem ipsi promptè permissuram: quod responsum quum Cæsari, ante omnia foederi, Pisarum possessionis intra æquum tempus recipiendæ fide ab ipso accepta, adhæreret cupido non satisfaceret, aliud post longam deliberationem nullum ab ipso responsum acceperūt, nisi quod in Genuensis portus mole cum iam mari se cōmitteret ipsos à Pontificis legato, qui Genuæ erat, mentem suam intellecturos: à quo ad duce[m], qui Dertona quò Cæsarem erat comitatus, Mediolanum redierat, reiecti eò contenderunt: cumq; iam ab eo audiri postulassent, mandatum Florentia, ubi legationis ipsorum progressus cognitus fuerat, ut nullo alio responso quæsito in patriam redirent, acceperunt: quamobrem cum confituta hora ad duce[m] uenissent, responsi petitionem in id cōuerterunt: ut se cum Florētiam essent reuersuri, itinere quo cum antequam imperij ipsius fines egrederetur, quemadmodum reip. ipsorum cum illo amicitia postularer, reuerēter salutarēt, parcere noluisse significarēt. Dux illos responsum petituos ratus, ut quemadmodum sæpe solebat, eloquētiam artesq; suas ostentaret, & ex aliorum calamitatibus uoluptatem caperet, omnes sociorum oratores, omnemq; suum senatum cōuocauerat, sed hac oratione in admirationem perturbationemq; cōiectus, cum dolorem suum celare nō posset, quodnam respōsum à Cæsare accepiissent, interrogauit:

cui cum

cui cum illi, se reip. suæ legibus, mādata sua alteri principi quàm illi ad quem legati essent destinati communicare non posse respondiissent, totus turbatus dixit: Ergo si nos responsum, cuius caussa uos à Cæsare ad nos reiectos fuisse scimus, uobis dederimus, uos id nō audietis? cui illi, ipsis quo minus audirent non interdici, neque alios quin loquerentur prohiberi posse responderunt. at ille: Placet nobis illud uobis exponere, sed hoc nisi uos ea nobis enarretis quæ illi dixistis, fieri non potest: cumq; oratores sibi id easdem ob caussas non licere, idq; superuacaneum esse, quòd ipsorum petitionem ab Cæsare ijs quibus responsum suo nomine reddendū commisisset, expositam fuisse necesse erat respondiisset, ipse qui iam indignationem nec uerbis nec gestibus tegere poterat, eius ludibrii quo alios accipere uolebat, parte in se accepta, & oratores & reliquos omnes quos conuocauerat dimisit. Cæsar interea è Genuensi portu cum sex triremibus quas Veneti in pisano mari habebant, & multis Genuensium nauibus, quæ tormētis, sed non militibus abundabant (neq; enim plures erant quàm mille Germani pedites) profectus, ad Spediæ portum usq; nauigauit, & inde pedibus Pisas petijt: ubi quingentis equitibus & mille Germanis pedibus, qui terrestri itinere uenerant collectis, cum his & cum Mediolanensium ducis copijs, & Venetorū militum parte, Ligurnum exercitum ducere statuit, eumq; locū terra mariq; oppugnare: & ut reliquæ Venetorum copię ad Saccipontem castra ponerent, ne Florentinorum exercitus, qui non admodum potens erat, uel Pisanos molestia afficere, uel Ligurno opem ferre posset: sed nulla expeditio Florētinos minus quā

*quæ contra Ligurnum fieret terrebat: erat enim oppi-
 dum illud militibus atq; tormentis satis instructum, &
 quotidie auxilia ibi expectabatur: quoniam non mul-
 to antè, ut vires suas ea existimatione, in qua tunc Gal-
 lorum arma in Italia erant auferent, ex Galliæ regis cõ-
 sensu Albigionem unam ex ipsius ducibus, cum centum
 cataphractis, & mille partim Heluetijs, partim Aqui-
 tanis peditibus, ad stipedia sua adsciuerat, ut mari, qui-
 busdam nauibus quæ ipsorum mandato, ut annonæ pe-
 nuriam qua in uniuerso Florentino imperio laboraba-
 tur, subleuarent, frumento oneratae erant, Ligurnum
 uenirent: quæ deliberatio alio consilio, & in alium fi-
 nem quàm ut se contra Cæsarem defenderet facta, etsi
 multa impedimenta habuit (nam & Albigio cum suis
 militibus, quum iam ad naues uenisset, mari se commit-
 tere recusauit: & ex peditibus sexcenti solummodò na-
 ues conscenderunt) nihilominus tam propitiã habuit
 fortunam, ut nec maius auxilium, nec oportunius exo-
 ptari potuerit: eodem enim die, quo Pisanus quidam le-
 gatus, ab Cæsare cum multis peditibus atq; equitibus
 ad pontes faciendos, & itinera copijs quæ uenturae e-
 rant complananda præmissus, Ligurnum peruenit: na-
 ues ex Prouincia, quinque onerariae, & nonnullæ longæ
 nothæ, quas Galeones uocant, & cum illis magna Nor-
 mana oneraria, quã rex ad Caietam comœatu & mi-
 litibus muniendam mittebat, supra Ligurnum tam se-
 cundis uentis sunt conspectæ, ut Cæsariana classe, quia
 tempestate supra Meloriam, scopulum ob Pisanorum
 vires olim ab Genuensibus nauali pugna prope eum
 commissa, in perpetuum attritas celebrem, altum pe-
 tere est coacta, minimè impediẽte, nullo alio detrimẽ-
 to, ni*

to, nisi quòd una longa nauis frumento onusta, ab reliqua classe disiuncta ab hostibus capta fuit affecta, portum sint ingressa. hoc tam opportunum auxilium, ijs qui Ligurni erant ualde spem auxit, & Florentinorū animos uehementer confirmauit: censebant enim hūc tam opportunum aduentum indicio esse, ubi ipsos humana uires deficerent, diuinum auxilium affuturum, ut illis diebus in maximo aliorum terrore, saepe in cōcionibus publicis Sauonarola assuerauerat. Sed non ideo Romanorum rex ab exercitu Ligurnum ducendo desistit, quo quingentis grauis, mille leuis armaturæ equitibus, & quatuor peditum millibus terrestri itinere missis, ipse nauibus longis ad stagni quod inter Pisas & Ligurnum est ostium, usq; uectus, & unius oppidi partis oppugnandæ cura Calatiæ comiti, quē Mediolanensium dux cum eo miserat demādata, ipse ad alteram consedit: quāuis primo die ob magnā ab Ligurni tormentis acceptam molestiā difficillimè castra locarit, ut qui primò omnium portu potiri cupiebat, militibus ante lucem ad eam partem ubi fons est, admotis multis tormentis, Magnanum quem oppidani munierrant, uerberare cœpit: illi uerò cum primum exercitiū ad eā partem aduoueri conspexerunt, Palazzottum & turrim quæ ad mare erat, ut quæ defendi non possent, & nouæ turris iacturā parere possent diruerāt, eodemq; tempore, ut maritimā quoq; partem uerberaret, classē suam ad portum appellere iusserat, quoniā gallicæ naues, militibus & frumenti parte expositis, uectionis munere perfecto precibus in contrarium factis nihil proficientibus, ut in Prouinciam redirent discesserant: & Normana, ut suum Caietam uersus iter

sequeretur. Magnani oppugnatio ut oppidum deinde etiam mari oppugnaretur, parum proficiebat: erat enim locus ita munitus, ut ei tormenta parum obessent: et oppidani sepe ad leuia certamina egrediebatur: sed illud in fatis erat, ut Florentinorum spes ex uentorum aura concepta, eorundem quoque beneficio expleretur: graui namque tempestate orta, classis ita concussa fuit, ut Grimalda nauis Genuensis, qua Caesar ipse uectus fuerat, diu uentis agitata, è regione nouæ Ligurni arcis cum omnibus qui in ea erant uiris et tormentis sit submersa: idem et duæ uenetæ triremes ad Iacobi promontorium passæ sunt: reliquæ uerò naues in uaria loca dissipatæ tantum damni acceperunt, ut ad hanc expeditionem inutiles fuerint: quo casu oppidani longam nauem quæ antea in hostium potestatem uenerat recuperarunt. Ob classis naufragium Caesar Pisas rediit, ubi post multam deliberationem, omnibus Ligurnum iam expugnari posse diffidentibus, ut exercitus inde abduceretur, et bellum in aliam partem transferretur decretum fuit: ideo Caesar Vicopisanum contendit, et ponte ad Arnum inter Cascinam et Vicum, altero ad Cilecchium fieri iusso, cum transmissurus crederetur, repente uasis collectis, nullo alio progressu in Hetruria facta, nisi quod quadringenti ipsius equites Bulgherium ignobile in Pisarum maritima ora castellum diripiuerunt, Mediolanum uersus terrestri itinere rediit. Hunc suum repentinum discessum eo excusabat, quod subinde difficultates auerterentur: nec crebris eius nouæ pecuniæ petitionibus satis fieret: cum nec Veneti de eius fide dubitantes, maiorem exercitus partem amplius Pisis egredi pateretur: necdum Venetus senatus de se-

de septuaginta millibus aurcorum numum portionem suam integrè soluerat: quamobrem Mediolanensium ducem ualdè extollès, illos grauiter accusabat. Papiæ quo ipse se transtulit, noua consultatio habita fuit: & quãuis se in Germaniã redire uelle diulgasset, tamen se per totam hyemem cum mille equitibus, & duobus peditum millibus, si modò ei singulis mensibus uiginti duo Rhenensium aurcorum numum millia numerarètur, mäsurum assentiebatur: cuius rei dum responsum à Venetis expectatur, eo tempore quo Mediolani expectabatur, in Laumellinã est profectus: erat enim illi ut eius progressus sequentibus temporibus melius declararunt, fatale, ut in eã urbem non ueniret. ex Laumellina mutato consilio, Cusagum ad sextum ab urbe lapidem redijt: unde inopinatò, duce atq; oratoribus qui aderant inscijs, Comum est profectus: ubi cum in prandio sedens pontificium legatum, cui ne se sequere tur per nuncios significauerat, uenisse cognouisset, mēsa relicta, tanta celeritate nauem conscendit, ut uix legatus ei pauca uerba ad nauim dicere potuerit: cui, sibi in Germaniã necessariò proficiscendum, sed statim reuersurum, respondit: & nihilominus ubi Comensi lacu Bellasium peruenit, Venetos ijs quæ Papiæ agitata fuerant assentiri certior factus, denuo Mediolanũ redeundi spem fecit, sed post paucos admodum dies, naturæ suæ insita uarietate usus, equitum ac peditũ suorum parte relicta, & uirium suarum tenuitate, parua cum Cæsarei nominis dignitate, Italiæ quæ iam diu armatos Cæsares nõ uiderat ostensa, in Germaniam contendit. Ludouicus Sfortia, Pisarum, nisi noui casus incidere amplius, suo imperio adijciendarum, uel ex

Venetorum manibus eripiendarum ob eius discessum spe amissa omnes copias suas reuocauit: & quum ex utriusq; partis defatigatione, temporis successu sibi aliqua exoptata occasionē dari posse speraret, eo quod Veneti soli in bello cum Florentinis implicati relinquereentur, dolorem suum ex parte solabatur. Quarū copiarum discessu, Florentini in Pisano agro hostibus potentiores relictī, omnia montana castella recuperarunt: ideoq; Veneti ad nouos, ut illorū progressus impedirent, apparatus faciendos coacti, ijs copijs quæ adederant, tot addiderunt, ut in uniuersum essent quadringenti grauis, septingenti leuis armaturæ equites, & plusquam duo millia peditum. Interea uerò in regno Neapolitano, ferè omnes gallici belli reliquæ sunt dissolutæ: quoniam Tarentina ciuitas cum arcibus fame oppressa, sese Venetis qui illam sua classe obsidebant, dedit: qui ea per multos dies in potestate sua retēta, cumq; suspicio esset eos eam uelle suam facere, tādē pontifice atq; Hispaniæ regibus id uehementer flagitantibus, eam Federico restituerunt: & quum Normannam nauim supra Herculis portum cum nonnullis Genuensibus, in quas inciderat, congressam, deinde iter suum sequentem maris tempestate uictam submersam Caietæ nunciatum esset, Galli qui in ea ciuitate erant, quam nouus rex denuò obsidebat, etsi (ut fama erat) tantum commeatus aliarumq; rerum necessariarum, ut aliquot menses obsidionem sustinere possent haberent, regem tandem ad opem ipsis ferendam haud diligentioreni fore, quàm tot nobilibus uiris, totq; ciuitatibus quæ eius partes tuebantur auxilio iuuandis fuisset, rati, Obignini, qui ob aliquas difficultates, in Calabria

briæ

bricæ arcibus tradendis ortas, nondum Neapoli disces-
serat, opera cum Federico, ut ciuitate & arce relicta,
cum rebus suis omnibus mari in Galliam incolumes re-
deundi facultatē haberēt, conuenerunt: qua re Gallie
rex, auxiliorum in regnum Neapolitanum mittēdo-
rum cura liberatus, & ab altera parte detrimenti atq;
infamiae stimulis accensus, Baptistini Fregosij, qui an-
tea Genuæ dux fuerat factione, & clientelis quas Ho-
stiensis Sauona, in qua natus erat fretus, Genuam inuis-
dere statuit, tum oportunitatem ex discordia eo tēpo-
re inter Io. Ludouicum Eliscum & Adurnios orta, tū
quòd in uniuersum Genuenses non satis æquo in Me-
diolanensium ducem animo essent, quia ut in Petrosan-
ctæ uenditione Lucenses ipsis præferrentur autor fue-
rat: & quia postea se ut in eorum potestatem rediret,
cum se effecturum promississet, eaq; re ut conceptā in-
dignationē mitigaret, Venetorū autoritate esset usus,
multos menses ipsos uana spe fouerat, augeri existi-
bat. Huius regiae deliberationis metus, Ludouicū qui
ob Pisanas res ab Venetis ferè erat alienatus, ut se de-
nuo illis coniungeret, utq; equites ac pedites Germa-
nos quos Cæsar in Italia reliquerat, Genuam mitteret
coegit: quib. nisi hæc necessitas incidisset, nulla re pro-
spectum fuisset. Quæ dum agitantur, Pontifex se Vr-
sinorum oppida occupandi magnam oportunitatem
naatum ratus, quoniã eius familie capita Neapoli deti-
nebantur, Virginium & reliquos in purpuratorum
senatu, quòd contra sua præcepta ad Gallorum stipen-
dia essent profecti, perduelles declarauit: & illorū bo-
na fisco addixit: quo factò anni nonagesimi septimi su-
pra millesimum & quadringentesimum initio ditionē 1497.

illorum inuasit, & ut Columnij pluribus ex partibus ubi fines cum Vrsinis cōmunes habēt, idē facerent mādauit. Fuit hęc expeditio ab Ascanio cardinale ob ueterem eius cum Columnijs amicitiam, & cum Vrsinis dissensionem, Mediolanensium consentiente duce ualde commendata, sed Venetis qui eius familię beneuolentiam promereri cupiebant molesta: sed tamen quū nulla ratione, quo minus pontifex ius suum persequeretur, impedire possent, nec illum eo tempore ab se alienare utile esset, ut Vrbinatum dux, qui & pontifici & ipsis militabat, se pontificis copijs, quibus Candide dux imperabat, & quarum legatus erat Lunensis cardinalis patria Papiensis, qui prorsus ab Ascanij auctoritate pendebat coniungeret, annuerunt: & Federicus rex ei Fabricium Columnam auxilio misit. Hic exercitus multis castellis deditioe captis, Triuinianum obsedit: quod oppidum ubi se per aliquot dies strenuē defendisset, ad illorum arbitrium deditioem fecit: sed dum hi se tuerentur, Barptolomæus Aluianus Braciano egressus, ad octauum ab Vrbe lapidem, quadringentos equites qui tormenta ad pontificium exercitū ducebant, fudit: & alio die, cum prope Marianimontis crucem usq; excurrisset, parum absuit quin Valentinum cardinalem Roma ad uenationem egressum ceperit: sed his fuga salutis suę consuluit. Triuiniano capto, exercitus ad Insulā contendit, ubi arcis parte tormentis uerberata, deditioe ea potiti sunt: & tandem belli impetus omnis circa Bracianum collectus est: ubi omnis Vrsinorum defensionis spes erat collocata. Locus enim per se firmus, bene munitus ac reparatus fuerat, & suburbium operibus confirmatū: cuius in fronte ual-

te uallum construxerant: in quo propugnatorum satis magnus erat numerus, Aluiano duce, qui iuuenis adhuc, sed ingenio feroci, incredibili celeritate, & in armis exercitatus, eam sui spem faciebat, qua in sequētibus temporibus eius res gestæ minimè inferiores extiterunt. Nec pontifex exercitum suum quotidie augere desinebat, cui denuo octingentos Germanos pedites ex ijs qui in regno neapolitano militauerant, adiunxerat: certatum est per multos dies magna utriq; contentione, quum obsidentes pluribus in locis tormenta collocassent: & obsessi summa ubiq; diligentia & fortitudine, prouiderent atq; occurrerent, nihilominus intra paucos dies suburbium deserere sunt coacti: quo capto, Pontificij oppidi oppugnationem ferociter aggressi sunt: sed quamuis iam signa in muris fixissent, magna accepta clade, recedere coacti fuerunt: qua in oppugnatione uulneratus fuit Antonellus Sabellus. Qui intus erant eandem & contra alteram oppugnationem, hostibus, ex quibus plusquam ducenti partim cæsi, partim uulnerati fuerunt, maiore cū clade repulsis, uirtutem ostenderunt: idq; summa cum Aluiani, cui huius propugnationis gloria præcipuè tribuebatur, laude: nam & intus ad omnia necessaria munia obeūda promptissimus erat, & foris hostilē exercitū crebris excursionibus, assiduis molestijs die nocteq; afficiebat. Illud quoq; eius laudes auxit, quòd cū quosdam expeditos equites quodā die Cereueterē, quod Vrsinorū erat in castra usq; excurrere iussisset, huius tumultus occasione egressus, pedites qui tormenta custodiebāt sudit, & aliquot minora tormenta Bracianum traxit: & nihilominus die nocteq; oppugnati atq; afflictī, auxilij

potissimum spe foueri incipiebant: quoniam Carolus Vrsinus & Vitellocius, ob Guelfam factionem Vrsinis coniuncti, qui pecunia ab Galliae rege, ut copias suas in regno neapolitano dissipatas instauraret, accepta, nauibus quae ex Prouincia Ligurnum appulsae fuerant, in Italiam uenerant, sese ut tantum periculum amouerent, comparabant. Quamobrem Carolus Sorianum profectus, militibus ueteranis, & Vrsinorum amicis, atq; clientibus colligendis operam dabat: & Vitellocius in Ciuitate castelli, idem cum suis militibus & regionis peditatu faciebat: quibus collectis, cum ducetis grauis armaturae equitibus, & mille & octingentis ex suis peditibus, & tormentis in curribus gallico more impositis, Soriani se Carolo coniunxit: quare pontificij duces, si illi ulterius progredierentur, inter illos & eos qui Braciani erant positos esse periculosum iudicantes, ac ne totam circumiectam oram in qua iam aliquot castella diripuerant, eis praedae relinquerent: castris Braciano motis, & maioribus tormentis Anguilariam uectis, contra hostes iter direxerunt: cum quibus inter Sorianum & Basanum congressi, per aliquot horas ferociter dimicarunt. Sed tandem pontificij quamuis in principio pugnae Franciottus Vrsinus ab Columnijs captus fuerit, tamen impedimentis tormentisq; amissis, & partim capris, partim uero caesis plusquam quingentis, fusi fuerunt: inter quos capti fuere, Urbinatium dux, Io. Petrus Gonzaga Nogarolae comes, & multi alij magni uiri, & Candiae dux leui in facie uulnere accepto, una cum pontificio legato, & Fabricio Columna, Roncilionem fuga petierunt. Huius uictoriae praecipuam laudem Vitellocius retulit: quoniam

niam

niam Ciuitatis castelli peditatus, antea ab fratribus, & ab ipso transalpinae militiae more edocta, eo die plurimum ab eius industria adiuta fuit: nam cum illos hastis, communem mensuram ad sesquipedem excedentibus armasset, id commodi, cum ab illo contra hostilem peditatum perducti sunt habuerunt, ut ob hastarum longitudinē illæsi ipsi hostes uulnerarent: eosq; facile profligarent, idq; tanto maiore cum laude, quod in hostili agmine erant octingenti Germani pedites, quæ gens, semper post Caroli regis aduentum Italici peditum maximo terrori fuerat. Post hanc uictoriam coeperunt uictores absq; impedimento per omnem cistiberinam regionem excurrere: deinde copiarum pars flumine infra Montem rotundum transmissa, per illud iter quod solum tutum erat relictum, excurrere: ob quæ pericula pontifex multis militibus denuo conscriptis, Consaluum & Prosperum Columnam, ad opem sibi ferendam ex regno neapolitano euocauit: & nihilominus post paucos dies Venetorum oratoribus Vrsinæ gentis beneficio, & Hispano quod ne ex hoc initio maior in sociorum rebus perturbatio oriretur metueret, sese magno studio interponentibus, admodum prompta tam Pontificis sumptibus faciendis natura alienissimi, quam Vrsinorum, qui quum pecunia carerent, & ab omnibus desererentur, sibi tandem Pontificis potentia necessario cedendum animaduvertebant uoluntate, pax imita est. Pacis capita hæc fuerunt, ut Vrsinis in regio stipendio ad pacti temporis finem usq; perseuerare liceret: ea tamen lege, ne contra Pontificum imperium arma capere cogerentur: omnia oppida hoc bello capta eis restituerentur: sed quinquaginta aureorum numum millia

Pontifici numerarēt: ex quibus triginta millia, quæ pri-
mum ab Federico Io. Iordanus & Paulus Vrsini libera-
rentur (Virginus enim ante paucos dies, uel febre, uel
ut aliqui existimarūt ueneno, in oui arce ex hac uita mi-
grarat) reliqua uiginti millia intra octo menses repræ-
sentarentur: sed Anguillaria & Cereuetus, interea pi-
gnoris nomine, in Ascanij & Sanseuerinatis cardina-
lium manus deponerentur: qui in Soriano prælio capti
erat dimitterentur, præter Vrbiniatum ducē, pro quo
liberando etsi sociorum oratores laborarint, Pontifex
quia Vrsinos pecuniæ quæ ab eis petebatur soluendæ,
nisi ex eius ducis mûlcta facultatem non habere sciebat
id non urfit: eius autem mûlcta paulò pòst quadragin-
ta millia aureorum nummum fuit constituta: & insuper
additum, ut non antè dimitteretur quàm Paulus Vitel-
lius, qui in Atellæ deditioe, ab Mantuano marchione
captus fuerat, absq; ullo precio libertatem esset conse-
cutus. Pontifex itaq; parua cum dignitate Vrsinorum
bello liberatus stipendio militibus quos Consaluis du-
cebat persoluto, suisq; adiunctis, illam ad Ostiæ, quam
etiam tum S. Petri in Vincula cardinalis obtinebat, ex-
peditionem misit: ubi antequã uix tormenta essent col-
locata, arcis præfectus sese ad Consalui arbitrium de-
didit. Ostia capta Consaluis triumphum ducenti simi-
lis, cum centum grauis, ducentis leuis armaturæ equi-
tibus, mille ac quingentis peditibus, qui omnes Hispani
erant, arcis præfectum uelut captiuum, què paulò pòst
dimisit, ante se ducens Romam est ingressus, & ab mul-
tis antistitibus, Pontificis atq; omnium cardinaliū fami-
lijs, cum totius populi & aulæ, ducē, cuius nomen iam
per totam Italiam clarissimum erat, uidere cupientium
concur-

concurſu, ad Pontificem in ſenatu ſedentem eſt perdu-
 ctus: qui illum maximo cum honore accipiens, in eius
 uirtutis teſtimonium, roſam quotannis ab Pontificibus
 donari conſuetam, ei dono dedit: ille uerò deinde ad Fe-
 dericum regem redijt, qui urbis præfecti ditionem ag-
 greſſus, omnia oppida quæ ab Gallie rege, cum regnũ
 illud occuparet, Piſcarie marchioni adempta, ei tradi-
 ta fuerant, ceperat: & Sora, Arcioq; , ſed non illarum
 arcibus, captis, Roccaguilielmiam obſidebat: quoniam
 Oliueti comitis ditionem, iam antequam eum ducatum
 præfecto, nimirum Sorano duci uèderet, pactione ob-
 tinuerat. Et nihilominus in hac ſecunda fortuna Federi-
 co moleſtiæ quàm plurimæ minimè deerant, nõ modò
 ab amicis (Conſaluis enim Calabriae partem regũ ſuo-
 rum nomine retinebat) uerum etiam ab reconciliatis i-
 nimicis. nam cum quadam nocte Biſiniani princeps in
 caſtelli Noui neapolitani egreſſu, à quodam Græco gra-
 uiter eſſet uulneratus, tantus Salernitanum principem
 ne hoc regis iuſſu ad præteritas iniurias ulciſcendas fa-
 ctum eſſet, terror inuaſit, ut ſtatim ſuſpicionis cauſſa
 minimè diſſimulata, Neapoli Salernum ſe contulerit: et
 quamuis Græcum à quo ob iniuriam, ut conſtabat, ab
 eo ante multos annos in uxoris corpore acceptã, fue-
 rat uulneratus, captum rex, in eius poteſtatem miſiſſet,
 nihilominus ut in ueteribus grauibusq; odijs firmã pa-
 cem conſtituere, quòd ea uel ſuſpicionem, uel ulcionis cu-
 piditate impediatur difficile eſt, nunquã amplius prin-
 ceps ut ei fideret ſlecti potuit: quæ res quum Gallis, qui
 Angeli montem, & nonnulla alia munita loca tueban-
 tur, nouorum in regno motuum excitandorum ſpem
 faceret, ut in deſenſione conſtantius perſeuerarent, in

caussa erat. Maiora pericula hoc tempore, ex Gallorū qui tunc ab Hispanorum minis tuti erant, motibus Insu-
briae imminebāt: nam cum inter eos potius leues incur-
siones & belli minae, quàm aliquid memorabile, præ-
terquam quòd à Gallis breuissimo temporis interuallo
Salsium & captum & exustum fuerat, factae fuissent,
pacis colloquia inter eos reges introducta fuerāt, quae
ut commodius tractari possent, duorum mensium indu-
ciae constitutae: qua occasione Carolus cum Genuae &
Sauonae rebus liberius operam dare posset, mille cata-
phractis, tribus Heluetiorum, & totidem Vasconū mil-
libus Astam missis, Triultio suo in Italia uicario, ut Ba-
ptistino, & Ostiensi Cardinali opem ferret mandauit:
& præter hos paulò post Aurelianum ducem cum ma-
gno exercitu, ad mediolanensis imperij expeditionem
proprio nomine faciendam mittere in animo habebat:
& ut Genuensem expeditionem faciliorem redderet,
Octauianum Fregosium ad Florentinos, qui, ut eodem
tempore Lunigianam & orientalem oram inuaderēt
ab eis peteret, misit, & Paulobaptistae Fregosio, occi-
dui litoris sex nauibus longis turbandi curā dedit. Cœ-
pit hic motus tanto cum Mediolanensium ducis, qui per
se non satis erat instructus, nec dum à Venetis promif-
sa auxilia acceperat, terrore, ut si qua ratione debebat
perseuerasset, aliquid magni pariturus fuerit, & Me-
diolani facilius quàm Genuae: Genuenses enim, cum Lu-
douici opera, Io. Ludouicus Fliscus & Adurnij recōci-
liati essent, multos pedites conscripserāt, & classem Ve-
netorum, & Ludouici sumptibus instruxerant, cui sex
triremes à Federico missae accesserunt: pontifex autem
magis consilijs atq; ostentatione, quàm factis foederati
nomen

nomen retinens, nullius nec terra, nec mari sumptus in hisce periculis particeps esse uoluit. Huius expeditionis progressus fuerunt, ut Baptistinus, & cum eo Trultius, Nouium exercitum ducerent, quo oppido, ab Insubrium duce spoliatus, arcem obtinebat: ob quorū aduentum Calatiæ comes, qui cum sexaginta grauis, ducentis leuis armaturæ equitibus, & quingentis peditibus eius custodiæ præerat, de eo defendēdo diffusus, Seruauallem se recepit. Nouio occupato, exulum existimatio nō parum creuit: nam præterquam quòd oppidum multorum hominum capax erat, itineri quo Mediolano Genuam itur, impedimento est: & situ suo, ad circūiecta loca infestā reddenda ualde est oportunum. Baptistinus deinde alia oppida huic propinqua occupauit, eodemq; tempore Cardinalis cum ducentis cataphractis, & tribus peditum millibus, Albintimillio capto, Saonæ exercitum admouit: sed ciuibus motum nullū excitantibus, & Ioan. Adurnium cum multis peditibus appropinquare certior factus, Altarium Monferratensis marchionis oppidum, quod octo passuum millia Saouona distat, se recepit. Maioris autem ponderis fuit Trultij initium, qui occasionis ad bellum in mediolanēsi imperio accendendum, inueniendæ cupidus, etsi rex ut prius Genuæ & Saouonæ rebus opera daretur mandarat, Boscum magni momenti castellum in Alexandrino agro, eo prætextu cepit, quòd ad militum, qui in Liguriam erant profecti securitatem, Mediolanensium ducis militibus, Alexandria in Genuēsium ditionem perueniendi facultatē necesse esset intercludere: sed tamen aperte regis mandata excederet, nō ulterius est progressus, sicq; maximam occasionem amisit: quoniā om-

nis circumiecta regio, Bosco capto, pars timore, pars rerum nouarum cupiditate erat concitata: nec dux in in ea parte plus quam quingentos grauis armaturæ equites, & sex peditū millia habebat: & Galeacius Sausferinas, qui Alexandriae erat, eius nisi maiores uires haberet, defendendæ spem amittere incipiebat: iamq; Ludouicus, non minus in hac aduersa fortuna quam in alijs omnibus esse soleret timidus, Ferrariensium ducem ut de pace aliqua ratione inter Galliaë regem & se concilianda intercederet rogabat. Sed Triultij inter Boscū & Nouium mora, Ludouico sui comparandi, & Venetis, qui promptissimis animis ad eius defensionem concurrentes, antea mille & quingentos pedites Genuam miserant, multos grauis & leuis armaturæ equites Alexandriae mittendi spaciū concessit: & postremò Pitiliani comiti ipsorum exercitus imperatori, quoniam Mantuanus marchio ab Venetorum stipendijs discesserat, ut maximam copiarum partem ad eius imperij auxilium duceret mandarant: sic ijs quæ magna spe cœpta fuerant, deferuescētibus, Baptistinus nulla re Genuæ, quæ ciuitas ob apparatus factos nullum motum excitauit, confecta, se iterum Triultio coniunxit: consilia sua ideo uana exitisse afferens, quòd Florentini Orientale litus nō inuasissent, qui sese antequam Gallorum res feliciores ualidioresq; apparerēt, bello immiscere minime prudens consiliū existimabant: Ostensis quoq; nulla re, nisi quòd aliqua Finarij marchionis oppida, quòd is se Sauonæ defensorem ostendisset, ceperat, gesta, se Triultio coniunxit. Gallicæ itaq; copiae coniunctæ, aliquot excursiones Castellacium uersus fecerunt: quòd oppidum Bosco uicinum iam ab Ludouici militū præfectis

fectis munitum fuerat: cumq; sociorum exercitus qui Alexandriam conueniebat, assidue augeretur, & uicissim Gallis pecuniæ & commeatus deesse inciperet, nec reliqui duces Triultio libenter parerent, Nouio & Bosco præsidio munitis, cum exercitu prope Astam se recipere coactus fuit. Huic expeditioni copiarum in plures partes distributio, ut sæpe usuuenire uidemus, obfuisse creditur: quòd si omnes initio Genuam petiissent, forte meliorem successum sortiti essent: nam præter factionum studia, & indignationem Petrus sanctæ causæ natam, Germanorum equitum ac peditum quos Mediolanensium dux miserat pars, cum paucos dies ibi fuissent, repente in Germaniam redierant. Fieri etiam potest, ut illi iidem qui superiore anno Galliæ regis in Italiam aduentum, & regni neapolitani subsidia impedierant, iisdem artibus, ut & hanc expeditionem apparatus difficultate impedirent, usi sint: & eo magis, quia fama erat Mediolanensium ducem, qui suis populis graues exactiones imperabat, multa Borbonio duci, atque alijs qui autoritate apud regem pollebant, largiri: quæ nota etiam ad Maclouensem cardinalem perueniebat. Vtcunq; autem se res habeat, illud certum est, Aurelianorum ducem, ut Astam ueniret destinatum, & uehementer ab rege incitatum, omnia quæ ad huiusmodi expeditionem erant necessaria comparasse: sed siue quòd necessaria sibi post subministratum iri minimè fieret, siue ut multi interpretabantur, quòd rex cū semper corpore æger esset, regnūq; si ille absq; liberis excederet, ad eum spectaret, inuitus ex Galliæ regno discederet, cunctatus est. Rex autem Genuæ & Sauonæ mutationis spe frustratus, cum Hispaniæ regib. cœpta col-

loquia maiore studio prosequi cœpit, quæ unica tantæ difficultas remorata fuerat, quòd rex Gallia, ad Cisalpina bella liber esse cupiens, Italiae res inducijs quæ tractabantur comprehendere noluit: & Hispania reges, se nullam ob aliam quàm honoris causam eius uoluntati repugnare ostendentes, ut illæ comprehenderentur, instabant: nam cum omnibus idem de inducijs, ut facilius de pace agi posset, animus esset, honestius inde ab Italorum foedere discedere possent: quamobrem ubi sæpius legati ultro citroq; missi fuerunt, Hispanis artibus tandem, ut ferè semper, superantibus, inducias pro se, subiectis atq; clientibus suis, & pro ijs quoq; quos quouis eorum nominaret fecerunt. Quæ induciæ quinto Martij die inter eos, sed inter nominatos post quinquagesimum diem incipientes, in totum Octobrem proximum extenderentur. Vnusquisq; illorum eos principes & status in Italia, qui sibi foedere uel clientela iuncti erant nominauit: & insuper Hispania reges Federicum regem & Pisanos addiderunt: præterea proprios homines qui de pace agerent, Mompeffulum mittere constituerunt, quò reliquorum sociorum oratores conuenire possent: & in hoc negotio Hispania reges se aliqua iusta occasione arrepta, contra Italos cum Gallia rege foedus inuituros spem faciebant: & iam tum de regno neapolitano inter se diuidendo proponebant: quæ induciæ, etsi absq; Italia sociorum consensu factæ esset, omnibus tamen, & præsertim Mediolanensium ductu ut bellum à finibus suis auerteretur cupidissimo, gratæ fuerunt. Sed quum se inuicem instandi facultas in Italia ad uigesimum quintum usq; Aprilis diè libera esset, Triultius & Baptistinus, & cum eis Serenonius, cum

quinq;

quinq; militum millibus in occiduam Liguriæ oram reuerſi, Albigaunum oppidum inuaſerunt: quod & ſi primò ferè totum occuparint, nihilominus in eius ingreſſu diſſipati, ab paruo hoſtium numero inde pulſi ſunt: deinde Finarièſem marchionatum, ut Italis eò ſubſidia mittendi cauſſam præberent, ſe inde eius ad prælium allicièdi occaſionem habituros ſperantes, ſunt ingreſſi: quod cum eis nõ ſucceſſiſſet, nihil amplius præclari geſſerunt, cum præſertim ducum diſcordia creniſſet: & ob inducias factas ſtipendia indies magis deficerent. Quo tempore ſocij Nouio excepto, omnia prius amiſſa oppida recuperarant, & tandem Nouium quoq;, etſi Calatinus comes caſtris admotis repulſus fuiſſet, deditione receperunt: neq; ex locis occupatis, ullus præter parua quædam in Finarienſi ditione oppidula, in Gallorũ poteſtate relictus eſt. Quibus in moleſtijs Sabaudia dux, ab utraq; parte magnis promiſſis tentatus, & Monſerratensis, cuius adminiſtratio ab Romanorum rege, Cõſtantino Macedoni cõfirmata fuerat, ſeſe nec Gallia regi, nec fœderatis fauere oſtenderunt. Hoc anno nihil magni inter Florentinos & Piſanos, quamuis aſidue bellum geſtum ſit, effectum eſt, niſi quod cum Piſani Io. Paulo Manfrono duce cum quadringentis expeditis equitibus, & mille ac quingentis peditibus ad Vallũ ab ipſis ad ſtagni pontem factum, quòd cum Cæſar Ligurno diſceſſit amiſerant, recuperandum eſſent proſecti, Rinucius comes ea de re certior factus, Ligurnenſi itinere multos equites ad id tuendũ duxit: & Piſanis nullum impedimentum niſi Pontaderenſi itinere expectantibus, cum illos iam uallũ oppugnantes offendiſſet, multis captis facilè eos fudit. Sed ob inducias factas, etſi eas

Florentini inuiti admiserint, inter eos quoq; arma sunt
 deposita: suis etenim rebus, Pisanis respirandi spacium
 concedere inutile existimabant: quia & si induciæ essēt
 ob Petri Medicis, qui semper aliquid moliebatur, suspi-
 cionem, & Venetarum copiarum quæ Pisis erant me-
 tum, eosdem sumptus facere cogebantur. Sic armis ubi-
 que depositis, uel iamiam deponendis, Ludouicus quā-
 uis in proximis periculis sibi à Veneto senatu ob prom-
 pta auxilia ab eo accepta optimè satisfactum ostendis-
 set, & palam magnificis uerbis Venetam uirtutem ac
 potentiam extulisset, atq; Io. Galeacij primi Mediola-
 nensium ducis, qui testamentum suum eius senatus fidei
 exequendum commississet, prouidentiam commēdasset,
 nihilominus cum pisanam prædam quam ipse tanto la-
 bore, totq; artibus excitasset, persecutusq; esset, illis ut
 manifeste futurum apparebat relinqui, ferre non pos-
 set. ideoq; ut id quod uiribus adipisci non poterat, con-
 silio assequeretur, cum Pontifice & Hispaniæ regum,
 quibus omnibus tanta Venetorum potentia molesta e-
 rat, oratoribus egit, proponerent ad Gallos omnib. ad-
 iumentis in Italia priuandos, atq; eam totam ad concor-
 diam reducendam, necesse esse Pifarum restitutione Flo-
 rentinos, postquam id alia ratione fieri non poterat, in
 commune fœdus allicere: quod dum ab alijs erāt seiun-
 cti, Galliæ regem, ut in Italiam ueniret cohortari non
 desisterent: qui si uenisset, posse illos pecunijs & copijs
 suis, cum præsertim in media Italia sint collocati, res
 non paruas efficere, Sed huic sententiæ ut communi sa-
 luti ualdè perniciosæ, ab Veneto oratore repugnatum
 est: afferebat enim eam esse Florentinorum in Galliæ re-
 gem propensionem, ut uel hoc beneficio in eos collato
 nequa-

nequaquam, nisi promissorum seruandorum idoneam cautionem dedissent, illis esset fidendum: in tanti autem momenti rebus, nullam nisi Ligurnum in fœderatorũ manus deponerent cautionem idoneam esse: quod ille artificiosè, ut, cum illos nunquam locum tanti ad imperium ipsorum momenti deposituros sciret, maiorem contradicendi facultatem haberet, proponebat: quo ut cogitauerat factò, tanta uehementia sese opposuit, ut cum Pontifex & Mediolanensium ducis orator, ne illos à fœdere suo alienarent, repugnare non auderent, id colloquium ommissum sit, & noua à Pontifice & Venetis ad Florentinos ui à Gallica societate diuellendos, ratio introducta, quia ijs qui de eis lædendis cogitabant, peruersus eius ciuitatis status, animum augebat: erat enim inter ciues non parua dissensio ex reip. forma orta. nam cum primò popularis status est constitutus, ea temperamèta adhibita non fuerant, quæ & libertatem idoneis modis firmarent, & ne resp. multitudinis imperitia atq; licentia perturbaretur prohiberēt: ideo cum amplioris census ciues minoris quàm æquum uideretur fierent, & uicissim illorum ambitio populo esset suspecta, multiq; sæpe grauibus deliberationibus interessent, qui ea non satis intelligerent, & altero quoq; mense supremus magistratus ad quem difficillimarum quarumque rerum summa referebatur, mutaretur, respub. admodum perturbatè administrabatur: quibus accedebat magna Sauonarolæ autoritas, cuius auditores ferè tacitè conspirauerant: cumq; multi inter eos honesti ciues essent, & contrariam factiõnem numero etiam superarent, magistratus & honores multo magis in eos qui eum sequebantur, quàm in alios distribui uideban-

tur: eamq; ob caussam cum ciuitas manifestè esset diuisa, altera pars alteram in publicis confesibus impugnat: neq; ullam publici boni rationem, ut in diuisis ciuium studijs accidit, quo aduersariorum existimatione euerterent habebant. Harum perturbationum periculum augebat, quòd præter longas molestias, & graues sumptus ab ea ciuitate perpeffos, summa eo anno erat annonæ penuria: ex quo existimari poterat, plebem fame oppressam res nouas exoptaturam: quæ omnia Petro Medici præter has occasiones ab nonnullis ciuibus incitato, ad exoptatum finem facillè perueniendi spem fecerunt. quare consilijs suis cum Sansuerinati Cardinale sibi ueteris amicitie iure coniuncto, & cum Aluiano communicatis, clam etiam à Venetis, qui pisanas res Florentinorum molestijs firmari existimabant, incitatus, ut per insidias Florentiam ingrederetur, conari statuit: præsertim uerò certior factus, ubi Bernardum Nerium grauem & magna autoritate uirum, ueterem & parentis & suum amicum, uexilliferum, quæ summa est in Repub. dignitas, creatum, & nonnullos alios, quibus ob ueteres clientelas potentiam suam gratam fore censebat, ad eundem magistratum euectos. Huic consilio & Pontifex, qui postquam Florentinos à Gallie rege beneficijs disiungere non potuerat, iniurijs facere cupiebat, est assensus: nec dux Mediolani, quòd se ob presentis status perturbationem, firmum aliquod fundamentum, societatemue cum ea ciuitate habere nõ posse censeret, quamuis nec Petri cum ob iniurias ei illatas, tum quia ne nimium ex Venetorum autoritate penderet metuebat, reditus ei non placeret, repugnauit. Petrus igitur quanta pecunia potuit, ex suis & amicorũ opibus

opibus collecta: & ut opinio fuit, parua summa à Venetis subministrata, Senas est profectus: cumq; Aluianus cum equitibus & peditib. semper, ut eius profectio Florentinis esset occultissima, noctu per deuia iter faciens sequutus est. Senis Io. Iacobi & Pandulfi, Petruciorum eius reip. summorum ciuium paternorum sibiq; amicorum fauore, clàm alios milites habuit, adeo, ut cum sexcentis equitibus, & quadringentis selectis peditibus, biduo post coeptas inducias quibus Senenses non comprehendebantur, Florentiam uersus ea spe, ut cum repète in ipso diluculo eò peruenisset, se facile uel casu quopiam, uel tumultu quem pro se exoriturũ sperabat, ingressurum existimaret, est profectus: quod cõsiliu fortasse uanum non extitisset, nisi fortuna eius aduersariorum negligentiam adiuuasset: nam quũ prima noctis uigilia, ad tabernulas quæ sunt nonnullæ domus in Regia uia positæ, eo consilio ut maximam partẽ noctis ambularet, castra posuisset, magna pluuia superuenit, quæ tantum ei impeditenti attulit, ut nisi multas horas post solis ortum Florentiam peruenire non potuerit: quæ mora, ijs qui se eius peculiare hostes profitebantur (plebs enim, & ferè omnes reliqui ciues ociosi rei exitum expectabant) cum amicis & clientibus arma capiendi, & ut magistratus suspectos ciues in prætoriu nocarent, ibiq; eos detinerent, curandi, & ad portam, qua Senas itur, ad quam ab eis rogatus, & Paulus Vitellius, qui Mantua rediens, forte fortuna superioris diei uespere Florentiam peruenerat, accurrit, globum faciendi spaciũ concessit, adeo ut cum nullus in ciuitate motus oriretur, nec Petrus portam, cui ad arcus iam æum appropinquaret, ui perumpere possset, ubi qua-

tuor horas sibi hæssisset, ne suo periculo Florentinorum equitatus, quem ut res erat, ex Pisano agro accersitum existimabat, superueniret ueritus, Senas redijt: unde Aluianus profectus, & Todium ab Guelfis introductus omnes Gibellinorum domus diripuit, tresq; & quinquaginta eius factionis principes interfecit: quod exemplum sequutus Antonellus Sabellus, Ternium & Gateschij Columniorum ope Viterbiũ ingressi, eandem in utroque loco, & circumiecta regione Guelfis cladem intulerunt: nec Pontifex à sumptibus in huiusmodi res faciendis abhorrens, suaq; natura ex aliorum calamitatibus exiguam molestiam capiens, ijsq; rebus quæ honorẽ ipsius attingebant, modò ne ipsius cõmoda uoluptatesq; impedirentur, minimè perturbari solitus, tantis pontificij imperij malis obuiam ibat. sed tamen domesticam calamitatem, quæ domum eius tragicis exemplis, & libidine atq; crudelitate, uel in quauis barbara regione horrenda perturbauit, effugere non potuit: nam cum usq; ab initio sui pontificatus, omnem profanam potentiam & opes, in Candianum ducẽ suum maximum natu filium conferre statuisset, Valentinus cardinalis, qui animo prorsus ab sacerdotio alieno ad rem militarem aspirabat, quum sibi hunc locum à fratre occupari ferre non posset, præterea etiam illũ à quadam nobili muliere, quæ ab utroq; amabatur, sibi contesferri agrè ferens, libidine & ambitione ad quoddam magnum scelus perpetrandum, potētibus ministris committatus, noctu cum solus per Urbem equitaret, clam necari, atq; in Tiberim proijci curauit. Candiani Pontificem in filiorum amore, si quisquam alius tantissimum, nec fortunæ ictibus sentiẽdis assuetum,

uehe-

uehementissimè afflixit: certum enim est, eum à teneris ad eam usq; ætatem secundissimo fortunæ cursu usum fuisse: quare eo casu tantopere fuit commotus, ut in jenatu, quod ipsi Concistorium uocant, postquam maxima animi commotione & lacrymis suam miseriam grauius deplorasset, multasq; suas actiones & uitæ modum quem ad eum usq; diem tenuisset, ipse damnasset, grauius uerbis se aliam rationem uitæ & morum in posterum instituturum asseuerauit: simulq; è purpuratorum numero certos delegit, quorum consilio atq; opera in moribus atq; ordinibus curiæ corrigendis, uteretur: cui rei cum per aliquot dies operam dedisset, autorq; necis filij sui, quæ initio Ascanij cardinalis atque Vrfinorum opera procurata putabatur, patefcere inciperet, laudabili prius proposito, deinde etiam lachrymis depositis, ad eas cogitationes, eaq; opera, in quibus ad id usque tempus ætatem contriuerat, impotentiore quam unquam antea animi impetu reuersus est. Ex Petri Medicis motibus nouæ calamitates per ea tempora Florentiæ extiterunt: nam paulò post quorundam in Petrum studia patefacta sunt: quamobrem non pauci nobiles ciues capti, alij fuga elapsi: post autem coniurasse conuicti, rei capitalis condænati fuerunt, nõ solũ Nicolaus Ridulfus, Laurentius Tornabonus, Ioãnotius Puccius, & Io. Cambius, qui Petrum ut ad urbem ueniret, sollicitauerat, & Laurentius qui ei ad hoc pecuniã comodauerat, uerum etiam Bernardus Nerijs, ob eam tantum causam, q̄ cum de coniuratione intellexisset, eam nõ patefcisset: quod peccatũ alioqui legibus Florentinorũ, & iurisperitorũ sententia capitale, eo grauius fuit, q̄ cum Petrus Florentiam uenit, ipse reip. uexillifer esset: quasi in eo magistratu, magis publicæ personæ munus, quam priuatæ

obire teneretur: uerum cum damnatorum propinqui populi comitia, legis cuiusdam ui, quum populi potestas fuerat constituta, late, appellassent, eius condemnationis autores, ueriti ne aetatis ac nobilitatis misericordia propinquorumque multitudinem, in populi animis iudicij seueritas mitigaretur, obtinuerunt ut in minore ciuium numero consultaretur, essetne appellationis persecutio admittenda, an prohibenda: ubi eorum autoritate & numero qui rem periculosam, atque ad seditionem excitandam pronam esse dicerent, uincente: afferrentque legibus ipsidem concedi, ut tumultus uitandi causa, in eiusmodi re leges silerent, quidam ex ijs qui in supremo dignitatis gradu sedebant, impetu quodam, & propemodum ui & minis assentiri, ut eadem nocte interficerentur, compulsi fuerunt: hoc ipsum uehementius Sauonarolæ fautoribus poscentibus, non sine ipsius infamia, qui sui studiosos saltem non deterruisset ab ea lege uiolanda, quam ipsemet paucos ante annos, quasi admodum salutarem, atque ad libertatem conseruandam necessariam, rogasset. Hoc ipso anno Federicus rex Neapolitanus, regni à Pontifice diplomate accepto, ac solemniter inauguratus, Montemangelicum ab Iuliano Lotharingo, quem rex Gallie præfecerat, fortiter defensum, pactione, necnon Ciuitatem (id enim est oppidi nomen) unam cum alijs aliquot oppidis, quæ Carolus cui à Sanguine cognomen fuit, tenebat, recepit: & induciarum tempore finito, Romano præfecto toto regno exacto, in Salerno principem arma conuertit: qui denique in Dianiarce obsessus, atque ab omnibus desertus, ut incolumis unam cum suis rebus abiret obtinuit, ea sui imperij parte, quam nondum amiserat, in Bisiniani principis potestate

state ea conditione relicta, ut eam Federico traderet simulac se Senogalliam incolumem peruenisse intelligeret. In huius anni fine, cum immoderatis Hispaniæ regū petitionibus, conuentus qui è Montepessulo Narbonem translatus erat, prius esset interruptus, ad noua cōsilia, iisdem tamen difficultatibus permanentibus, ijdē reges redierunt. nam rex Galliæ nullam compositionē admittere constituerat, in qua Italia comprehēderetur: Hispaniæ uerò regibus graue uidebatur, si ei Italiæ subigendæ liberam facultatem relinquerent: nec tamen cum eo bella ultra Alpes gerere cupiebant: quibus ex bellis plus molestiæ quā fructus sperare posse uidebatur. Tandem induciæ inter eos quandiu ab alterutris non renunciarentur, & insuper menses duos, pactæ: quibus inducijs nulli Itatorum principum aut ciuitatū comprehensi fuerunt: quas Hispaniæ reges factas esse ipsis significarunt, eamq; rationem sui facti attulerūt: nimirum, tam sibi licuisse id eis non appellatis facere, quàm Ludouico Sfortiæ sine ipsorum consensu pacem Vercellēsem componere: & cum, iusto cum eis fœdere, bellum in Galliam mouissent, idq; multos menses gessissent, nec tamen sibi pecunia à socijs promissa persoluta, et si iustam caussam haberent eos deserendi, à quibus deserti fuerant, sæpenumerò tamen eis denuntiasse, se mille & quingēta pondo auri, quæ sibi ex peractis bellis debebantur, persoluere uellent, se eam summam in bella futura accepturos fuisse, eo animo ut in Galliam cum ualidissimis copijs essent ingressuri: sed cum socij super his nec suæ fidei, nec communi utilitati satisfacissent, uiderentq; fœdus pro Italiæ libertate percussum, ad eam usurpandam & opprimendam uerteretur: cum

Veneti tot portub. in regno neapolitano occupatis minimè contenti, pisanam quoq; ciuitatem sine iure tenerent, sibi æquum esse uisum, quando quidem alij rem cõmunem dissoluerent ac perturbarent, suis rebus induciarum beneficio prospicere, sed eo temperamento, ut admonitio potius quàm à fœdere discedendi uoluntas dici posset, propterea quòd in eorum esset potestate eas renunciando dissoluere: quod quidem essent facturi, si in Italiæ principibus alia ad communem utilitatem cõsilia, aliosq; apparatus cernerent. Pacis dulcedinem integrè gustare reges illi, propter Ioannis Hispaniæ principis amborum unici filij mortem non potuerunt. Mortuus est eadem tempestate Sabaudia dux Philippus paruulo filio unico relicto, qui post longam deliberationē deniq; cum fœderatis sensurus uidebatur: nam ei aureorum nummũ uiginti millia quotannis se appensuros receperant: nihilominus eius apud omnes fides adeo anceps erat, ut & ipsi, si quando rex Gallia ualida expeditione aliquid aggredideretur, non multũ sibi ab eo pollicerentur. Eiusdem anni extremo dux Ferrariæ, cum iam biennium arcem Genuensem depositi nomine tenuisset, Ludouico genero suo restituit: prius tamen ab Rege Gallia postulauit, ut sibi impēsarum quas in eius arcis custodiam fecisset, medium reponeret: se id persoluturum rex affirmabat, si modò sibi dux Castelletũ traderet: quod quidem facerè ipsum debere rex aiebat, q̄ Mediolani dux pacta non seruasset: respondebat ille, hoc ipsum nundum esse demonstratum, atq; ut Ludouicus contumaciae reus fieret, interpellationem intercedere oportuisse, se eam summam rex depositurum pollicebatur, ut ante solutionem, an sibi arcem tradere debe-

ret, cognosceretur: uerum apud Herculem potiora fuerunt Venetorum generiq; sui postulata: mouebatur enim non solum precibus ac delinimentis Ludouici, qui paucis diebus antè, Archiepiscopatum mediolanensem in Hippolytum cardinalem filium suum contulerat: sed multo magis quod periculosum existimaret, odium uiciorum præpotentium, in tempore præsertim, quo indies Gallorum aduentus spes magis ac magis imminuebatur, prouocare: itaq; ex gallica aula Ferrando filio suo reuocato, Castelletum Ludouico prius impensis, etiam ea portione quam rex persoluere debuisset, acceptis, restituit: quamobrem, Veneti, quo se ei debere præse ferrent, cum Ferrandum suis stipendijs centum grauis armaturæ equitibus præfecerunt: quæ restitutio parum æquè facta, etsi ad regis existimationem in Italia magni esset momenti, tamen rex æquiore animo eam tulit, quam rei grauitas posceret: quinimò cum Hercules oratorem qui se apud regem excusaret, misisset, diceretq; quod eius imperium Venetis, duciq; Mediolani finitimum esset, qui ei tantum bellum indixissent, se necessitati parere coactum fuisse: eum rex eadem negligentia, quasi de leui aliqua re egisset, audiuit: ut qui præterquam quod omnibus suis actionibus casu et temere procedere consueuisset, in consuetis angustijs ac difficultatibus uersabatur, quod in Italiam transeundi cupiditate flagraret: maioresq; quam unquam antea occasiones haberet, cum Hispaniæ regibus inducias, Heluetij fœderis nouam confirmationem, multas fœderatorum Italiæ principum discordiarum causas: sed artibus bonæ partis eorum qui circa eum erant, impediabatur: alij ei uarias proponere uoluptates: alij ad eam quidem expere

ditionem hortari, uerum tanto terra mariq; apparatu, tantaq; rei numariae confectioe, ut ad ea perficienda longo admodum tempore opus esse uideretur: alij quauis difficultate occasioneq; uti negotium protelarent, abuti: nec Maclouiensis non & ipse solita sua in expeditionibus numarijs tarditate, moras interponere: sic ut non modò in Italiam transeundi tempus magis quàm antea incertus esset, uerumetiam quæ penè ad fastigiũ erant perducta, concidere permitterentur. Nam Florentini cum eo ita conuenerant, ut simul atq; ipse bellum cœpisset, ipsi ab altera parte arma mouerent: atq; ut in hoc Obigninus cum centum quinquaginta cataphractis, quorum rex centum stipendia solueret, ipsi quinquaginta, mari in Hetruriam, ut ipsorum exercitus imperator esset, transfret. Mantuanus quoq; ab Venetorum stipendijs, quũ uictor è neapolitano regno redijt, quòd eum cum rege Gallia de se conducendo agere suspicarentur, importunè remotus, nunc reuera ea de re cum eo agebat: & Sabaudia nouus dux, in regis amicitia erat confirmatus: Bentiuolus quoq; ubi rex Italiam attigisset, se ipsius pontificisq; auctoritatem secuturum promittebat: an cum eo facere, ut continenter cum ipso agebatur, deberet ambiguus, saltem se regi non oppositurũ promiserat. At, regis consueta tarditas ac negligentia, omnium ardorem restinguebat: nam, nec in Italiam, ut Astæ congregarentur copia, ut ab eo promissum erat, transibãt, nec Obigninus mittebatur, nec pecunia qua Ursinis ac Vitellijs stipendia persoluerentur, explicabatur, res, si quidem bellum erat gerendũ, magni momenti: idcirco cum Vitellij Venetorum facturi stipendia uiderentur, Florentini regem ea de re certiore

tiorem faciendi tempus nō haberent, communibus suis & regis stipendijs eos in annum conduxerunt: quæ res post cognita ab eo fuit laudata: uerū nec confirmata, nec in eā pecunia missa: quin missō ad eos Gemellio, ut sibi auri pondo mille & quingenta in eam expeditionem commodarent, postulauit. Deniq; aliorum uoluntate ex sua, ut sæpenumero solebat, æstimata, Lugduno repente ferè discedens Tursum, inde Ambosiam, se breui rediturum, ut solebat, promittens profectus est: quas ob res omnium qui in Italia partes ipsius sequebantur, spe frustrata, Baptistinus Fregosius ad Mediolani ducē reconciliata cum eo gratia, se cōtulit: qui animo ex his rebus recepto, indies magis suam in Venetos ob Pisanorum res indignationem conceptam aperiebat: pontificemq; & Hispaniæ reges instigando, ut denuo, sed ardore maiore de Pisis restituēdis postulata sermonesq; renouarent. His consilijs Florentini ab eo sic persuasi, ineunte millesimo quadringentesimo nonagesimo octa¹ 498. uo Romam suum oratorem miserunt: cui ut ita rē tractarent mandarunt, ut & Pontifex & alij possent cognoscere, si Pisana ciuitas ipsis restitueretur, ipsos cum reliquis ad Italiæ defensionem contra Gallos conspiraturos: & nihilominus rex Galliæ, si res minus procederet, aliquid de ipsis suspicandi causā non haberet. Hæc res per multos dies Romæ fuit agitata, Pontifice & oratoribus Hispaniæ regum, ducis Mediolani, & Neapolitani regis, cum Venetorum legato aperte agentibus: cum dicerent ad communem securitatem necessarium hac ratione Florentinos sibi aduersus Gallos adiungere: Venetum senatum cum reliquis assentiri debere, ut omnium offensionum radicibus extirpatis, ne-

mo in Italia restaret qui Transalpinas gentes euocandi occasionem haberet: cuius concordia, si hac re impeditur, alijs fortè noua consilia ineundi, è quibus aliqua grauis rerum immutatio cum omnium detrimento posset existere, eam rem esse ansam præbituram. Sed enim prorsus diuersa erant ueneti senatus consilia: qui suam cupiditatem uarijs coloribus infuscans, atq; unde præcipuè tantum eius rei studium manaret, animaduertens per eundem suum oratorem sic respondebat, ut grauissimè exposlularet, eam rem nequaquam communis boni causa excitatam esse, sed ex alicuius fœderatorum aduersus eos maleuolentia: propterea quòd, cum Florentini animo essent cum Gallis coniunctissimi, sibiq; per illorum in Italiam reditum bonam Hetruriæ partem occupaturos persuasum haberent, sine dubio restitutionem pisanam non satis esse ad illorum in gallicum nomen studia remouenda, quin potius rem esse periculi plenam, si ea ipsis restituatur: quoniam quo essent potentiores, eò magis Italiæ securitati nocerent: in hac restitutione, omnium existimationem & fidem agi, sed præcipuè ipsorum reip. quia, cum omnes socij concordēs Pisanis se illorum libertatem propugnatores compromississent, post, cum reliqui omnes in publicum bonum sumptus inuiti conferrent, onere ipsis solis relicto, qui ad hoc nullum sumptum aut molestiam recusarunt, turpe admodū fore si eā deserāt, datamq; fidē infringant: quā si ceteri nō magnificerēt, ipsi eā semper seruare soliti, uiolare nullo modo uellent: esse molestissimū ueneto senatui, quòd sine ullo respectu ab alijs carperentur ea de re quam de communi omnium cōsensu incœpissent: & cōmunis utilitatis causa in incœpto

•perfe-

perseuerassent: ac tãta cum ingrati animi significatione benefaciendo, malè mulctarentur: hanc mercedè immanes quos in eam rē totq; alias sumptus fecissent, tot præterea molestias & pericula, quæ post ictum cum illis foedus sustinuisissent, minimè mereri: quæ res eiusmodi fuerãt, ut audacter possent dicere, ipsorũ opera fuisse Italiam liberatã: quòd nec ad Tarum alijs erat pugnatum armis: nec alijs armis neapolitanum regnũ recuperatũ quàm suis: & quinam exercitus Nouariam ad deditiõnem compulisset? quis Galliæ regem trans Alpes abire coegisset? cuius uires quoties redire tentauerat in Taurinis obuiam iuissent? Negari uerò non posse, quin hæ actiones ex salutis Italiæ desiderio potissimum profectæ sint: nam nec primi unquam ipsi periculis expositi fuerant: nec ipsorum caussa errores extiterant, quos ipsi corrigere tenerentur: quòd nec Galliæ regem in Italiam ipsi euocassent: nec eum cis montes eductum, comitatos esse, nec ut suo parcerent ærario, res cõmunes in discrimen uenire permisisset: quin etiam sæpenumero necessarium fuisse, senatum uenietum eis malis adhibere remedia, aliorũ culpa ad omnium perniciẽ exorta: quæ opera si minus erant cognita, aut tam citò obliuioni tradita, nolle se ob id aliorum parum laudabili exemplo, neque fidem, neq; suæ reipub. dignitatem foedare: eam præsertim ob caussam, quòd cum Pisanorum libertatis incolumitate, Italiæ uniuersæ securitas, bonũque coniunctum esse uideatur. Hæc dum inter fœderatos aperto cum dissidio tractantur, nouus superueniens casus res longè ab hominũ cogitationibus diuersas peperit: nam nocte quæ octauum diem Aprilis antecedit, apoplexia Carolus rex, Ambosiæ repente mortuus est:

quod quidem ei accidit, dum pila ludentes spectat, tanta ui, ut eodem in loco uitā terminarit, qua maiore impetu quā uirtute orbem terræ perturbauerat, & erat denuo turbaturus: permulti enim existimarunt, quòd in Italiam redeundi desiderio arderet, semel tandem siue sua sponte, siue eorū monitis quibus Maclouiensis magnitudo erat inuisa, eum se ex ijs quæ obijciebantur difficultatibus explicaturum: & quanquam in Italia modò augetet, modò minueret, propter actionum suarum inconstantiam, sui aduentus opinionem, non ob id tamen eius expeditionis metus tollebatur: itaq; Pontifex suos filios euehendi cupiditate stimulatus, iam cum eoderebus nouis clam agere cœperat: post etiam rumor siue falsus siue uerus increbuit, ducem Mediolani, ne in perpetuo timore uitam ageret, idem fecisse. Regnum Gallie, quòd Carolus sine liberis discessisset, ad Ludouicum Aurelie ducem, à stirpe mascula proximū peruenit, ad quem illico Carolo mortuo regij stipatores Blesiacum, ubi ille tum erat, totaq; aula contendit: mox omnes regni proceres, regem suum & salutantes & agnoscentes: tametsi non defuerint qui tacitè submurmurarent, eum antiquis eius regni institutis, à regia dignitate aduersus quā Britonico bello arma sumpsisset, arceri. Postridie eius diei quo Carolus uiuere desijt, qui Christiano ritu palmarum celebritati sacer est, Hieronymi Sauonarole autoritas Florētiæ cōcidit: qui prius apud Pontificem in crimen uocatus, quòd nō sine offensione in Sacerdotum curiæq; Romanæ mores pro concione inueheretur: quòd Florentiæ discordias aleret: quòd eius doctrina nequaquam per omnia sana esset: quas ob res cum Romam breuibus Pontificis literis esset ac-

set accitus, nec tamen unquam eò se conferre, certis ut ipse afferebat causis, uoluisset, tandem superiore anno Pontificis censura ei rebus sacris fuerat interdictum: huius rei causa, cum à concionibus aliquot menses abstinuisset, facile, si abstinere perseuerasset, absolutionē obtinuisset: nam Pōtifex suapte hominem parui faciēs, ut in eum sua fulmina uibraret, id magis eius aduersariorum stimulis, quàm alia de causa mouebatur: uerū, cum is existimans, si conciones diutius omitteret, suam auctoritatem imminutum, aut eum finem, propter quē mouebatur, quæ potissimum concionandi ui augebantur, interruptum iri. Pontificis præceptis contemptis, denuo ad idem concionandi munus redijt: asserens diras in se à Pontifice contortas, diuinæ uoluntati repugnare: ac tanquam publico bono perniciosas, iniquas esse, nulliusq; momenti: quæ dum pro concione detona-
ret, Pontificem totamq; Pontificis curiam uehementissimis uerbis castigabat: qua ex re cum magnus esset motus excitatus, quòd eius aduersarij, quorum auctoritas in populo indies magis crescebat, istam eius contumaciam detestabantur improbabantq; quòd eius temeritate Pontificis animus turbaretur, eo præsertim tempore quo de pisana restitutione cum cæteris socijs agebatur: quo tempore nihil non erat faciendum, ut eum in propensione confirmarent: contra hos, eius fautores eum tuebantur, dicebantq; hominum gratia haud esse diuina opera turbanda: nec assentiendum ut huiusmodi prætextu Pontifex in Florentinæ reip. negocijs immisceretur. Qua in contentione, cum permulti dies cōsumpti fuissent, indignante mirum in modum Pontifice, & nouis epistolis fulminante, dirarum item denun-

ciatione ciuitatem uniuersam terrente, ei tandem per magistratus interdictum concionibus fuit: quibus & si ipse paruisset, complures tamen è sodalibus ipsius diuersis in templis idem facere non cessabant: cùmque haud minus feruerent studia sacerdotum, quàm aliorum, reliquarum sodalitarum monachi aduersus eum uehementissimè concionari minimè desistebant: ac denique in tantum furorem prorupèrè, ut unus è Sauonarolæ sodalibus eius sectæ studiosus, & ex altera parte unus ex ijs sodalibus qui Minores appellantur, cõuenerunt, ut ambo in flammam populo uniuerso spectante, ingrederentur: ut aut incolumi, aut flammis absumpto Sauonarolæ sodali, ex euentu esset ne is uerus Dei uates, an falsus & impostor, omnes liquidò cognoscerent: id autem idcirco afferebatur, quòd is sepius pro concione asseuerasset, se in suæ doctrinæ testimonium à Deo impetraturum, ut incolumis per medias flammam transiret: nihilominus, quòd se inconsultò eius experimenti facta mentio esset, molestè ferens, id impedire magna dexteritate tentauit: sed cum res iam multum processisset, atq; à multis ciuibus ciuitatem tantis molestijs liberari cupientibus, urgeretur, ulterius omnino progredi necesse fuit. Quam ob rem, cum ad dictam diem duo monachi cunctis sodalibus suis comitantibus, in prætorianum forum campumue conuenissent, quo non modò Florentinus populus uniuersus, uerumetiam è uicinis urbibus complures concurrerant, ad Minorum sodalium aures peruenit, Sauonarolam, ut eius sodalis in flammam ingrediens corporis Christi crustum, quod sacramētum dicitur, manu gestaret, mandasse: cui rei cum illi reclamare inciperent, dicerentq;

hac

hac ratione Christianæ persuasionis auctoritatem in discrimen uocari: quæ si crustum (hostiam illi uocant) igni absumeretur, in imperitorum animis multum imminueretur. Sauonarola uerò qui aderat, in sua sententia perseuerante, atque ita inter eos dissensione exorta, in id res nõ est adducta discrimen: quam ob causam tantum de eius auctoritate detractum est, ut insequenti die, cum casu tumultus quidam esset exortus, eius aduersarij sumptis armis, adiuncta summi magistratus auctoritate, Diui Marci domum, ubi cum suis sodalibus habitabat, expugnauerint, eumq; cum duobus eiusdem sodalitatis captum, in publicum carcerem duxerint: quo in tumultu propinqui eorum qui anno superiore securi fuerant propter Petrum Medicem percussi, Franciscum Valorium ciuem primarium, Sauonarolæ factionis principem, quòd is qua supra ceteros auctoritate pollebat, in caussa fuerat, ut persequendæ appellationis ad populum facultate priuarentur, occiderant. Fuit de Sauonarola habita quæstio, et si minime grauis, atque ipsius edita confessio: quæ remotis omnibus calumnijs quibus grauabatur, siue auaritiæ, siue flagitiorum ac libidinis, siue quòd clandestina haberet cum principibus consilia, illud continebat: Sauonarolæ quæ prædixisset, nõ instinctu inflatuq; diuino, sed sua opinione sacrarum literarum doctrina obseruationeq; nixa, prædixisse: nec in eo se aliquid improbum spectasse: nec ut ea uia sacrum aliquem honoris gradum assequeretur: uerum se illud summopere expetiuisse, ut ipsius operae totius christ. reip. concilium conuocaretur, in quo sacerdotum corrupti mores corrigerentur, ecclesiæq; dei status, qui tãto opere à maiorum institutis recessisset, q̄ ma-

ximè fieri posset, ad eius temporis formam, quæ Apo-
 stolorum temporibus proximè accederet, reuocaretur.
 Hoc opus tam præclarum, tamq̃; salutare, si ad exitum
 perducere potuisset, sibi longè gloriosius atque diui-
 nius duxisse, quam si summum pontificatum esset con-
 secutus: propterea quòd illud, nisi excellentis doctri-
 næ uirtutisq̃; admiratione, reuerentiæque mortalium
 omnium singulari, assequi non potuisset: sed pontifi-
 catum sepius aut malis artibus, aut fortunæ beneficio
 homines adipisci. Super hac confessione ab ipsomet
 coram multis sacratis, etiam suæ sodalitatatis uiris,
 sed uerbis (si quidem uerum est, quod post eius se-
 ctatores inuulgarunt) concisis, quæq̃; uarias & mul-
 tiplices interpretationes possent recipere, de sodali-
 tatis Dominicanæ summi præfecti (Generalem il-
 li uocant) Romoliniq̃; antistitis, qui postea Surren-
 tinus cardinalis fuit, sententia: qui huius causæ à Pon-
 tifice cognitores erant dati, ceremonijs ab Romana
 ecclesia constitutis, sese sacerdotio unà cum duobus
 suis sodalibus, abdicare coactus est: quo facto in ma-
 gistratus potestate relictis: à quibus rerum capitalium
 iudicibus traditi, suspensi, combusti q̃; fuerunt: sed
 ad abdicationis & supplicij spectaculum, haud mi-
 nor mortalium concursus est factus, quam eo die qui
 ad Sauonarolæ doctrinam igni explorandam, tantiq̃;
 ab eo promissi miraculi expectationem, in eundem lo-
 cum concurrissent. Hoc mortis genus ab ea constan-
 ter perpeffum, nulla tum alia uel delicti, uel inno-
 centiæ significatione data, iudiciorum uarietatem,
 hominumq̃; studia minimè suspendit: nam à multis sal-
 lax, ab alijs uerus & pius fuit iudicatus: qui confes-
 sionem

*sionem editam, & inuulgatam, aut falso conscriptam
 & commenticiam, aut in eius constitutione corporis
 admodum molli ac delicata, plus tormentorum uim,
 quam ueritatem potuisse: eamq; imbecillitatem prin-
 cipis Apostolorum exemplo excusabant: qui nec cu-
 stodiae traditus, nec acerbitate questionis, aut alia ex-
 terna ui compulsus, sed ad ancillarum aut seruorum
 simplicem sermonem, eius se magistri discipu-
 lum esse, à quo tot salutaria præcepta
 audierat, diuinâq; uiderat patrari
 miracula, non semel ne-
 gavit.*

TERTII LIBRI FINIS.

FRAN-

FRANCISCI GUI-
CIARDINI HISTORIA-
RVM SVI TEMPORIS
LIBER QVARTVS.

C. S. C. interprete.

Galliæ regum in mediolanensem ducatum iura: Florentinorû in Reguliana valle clades, eorundemq; cum Ludouico Sfortia fœdus: belli inter Columnios & Vrsinos origo: Alexandri Pontificis regni neapolitani occupandi cõsilia: Pisani ad Cascinam fusi: inter Senenses & Florentinos induciæ: Cæsar Borgia se Cardinalis dignitate abdicat: Aloysij regis cum vxore diuortium: Venetorum cum Galliæ rege fœdus: Ferrariensiu dux à Venetis ac Florentinis rerû pisanarum arbiter factus: Ludouici Sfortiæ in Germaniam fuga: Paulus Vitellius ob pisanas res à Florentinis securi percussus: Valétini bella: ducis Mediolani in Insubriam reditus, eiusdem regni & vitæ iactura.



CHAROLI Galliæ regis obitus, quia Ludouicus XII nouus rex in regni sui initio Cisalpinis bellis implicari uelle minimè credebatur, Italiam periculorum ex Gallorum potentia imminentiu metu liberauit: at eorum qui futura perpendebant animi, quòd regem annis maturum, multis bellis exercitatum, in sumptibus temperatum, & proculdubio magis quàm superior rex ex sese aptum pendentemq; ad tantum imperium peruenisse cernerent, & ad quem nõ modò, ut-
pote

pote Gallie regem, eadem regni neapolitani iura spectarent, uerū etiam ob Valentinae auiae suae successione, sibi peculiari iure Insubriae imperium arrogaret, ne dilatū malum tēporis successu maius grauiusq; redderetur suspicione nō sunt liberati; quoniā cum Valentina Io. Galeacius Vicecomes pater, antequā ex Casareo uicario Mediolanensiu ducis appellationē esset adeptus, Ludouico Aurel. duci, Caroli VI Gallie regis fratri desponderet, doti, qua Asta cum eius agro, et ingens pecuniae uis continebatur, ut quocunq; tempore mascula proles deficeret, Valentina, uel illa defuncta ordine proximi, in mediolanensis regni iura succederent, expressis uerbis cauerat. Quam pactionē per se leuē (si quod Galli asserunt uerum est) utpote in imperij interregno quo tempore imperij administrationem sibi Rom. Pontifices uindicant pontificia autoritas confirmauit: quare cum postea Philippinariae Vicecomitis interitu, Io. Galeacij uirilis proles esset extincta, Carolus Valentinae filius Aurelianensium dux, eius regni successione sibi deponere cœpit, quam sibi eodē tempore (ut principum ambitio faciliē quēuis pretextum arripit) et Federicus Caesar, quasi progenie, quae in Ioan. Galeacio, et Vencislao Roman. rege concessō priuilegio, nominata erat, extincta, iterum ad imperium deuolutum: et Alfonso Aragoniae et Neapolis rex, Philippi testamento hāeres institutus, arrogabant. Sed cum Francisci Sfortiae qui, ut arma aliquo colore muniret, Blancam cōiugem suam, Philippi unicam sed notham filiam debere succedere aiebat, arma, artes, felicitasq; plus ualuisset, Carolus Aurel. qui in bellis inter Gallos et Anglos, Dancortino praelio captus uiginti quinque annos in Anglia

captiuus fuerat, ob inopiã et aduersam fortunã, nec per se id bellum moliri, nec ab Ludouico XI. Gallie rege, quamuis cognatione coniunctissimo, aliquod auxilium unquam impetrare potuit: quia cum illi in regni sui initio Gallie proceres, qui publici boni specie, priuatis de causis atq; odijs in eum coniurarãt, infesti fuissent, semper rex ille potentiorum depreſsione, securitatem magnitudinemq; suam confirmari duxit. Quã ob caussam Ludouicus Aurelianensis Caroli filius, quamuis eius gener esset, nullam ab illo opem assequi potuit: & socero defuncto, cum in Caroli Octaui tunc pupilli tutela, Annam Borboniorum ducem regis sororem sibi anteponi ferre non posset, rebus nouis exigua fortuna in Gallia excitatis, minore felicitate in Britanniam citeriorem transijt: nam ijs qui Carolum Annæ, quæ Francisco patre sine liberis maribus defuncto, eius ducatus hæres erat, matrimonio Britannia citeriori potiri noblebant coniunctus, imò eidem matrimonio occultè inhians, in pugna quæ inter Gallos & Britannos, prope Santalbinum, in citeriore Britannia commissa fuit, captus & in Galliam perductus, ibiq; biennium in carcere custoditus. Itaq; prius facultate, deinde regio beneficio liberatus, Caroli ope destitutus id negocium nõ tentauit, nisi cum regis iussu Astæ moratus, tenui successu Nouariam est ingressus. Rex autem Gallie factus, nullo uehementius, quàm Mediolanensis ducatus uelut hæreditario iure ad se spectaret, occupandi desiderio flagrauit: in quo à pueritia educatus, rebus ad Nouariam gestis, atq; Ludouici Sfortie in se insolentia, cum Astæ esset, declarata, non mediocri in Ludouicum Sfortiam suscepto odio, multo magis accësus fuerat. Ideo paucos dies

dies post Caroli regis obitum, ea re consilij sui auctoritate firmata, non modò Galliæ & regni neapolitani ratione, Ierosolymæ, & utriusq; Siciliæ rex, uerum etiam Mediolanensium dux appellari uoluit: atq; ut suam ad res Italicas propensionem omnibus declararet, statim per epistolas Pontificem, Venetos, ac Florentinos sue ob regnum adeptû lætitiæ participes fecit: & proprios homines qui rerum nouarum spem facerèt, apertè sibi mediolanensè imperium in suam potestatem redigere in animo esse ostendens, misit. Cuius rei, Italarum propensione Caroli morte longè è priori immutata, occasio minimè parua offerebatur. Pontifex enim proprijs cupiditatibus, quas Italia pacata explere non posse animaduertebat agitatus, res denuo turbari cupiebat: & Veneti, timore quo ob iniurias Carolo illatas affecti fuerant, sublato, à noui regis fide animo minimè erant auersi: quæ propensio indies incrementum erat habitura: nam etsi Ludouicus Sfortia se duriolem immitiolemq; hostem habiturum cerneret, eadem tamen spe nixus, qua Federicus Aragonius, illum uidelicet non tam citò Cisalpinis rebus operam nauare posse, & presenti indignatione, à futuri periculi cogitatione remotus, quo minus se illis in Pisanis rebus opponeret, non erat omissurus. Soli Florentini animo à gallica amicitia alienari incipiebant: quoniam etsi nouus rex illis antea fauisset, nunc ad regnum euectus, nullo ipsis uel fidei uel beneficiorum acceptorum, quemadmodum defunctus ob Florentiæ & Astæ factas pactiones, & quòd potius multas molestias & pericula subire, quàm eius necessitudinem relinquere uoluissent, uinculo deuinctus erat: & inter Venetos ac Mediolanensium ducem indies gliscens dissensio, in

caussa erat, ut fœderatorum potentia metu sublato, potius in propinqua ac certa Longobardie societate, quã Gallie, remotis incertisq; auxilijs spe collocata, eam amicitiam parui facerent. In hac igitur diuersa animorũ propensione, uariæ etiam actiones fuerunt: Senatus enim uenetus statim unum ex suis scr. bis, quem apud Sabaudie ducem habebant, ad eum misit: & ut his initijs eius amicitia quam communes res Indies poscerent, cũ eo firmandæ fundamenta iacerent, tres oratores, qui illi regni successione gratularentur, & ea quæ aduersus Carolum gesserant, non alia de causa, quàm quòd cum multis indicijs illum regno neapolitano minimè contentum animaduertissent, ne ad totius Italiae imperium occupandum consilia sua direxisset metuerent, gesta excusarent, decreti fuere. Et Pontifex cum animo ad altiora consilia elato, Casarem filium ex sacrae purpure dignitate ad profanam amplitudinem euehere constituisset, missis statim legatis, sacra munera profanorũ imperiorum precio uendere cogitauit: sciebat enim regem Ioannam coniugem sterilem & monstruosam, quã ab Ludouico XI penè coactus duxerat, repudiare uehementer cupere: nec minore Annæ, quæ superioris regis morte uidua erat relicta, nor. tam ob pristinae beneuolentiæ iam antè Santalбини prælium inter ipsos contractæ reliquias, quàm ut hoc matrimonio Britannia ceteriore, magno & Gallie regno admodum oportuno imperio potiretur, in matrimonium ducendæ desiderio flagrare, quæ absq; pontificia autoritate obtineri non poterant. Nec Florentini ob antiquum eius urbis cum Gallie regno institutum, & ut merita sua obligationesq; defuncti regis confirmarent, à legatis ad eũ mittendis

tendis abstinuerunt, ab Mediolanensium duce ad hoc ipsum impulsus, ut per ipsos, Venetorum (cum ab utraque rep. de Pisanis rebus esset agendum) negocijs difficultas interponeretur: & si forte fidem uel aliquid autoritatis sibi comparasset, aliqua occasione ad gratiam inter ipsum & Gallie regem reconciliandam, quam ipse summo opere exoptabat, uti posset: qui omnes ab rege hilariter accepti sunt: & quamuis, antequam Gallie regnum nouis cum finitimis regibus foederibus firmasset, nihil in Italia mouere statuisset, tamen statim cum singulis negocia tractare coepit. Sed fatale erat, ut pisano incendio Mediolanensium ducis immoderata dominandi libidine excitato & nutrito, tandem autor ipse conflagraret: quoniam is & ob emulationem, & ob periculum quod ex nimia Venetorum potentia sibi ac ceteris Italiae principibus imminere uidebat, suarum artium laborumque fructum ab illis colligi patienter ferre non poterat, cumque ex Florentinorum, in Pisanis quocumque casu & ratione ledendis pertinacia, occasionem haberet, sibi que Sauonarole casu & Francisci Valorij, qui contrariam sibi factionem tuebatur interitu, maiorem quam antea in ea ciuitate spem locare posse uideretur, Florentinos ad Pisas recipiendas, postquam sua & aliorum consilia atque autoritas id efficere nequiuissent, armis iuuare statuit: uana opinione persuasus, uel antequam rex aliquem motum facere posset, Pisas seu ui, seu pactione in Florentinorum potestate fore, uel Senatum uenetum ea prudentia, quae in ipsomet uim non habuerat, retentum nunquam, aut indignatione, aut leuioribus de causis, gallica arma, in quibus pellendis tantum laborasset communi omnium cum periculo in Italiam redire, ex-

optaturum: quod imprudentissimum consilium, clades à Florentinis in pisano agro accepta, accelerauit. cum enim copiæ illorum quæ ad Eræ pontem erant, circiter septingentos equites, & mille pedites Pisis egressos, cū opima præda ex Volaterræ maritimis locis redire comperisset, penè omnes Ranucio & Guilielmo Paccio Florentini exercitus legato, ducibus, ut prædam recuperarent, ad iter illis intercludendum contenderunt: cumq; illos in Reguli ualle offendissent, impetu facto perturbant: & prædæ maximam partem receperant, quum centum & quinquaginta grauis armaturæ equites, qui florentinarum copiarum motu percepto, ut suis opem ferrent, Pisis profecti erant, superuenerunt: à quibus fessi & in diripiendo turbatis ordinibus reperti, cum Ranutij autoritas suos cataphractos ad pugnam sustinendam reuocare non posset, aliqua defensione per pedites facta, multis peditibus cæsis, plerisque ducibus cum maxima equitum parte captis, fugati sunt: adeò ut non sine difficultate legatus & Ranutius, cladis acceptæ culpam (ut in rebus aduersis fieri solet) sibi inuicem obijcientes in Reguli sanum euaserint. Hæc clades Florentinos afflixit, qui ut extemplo periculo prospicerent, cum tam repente novos milites comparare non possent, & Ranutij omnium copiarum imperatoris existimatio imminuta, & exercitus esset dissipatus, Vitellios qui in Aretino agro erant, Pisas conuertere statuerunt, sed Paulo suarum copiarum omnium imperium tribuere coacti sunt. hic casus etiam à Mediolanensium duce auxilia flagitare coegit: & eò magis, quia statim post cladem Galliæ regem ad ipsorum pericula uiribus & autoritate auertenda, trecetos cataphractos in Hetruriam mitteret

teret: de Vitellijs Carolo uiuente pactum stipendium cōfirmaret, suamq; portionem tribueret, & Venetos ab iniurijs abstinere moneret, supplices rogarant. Ex quibus rebus, quoniam rex se Venetis odiosum suspectū ue reddere nollet, uel quidquam in Italia antequā bellum in Insubria inciperet, mouere, grata uerba absq; factis retulerant. Dux autem hac in re, ne Veneti uictoriæ occasione eò usq; progredierentur, unde eos postea repellere nimium difficile esset, ueritus, minimè lentus fuit: ideo firma auxiliij spe Florentinis facta, prius qui apparatus non modò ad defensionem, sed etiam ad pisanum bellum, in quod, quia eo anno nullus Gallie regis motus timebatur, totius Italiae tunc ab omni alia perturbatione immunis, oculi conuersi erant, conficiendum esset necessarij, cum ipsis deliberare uoluit: nam etsi in Romano agro inter Columnios & Ursinos ad arma uentum esset, tamen ipsorummet prudetia, citò odia & similitates superauerat. Huius belli origo fuerat, quòd Columnij atq; Sabelli Iacobi è Comitum familia Martie turris occupatione incitati, Comitum gentis oppida inuaseraunt: & ab alia parte Ursini ob factionum necessitudinem, arma pro illis sumpserant: adeo ut multis utrinq; castellis uicissim occupatis, tandem totis uiribus ad Monticelli radicè in agro Tiburtino dimicarent: ubi post longum acreq; prælium non minus factionum ardenti studio, quā gloriæ atq; imperij causa incitati, Ursini qui duo millia peditum & octingentos equites habebant, signis amissis, & Carolo Ursino capto fugati sunt: & ex Columniorum parte, Antonius Sabellus clari nominis dux lethali accepto uulnere, intra paucos dies expirauit: quo successu Pontifex, regionis Urbis

propinque perturbationem sibi moleſtam eſſe oſtēdēs, ſe ad concordiam conciliandam interpoſuit: quod dum minus bona fide (ut erat uaffer) agit, Vrſini nouis uiribus collectis, ad Palumbariam nobile Sabellorum oppidum caſtra poſuerunt: & Columnij qui poſt uictoriam multa comitum familie caſtella occuparant, ſe ad auxilium oppido ferendum comparabant. Sed cum utraque pars, Pontificem modò Columnijs, modò Vrſinis fauendo, ut tādē attritis ipſorum uiribus omnes opprimere poſſet, bellum fouere animaduertiſſet, Tiburi abſque aliorum interceſſione ad colloquium cōuenere: ubi eodem die pacem confeſcerunt, qua Carolus Vrſinus liberatus, cuiq; oppida in hac contentione adempta, reſtituta: Albenſis & Tallacotiēſis ditianis controuerſia, Federico regi, cui Columnij militabant permiſſa. Hoc motu ſtatim ſedato, cum nuſquam in Italia, niſi in piſano agro arma miſcerentur, Mediolanenſium dux, quāuis ab initio Florentinos nullis apertis auxilijs, ſed clādeſtina pecunia iuuare decreuiſſet, indies maiore indignatione ac dolore cōcitatus, nec ſuperbis minacibusq; uerbis in Venetos parcens, palām ſe nullius habita ratione declarare ſtatuit: ideo illorum copias quę Parmenſi & Pontremulenſi uia Piſas contendebant itinere prohibuit: & per Ferrarienſium ducis imperium longius ac difficilius iter facere coegit: ut Caſar omnes oratores qui apud ſe eſſent, præterquam Hiſpaniæ regis diſcedere iuſſerit, & intra paucos dies omnes præter Venetorum reuocarit effecit: trecentos baliſtarios Florentinis miſit, & ad trecentorum cataphraſtorum partim ſub Plumbinatium principe, partim ſub Io. Paulo Ballione, ſtipendium contribuit: & diuerſis tempo-

ribus

ribus supra trecenta ducatorum millia, ac si opus esset
 maiora auxilia pollicitus, mutuo dedit. Præterea cum
 Pontifice, ut à Florentinis rogatus aliquod eis auxiliũ
 daret, egit, qui Venetorum Pisis potentia firmari, Pon-
 tificio imperio perniciosum ab se animaduerti ostendens
 centum grauis armaturæ equites, & triremes tres, quæ
 Villamarino duce ipsius stipendijs militabant, ut com-
 meatus Pisas mari uehi impediret, se missurum promi-
 sit: sed ubi uarijs excusationibus distulisset, tandem a-
 pertè negauit, quoniam quotidie magis alijs consilijs re-
 iectis Gallia regi, nõ mediocria & usitata præmia, sed
 regnum neapolitanum (cum plerumque hominum pro-
 prium sit, quod ratione difficilè cognoscunt, id sibi cu-
 piditate & spe facile fingere) ab eo sperans, adherere
 statuit: & penè fatale erat, ut ab Aragoniæ regibus assi-
 nitatum passè repulsè, illi nouarum rerum originem
 adferrent: nam antequam proorsus Gallia regi coniu-
 gi statuisset, ab Federico rege petierat, ut filiam Valen-
 tino cardinali prima occasione se abdicare parato, in
 matrimonium, & dotis nomine Tarentinum principa-
 tum traderet, filium ingenio & animo magno, si tan-
 to eius regni membro potiretur, & regiam filiam in
 matrimonio haberet, pontificijs uiribus, & autori-
 tate adiutum, socerum parum potentem, ac pecu-
 nia exhaustum, & à quo multorum regni proce-
 rum animi alienati erant, facilè regno spoliare pos-
 se persuasus. cui negotio, quamuis Mediolanensium
 dux uehementer faueret, & per Marchesinum Stam-
 pan, quem hac de caussa Romam & Neapolim lega-
 uerat, ualidis rationibus primùm, deinde asperis uer-
 bis Federico ostenderet, quanto cum ipsius periculo

Pontifex eiusmodi desiderio deiectus, in Gallie regis amicitiam præceps ruiturus esset, & quam imprudentis abiectiq; animi esset, ubi de totius salute agitur, indignitatis rationem habere, nec se ipsum ad imperij conseruationem propria uoluntati anteponendâ cogere posse. Federicus tamen Pontificis alienatione, regnum suum in discrimen conijci passus, quod etiam se, si filiam cum Tarentino principatu Valentino nuptui daret, eodem in periculo uersari uideret, semper obstinate negauit: seq; ex duobus periculis, id potius cui maior honor cõiunctus esset, quodq; ex nulla sua actione manaret, subire uelle dixit. quare Pontifex toto animo ad Gallie regis amicitiam conuersus, cum & Venetos idem facere optaret, ne illos læderet, à Florentinis, qui Mediolanensium ducis tam promptis auxilijs, & Pauli Vitellij uirtutis fama freti, nihil erant prætermisuri, armis iuuandis abstinuit, quamuis res difficilis censeretur: nam præter pisanorum ciuium & agricolarum numerum, experientiam atq; animum, Veneti quadringentos grauis armaturæ, octingentos Epirotas equites, & duo millia peditum Pisis habebant: cumq; ij qui ab initio Pisano- rum patrocinium suscipiendum negarant, tunc publici honoris gratia, nõ minus, quam reliqui ad Pisanos iuandos essent propensi, maiores copias mittere parati erant. Tandem communi Ludouici ac Florentinorum consilio exercitum ita augendum, ut ad pisani agri oppida expugnanda esset idoneus: & omni ratione, ut omnes uicini à Pisanis iuandis, uel Florentinis ex Venetorum uoluntate ab alia parte infestandis desisteret nitendum, decretum fuit. Ideo cum Ludouicus antequã se declarare statuisset, Ioannem Bentiuolum cõ ducentis

grauis

Grauis armaturæ equitibus, communibus cum Venetis
 auspicijs conduxisset, tantum effecit, ut eum unâ cū Bo
 noniensi rep. sibi soli obstrinxerit: & quo magis eum
 confirmarent Florentini, Alexandrum eius filium con
 duxerunt: & ut si Veneti qui Fauentia domini patroci
 nium habebant, ex Aemilia aliquem impetum facerēt,
 quæ resisteret inuenirent, Florentini Octavianum Ria
 rium, Imola & Forliuij dominū, qui Catarinae Sfortia
 matris, quæ pluribus de causis, sed præcipuè quia clam
 Ioanni Mediceo, quem Mediolanensium dux populari
 administratione minimè contentus, unâ cū fratre Florē
 tia potentem facere cupiebat, nupserat, palam Ludoui
 ci ac Florentinorum partes sequebatur, consilijs pare
 bat, cum centum & quinquaginta cataphractis ad sti
 pendia sua pertraxerunt. Egit quoq; Ludouicus cū Lu
 censibus, apud quos plurimum autoritate ualebat, ne
 (ut semper fecerant) Pisanis amplius fauerent: quod
 quamuis non penitus fecerint, in eius gratiam tamē plu
 rimum abstinerunt. Relinquebantur Genuenses & Se
 nenses, antiqui Florentinorum hostes, & cum quibus
 controuersiarum causæ intercedebant: cum his ob Mō
 tempolitanum, cum illis propter Lunigianam: & de
 Senensibus metuendum erat, ne odio excæcati, quemad
 modum proprio periculo aliàs sæpe fecerāt, cuius per
 suam ditionem ad Florentinos turbandos iter expeditū
 concederent: & quamuis Genuensibus ob antiquas ini
 micitias Venetorum potentiam Pisis confirmari mole
 stum esset, tamen, ut in ea urbe publici commodi parua
 solet haberi ratio, ob multorum priuatorum commoda
 Pisanis & Venetorum nauibus litorum suorum com
 mercia permittebant: ex quo ad Pisanos maxima com

moda perueniebant. Quapropter Ludouici consilio, & Florentinis legati Genuam & Senas, qui de controuersijs per ipsum componendis agerent, missi sunt: sed cum Genuensibus omnia frustra fuerunt, quoniam Seresanæ iura, nulla uicissim, nisi quòd Pisanos regionis ipsorum oportunitate frui se prohibituros promiserunt, cõpensatione data, sibi liberè cedi postulabant: Florentinis uerò tam certæ iacturæ comparatione, quæstus tam paruus tamq; dubius uidebatur, ut illorum amicitiam hoc precio emere recusarint. Sed dum hæc uarijs in locis aguntur, Florentinus exercitus magis equitatu quàm peditatu potens, sub nouo imperatore in campū prodijt: quare Pisani qui post Regulianam uictoriam, cum Epirotis ad libitum totam regionem percurrerant, à Pontefacci ubi postremò castra posuerant recesserunt: & Paulus Vitellius capta Calcimaria, dum maiores peditū copias expectans cunctaretur, prope Cascinam, quò se uenete copie, quæ sub Marci Martinèghi imperio, nec disciplinam nec ordinem seruabant, contulerant, ex insidijs positis eos adortus, multos Epirotas, & Ioannem Gradanicum cataphractorum ducē interfecit, & Francum Epirotarum præfectum, cum centum equitib. captiuum fecit. Quapropter Venetorum copie, cum Cascinæ morari nō amplius tutam uideretur, in Martianum uicum, nouas Venetia copias expectantes se receperunt. At Paulus Vitellius, peditibus comparatis, cõplanationibus, Cascinæ inuadendæ significatione data, idq; credētibus Pisanis, Arno flumine repente traiecto, ad Butium castellum tribus peditum millibus, ad proximos colles occupādos antea missis, castra posuit: & ingenti operarū copia tormentis montana uia ob itineris

aspe-

asperitatem miranda difficultate aduectis, secundo die post tormenta collocata, castellū expugnauit. Id à Paulo factum est, quia cum Pisas, in qua urbe incredibilis tam populi quam agricolarum, qui in eam confugerāt, & iam longo usu omnes bellicæ rei periti euaserant, pertinacia uigebat, expugnari nullo modo posse existimaret, quòd Venetorum ualida adessent auxilia, & ciuitas per se mœnibus ualde munita eius uires consumere, quàm uim adhibere satius duxit: & bello ad eam regionis partem quæ ad Arni dexteram est translato, ijs locis capiendis, & situ, unde auxilia quæ ex peregrinis regionibus uenirent impedire posset occupando incumbere: ideo post Butij expugnationem, in montibus qui supra S. Ioānem Venæ sunt, uallo extructo, uallo quod prope Vicum Pisani extruxerant, tormentis eadem difficultate conuectis castra admouit: eodemq; tempore tota Calcij ualle occupata, & supra uicum Pisanum, eo loco qui Petradolorosa dicitur, alio uallo ut omnia auxilia ingredi prohiberet constructo, Verrucolæ quoq; arcem obsidebat: & ut Pisani ne Librafactam, & Serchij uallem inuaderet metuentes, minus audacter ab urbe recederent, comes Ranutius cum alijs copijs in Neuolana ualle castra habebat: & tamen quadringenti pedites Pisis egressi, milites qui ad Verrucolæ obsidionem in S. Michaelis templo negligenter uersabantur fuerunt. Sed Paulus, uallo quod tormentorum ad Vicum pisanum conuehendorum facultate accepta, dedicationem fecit occupato, Vico nō ab ea parte ad quam cū ipse tueretur Florentini posuerant, sed S. Ioannem Venæ uersus, unde pisana auxilia impediabantur, castra admouit et mœniū haud exigua parte tormētis diruta,

qui intus erāt auxiliij spe amiffa, & ab pertinaci ad extremum usq; defensione, quia Vitellius Batio expugnato, uictoria crudeliter usus ad terrorem ceteris incutiendum, tribus Germanis tormentorum iaculatoribus qui intus erāt manus amputari iusserat, territi, fortunis hominibusq; saluis deditiōem fecerūt. Vico capto, statim alteram rei benegerendæ occasionem habuit: quoniam copiæ quæ Pisis erant, Petræ dolorosæ ualli expugnationem repenti si adorirentur facilem fore sperantes, ante lucem cum ducentis leuis armaturæ equitibus, & multis militibus eò uenerunt: cum uerò maiora impedi-
 menta quàm opinati erant offendissent, plus etiam temporis quàm propositum erat consumpserāt, adeo ut diū oppugnationi incumberent, Paulo qui cum parte exercitus ad opem uallo ferendam accurrebat in illis montibus conspecto, Pisas uersus concedere uolentes, in planicie Calcium uersus Vitellotium cum altera exercitus parte, ut reditum intercluderet, in eum locum profectū offenderint: cum quo dum pugnant, Paulo superueniente, multis equitibus, & magna peditum parte amissis fugati sunt. Interea uerò Florentini aliquo indicio à Ferrariensium duce, & alijs, Venetos ad concordiam propensos esse, sed, si ut tantæ reip. dignitas postularet, nō tanquam cum equalibus, uerum maioribus cum eis ageretur, facilius induci posse, percepto, ad illorum animos explorandos, Guidantonium Vespucium, & Bernardum Rucellaium, summæ apud ipsos existimationis ciues, legatos Venetias miserunt: à quo tamen ne Hispani regis animum irritarent, tum etiam quia dum se ad Pisanos opprimendos nimis tenues cognouère, preces sine existimatione ac uiribus inuiles censuerāt, ad hoc
 usq;

usq; tempus abstinerant: nunc uerò cum arma illorum foris uigerent, & Mediolanensium dux penitus Venetorum hostis declaratus, honestæ compositionis aliqua ratione adipsendam spe minimè carebant: quare legati honorificè accepti, ad ducem & patrum senatum, què collegium uocant, intromissi, ubi legatos uarijs de causis ex temporum ratione, & diuersis suæ ciuitatis castibus ortis, non antea missos excusassent, ut à Pisanorum defensione abstinerent liberè petiuerunt, se, cum Florentina resp. nullà eis ledendi causam dedisset, cumq; Venetus senatus semper summæ æquitatis famam obtinuisset, nec à iustitia recessurum uiderent, quam, cum omnium uirtutum sit basis & fundamentum, omnib. alijs rationibus anteponi deceret, id cõsequi magnopere sperare ostendentes. Quibus dux respondit, ipsos quidem nullam à Florentinis his temporibus iniuriam accepisse, nec senatum ledendi desiderio Pisanorũ patrociniũ suscepisse: sed cum soli Florentini in Italia Gallorũ partes secuti essent, omnes fœderis principes communis utilitatis ratione adductos, Pisanis se libertatem eorum defensuros, fidem suam obstrinxisse: quòd si ceteri date fidei obliti essent, nolle ipsos contra suæ reip. consuetudinem, in re tam indigna illos imitari: uerùm si qua ratio proponeretur, qua Pisanis libertas conseruaretur, se nec priuata cupiditate, nec proprij commodi gratia, in Pisanorum defensione perseuerare, cunctis mortalibus declaraturos. Deinde per aliquot dies qua ratione utriq; parti satisfieri posset disputatum fuit: cum uerò nec Veneti nec Florentini quatores aliquid proponere uellent, Hispaniæ regis legatum, qui eos ad cõcordiam hortabatur intercedere contenti fuere, à quo cum pro-

positum esset, ut Pisani in Florētīnorum clientelam, nō tanquam subiecti, sed commendati, iisdem cōditionibus quæ Pistoriensi ciuitati concessa fuerāt, quasi mediū inter seruitutem ac libertatem redirent. Veneti se in urbe in qua munita loca & iuris administratio in aliorū potestate essent, nullam libertatis partem cognoscere responderunt: quocirca Florētini oratores re desperata, Venetosq; nisi coactos Pisanorum patrociniū nunquam deserturos satis certi, Venetijs discesserunt: Veneti autem quotidie copias Pisas mittebant, nec ab initio multum Florentinorum res timuerant: quòd cum Veris initio bellum non esset cœptum, & pisanus ager admodum depressus, aquarumq; inundationibus ualde obnoxius, diu in agris uersari minimè posse cogitarèt, cūque sub Vrbinatium duce quem recenter copiarum gubernatorem appellauerant, & nonnullis alijs ducibus quingentos grauis armaturæ equites comparassent, & eum multis occulta consilia agitarent, ut Florentinos à Pisanorum offensione auerterèt, bellum aliunde eis inferre decreuerant, Petrum Medicem, cuius consilio Carolum Vrfinum & Barptolomæum Aluianum cum ducentis cataphractis stipendio conduxerant, deinde impellere cogitabant. Nec defuit spes efficiendi, ut Ioannes Bentiuolus Florentinis à Bononia moueri bellum pateretur, quoniam Mediolanensium dux, in Annibale eius filio ad stipendia mittendo, Venetos sibi ab illo antepositos ægreferens, & hac noua offensione ueteribus iniurijs, quas, ut aiebat, cum Ferdinandus Calabriae dux in Flaminiam Aemiliamq; transiuit, ab illo acceperat, memoria repetitis, nonnulla castella quæ Alexander eius filius dotis nomine in Insubria possidebat, occupauerat

pauerat: neque ab eo quauis ratione irritando abstin-
 bat: uerum enim uerò tandem Florentinorum opera ca-
 stellis restitutis, belli ab ea parte inferendi cōsiliū ex-
 clusum fuit: idcirco Veneti Senēibus, ut ex ipsorum fi-
 nibus arma moueri paterentur, suadere conabantur, et
 præter consuetum in Florentinos odium, ciuium quoq;
 in ea urbe dissensio, huius rei obtinendæ spem faciebat:
 cum enim Pandulfus Petruccius ingenio & astu sibi ma-
 ximam auctoritatem comparasset, Nicolaus Borghesius
 eius socer, & Bellantiorum familia, quibus illius poten-
 tia erat molesta, Vrbinatium duci & Vrsinis, qui cum
 quadringentis cataphractis, duobus peditum millibus,
 & quadringentis Epirotis Venetorum iussu ad Fratrā
 agri Perusini castellum hærebant, iter concedi uolebāt,
 & cum Florentinis inducias pacisci, quemadmodū Me-
 diolanensium dux postulabat, & Pandulfus hortaba-
 tur, nihil aliud esse aiebant, quàm illis Pisani belli con-
 ficiendi commoditatem præbere, quo confecto, eò po-
 tentiores contra ipsos essent: quare ut prudentes ui-
 ros deceret, ex occasionibus fructum percipi debere,
 nec alia pactione, quàm pacis, qua Florentini Mon-
 tispolitiani iuribus cederent, conueniendum, in eā-
 que sententia constanter persistendum, quibus iuri-
 bus, Florentinos nullo modo cessuros sciebant: ex quo
 necessariò sequebatur, Venetis assentiendū, apud quos
 cum illi primum gratiæ locum occupassent, se faci-
 lè Pandulfi auctoritatem depressuros sperabant: qui
 Mediolanensium ducis hortatu, contrariæ sententiæ au-
 tor factus, non parum in sententia sua defendenda labo-
 rauit: in populo namq; naturale in Florentinos odium
 nim habebat, & Montispolitiani iura hoc terrore obti-

neri posse admodum uerisimile uidebatur: quæ cupiditas odio coniuncta, plus poterat, quàm Pandulfi, molestiarum, quæ bellum proprijs tectis propinquum securaturæ essent, & periculorum, quæ ex Venetorum in Hetruria potentia imminerent commemoratio: cuius rei exempla ab exteris minimè quærenda aiebat, cum recens esset memoria, quòd Ferdinandi Neapolitanorum regis, anno MCCCCLXXVIII, in Florentinos coniunctione, nisi Ferdinandus ob Hydruntū in regno Neapolitano à Mahumete Othomanno occupatū, Alfonso filium cū copijs quæ Senis erāt, reuocare coactus fuisset, penitus in seruitutem redacti forent, præterquam quòd ex ipiorummet historijs scire possent, eandem Florentinos per Virtutis comitem ledendi cupiditatem, & odium, propter eundem Politianum montē conceptum, in caussa fuisse, ut ipsimet propriam patriam illius imperio subiecerint. Quæ rationes, quāuis ueræ, tamen cum ad illorum ardorem & affectus comprimēdos non satis essent idoneæ, nō extra alicuius tumultus ab aduersarijs in se concitandi periculum erat, sed ille ut præueniret, repente multos ex agro amicos & clientes in urbem introduxit, & trecentos grauis armaturæ equites cum mille peditibus, à Florentinis ad Pogium Imperialem mitti curauit: quarum uirium existimatione, aduersariorū compressa audacia, quinque annorum inducias cum Florentinis obtinuit: qui præsentium periculorum metu, dignitatis rationi anteposito, Valianipontis partem, & uallum Senensibus tam molestum se diruturos receperunt: ac præterea intra certum tēpus, inter Glanici amnis alueum & Montispolitiani oppidum quascunq; munitiones uellent edificare, permiserunt.

serunt. Quare Pandulfus potentior factus, paulò post socerum, qui nimis audacter eius consilijs obstabat, potuit interficiendum curare, hocq; æmulo sublato, & reliquis perterritis, indies magis tyrannidem suam cõfirmare. Veneti hac concordia per Senensium agrum Florentinos à Pisano bello auertendi spe deiecti, cum nec à Perusinis ut per illorum agrum arma inferre liceret impetrare potuissent, Petri Medicis gratia, & ueteribus clientelis, loca quæ Florentini in Apennini iugis possiderent, facile occupari posse sperantes, ab ea parte quæ Aemiliam spectat illos turbare statuerunt: idcirco itineris per Lamonis uallem facultate à Fauentia regulo impetrata, cum copiarum quas in Aemilia habebant parte, quibus coniuncti sunt Petrus & Iulianus Medices, Marradium uicum in Apennini iugo, quà in Aemiliã uergit positum, absq; impedimẽto occuparunt: quoniã Dionysius Naldius homo ex eadem ualle natus, in trecentos pedites à Florëtinis, ut eum locum unà cum incolis tueretur accepto stipendio, tam paucos pedites secum adduxit, ut ibi hærere non sit ausus: deinde ad Castilioni arcem eminenti loco supra eum uicum sitam, propter multarum rerum, & præsertim aquæ inopiã, quæ eum locum laborare sciebant, ea potiri sperantes, quæ capta in Mugellanum Florentiæ uicinum agrũ liberum iter haberent, castra posuerunt: uerũ pro tenui apparatu præfecti constantia, & pro aquarum penuria cælesti auxilium satisfecit, quoniam una nocte tantum pluit, ut uasis puteisq; omnibus repletis, hac difficultate sint liberati: interea uerò Ranutius cum Plumбини regulo, & aliquot alijs ducibus, per Mugellanum prope hostiũ castra uenere, & quia illi celeritate freti,

non admodum instructi uenerant, quasi fugiētes retrocedere coegerunt, & iam Calatiæ comes, à Mediolanēsiūm duce cum trecētis grauis armaturæ equitibus, & mille peditibus Cotiniolam missus, & Fracassa eiusdem ducis miles qui cum cētum cataphractis Foroliuij erat, se ad illos à tergo insequendos comparabant: idcirco ut hoc periculum euitarent, ad Vrbinatium ducem, qui ex Perusino agro discesserat, & reliquas Venetorum copias contēderunt, quæ omnes unā inter Rauennam & Forumliuij cū parua alicuius progressus spe castra habebant, quia in Aemilia præter Florentinorum uires, erant quingenti grauis armaturæ equites, quingenti hyppotoxotæ, & mille pedites Mediolanensium ducis & Imola atq; Forumliuij plurimum obstabant. Interea uerò Paulus Vitellius, ubi post Vicopisani expugnationem aliquot dies in res necessarias comparandas consumpsisset, in eadem Pisanis auxiliiorum facultatem impediendi sentētia persistens, ad Librasactam occupandam conuersus erat: & ut ad eam oppidi partem, quæ minus esset munita accederet, & molestias quibus exercitus tormentis impedimentisq; grauatus affici posset, uitaret, uia quæ per montes in Pissarum planitiem descendit, & ea, quæ per Lucæ planitiem montis radices ambit, relicta, magna fabrorum multitudine, noua uia per montes facta, & eodem die ex itinere, Montismacioris uallo, quod Pisani in cacumme montis fecerant expugnato, tutissimè in Librasactæ planitiem descendit: cui sequenti die castris admotis, & peditibus, qui in Potiti, & Castelli ueteris (quæ duæ turres ordine positæ, paruo spacio à Librasacta distant) præsidio erant, facile ad deditionem coactis, in secunda turri, & alijs locis

aliquot tormenta, contra oppidum bene munitum, & custoditum collocavit: erāt enim in eius præsidio ducētī Venetorum pedites, quibus ex locis cum mœnia supra & infra verberaret, se primo die expugnaturum sperabat: sed muri arcu casu nocte collapso, ea materies munitionem coeptam, quatuor ulnas in altum duxit, adeo, ut cum Paulus triduum frustra scalis conscendere tentasset, de successu non mediocriter dubitare cœperit, cū etiam exercitus à tormento quo ex oppido per depressam fenestram iaculabantur, magnum detrimentum caperet: uerū ipsius industria & uirtus, fortunæ beneficio, sine cuius ope ducum cōsilia sæpe sunt fallacia, fuit adiuta: unius etenim tormenti ictu ex castris, id tormentum fractum fuit, & unius ex optimis tormentorum magistris qui intus esset interfectus, globusq; per totū oppidum transiuit: quo casu propugnatores perterriti, quoniam propter tormenta ad secundam turrim posita difficile ad mœnia uenire poterant, quarto die deditionem fecerunt: & paulò post arx, paucis tormentorum ictibus expectatis, idem fecit. Librafacta occupata nonnullis propugnaculis in uicinis montibus faciendis, operam dedit: præ cæteris uerò unum extruxit munitū, & multorum hominum capax supra Mariam in castello, à monte in quo positum fuit Venturæ uallum nuncupatum, ex quo in uniuersam circumiectam regionem prospectus patebat: ubi fama est olim à Castruccio Lucensi suorum temporum nobilissimo duce, aliud ex ædificatum fuisse, ut hoc & Librafacta custoditis, commoda quæ Lucensi & Petresanctæ itinere Pisas peruenire possent, impedirentur. Veneti autem omnia quæ ad eā urbem uel auxilio, uel bello aliò transferendo iuuandā

essent oportuna, excogitare nõ desinebant: cuius rei difficultates inter Mediolanensium ducem & Mantuæ marchionem, denuo ad eius stipendia accersitum ortæ, spem illis auxerunt: quoniam dux Mediolani, ne Galeacium Sansseuerinatem, qui magis ob gratiam quàm uirtutem multum apud ipsum poterat, suarum copiarum imperatoris honore defraudaret, Marchioni intra tres menses, suarum & Cæsaris, uel Pontificis, uel Federici regis uel Florentinorum copiarum simul imperatoris appellationem se daturum promiserat: quo intra præscriptũ tempus, quia huic quoq; rei Galeacius repugnabat, minimè factõ, accedente etiam stipendiorum difficultate, Marchio ad Venetorum, qui de eo cum trecẽtis grauis armaturæ equitibus ad opem Pisanis ferendam mittẽdo agebant, stipendia animum conuertit: quod cum Ludouicus præsentiret, Galeacij cõsensu, suarum ac Cæsaris copiarum imperatorem eum declarauit: sed iam Marchio Venetias profectus, & maxima, Florentinarũ copiarum impedimento minimè obstante, Pisas ingredien di confidentia Senatui demonstrata, denuo cum illis cõuenerat, & pecuniarum parte accepta, Mantuamq; reuersus se comparabat, etsi Veneti eadem in eius expeditione celeritate, qua in conducendo essent usi, mox iter esset aggressus: ad quam rem lentè progredi cœperunt, quia cum ipsis Bibienæ, quod Casentini, siue (ut ueteres appellabant) Clusentini agri castellum est, per aliquos Mediceorũ ueteres clientes occupandæ, denuo spes fieret, ob Pisas penetrandi difficultatem, bellum aliõ transferre, auxilio, utilius fore censuerunt: qua tarditate indignatus Marchio, demum ad Ludouicum cum trecẽtis grauis & centum leuis armaturæ equitibus, & Cæsaris

faris ipsiusq; copiarum ducis nomine, pecunia à Venetis accepta, pro pristinis stipendijs quæ illi debebant retenta transiuit. Florentini nõ sine suspitione eius. cõiurationis fuerant, qui præter multa communia indicia, ante non multos dies Bononia certiores nuncios ea de re acceperant. Verum inanis est omnis in consilijs diligentia prudentiaq; , si negligentia in perficiendo imprudentiaq; sequatur. Legatus enim quem ad hoc periculũ auertendum statim miserunt, ubi eos de quibus maior erat suspicio, & qui conscij erant retinuisset, uerbis illorum imprudenter fide habita liberauit: & in reliquis actionibus fuit tam parum diligens, ut Aluiano, cui ea res conficienda demandata erat, facile negocium reddiderit: quoniã is aliquot equitibus uiatorũ uestitu præmisit, qui ubi totam noctem equitassent, sub diluculum ad portam peruenerunt: quam cum præfectus nullo præsidio muniuisset, nec saltem ut serius quàm pacatis tẽporibus soleret aperiretur, mandasset, sine difficultate occuparunt: hos alij deinceps equites paulatim secuti sunt qui in itinere se Vitelliorum milites esse diuulgarant, et coniuratis pro illis arma sumentibus, statim toto oppido potiti sunt: eodemq; die aduenit Aluianus, qui quãuis paucos milites haberet, ut sua natura semper incredibile celeritate occasiones arripiebat, statim ad Poppium, nobilissimum eius uallis castellum inuadendũ contendit: uerum difficultate offensa, ad loca Bibienæ proxima, quamuis parua, exiguiq; ponderis occupada hæsit. Casentina regio, quam Arnus fluuius interfluit, angusta, sterilis & montosa est, ad Apennini alpium, quæ tunc, quòd hyemis initium esset, niuibus erant tectera-dices sita: sed Florentiam petentibus, si Aluiano Poppij

oppugnatio feliciter successisset oportuna iter, nec in Aretinum agrum, & Arniuallem minus commodum, quæ regiones quòd amplis oppidis & castellis refertæ sint, Florentinorum imperio magni erant momèti, qui in tanto periculo minimè negligentes, apparatus repentè ubicunq; opus erat factis, cõiurationem quæ Aretij parabatur oppresserunt: & cum impedire ne Veneti in Casentinum nouas copias mitterent, reliquis rebus anteferrent, Ranutium comitem ex Pisano agro reuocatum, statim ad Apennini angustias, inter Bagniualem & Stephaniplebem occupandas miserunt, & tamè quominus Vrbinatum dux & Carolus Vrsinus, aliq; duces transirent impedire minimè potuerunt: qui cū septingentos cataphractos, & sex millia peditum, atq; inter hos aliquem Germanorum numerum in ea ualle haberent, paucis locis exceptis, totum Casentinum occuparunt: & denuo, sed frustra, Poppiũ capere tentarunt. Ideo Florentini, ut Venetorum mens fuerat, Paulum Vitellium cum suis copijs ex pisano agro, idoneo præsidio in munitis oppidis, & Ventura uallo relicto eò conuere coacti fuerunt: cuius in Casentinum aduètu, Venetorum duces, qui ut eodem die circa Pratumueterem castra ponerent mouerant retrocesserunt. Quamprimũ Paulus Vitellius in Casentinum uenit, & Fracassa, qui à Mediolanensium duce, cum quingentis grauis armaturæ equitibus, & totidem peditibus in Florentinorũ gratiam mittebatur, illi coniunctus fuit, statim hostes, cum ob castrorum angustiam, tum quia ut Casentini exitum ingressumq; patentem sibi conseruarent, Verniæ, Clusij, & Montalonis angustias, loca in alpiibus edita, custodire cogebantur, in uaria loca distractos, in multas diffi-

*difficultates redegit: & acerbissimo tempore in ea ualle
 inclusi, nullius neq; illic, neq; alibi progressus faciendi
 spem habebant: quoniam Ranutius cum ducentis cata-
 phractis Arctij manebat: & in Casentino, postquam ab
 initio Poppium occupare nō potuerant, nec Mediceū
 nōmen aliquid mouebat, cum regionis, in qua uix ali-
 quis est equorum usus, incolas infensos haberent, iam
 ante Vitellij aduentum multa ab incolis detrimēta ac-
 ceperant: & idcirco ipsius & Fracassæ aduentu cogno-
 to, impedimentorum & tormentorum parte trans Al-
 pes remissa, quantum locorū natura patiebatur copias
 simul coniunxerunt: contra quos Vitellius consuetudi-
 nem suam seruare statuit, quæ erat, potius ut tutam ui-
 ctoriam pararet, nec tempori, nec multis laboribus
 parcere, nec ut à sumptibus abstineret, absque multis
 apparatibus progredi, quàm ut facilis celerisq; uicto-
 riæ gloriam compararet, unà cum exercitu rei exitura
 in discrimen conijcere: ideo ipsius in Casentino consi-
 lium fuit, non statim munitiora loca petere, sed hostes
 ad minus munita deserenda compellere, & alpium an-
 gustias, aliq; regionis itinera, præsidijs, propugnaculis
 uijs obstruendis, alijsq; munitionibus claudere, ne noua
 rum copiarum auxilia habere possent, neue ex uno lo-
 co eos qui in alio essent iuuandi facultatem haberēt: ac
 ratione multorum opprimendorum occasionē, & mā-
 iorem numerum qui Bibienæ erat, si non alia re, equo-
 rum incommodo, & comæatus inopia, consumptum
 iri sperans: quo consilio aliquot locis prope Bibienam
 parui per se momenti, uerū ad eam rationem, qua si-
 bi belli uictoriam proposuerat oportunis recuperatis,
 & quotidie magis progressus, multos grauis armaturæ*

equites, in quibusdam paruis uicis Bibienæ propinquis oppressit, & ut Venetorum copias quæ ad opem his ferendam transalpes colligebantur itinere prohiberet, omnibus locis quæ circa Verniæ montem sunt occupandis, & fossis in omnibus uijs quæ circa ea loca sunt faciendis operam dedit: adeo ut hostium difficultatibus & com meatus penuria perpetuò crescentibus, multi eorū ordinibus relictis abirent, qui plerumq; ob itinerū asperitatem, uel ab incolis, uel à militibus diripiebantur. Hi erant inter Venetos & Florentinos armorum progressus. Eodemq; tempore quamuis Florentinorum legati, absq; ulla concordie spe Venetijs discessissent, tamè Ferrariæ noua pacis consilia à Ferrariensium duce Venetorum opera proposita agitabantur: quoniam multi, summe in eo senatu autoritatis, iam bello, quod graui sumptu, & multis difficultatibus gerebatur fessi, maiorumq; rerum in Casentino gerendarum spe amissa, Pisanorum defendendorum molestijs, dummodo aliquo honesto colore fieri posset liberari cupiebant. Dum uerò Italia ob Pisanas res in his molestijs uersatur, nouus Gallie rex ad Insubriæ imperium sequenti anno inuadendum, Venetos qui incredibili in Mediolanensium ducem odio flagrant, magno studio foedus cum eo moliebantur, sibi coniunctos fore sperans, se comparare non cessabat: sed maiori studio agebant rex & Pontifex, qui à Federici affinitate exclusus, in eadem regni neapolitani cupiditate perseuerans, toto animo ad gallicas spes conuersus, Valentino cardinali, Carolotam, Federici filiam, quæ nundum nupta, in Gallica aula uiuebat, copulare procurabat: cuius rei ab rege, in cuius potestate illam locare esse uidebatur spe accepta, Cardinalis ma-
 nè sa-

nè sacrum senatum ingressus, patrem & purpuratos reliquos, ut cum ipse nunquam animo ad sacerdotia procliuus fuisset, dignitatis cum ornatu deponēdæ facultatē sibi concederent, quo fata sua sequi posset supplex rogauit: sicq; pallio & sago pro toga sumptis, iter in Galliam quamcitissimè adornabat, cum iam Pontifex regi diuortij cum uxore sua autoritate faciendi facultatem promississet: & rex uicissim, quamprimum mediolanēse imperium occupasset, se eum ad ciuitates ab Aemiliæ Flaminiæq; uicarijs possessas pontificio imperio subiiciendas iuuaturum, & trecentas auri libras maioris ad custodiam suam præsidij alendi specie, in præsentia numeraturum suscepit, quasi ipsius cum rege coniunctio, multos in Italia ad insidias, quibus ipsum opprimerēt, parandas, esset impulsura. quare rex ut promissa præstaretur pecuniam numerare cœpit, & Pontifex diuortij caussam, Settensi episcopo nuncio suo, & Parisiensi ac Rotomagensi demādauit, quo in iudicio regis uxor per suos procuratores ab initio contradicebat: sed tandem, cum iudices nō minus quàm aduersarij potentiam suspectos haberet, Berrensi ducatu, cum triginta millibus frānicorum, ad uictus sui sustentationem annuis acceptis, liti foroq; cessit, sicq; diuortio iudicum. sententia comprobato, ad nouum matrimonium perficiendum, nihil aliud quàm Cæsaris Borgiæ qui iam ex cardinali, & Valentia archiepiscopo, miles ac Valentinus dux factus erat, aduentus expectabatur: quoniam rex illum centum cataphractis cum uiginti millium francicorum stipendio præfecerat, & Valentiam Delphimatus urbē, cū totidē francicorū millibus annuis, & ducis appellatione concesserat: qui Ostiæ ab rege missis nauibus con-

1499

scens, sub anni finem ad aulam, pompa ac fastu incredibili peruenit, ab rege quoq; magno honore acceptus & purpureum galerum Georgio Amboysio Rotomagensi Archiepiscopo, qui cum antea periculorum, eiusdemq; cum rege fortuna particeps fuisset, summæ erat apud eum autoritatis, secum attulit: tamen ipsius ab initio actiones minimè gratæ fuerunt, quoniam paternum consilium sequutus, liberationis desiderio regem magis ad consilia sua propensum, quàm accepti beneficij memoria futurum sperans, se diploma secum attulisse negabat: sed cum ab Settensi episcopo, clam regi ueritas esset patefacta, ipse coram deo diploma consecutum esse sufficere ratus, eo non amplius petito, nouam uxorem apertè sibi matrimonio iunxit: quod in causa fuit, ut dux Valentinus cum diploma amplius retinere nõ posset, resciuissetq; ab Settensi episcopo eam rem fuisse patefactam, alio tempore post ueneno illum clam sustulerit. Nec rex in uicinis principibus pacandis minus erat sollicitus, ideo cum Hispaniæ regibus pacem iniit, qui rerum italicarum consilijs depositis, non modò omnes legatos quos in Italia habebant, præter eum qui apud pontificem uersabatur, reuocarunt, sed omnibus Catabriæ locis, quæ ad eam usq; diem retinuerant, Federico concessis, Consaluum cum omnibus copijs in Hispaniam redire iusserunt. Maior difficultas erat in cõcordia cum Romanorum rege concilianda, qui nõ parua pecuniæ summa ab Mediolanensium duce, cui, uel Cesarianum bellum, Galliæ regem ab Italiæ rebus aduersurum, uel ut à Cesare certò promittebatur, concordia inter eos inita se quoq; inclusum iri persuasum erat, adiutus, nonnullarum defectionum in regione ortarum occasione,

in Bur-

in Burgundiam irruerat. Sed post longas agitationes atq; consilia, rex nouam pacem Artesiæ comitatus, oppidis restitutis, cum Archiduce inijt: quæ res, ut ad filij commodum perficeretur, Romanorum rex Mediolanensium ducis, cum quo, quia infinitis suis pecuniæ flagitationibus non semper satisfecerit, uidebatur hoc tempore indignatus, nulla facta mentione, in multos menses inducias cum eo pactus est. Rex præterea pacem cū Angliæ rege à superiore rege factam confirmarat: & omnibus rationibus, quæ ut Mediolanensium ducem, qui ingentibus promissis & maximis largitionibus in id nitentur, ut aliquas pacis leges admitteret proponerentur, reiectis, ut Venetos ac Florentinos eodem tempore sibi adiungeret operam dabat: ideoq; ut Pisano bello remoto, Veneti Pisas in ipsius manus deponerēt, uehementer instabat: & ut Florentini assentirentur, clam se illis breui restitutum promittebat: quod negocium difficultatibus plenum, uarijs propositis finibus & causis, per multos menses uariè agitatum fuit: quoniam Florentini, cum eos hac ratione Galliæ regi adherere esset necesse, & ob promissorum ab Carolo rege non præstitorum memoriam, ne nunc quoq; idem accideret ueriti inter se non in unam sententiam conueniebant, propterea quòd ciuitas potentiorum ciuium ambitione, & popularis status licentia agitata, & ob Pisanum bellū Mediolanensium duci cōiuncta, ita in se ipsa diuisa erat, ut res graues præsertim nōnullis ciuiū Galliæ regis uictoriā optantibus, alijs cōtrà Mediol. duci fauentibus, magna difficultate pacatè decerni possēt. Veneti autē, etiā reliquis omnib. foederis cum rege ineundi difficultatib. remotis, deposito, minimè assentiri statuerant: consilijs

Quæ ea de re Ferrariæ agitabantur, & sumptuum pro Pifarum defensione factorum restitutionem amplio- rem & minorem in deserenda notam sperantes: quod nego- cium Ludouicus Sfortia, ne si apud Gallia regem depo- situm fieret, hæ resp. ambæ cum rege facerent ueritus, & hac controuersia in Italia sedata, Venetos sui ledē- di cōsilia deposituros sperans, uehemēter urgebat: quā ob causam & Gallia regi ferrariense consilium sum- mopere displicebat, & Pōtifex ut ex aliorum molestijs commodum suum eliceret, quia cum in omnibus Italiae negocijs m̄xima apud regē autoritate polleret, si de- positum in regis manus fieret, aliquomodo particeps fieri sperabat, obliquē id consilium perturbare niteba- tur. Interea uerò Venetijs, utrum rege à depositi peti- tione (quam nō concedere decreuerant) recedēte in Me- diolanensium ducis detrimentum fœdus, quē admodum is magnoperē instabat, cum Cremonam & uniuersam Giaradaddam, uictoriae præmium se concessurum pro- mitteret, cum illo esset incundum disputabatur: quæ et- si omnibus summpere optanda uiderentur, tamē mul- tis deliberatio tanti ponderis, & Gallia regis in Italia potentia, ipsorum imperio tam periculosa uidebatur, ut in Rogatorum consilio, qui apud illos senatus locum obtinet, uariae ea de re sententiæ dicerētur: in quo cum aliquando, ut quid tandem agendum esset decernerent, conuocati essent, Antonius Grimanius, magnæ autorita- tis uir, in hanc sententiam est loquutus:

Quum, præstantissimi Senatores, beneficiorum à no- stra Rep. in Ludouicum Sfortiam collatorum magnitu- dinem, quæ proximis annis toties ei imperium conser- uauit intueor, & contrā, quā ille ingratus fuerit, quāq;
 graues

graves iniurias, quas, ut ad Pisanorum defensionem, ad quam nos antea & hortatus fuerat, & impulerat, defendendam cogeret, nobis intulerit, memoria repeto, adduci nō possum, ut aliquem esse credam, qui nō uideat, nobis omni ratione quatenus fieri possit, ut eas iniurias ulciscamur necessariò incumbendum. nam quod dedecus, quæ infamia maior esse potest, quàm tot iniurias patiēter ferendo à maiorum nostrorum magnanimitate, nos uniuerso orbi degeneres declarare? qui nunquam uel leuissimis offensionibus prouocati, ut Veneti nominis dignitatem conseruarēt, pericula subire recusarūt: & iure quidem, quoniā rerump. deliberationes, abiecta priuataq; consilia minimè poscunt, neq; ut omnia ad utilitatem referātur, uerū ad excelsos magnanimosq; fines, per quos illarum splendor augeatur, & dignitas cōseruetur: quæ nulla re magis extinguitur, quàm si in hominum mentibus opinio gignatur, animum aut uires ad propulsandas iniurias deesse, nec ad ultionē esse paratos, quæ summopere est necessaria, nō tam ob ultionis uoluptatem, quàm ut eius qui lesit pœnitentia, tale reliquis exemplum præbeat, ut te prouocare nemo audeat: sicq; gloria cum utilitate cōiuncta sequitur, & generosa magnanimaq; consilia cōmoditate quoq; & fructu plena oriuntur: sic una molestia multas tollit, & sepe unicus ac breuis labor, à multis ijsq; longissimis liberat. quamuis si Italicarum rerum statum, multorū principum in nos odia, & insidias, quæ semper à Ludouico Sfortia parantur ponderabimus, nos nō minus presenti necessitate, quàm alijs de causis ad hanc sententiam trahi uidebimus: namq; is naturali ambitione, & odio, quo in hūc amplissimum senatū flagrat impulsus, nihil

aliud studet, in hoc unum incumbit, ut omnium Italarum animos nobis insensos reddat: ut Romanorum regem, germanicamque gentem in nos concitet, imò ad hoc idem iam cum Turcarum Imperatore consilia agitare incipit, iam illius opera quantis difficultatibus, & ferè sine spe Pisanorum defensionem, ac bellum in Casentino sustineamus cernitis, in quo si perseueramus, in grauissima incommoda periculaque incurrimus: sin ullo alio rebus nostris iacto fundamento deserimus, cum tanta existimationis diminutione sit, ut eorum qui nos opprimere cupiunt animi nimis augeantur: & quanto facilius sit eos, qui iam inclinare coeperunt, quam qui adhuc existimationis culmen tentant opprimere, nostis: quarum rerum fructus clarissime apparerent, & citò imperium nostrum tumultibus rumoribusque bellicis refertum sentiretur, nisi nostrae cum Galliae regis coniunctionis metus Ludouicum suspensum retineret: qui tamen metus diu suspensum tenere minimè poterit: quis enim est qui non uideat, regem à foederis nostri spe exclusum, uel trans alpes res nouas aggressurum, uel Ludouici artibus, corruptelis, instrumentisque potentissimis, quae in ipsius aula habent, uictum, aliquam cum illo compositionem facturum? itaque antiquae dignitatis & gloriae nostrae tuendae necessitas nos ad coniunctionem cum Galliae rege cogit, sed multo magis imminens grauissimumque periculum, quod alia ratione uitari non potest: & hac in re fortuna se nobis ualde propitiam praebet, quae efficiat, ut à tanto rege ad id rogemur, quod nobis ab illo petendum esset, tam amplis insuper tamque magnificis uictoriae praemijs propositis: ex quibus potest hic Senatus semper sibi maximas spes polliceri animo, res amplissimas agitare, praesertim

præsertim uerò cum tanta facilitate obtineantur. nam
 quis dubitat à Ludouico Sfortia aduersus geminam tam
 præsertim magnam, tamq; uicinam potentiam, nullam
 defensionem fieri posse? à qua deliberatione non debe-
 mus, nisi fallor, Gallie regis uicinitate remoueri, ne in-
 subria imperio occupato nobis periculosa formiaabi-
 lisq; fiat: nam qui diligenter cogitauerit, multa quæ
 nunc nobis contraria sunt, tunc profutura animaduer-
 teri: quæ in tantum illius regis incrementum toti Ita-
 lie erit suspectum, Romanorum regem, gentemq; ger-
 manicam, quòd tam nobile imperij membrum ab illo
 occupetur, emulatione atq; indignatione irritabit: a-
 deo ut illi quos nunc Ludouico ad nostram perniciem
 coniungi ueremur, tunc proprij commodi gratia cõser-
 uare, nobisq; coniungi, sint exoptaturi: cumq; imperij
 nostri existimatio ubiq; terrarum magna sit, ingens di-
 uitiarũ fama, atq; concordie nostræ, & ad imperij cõ-
 seruationem constantie tam crebris illustribusq; exem-
 plis confirmata opinio maior, non audebit Gallie rex,
 nisi multis uel saltem Romanorum regi coniunctus nos
 inuadere: quæ res multis de causis tot difficultates
 habet, ut uel spem, uel metum inde concipere, ua-
 num sit: neque pax, quam nunc à uicinis principi-
 bus trans Alpes impetrare sperat, perpetua erit: quin
 inuidia, inimicitie, ipsius incrementi timor, omnes
 eos, cum quibus aut odium, aut æmulatio interce-
 dit, excitabunt: & quàm Galli ad acquirendum prom-
 ptiores quàm ad conseruandum prudentes sint, quam-
 què citò, impetu & insolentia, subiectis odiosi fiant,
 omnibus notissimum est: ideo Mediolano occupato, e-
 rit illis magis necessarium conseruationi operã dare,

quàm nouis rebus studere oportunū: nouum namq; nō bene constitutum imperium, nec prudenter gubernatū, ei qui id acquirit potius grauis est, quàm ut potentiorē eum reddat: cuius rei quodnam recentius atq; illustrius exemplum haberi potest, quàm superioris regis uictoria, contra quem incredibile desiderium quo in regno neapolitano acceptus fuerat, in summum odium conuersum est? Periculum itaq; quod intra aliquod tempus ex Gallie regis uictoria ad nos peruenire potest nec tã certum, nec tale est, ut ad id uitandum in præsentī maximiq; momenti periculo manere uelle debeamus: & futurorum incertorumq; periculorum metu, tam opulentam, tamq; oportunam Insubrie partem recusare, nisi animo pusillo abiectōq; in priuatis hominibus, nedum in omnium quotquot unquam ulla in orbis terrarum parte fuere, rerump. post Romanam potētissima & celeberrima, uituperando tribui possēt. raræ sunt atq; fugaces tam magnæ occasiones, estq; prudentium & magnanimorum cum offeruntur arripere: & contra negligere summa reprehensione dignum, ac sæpe nimis cæriosa sapientia, & futuri nimium sollicita, uituperatur: quoniam res humanæ, tot tamq; uarijs casibus subijciuntur, ut rarò id eueniat, quod uiri etiã sapiētes existimarent: & qui præsens bonum, futuri periculi timore, cū id nec certum nec propinquum est, negligit, summo sæpe dolore & infamie nota, eorum periculorum, quæ post uana fiūt metu, utilitatis & gloriæ plenas occasiones amisisse reperitur. quas ob causas, mihi fœdus aduersus Mediolanensium ducem accipiendum uidetur, quia præsentem securitatem nobis adfert, dignitatem apud omnes principes, & tantum incrementum, quantū

nos alijs temporibus, molestijs, sumptibusq; immensis, cum ob magnitudinem, tum quia erit aditus & ianua ad huius potentissimæ reip. gloriam & imperium mirum in modum augendum, obtinere posse nitentur.

Huius sententiæ autor magna attentione, & admodum æquis auribus auditus fuit, eiusq; animi magnitudo, & in patriam amor à multis laudatus. Sed contrà dixit Melchior Triuisianus: Iniuras, sapientissimi Senatores, à Ludouico Sfortia, nostræ Reip. illatas grauissimas, & cum maxima dignitatis nostræ offensione esse negari minimè potest: nihilominus quo illæ maiores sunt, quoq; magis nos commouent, eò magis proprium prudentiæ est, iustam indignationem iudicij maturitate & utilitatis ac publici commodi consideratione moderari: quoniam seipsum temperare, & proprias cupiditates uincere, quo pauciores sunt qui id possint, & quo iustiores sunt causse quibus hominum indignatio & appetitus concitatur, tantò maiorem habet laudem. Itaq; ad hunc Senatum qui apud omnes gentes tam clarum sapientiæ nomen obtinet, quiq; proximè se Italiæ à Gallis liberatorem professus est spectat, infamiam, quæ si nunc illorũ relictus causa fuerit manabit, & multo magis periculum, quod perpetuò nobis imminebit, si Mediolanense imperium in Gallia regis potestatem peruenit, sibi ob oculos ponere: quod quidem periculum qui per se non perspicit, quantum terrorem regnum neapolitanum à Carolo occupatum nobis incusserit in memoriam reuocet, à quo non antè nos tutos duximus, quàm in illum penè omnes Christiani principes nobiscum cõiurassent: & tamen, quæ comparatio inter hoc & illud quia rex ille ferè omnibus regijs uirtutibus carens, erat

quasi ridiculus princeps, & neapolitanū regnum, tam
 à Gallia longinquum, illius vires ita distrahebat: ut fe-
 rē magis ipsius potentiam debilitaret, quā augeret: et
 ea occupatio ob regnorum tam propinquorum metū,
 Pontificem atq; Hispaniæ reges illi inimicissimos redde-
 bat: quorum unum diuersos nunc fines propositos ha-
 bere, & reliquos italicarum rerum pertæsos, nisi maxi-
 ma necessitate compulsos, ijs immisceri nolle notū est.
 Hic autem nouus rex ob propriam uirtutem multò ma-
 gis timendus quā contemnendus est: & Insubriæ im-
 perium Galliæ regno est ita coniunctum, ut propter au-
 xiliorum oportunitatem, nunquam nisi uniuersum ter-
 rarum orbem concitauerimus, nos illū inde pellere pos-
 se sit sperandū: quare nos tam admirandæ potentie ui-
 cini, pacis tempore in grauissimis sumptibus ac suspi-
 cione erimus: & in bello illius iniurijs ita expositi, ut
 nos tueri difficillimum sit futurum: & profectò nō sine
 admiratione eum qui ante me sententiam dixit audiebā
 ab una parte Galliæ regem Insubriæ dominum nō time-
 re, ab altera tantū Ludouici Sfortiæ principis uiribus
 longē nobis inferioris, quiq; timiditate & auaritia res
 suas semper in grauissima pericula cōiecit, metum præ-
 se ferre. terrebant eum aliorum auxilia, quasi in tanta
 animorum uoluntatumq; diuersitate, & tantā cōditio-
 num uarietate, talem coniunctionem conciliare facile
 esset, uel quasi nō multò magis sit metuenda magna po-
 tētia tota coniuncta, quā multorum vires, quæ ut di-
 uersos motus habent, sic etiam factā diuersa & repu-
 gnantia, in ijs qui odio uarijsq; de causis nostram cu-
 piunt depressionem, illam ad indignationes cupidita-
 tesq; uincendas prudentiam, quam in nobis ipsis ad has
 ambi-

ambitiosas cogitationes cohibendas desideramus, inuenire sperabat. Nec scio quam ob causam nobis polliceri debeamus, in Romanorum rege, atq; in illa gente emulationem, & antiquam ac recentem in Gallie regem, si Mediolanum occuparit indignationem, maiorem uim habituram, quam inueteratum in nos odium, qui tot loca ad Austriam domum, & ad Imperium spectantia possidemus. Et cur Romanorum rex, libentius nobiscum aduersus Gallie regem, quam cum illo contra nos, foedus sit initurus ignoro: imò barbarorum, italici nominis aeternorum hostium, & ad faciliorem praedam coniunctio uerisimilior est: quoniam potius illi coniunctus ex uobis uictoriam sperare poterit, quam nobis ex illo. praeterea illius in superiori foedere quum in Italiam uenit, actiones eiusmodi fuisse, ut cur illum nobis coniungi a deo optandum sit non uideam: Lacesiuit nos grauissime Ludouicus, nemo negat, uerum ultionis desiderio res proprias in tantum discrimen conijcere, minime prudentium est, neq; pudor est, casus & occasiones quas respub. sperare potest, ad ulciscendum expectare: imò admodum turpe est, indignatione uinci, & in rebus ad imperia spectantibus, summa infamia est, cum imprudentium detrimentum comitatur: non dicetur nos his rationibus ad tam temeraria consilia moueri, sed omnes nos Cremonae occupandae cupiditate trahi censebunt: ideoq; ab omnibus huius Senatus prisca sapientia & grauitas desiderabitur: omnes nos in eandem Gallie regis in Italiam accersiti temeritatem, in quam Ludouicum sfortiam deuenisse tantopere mirabamur, incidisse clamabunt: praemium magnum est, & ad multa oportunum, sed num maior sit iactura, Gallie regem Insubriae do-

minum habere perpendatur: potentia existimatioq; no-
 stra quando maior sit cogitetur, quum in Italia princi-
 patum obtinemus, an cū in Italia est tanto maior tamq;
 nobis uicinus princeps: cum Ludouico Sfortia aliàs &
 discordias & pacem habuimus, idem potest inter nos
 & illum quotidie accidere: nec Pisanae caussae difficul-
 tas talis est, ut nullum remedium inueniri possit, nec ut
 nos hac de caussa ita precipites demus meretur: at cum
 uicinis Gallis semper erunt dissidia, quia semper eadē
 caussae regnabunt: inter Barbaros atq; Italos animorū
 diuersitas, Gallorum superbia, odiū quo principes sem-
 per respublicas persequuntur, & ambitio, qua fit, ut
 potentiores semper minus potentes opprimere cupiāt.
 Itaq; me non modò Cremona non inuitat, uerumetiam
 deterret, quia tantò maiorem ad nos lædendos occasio-
 nē & aculeos habebit, eoq; magis à Mediolanensibus,
 qui Cremonae ab illo principatu alienationem ferre nō
 poterunt, concitabitur: eademq; caussa gentem germa-
 nicam, & Romanorū regem irritabit, quoniam pari-
 ter Cremona & Giaradadda imperij membra sunt. Sal-
 tem nostra ambitio non ita carperetur, nec nouis occu-
 pationibus nobis quotidie nouos hostes pararemus, om-
 nibusq; suspectiores redderemur: quamobrem oportebit
 tandem, uel omnes à nobis superari, uel nos ab om-
 nibus uerberari: utrum autē procliuus sit, ei qui seipsū
 decipere noluerit, facile erit iudicare. Huius senatus sa-
 pientia & maturitas per totam Italiam, & uniuersum
 orbem terrarum & cognita est & celebrata, nolite eā
 tam temeraria tamq; periculosa sententia commacula-
 re: indignatione contra propriam utilitatem ferri, le-
 uitatis est: parua pericula maximis anteferre imprudē-
 tiae:

*tie: quæ duo cum ab huius Senatus sapientia & graui-
 tate alienissima sint, mihi aliter persuadere non possum
 nisi quæ statueritis, ea ut semper moderata, ac cū sum-
 ma sapientia coniuncta fore. Hæc sententia tam ua-
 lidis rationibus, & multorum senatus principum & sa-
 pientiorum autoritate corroborata, non tantā uim ha-
 buit, quin contrario odio & dominandi cupiditate, quæ
 ad quæuis periculosa consilia uehementer impellunt,
 concitata, longè plus potuerit: erat enim immensum in
 singulorum animis aduersus Ludouicum Sfortiam con-
 ceptum odium: nec minus Cremonæ cum eius agro, &
 tota Giaradadda Veneto imperio adiungendæ deside-
 rium: quæ accessio, cū quòd singulis annis ad minimū
 centum ducatorum millia inde perciperentur, tum pro-
 pter oportunitatem magnificabat: quia hoc incremento
 ferè totum Ollium fluuium complexi, fines suos ad Pa-
 dum usq; proferebant, & longo spacio ad Abduam ex-
 tendebant: cumq; ad quindecim millia passus Mediola-
 no appropinquarent, & aliquanto magis Placentiæ,
 & Parmæ, uia ipsis ad totum Insubriæ imperium quo-
 tiescunq; Galliæ rex uel noua consilia, uel magna trans
 Alpes impedimenta haberet, occupandum aperiri ui-
 debatur: quod breui euenire posse, Gallorum magis ad
 acquirendum, quàm ad tuendum apta natura, ipsorum
 reip. perennitas, & in Galliæ regno ob regum mortem
 consiliorum & administrationis crebra uarietas, popu-
 lorum beneuolentiæ ex sanguinis, & gallicorum ac I-
 talicorum morum diuersitate, conseruandæ difficul-
 tas, spem faciebant. Hac igitur sententia plurium suffra-
 gij confirmata, suis oratoribus qui apud regem erant,
 hoc fœdus dummodo de pisanis rebus in eo nihil age-*

retur, eis conditionibus quas rex proposuerat, perficerent, mandarunt. hæc exceptio regis animum non mediocriter turbauit: sperabat enim per depositum se Venetos ac Florentinos ad bellum suum coniuncturum, et cum Venetos à Pisanorum defensione pactioibus defendenda iam minimè alienos sciret, id ita ab illis potius fieri debere existimabat, ut mediolanēsis imperij uictoria quæ ipsis communis esset futura, ea re facilius redderetur, quàm ut paulò meliorem in concordia conditionē haberent, ut Florentini Ludouico Sfortiæ coniuncti manerent, in causa esse: cuius consilio cum Ferrariæ eis de rebus agi sciret, non parum uecebatur, ne si ipsius opera perficeretur, tandem nec Venetos nec Florentinos secum esset habiturus. Quare id consiliū, quo de utraq; rep. dubius relinqueretur parum prudens ratus, & ob diffidentiam ab ipsis declaratam indignatus, potius ad pacem, quæ cum Romanorum rege, his legibus, ut unum eum Ludouico Sfortia, alteri cum Venetis bellum gerere liceret assidue tractabatur, inclinauit. Itaq; per delectos homines qui ipsius nomine cum Venetis oratoribus agebant, se nihil simul Pisanorum depositum perficeretur eum illis pacisci nolle respondit: & Florentinorum legatis ipsemet dixit, certò scirent, se nūquam alia ratione cum Venetis conuenturum. Sed dux Valentinus, & reliqui pontificij procuratores, Hostiensis, Io. Iacobus Triultius, & omnes Itali qui proprijs de causis ad bellum concitabant, illum in hac sententia permanere nō sunt passi: quin multis ualidisq; rationibus ostendebant, propter Venetorum potentiam, & mediolanensis imperij ledendi oportunitatem quam haberēt, nullū perniciosius consiliū esse, quàm propter Florentinorum

qui ob

qui ob perturbationes, & quòd ab eo imperio procul abessent, paruo illi adiumento esse possent, amittendorum metum, illorum auxilijs priuari: idq; facile in causa futurum, ut Ludouicus Sfortia, quo se Venetis iterum conciliaret Florentinorum amicitia, quæ omnium inter illos disfidiorum caussa fuerat relicta, iterum illis cõiungeretur. Ludouico autem cum Venetis coniuncto, quæ difficultates inde oriri possent, si non alia re, saltè præteritorum annorum experientia demonstrari. nam etsi in foedus aduersus Carolum tot regum nomina concurrissent, tamen solas Venetorum & Ludouici uires, illi Nouariam ademisse: & semper mediolanense imperium aduersus ipsum defendisse. Maximiliani coniunctioni niti, fallax periculosumq; consiliũ esse monebãt, in quo ad eum usq; diem, cõsilia, quàm uel facultas, uel ea adornandi prudentia, maiora uisa essent: quod si etiã feliciores quàm hæctenus successus esset habiturus, perpetui tamq; acerbi gallici regni hostis incrementum, quàm è re esset considerari debere: quibus rationibus ita regem commouerunt, ut mutata sententia, Pisanis rebus omisissis, foedus cum Venetis perfici annuerit. quo foedere conuentum est, ut quo tempore ipse potenti exercitu Insubriam inuaderet, ipsi quoq; ex suis finib. idem facerent, & omni reliqua regione regi parta, Cremona cum tota Giaradadda, excepta Abduæ ripa quadraginta ulnas lata, Venetis cederet: Mediolanensi autem ducatu ab rege occupato, Veneti ad certum tempus, cõstituto equitum ac peditum numero ad eius defensionẽ tenerentur: & uicissim rex ad Cremonæ & omniũ quæ in Longobardia ad Veneta stagna usq; possiderent defensionem esset astrictus: quæ res adeo clam acta fuit, ut

Ludouicum Sfortiam, utrum inter ipsos ad defensionē tantum, quemadmodum ab initio in Gallia & Venetijs peruulgatum fuerat, foedus initum esset, an etiā aliqua contra se essent decreta, multos menses latuerit: nec ipsemet Pontifex tam regi cōiunctus, nisi serò certior esse potuit. Rex foedere cū Venetis icto, nulla amplius Pisarū mentione facta, leges à prioribus admodū diuersas Florentinis proposuit: quā ob causam & ob molestias quas à Venetis accipiebant, eò magis Mediol. duci adherere cogebantur, cuius auxilijs semper res in Casentino feliciter succedebant: ubi hostes, multis sepe à militibus & incolis incōmodis acceptis, & cum cōmeatus, & præcipuè equorū alendorum difficultate pugnātes, Bibienam se, & in nonnulla alia parua oppidula contulerant, Apennini tamen itinerum, ut auxiliij accipiendī uia, & si tandem cogerentur Casentini minore incommodo deferendi facultas esset aperta, custodiendorū diligentia minimè intermissa. Idcirco ad Montalonis trāsitus custodiam manserat Carolus Vrsinus cum suis cataphractis, & cætum peditibus: & inferiores Auerniæ angustiae, ab Aluiano obtinebantur: contra uerò Paulus Vitellius more suo maturè procedens, ubi illos in tam pauca loca coegit, à Montalonis aditu pellere conabatur, eo cōsilio, ut post & eos qui Auerniæ angustias tuebantur, in fugam conijceret: sicq; Venetorum copiae Bibienam tantum possidentes, undiq; ab hostibus montibusq; septae, uel facile superaretur, uel se ipsae consumerent, cum præsertim admodum essent imminutae: nam præter eos qui hīc atq; illic spoliati fuerant, ob cōmeatus penuriā, & tutorum castrorum difficultatē, paulatim supra mille quingētos equites, & multi pedites discesserunt.

scefferant: quorum maxima pars in alpiū transitu maximis à montanis hominibus cladib. affecta fuerat. Tandem hæ difficultates Carolum Vrsinum cum suis ad Mōtalonem deserendum nō sine cladis periculo coegerūt: nā cum illū diutius ibi hærere non posse sciretur, multi Florētinorum milites, & regionis incolæ, qui huic occasione inuigilabant, in itinere impetum in eos fecerūt: sed ipsi locis superioribus occupatis, quamuis impedimentorum parte amissa, cum non parua eorum qui inordinati persequebantur clade, se defenderunt. Caroli Vrsini exemplū, iisdem de causis, qui ad Auerniam & Clusium erant, sequuti sunt, qui illis angustijs desertis Bibienam se receperunt, ubi Vrbinatiū dux, Aluianus, Astorius Ballio, Petrus Marcellus Venetus legatus, & Iulianus Medices, sexaginta equitibus & septingentis peditibus ad eius oppidi, quod solum in Casentino possidebant, custodiam retentis, manserunt: nec aliud illos sōuebat, præter auxiliij quòd Veneti Casentinum bellum non penitus deserere ad honoris conseruationem, & multo magis ad pacis leges meliores reddendas minimè parum interesse rati, comparabant spem: & ideo Piti-liani comes Rauennæ summa celeritate decretas ad auxilium ferendum copias, crebris Vrbinatium ducis, & aliorum querelis urgentibus colligebat: qui com meatū deficere significantes, se ad talem inopiam redactos attestabantur, ut si uitam tueri uellent, mox cum hostibus pacisci cogerentur: & contrà Ludouicus, & duces qui in Casentino erant, Bibienæ expugnatione auxilium præuenire cupiebāt: ideoq; exercitui quatuor millia peditum addi postulabant. illorū autē desiderio multæ difficultates repugnabant: quoniam in frigida & alpina

regione, asperissima tempestates, militares actiones plurimum impediabant: & Florentini ad hunc apparatus tum quod grauibus lōgisq; factis, & quos assidue faciebant, sumptibus fessi essent, tum etiam quia in ciuitate alijs de causis parum concordī, noua erat orta dissensio, non admodum prompti erant, cum alij ciues Paulo Vitellio fauerent, alij ad Ranutium ueterem & fidum, quiq; magnae autoritatis propinquos Florentiae haberet, illius reip. exercituum ducem extollendum propenssi essent: qui ob Regulianam calamitatē, summi gradus spe deiectus, in Paulum translātū esse egrescebat: & cum in Casentino suum agmen haberet, ad ea ex quibus illius quem deprimere uoluisset existimatio augeri posset exequenda minimē promptus erat. Has difficultates Pauli natura in stipendijs larga, cum Florētinis legatis difficilis, & qui sepe in deliberationibus, & rerum expeditionibus maiorem sibi quā decere uideretur auctoritatem arrogaret augebat: & tūc quoq; legatis inscijs Urbinatium duci egroto, tutō ex Casentino discedendī facultatem cum fide dederat: qua fretus praeter ipsum etiam Iulianus Medices cum graui Florentinorum molestia discesserat, quib. si duci abeundi difficultas fuisset imposta, illum ualeitudinis in regno suo recuperandae desiderio ad copias Bibiena abducendas coactū iri persuasum erat: querebantur etiā Iuliano antea perduelli, & qui post cum armis cōtra patriam uenisset, ipsis inscijs talē concessam facultatem. Haec res Florentiae Pauli consilijs ac postulatis fidem adimebāt, & multo magis quod bellum non cum magna ipsius apud populum existimatione gereretur: nam & nonnulla praecclare magis ab incolis quā à militibus gesta erant, & propter ma-

gnam

gnam ipsius uirtutis opinionè, longè citius uictoriã sibi ex hostibus promiserant, ut populorum natura est, uoluntati id tribuentes, quòd potius temporum asperitati & apparatus defectui tribuendũ erat: quocirca, dum quatuor millia peditum mittere cunctantur, Pitiliani comes Elcium Urbini ducatus castellum Florentinorum finibus proximum ueniendi tempus habuit: quo prius uenerant Carolus Ursinus ac Petrus Medices, & ubi omnes copiæ ad Apenninũ transeundum colligebantur: quæ ueluti ad regionis asperitatem & inopiã aptiores, peditatu longè quàm equitatu copiosiores, ijq; potius leuis quàm grauis armaturæ comparabantur. Hic fuit extremus Venetorum in Casentino conatus, quem Paulus Vitellius ut impediret, leui circa Bibienam obsidione, & necessario ad oportuna itinera præsidio relicto, cum reliquis copijs ad Stephaniplebem Florentinorum oppidum ad pedes alpium situm, ut se hostibus in earũ descensu opponeret contendit. at Pitiliani comes, cum alpes niuibus obtectas ante se, ad alpium pedes ualidam oppositionem, & itinerum angustias cum nihil obstat, miti tempestate, nedum sic, superatu difficiles haberet, quamuis grauibus querelis ab Senatu ueneto (ut ipse aiebat) ad proscindendum quàm ad prospiciendum uehemētiori, multum urgeretur, nunquam transitum ausus est experiri: & si etiam aliqua diuertendi consilia proponerentur, & in Balneiualle iam Florentinorum loca aliquantum infestari inciperent, id tamē nihili fecit. Sed quò res bellicæ lentius procedebant, eò pacis uarijs de causis ab utraq; parte expetitæ cõsilia uehemētius tractabantur, quã nõ minus optabat & urgebat Mediol. dux, qui foedere inter Galliæ regē ac Venetos inito ter-

ritus, huius concordie successu Venetos minus Gallorū
 aduentum optaturos sperabat: & insuper illos hac in
 re uoluntate factisq; suis contentos, aliqua saltē ex par
 te indignationem in se conceptam mitigaturos persua
 sum habebat: ideo apud Herculem Atesinum socerum
 suum medium se inter illos gerens, Florentinos nō tam
 autoritate (quoniam apud illos qui ipsius consilium anē
 maderterent, iam eius opera suspecta esse incipiebat.)
 quā quod, nisi concordia iniretur, se Gallie regis me
 tu, si non omnes, saltem partem copiarum suarum, ab
 eorum auxilijs detrahere coactum iri significaret, ut a
 licui Venetorum desiderio cederent cogebat. Ea re mul
 tos menses Ferrarie agitata, varijsq; interpositis diffi
 cultatibus, Veneti ab Hercule quo res facilius transige
 retur, ut Venetias iret postularū: qua in re se ipse nō ni
 hil difficile præbebat, sed multo magis Florentini, quia
 Venetos Herculem arbitrum fieri, a quo ipsi ualde erāt
 alieni, optare sciebant: sed tantum Ludouicus Sfortia
 institit, ut Hercules tandem ire, & Florentini Io. Bapti
 stam Ridulphū, & Paul. Antonium Soderinū, summos
 & prudentissimos illius Reip. ciues cum illo mittere sta
 tuerint. Venetijs primum disputatum fuit, utrum Her
 culi, arbitri autoritate controuersia dirimēda permit
 teretur, an tanquam communis amicus medium se inter
 partes gerens, conciliare niti deberet, quemadmodum
 Ferrarie factum, ubi præcipua grauißimaq; capita ad
 paruā difficultatē redacta fuerant. Hoc Florentini Her
 culem in ijs quæ ex ipsius arbitrio penderent, maiorem
 Venetorum quā ipsorum amplitudinis rationem ha
 biturum, & cū sententia Venetijs esset pronuncianda,
 tanto magis illis fauere cogi, & quod per se non esset
 factu-

facturus, ad id Mediolanensium ducem, qui suam operam
Venetis hac in re utilem tantopere declarare cuperet,
ipsum impulsurum, cernentes cupiebant: & quamuis
multae difficultates Ferrariae ferè sublatae fuissent, tamè
& in ultima transactione, & in multis peculiaribus ca-
pitibus, non parua relinquebatur arbitro potestas, prae-
terquam quòd caussa illi permessa, ab ijs quae antea tra-
ctata fuerant, discedere in ipsius erat potestate. Veneti
uerò nisi arbiter fieret, non tã quòd sibi de arbitro plus
quàm Florentini pollicerètur, quàm quia id negotium
inter ipsosmet multas habebat difficultates, nihil agere
statuerat: nam cum omnes grauissimis cum exigua fru-
ctus spe sumptibus fessi, concordiam exoptarent, iunio-
res tamen in senatu, & praesertim ferocissimi quique, nisi
Pisanis libertas integrè, & saltè ea pars agri, quam cùm
in clientelam accepti sunt possidebant conseruaretur,
eam nolebant: in quam sententiam multas rationes asse-
rebant, sed ea erat praecipua, quòd cum tunc senatuscõ-
sulto, Pisanis libertatem se cõseruaturos promississent,
nisi reip. splendorem commaculare uellent, desistere nõ
possent. Nonnulli alij in reliquis rebus minus difficiles,
in sumptuũ, quos Pisis desertis à Florètinis sarciri po-
stulabant summa, erant immoderati. Sed ferè omnium
sapientiorum, & maioris autoritatis senatorum cõtra-
ria erat sententia, qui tot sumptibus fessi, & omni Bibie
nae defendendae, ac pisanarum rerum sine ingenti mole-
stia, propter difficultates in auxilijs mittendis, & bello
diuertendo repertas tucndarum spe amissa, cum maio-
re quàm ab initio persuasum habuissent Florètinorum
uires comperissent, & praeterea quãuis bellum in Me-
diolanensium ducem facilè existimaretur, tamen quum

Gallie rex, cum Romanorum rege nondum pacem in-
 iisset, variaq; trans Alpes impedimenta oriri possent,
 multa illum à bello inferendo remorari posse: & si etiã
 moueret, multas quotidie & inopinatas difficultates et
 pericula in rebus bellicis accidere cogitarèt, præcipuè
 uerò ingentibus terrestribus ac maritimis apparatus
 quos Baisettus Ottomannus, ut illorum in Græcia lo-
 ca inuaderet adornare dicebatur territi, si secus fieri nõ
 posset, potius ut honestum aliqua ex parte utili cederet
 oportere censebant, quàm ut datam fidem obstinatè ser-
 uarèt, in tantis molestijs perseuerare. quare cum ea de-
 creta, ad quæ iam initio deueniendum esse animadu-
 terant, maxima difficultate in ipsorum senatu ferri pos-
 se certò scirent, quum Ferrariæ id negocium agi coeptũ
 est, prudenter à senatu, in pisanis rebus & Florenti-
 norum pace, Decemuiris amplissimam autoritatem
 dari curarant: quo in consessu numero longe minori,
 omnium grauissimi, maximaq; autoritate præditi in-
 tersunt, in quibus eorundem qui concordiam expete-
 bant maxima pars erat: nunc autem negotio Venetias
 perducto, senatum in capita Ferrariæ tractata perdu-
 cere posse diffisi, & Decemuiros tantum assentiri, ijs
 qui interfuisset magno oneri fore animaduverterent, ut
 compromissum fieret instabãt, homines iudicij culpam
 magis in arbitrum quàm in ipsos translaturus speran-
 tes, & eam sententiam quæ iam lata esset facilius, quàm
 si ad conciliandas partes proponeretur comprobatum
 iri: ideo post aliquot dierum disceptationem, Mediola-
 nensium duce, Florëtinis qui compromittere recusabãt,
 omnes copias suas ex Hetruria se statim abducturũ mi-
 nante, caussa Herculis Ferrariensium ducis iudicio ar-
 bitrioq;

bitriôq; liberè & absolutè in dies octo permissa est: qui post longam deliberationem sexto die Aprilis pronunciauit, ut intra octo proximos dies iniuriæ inter Venetos ac Florentinos tollerentur: & proxima Diuo Marco sacra die, omnes utriusque partis copiæ & auxilia discederent, & ad proprias sedes redirent: & Veneti eodem die, Pisis & eius agris omnes quas illic copias haberent deducerent, & Bibienam cum omnibus Florentinorum locis quæ occupauerant, desererent: Florentini Bibienensibus delicta condonarent: & ad sumptus quos Veneti ad octo millia libras auri ascendere asserebant resarciendos, per annos duodecim Florentini illis quotannis centum & quinquaginta auri libras penderent: Pisanis omnium delictorum uenia, & cuiusuis artis uel mercaturæ terra mariq; exercendæ facultas concederetur: Pisanae urbis & locorum quæ eo die quo sententia lata est, possidebant, arces & munitiones ab ipsis custodirentur, ea conditione, ut custodes uel Pisani essent, uel ex alio loco Florentinis minimè suspecto, eisq; ex uectigalibus quos Florentini Pisis haberent, stipendia numerarentur, nec hominū numero aucto, nec sumptibus ante defectionem consuetis: omnes Pisani agri munitiones à Florentinis dum Veneti Pisanos tuebantur receptæ, si ita Pisanis uisum esset euertirentur: Pisis prima ciuilia iudicia, à prætore externo, à Pisanis electo, ex loco Florentinis minimè suspecto fierent: urbis uerò præfectus à Florentinis delectus, tantummodo prouocationum causas cognosceret, nec ulla ratione de criminibus, ubi de sanguine, exilio, & bonorū proscriptione ageretur, absq; unius assessoris ab Hercule, uel eius posteris, & quinq; iuris interpretibus, qui

ex ipsius imperio à Pisanis proponerentur delecti consensu iudicare posset: suppellex fundi, domus, pecora, aliq; utrinque occupata, fructibus ijs qui eos perceperant concessis, dominis restituerentur: & in omnib. alijs rebus Florētinorū Pisis et in agro, iura inuiolata esēt: Pisanis quod ad munitiones & quænis alia spectat, nihil in remp. Florentinam moliri liceret. Arbitrio Venetij promulgato, per totam urbem & inter nobiles multa in Herculē, & eius consilij principes querelæ exaudiebantur, plerisq; quòd ingēti reip. infamia, Pisani fide data fraudarentur uituperantibus: & sumptuum in bello factorum, non æquam rationem habitam querentibus: quas querelas illorum oratores, qui ante sententiam latam, à Venetis artificiosa inuiolata libertatis cōseruandæ, & non modò reliquum agri ipsorum, sed fortasse etiam Ligurni portum ipsis adiudicatum iri spe fovebantur, plurimum accendebant: & quò exitus ipsorum expectationi magis contrarius apparebat, eò magis libertatis tuendæ toties ab illo senatu datam fidem, qua freti, omnium reliquorum principum amicitia cōtempserant, & sæpius longè meliores à Florentinis oblatas condiciones reiecerant, tam indignè uiolari, & uanis tantum coloribus ipsorum securitati prospici dolebant. Qua enim ratione, quin Florentini magistratibus Pisis restitutis, eorumq; mercatoribus ac subiectis ad cōmercium reuersis: agricolis autem qui potissimum eius urbis defensionis membrum fuerant, ad propria tecta, & culturam abeuntibus, aliqua fraude absolutum imperium occuparent, quòd illis, portarum præsertim custodia ipsorum potestati permessa, facillimum foret, securi esse possent? & quæ tandem esset ea securitas, munitione-

nitiones possidere, si earum custodibus à Florentinis stipendia darètur, nec in tanto metu liceret maiora præsidia habere, quàm tutis pacatisq; temporibus alere cõsueissent: rerum commissarum uentiam quoq; uanam esse, cum Florentinis, ipsos in iure & iudicijs perdendi facultas concederetur: merces namq; , & reliqua mobilia bona defectionis tempore capta præcij tanti esse, ut non modò omnia ipsorum bona eo iure essent occupaturi, sed ne homines quidem ipsi à carceribus tuti futuri. Has querelas senatus principes ut extinguerent, effecerunt ut postero die, etsi cõpromissi tempus præterisset, Hercules qui tanta totius ferè urbis indignatione cognita, sibi metuebat, sententiæ latæ Florentinis oratoribus inscijs declarationem adiungeret, ut munitiorum appellatione Pisane urbis & reliquorum munitiorum locorum portæ intelligerentur, in quarum custodiam, nec non & prætoris & assessoris stipendia, certa Pisanorũ uectigalium portio Pisanis assignaretur, & loca nõ suspecta, quorum in arbitris mentio fiebat, essent põtificum, Mantuæ, Ferrariæ, & Bononiæ regna, aliorum tamen stipendia facientibus exclusis: mobilium uerò bonorum restitutioni perpetuum imponeretur silentium: prætoris collegam ex quouis non suspecto loco nominare in Pisanorum potestate esset: præfectus de nullo, quamuis minimò crimine sine Assessore cognosceret: Pisani à Florentinis pro aliarum nobilium Italiæ urbium consuetudine bene tractarentur, nulla noua onera illis imponerentur. que declaratio non ideo procurata fuit, quòd Veneti illam seruari cuperent, sed ut Pisanorum oratorum ardorem mitigarent: & ut se in senatu defenderent: quòd si Pisanorum libertas non esset conserua-

ta, saltem illorum securitati & commodo ita consultum erat, ut prædæ dati uel deserti dici minimè possent: quo in senatu post multas disputationes, temporum tandem ratione, & Pisanos tuendi difficultate, præsertim uerò turcicorum armorum metu superante, arbitriū expresso consensu non comprobare, sed quod omnibus in rebus efficacius est, offensionibus intra dies octo remotis, copijsq; præscripto tempore, Hetruria eo animo, ut se huic negotio non amplius immiscerent deductis, factis exequi decreuerūt, imò potius quàm ea urbs in Mediolanensis ducis potestatem ueniret, multi in senatu eam à Florentinis recuperari cupere incipiebant. Nec Florentiæ sententiæ summa audita, minor animorum motus apparuit, ijs à quibus iniuste fuissent lacesiti, sumptuam partem resarciendam ægreferentes: idq; eo magis quòd cum munitiones à Pisanis essent custodiendæ, & criminum iudicia, præcipuum conseruadis imperijs instrumentum Magistratibus ipsorum non liberè concederentur, nihil aliud quàm nudum imperij nomen sibi assequuti uidebantur: tamen ijsdem Mediolanensium ducis obtestationibus, quæ ut causam arbitro committerent effecerant, ad comprobandum cogentibus, seq; breui industria, & erga Pisanos humanitate, res ad meliorem formam redacturos sperantes, sententiam latam exceptis adiunctionibus illis nondum ipsis notis, expressè confirmarunt. Maior fuit Pisanorum indignatio atq; hæsitatio, qui mirum in modum in Venetum nomen cõcitati, & maiorem fraudem metuentes, quum primum quæ arbitrio contineretur intellexerunt, eorum milites ab urbis munitionibus & portis remouerunt: nec amplius in urbe esse uoluerunt, multosq; dies magnope

re utrum

Ne utrum arbitrij conditionibus acquiescere deberent
 dubitarunt, in illam partem cum se ab omnibus deser-
 tos conspicerent, timore flectente: in hac, Florentinorū
 odio, & multo magis iniuriarū magnitudine, & quod
 ingentium illis sumptuum cladumq; caussa fuissent, ac
 sepius in propriae libertatis discrimen coniecissent, ue-
 niā unquam consequēdā desperatione pertinaciter re-
 tinente: qua in dubitatione, & si Mediolanensium dux,
 se, ut arbitrij conditiones à Florentinis mitigarētur, a-
 pud illos curaturum recipiens, ad cedendū hortaretur,
 tamen ut num antiqua cupiditas adhuc in illo uigeret
 experirentur, & ad liberam illi tunc deditiōnem faciē-
 dam parati, legatos ad eum miserunt: & deniq; post lō-
 gam consiliorum agitationem, potius quāuis extrema
 experiri, quā sub Florentinorum iugum redire statue-
 runt: ad quod etiam à Lucensibus, Genuēsibus, & Pan-
 dolfo Petruccio clam impellebantur. Nec Florentini (et
 si res contra se haberet) à Mediolanensium duce ad idē
 impulsos esse (tam parua integritas & fides ab eis quos
 fraude & artibus creuisse opinamur expectatur) suspi-
 cione carebant. Florentini uerò, Pisanum pāctione obti-
 nendarum spe exclusis, oportuna eius ciuitatis expu-
 gnandae occasio dari uisa est: idcirco Paulo Vitellio in
 pisanum agrum reuocato, apparatus ab illo postulatos
 diligentissimè adornabant. interea uerò Ludouici Sfor-
 tia pericula indies augebantur, quoniam nec ipsius de
 pace preces Venetorum animos, odio & lucri spe, in ip-
 sius euertendi desiderio constantes, nulla ex parte pla-
 carat: nec Maximilianus ita ad bellum aduersus regem
 Galliae promptus erat, ut ad pecuniam sepe ab ipso pe-
 tendam sollicitas, imò contra sepius iterata promissa,

in totum Augusti proximum mensem inducias prorogavit, auxilium suum haud plus illi quam belli diuertendi cōsiliū profuturum, eodem tempore spe adempta: & Sueuico fœderi coniunctus, Heluctijs, ob uarias inter ipsos ortas controuersias, Imperij perduellibus declaratis, bellum intulit: quod utrinq; magnis uiribus gestum, hinc atq; illinc uarios progressus & magnas cedes habuit: ita ut Ludouicus iam se, si opus esset, antequam hoc bellum uel uictoria uel pactione absolueretur, auxilia non posse habere certus esset: & tamē cum Maximilianus se nunquam cum Gallie rege, uel cum Heluctijs, nisi ipso eodem fœdere comprehenso, conuenturum promitteret, ne illum alienaret sepe nouas pecunias subministrare cogebatur: quam occasionem cum rex Gallie cognosceret, quantumq; referret, Venetos ac Pontificem coniunctos habere, multorum qui quod rex nouus, & parum pecunie abundans esset, Insubriae bellum in sequentem annum differri consulebāt suasionibus neglectis, & cum paucorum mensium spacio sibi uictoriam polliceretur, nō magnam pecunie summam necessariam ratus, aliqua pecunia, ut Maximilianū occupatum teneret, clam Heluctijs data, aperte se comparabat. Quare Mediolanēsiū dux, cum bellum sibi imminere perspicuē animaduerneret, summa diligētia & sollicitudine ne in tantis periculis solus esset nitabatur, nam & de concordie ratione inueniēda, & de recōciliatione cum Venetis iam prorsus diffidebat: neq; in Hispanie regibus à se uehementer rogatis, aliquam salutis suae curam inueniebat: ideo ut omnium aliorum animos eodem tempore experiretur, Galeaciūna Vicecomitem ad Maximilianum & Heluctios, ut se ad concordiam

diam

diam inter eos conciliandam interponeret misit: & cū Pontifici Carolotæ cum Cæsare Borgia filio, negotium minimè succedere intelligeret, quòd puella uel amore, uel paterna autoritate, uel occultis Gallie regis consilijs, quamuis ipse secus simularet, ducta, nisi simul Federici patris qui Gallie regi annum tributū, & amplas conditiones offerebat res componerentur, ei matrimonio iungi obstinatè recusabat, illum à rebus transalpinis se alienaturum sperauit, & ut secum in fœdus alligeret magnoperè conatus est: in quod fœdus præter Federicum regem, Florentinos quoq; conuenturos, scq; & reliquos fœderatos illi aduersus Pontificij imperij uicarios auxilia, & magnam pecuniæ uim, quæ aliquod amplum imperium filio emeret daturus promittebat: quæ et si initio ab Alexandro simulatè audirentur, mox uana apparuerunt: nam ille multò maiora præmia ex Gallie regis societate sperans, quàm, nisi Italia denuo transalpinis exercitibus repletur cōsequuturus esset, ut filius Carolotæ matrimonio exclusus, Alibretti, qui, quòd ex regia stirpe esset, & ob regnorum suorum amplitudinem, nulli totius Gallie regulorum erat inferior filiã duceret annuit. Nec uerò Ludouicus de mala Venetorum in se uoluntate indies certior factus, qui iam per se maximos faciebat apparatus, Turcarum regem per proprios homines, Federico rege ad idem concurrente, clam in illos concitare destitit, ratus, ipsos cū eo occupatos, Insubrie imperio minimè molestos fore: & cum Florentinorum ad pisanam urbem expugnandam apparatus compertos haberet, ijs auxilijs quæ exoptare possent oblatis, cum trecentis cataphractis, & duobus peditū millibus, ea urbe expugnata, ad se defendendum

deuincire conatus est: & ab altera parte rex Gallie, ut sibi quingentos grauis armaturæ equites in annum annuum concederent postulabat, se quoque uicissim Insubria imperio occupato, eos mille cataphractis ad illorū bella conficienda per annum iuuaturum: & nisi eodē tempore Pisas & reliqua oppida recuperassent, cum Ludouico non conuenturum: quod si antequam Insubriā occupasset, ab aliquo molestia afficerentur, Pontificem ac Venetos ipsos defensuros recipiebat, quibus in contrarijs postulatis, cum ob rei difficultatem, tum ob animorum dissensionem, magna erat in Florentinis hesitatio: nam quum Ludouicus Pisis tantum recuperatis, illorū auxilia postularet, ipsius auxilium longè presentius & certius erat, quàm quod Gallie rex, quod ad pisanas res attinebat, parui momenti habitus promittebat: quia cum illa ciuitas ab omnibus esset deserta, omnes illorum cogitationes ad illam ea æstate consequendam erāt cōuersæ: mouebat etiam nō parum multorum animos recordatio, quod Ludouicus ipsos in periculis iuuisset, ut uenetus senatus cum Gallie rege fœdus aduersus illum faceret, in caussa fuisse: & longè magis ne ipsius petitionibus reiectis indignatus, Pisanam expugnationē, quod haud difficulter potuisset, impediret, metu mouebatur. Contrā uerò, cum illum Gallie regi ac Venetis imparē fore censerent, regem cuius arma intra nō multos menses totam Italiam peruagatura uidebantur, irritare cōsiliū periculosum uidebatur: & beneficiorum ab Ludouico ueneto bello acceptorum, ex quibus uerè pericula sua manare aiebat memoria, illius opera Pisanorū defectionem primū ortam, ipsum eius urbis potiūde cupi dum per multos menses illos fuisse, & ab alijs tuendos

endos curasse, ac Florētinos eo tempore multis iniurijs persequutū, recordatione facile delebatur: adeo ut maiores fuissent offensiones quā̄m beneficia: ad quā̄ nō̄ aliā̄ ob causam deuenerat, nisi quia Venetos ea quā̄ spe & ambitione ductus in animo suo propria censebat occupasse ferre minimē poterat: uerebantur etiā̄ ne si Ludouico palām adhæsissent, rex per Pontificem & Venetos sibi foedere iunctos Pisanum recuperationem impediret: idcirco tandem, nec Gallie regi, nec Mediolanensium duci adherere, sed interea pisanum bellū cui proprias uires sufficere arbitrabantur conficere, & tamen ne Ludouico sua consilia impediendi causam praeberent, ipsius artibus cum illo utentes, eius spem, quo ad possent, fouere statuerunt: quare ubi responsum in multos dies distulissent, reip. scribam, qui reip. mentem re ipsa eandem cum ipsius esse, uerū̄m aliquam in peragēdi ratione differentiam significaret, miserunt: decreuisse quidem ipsos Pisis recuperatis, auxilijs quā̄ postulasset, illum minimē destituere, sed quō̄d in liberis ciuitatibus huiusmodi negocia absq; multorum consensu non transigantur, ideoq; occulta esse non possint, cum illo palām ea de re conuenire admodum perniciosum censeferi: quoniam re diuulgata, Gallie regi, ut Pontificē ac Venetos Pisanis opē ferre curaret occasio daretur: quare res promissum ipsis perniciosum, illi uerō̄ inutile redderet: Pisis enim non expugnatis, ipsum iuuare nec tenerentur nec possent: eam ob causam, fidem quā̄ uerbis, cum summorum ciuium, ex quorum autoritate omnes publicae deliberationes penderent, consensu daretur, satis esse existimari: nec alia de causa scripto secum pacisci recusari: deniq; ad ampliorem animorum decla

rationem, si ipse aliquam rationem, qua tanto periculo uitato eius desiderio satisfacere possent ostenderet, exequi paratos fore. Quo responso, quamuis arguto & artificij pleno, quia auxilia à se oblata non accipiebant, Ludouicus nullam sibi in illorum copijs spem collocandam cognouit, & simul undiq; spes deficere animaduertit, quoniam ab Rom. rege semper promissum auxiliũ, cum ob illius nature uarietatem, tum ob Heluetij belli impementa, ualde erat incertũ: & quamuis Federicus quadringentos grauis armaturæ equites, & mille quingentos pedites, Prospero Columna duce se missurũ promississet, non tam de uoluntate, quia Insubriæ defensio ipsius quoq; intererat, quàm de facultate & tarditate illius dubitabat: & Hercules Atestinus socer ad auxiliũ ferendum rogatus, serè antiqua iniuria, quòd illius opera Rhodigiam Polinesum Veneti retinuisserent exprobrata, sibi quòd cum Venetorum fines Ferrariæ portis ita essent uicini, ut propria tecta custodire cogeretur, auxilium ferre non posset, displicere respondit. Omni igitur spe quæ ex ipso non pendèret amissa, Anonio, Nouariæ & Alexandriæ, quæ loca primis Gallie regis motibus erant exposita muniendis, sollicitè operam dabat, eo consilio, ut Galeacium Sanscuerinatem cum maxima uirium parte eius furori, & reliquas copias sub Mantuano regulo Venetis opponeret: etsi non multo post uel imprudentia, uel auaritia, uel quòd diuinis cõsilijs obsisti non possit, à se hoc auxilium alienarit: nam cum Venetos, quibus Baisettus Othomannus, terra marisq; incredibili apparatu belium inferebat, aduersus tantum hostem rebus proprijs tuendis occupatos, sibi minime molestos fore, uana persuasionem credere inceperat:

& Galeacio Sanseuerinati, qui marchionem honoris
 gradu sibi anteponi egreferebat, satisfacere cuperet,
 difficultates mouere, quorundam ueterum stipendiorū
 reliquum persoluere nolle, & fidei atq; obseruatiæ in-
 solita sacramentum & cautiones postulare coepit: &
 quamuis cum postea Venetos, quotidie in Erixensem
 agrum copias, ut ad arma eodem cum Gallis tempore
 mouēda parati essent, mittere animaduerneret, per Fer-
 rariensium ducem communem socerum illum reconci-
 liare tentarit, difficultates non tam citò sublatae sunt,
 quin pericula quæ indies maiora apparebant, citius su-
 peruenirēt: quia in Taurinos, ubi Sabaudia dux denuo
 se regi coniunxerat, copiae quæ circa Astam hærebant
 continenter transibāt, & Ludouici spes semper minue-
 bantur: nam Federicus Rex, siue impotentia, siue negli-
 gentia auxilia promissa mittere differebat: & spes quæ
 relinquebatur aliqua, Florētinos Pisis expugnatis, Pau-
 lum Vitellium, cuius uirtus in tota Italia maximè cele-
 bris erat missuros, Gallia regis diligentia interrupta
 fuit: qui asperis uerbis ac penè nimis cum illorum ora-
 toribus usus, ut resp. clām scripto, nullum Ludouico au-
 xilium se daturā, nulla ab illo uicissim promissione acce-
 pta promitteret, effecit. Quocirca Ludouicus leui ad
 Venetorum fines sub Calatia comite defensione relicta,
 Galeacium Sanseuerinatem cum mille sexcētis grauis,
 mille quingentis leuis armaturæ equitibus, decem milli-
 bus Italis, & quingētis Germanis peditibus, in transpa-
 danam regionem, potius ut oppida urbesq; tueretur, q̄
 ut acie se opponeret misit: multis enim de causis morā
 trahere utile ducebat, præcipuè uerò, quia quotidie pa-
 cis, quam ipsius nomine inter Maximilianū & Helue-

tios Vicecomes procurabat, negocium perfici sperabat: qua facta, ualida ab illo statim auxilia promittebatur: secus autem non modò auxilium sperare non poterat, uerumetiam milites in illis partibus conscribere difficile erat, quoniam motus, qui maximi erant, omnes ad id bellum pertrahebant. Nihil utrinq; in bellicis rebus, donec omnes copiae ad bellum decretae, Ludauico Lignino, Eberardo Obignino, & Io. Iacobo Triultio ducibus alpes superassent, praeter leues excursiones gestum est: nam & si rex Lugdunum, inde si opus foret in Italiam transiturus rumore diuulgato, ueniret, per legatos bellum gerere in animo habebat. Gallico autem exercitu omni, in quo erant mille sexcenti cataphracti, quinque Heluetiorum millia, quatuor Vasconum, totidemq; ex alijs Galliae partibus simul coniuncto, statim duces decemtertia Augusti ad Garensij arcem in Tanari ripa positam copias produxerunt: quam, & si quingenti pedites in ea essent, non minus defensorum ignauia, qua tormentorum impetu tantam celeritatem adiuuante, breuissimo temporis spacio ceperunt: ea capta, ad Anoniu castellum in regia uia inter Astam & Alexandriam in Tanari Garensio opposita ripa collocatum, situ munitum quodq; ante aliquot menses à Mediolanensium duce etiam arte ualde confirmatum fuerat, castra mouerunt: & quauis Sanseuerinas, qui prope Alexandriam in campis castra habebat, Garensij iactura cognita, nouos ac meliores pedites mittere cupiuisset, quia septingenti quos antea imposuerat tyrones erant, & rei bellicae expertes, id tamen quia Galli, ut auxiliu eò uenire prohiberent, ex Monferratensis marchionis eius loci domini consensu, in Feliciano oppido, inter Alexandriam & Anoniu sito,

mili-

milites posuerant, exequi minimè potuit: ideo ijs qui A-
 nonij erant nihilomelioribus re ipsa quàm sperabatur in-
 nētis, Galli primùm suburbio, deinde oppido à quatuor
 partibus uerberato, biduo expugnarunt; deinde arcem
 omnibus peditibus, qui in eam confugerant cæsis occu-
 parunt: quo magis repentino quàm credidisset successu
 territus Sansseuerinas, quòd ad timorem excusandū inu-
 tilem peditatum se habere, & populos in Ludouici fide
 parum firmos animos ostendere diceret, cum omnibus
 copijs Alexandriam in urbē se recepit. Quare Galli
 eo audaciores facti, ad quartum ab urbe lapidem castra
 promouerunt: eodemq; tempore Valentiam, in qua mul-
 ti milites ac tormenta erant, Donati Raffagnini Medio-
 lanēsis in ea urbe arcis præfæcti, Triultij promissis cor-
 rupti opera ceperunt: ab eo enim per arcem in ciuitatē
 introducti, omnes milites partim ceperunt, partim in-
 terfecerunt, inter quos Octavianus Sansseuerinatis no-
 thus frater captus fuit: & erat notatu dignū, hunc eun-
 dem præfæctum ante annos uiginti principi Bonæ, &
 paruo duci Io. Galeacio fide fracta, eodem die quo Gal-
 los in Valentiam urbem introduxit, Ludouico Sfortiæ
 Dertonæ portam tradidisse. Gallis deinde fulminis mo-
 re regionem percurrentibus, Bassiniana, Vicheria, Ca-
 stellonouū, & Ponscoroneus deditionē fecerant: idem
 paucos post dies fecit ciuitas & arx Dertonens. ex qua
 Antonius maria Palauicinus qui eā custodiebat, nulla ui
 expectata trās Padū se recepit: quarū rerū nuncijs Me-
 diolanū perlatis, Ludou. Sfortia, cum se ad tantas angu-
 stias redactum, imperiumq; suū tanto impetu ruerè con-
 spiceret, ut in tam repentinis calamitatibus accidit, nō
 minus animo quàm consilio destitutus, ad ea remedia

deueniebat, ad quæ afflictis in rebus, & ad extremã penè desperationem redactis mortales confugiètes, periculi potius magnitudinem omnib. notam faciunt, quàm fructum aliquè consequatur: primum in urbe quotquot arma ferre possent conscribi iussit: deinde populo, cui ipsius nomen ob multas exactiones odiosissimum erat, conuocato, parte onerũ illum liberauit, uehemētissimis uerbis subiiciens: Si quãdo nimiũ se grauatos fuisse existimarent, id nec naturæ suæ, nec auri cumulandi cupiditati, sed temporibus atq; Italiæ periculis, quæ primũ propter Venetorum potentiam, deinde ob Caroli regis aduentum, se eius imperij in pace & securitate seruandi, & ijs qui id inuadere uellent obsistendi cupidum ad ea facienda coegissent, tribuerent: quòd se nullũ patriæ ac populis suis maius beneficium, quàm si ut bellis non infestarentur prospiceret, facere posse existimaret: id autè consilium mirum in modũ utile extitisse, fructus inde perceptos clarissimè demonstrasse, quòd tot annos se gubernante in summa pace & tranquillitate essent uersati: qua eius urbis magnificentia, opes, ac splendor, maxime aucta erant: cuius rei, ædificia, pompas, tot ornamenta, & artiũ incolarumq; penè infinitam multitudinem auctam, manifestissimam fidem facere: quibus rebus Mediolanensis ciuitas, eiusq; imperium reliquum non modò nõ cederent, sed omnes reliquas Italiæ urbes regionesq; superarèt: se nulla in ipsos crudelitate usum recordarentur: quantaq; mansuetudine ac benignitate semper quoslibet audiuiisset, & à se solum inter omnes eius ætatis principes, nullis corporis laboribus uet molestijs uitatis, per se ipsũ publico iuridicundo statis diebus, omnibus æquum ius citra ullam morã administrasse: pa-

se:pa-

se: patris, qui illos potius ut filios quàm ut subiectos re-
 xisset merita beneuolentiãq; memoria repeterent: &
 quàm Gallorum superbum insolensq; imperium acerbũ
 esset futurum, sibi ob oculos ponerent: qui propter Gal-
 liæ regni uicinitatem, si eam regionẽ occupassent, quẽ-
 admodum aliàs eadem gens in tota Longobardia fece-
 rat, ueteribus habitatoribus pulsis, firmã perpetuamq;
 populorum suorum sedem essent facturi: idcirco roga-
 re illos, ut animis à barbaris inhumanisq; moribus alie-
 natis, simul & patriam & propriam salutem defenden-
 dam susciperent: nec dubitandum esse, quin si ad breuis-
 simum tempus prima pericula sustinere niterentur, fa-
 cile esset obsistere, quòd Galli maiore ad inuadendũ im-
 petu ferrentur, quàm in perseuerando constantes esset:
 quodq; ipse absq; mora ab Rom. rege, qui rebus iam cũ
 Heluetijs compositis, ut ipsemet auxilio ueniret se com-
 parabat, ualida auxilia expectaret: & copias quas nea-
 politanus rex cum Prospero Columna mittebat, iam in
 itinere esse: Mantuanum uerò, omnibus difficultatibus
 cum illo compositis iam cum trecetis grauis armaturæ
 equitibus, Cremonensem agrum ingressum se certò exi-
 stimare: quib. rebus si populi sui alacritas & fides acce-
 deret, se ab hostibus, etiamsi præter illum exercitum to-
 tius Galliæ uires simul coniunctæ essent, tutissimũ cen-
 seret. quæ uerba maiori attentione quàm fructu audita,
 non magis quàm arma Gallis opposita profuerãt: quo-
 rum metu, periculi à Venetis qui bellum in Giaradadda
 mouerant, & Carauagium oppidum, aliãq; Abduæ ni-
 cina occuparant, imminente contempto, Calatiæ Comi-
 tem cum maiore copiarum ad eam regionem tuendam
 missarum parte reuocauit: & Papiam ut Galeacio ad

Alexandriæ defensionem iungeretur, ire iussit: sed iam ab omni parte illius pernicies accelerabatur: nam Calatinus comes Galeacium minorem natu fratrem, militari quoq; exercitatione inferiorem, in exercitus imperio omnibusq; honoribus & gratia sibi anteponi indignatus, innumerorum ab se & fratribus beneficiorum ab Ludouico acceptorum memoriam in illo superante, antea clam eum Gallie rege conuenerat. Aliqui huius fraudis nuncium, iam aliquot menses ante ad illius aures peruenisse asserunt: quo audito, cum aliquãdiu tacitus cogitabundusq; fuisset, tandem cum gemitu ei qui id significauerat, non posse sibi tam ingrati animi facinus persuadere respondiisse: quod si tamen uerum esset, quamnam ratione caedendum esset, si uel ab intimis pluribusq; beneficijs affectis proderetur, cui amplius fidere posset ignorare: se non minorem minusue perniciosam calamitatem existimare, uana suspitione se fidorum hominum opera priuare, quam incauta credulitate illorum se fidei committere, qui suspecti esse debebant. Sed dũ Calatinus pontem ad Padum ut fratri coniungatur facit, & rem artificiosè protrahit: dum ponte facto transitũ differt, cum interea Galli iam biduũ circa Alexandriaũ fuissent, eamq; tormentis percuterent, Galeacius cum quo erant mille ducenti grauis, totidem leuis armaturæ equites, & militum tria millia, tertij diei nocte cũ nullo alio præfecto, præterquã cum Lucio Maluccio cõsilio communicato, leuis armaturæ equitum parte comitatus clam Alexandria diffugit: magnoq; suo dedecore, nec minore Ludouici prudentiæ infamia, quantum generosum equum tractare, aut in ludicris equitum certaminibus publicisq; spectaculis magnas hastas uibrare

(quibus

(quibus in rebus cunctos Italos superabat) & exercitum
 præesse interfit, quantoq; cum proprio detrimento prin-
 cipes, qui in ijs quibus res grauissimæ committuntur e-
 ligendis, magis gratiam quam uirtutem intuentur, &
 spectant, decipiantur, documento fuit. Cognito autem
 Galeacii discessu, reliquæ copię omnes quæ Alexädrice
 erant, illico aut in fugam se cõijcere, aut latebras que-
 rere cœperunt: qua occasione gallicus exercitus sub so-
 lis ortum ingressus, non modò milites qui reliqui erant
 spoliavit, sed militari licentia totam urbem diripuit. Fa-
 ma est, Galeaciũ literas cum Ludouici Sfortiæ nomine
 scriptas, ac eiusdem signo obsignatas, quibus quoniam
 motus aliquis Mediolani esset exortus, quamcitissimè
 eum omnibus copijs eò aduolaret imperabatur, accepisse:
 & aliqui postea à Calatino, ut hac arte Gallis uictori-
 am faciliore redderet, conscriptas suspicati sunt: quas
 deinde Galeacius quasi illis literis, non ut exercitũ inco-
 lumen, idq; si effici posse animaduerteret adduceret, sed
 ut temerè eum desereret, iniunctum fuisse, ad defensionem
 suam ostendere solebat: id autem nõ tam certũ est,
 quam quòd si in Galeacio, uel militum præfecti consi-
 lium, uel militaris animus fuisset, facilè ijs copijs, quas
 habebat Alexandriam, & maximam transpadanarum
 rerum partem defendere potuisset omnibus notum est,
 imò fortasse etiã aliquo felici successu usus fuisset: quia
 cum antea paucos dies gallici exercitus pars Burmiã
 omnem traiecisset, & maximis imbribus, inter duo flu-
 mina Burmiã & Tanarum interclusa esset, Galeacius
 quamuis aliquot ipsius leuis armaturæ equites, ponte
 qui Tanaro impositus suburbium urbi coniungit egres-
 sos, & in illos profectos, penè primum agmen fugasse,

illi significatum esset, eos inuadere non est ausus. Alexā
 ariæ iactura omnem reliquam Insubriam nouis calami
 tribus singulis horis oppressam terruit: nam & Galli
 Pado traiecto, ad Mortariā castra posuerant, unde Pa-
 pienses cum illis conuenerant, & Venetorum copiæ Ca-
 rauagij arce capta, & Abdua fluuio nauali ponte traie-
 cto, Laudempompeam usq; excurrerant: iamq; penè o-
 mnia reliqua oppida tumultuabantur: nec Mediolani
 minor quam alibi erat perturbatio ac terror, quoniam
 tota ciuitas cōsternata arma sumpserat, idq; tam parua
 erga principem suum reuerentia, ut cum meridie Anto-
 nius Landrianus summus ipsius ærarij præfectus ex ar-
 ce, ubi cum illo fuerat, prodiret, siue priuato odio, siue
 eorum qui rebus nouis studebant, uoluntate, in publica
 uia fuerit interfectus: quo casu Ludouicus maximo ui-
 tæ suæ metu correptus, & omni obsistendi spe deiectus,
 mediolanensi arce cum firmo præsidio relicta, ut præ-
 sens periculum uitarer, & quemadmodum aiebat, Ma-
 ximilianum, qui iam pacem cum Heluetijs uel confice-
 rat, uel certè pro facta habebat, ad se iuuandum urge-
 ret, cum liberis in Germaniam ire statuit. Hoc consilio
 capto, statim filios Ascanio, qui non multos dies antè ut
 fratris rebus quatenus posset opem ferret, Roma uene-
 rat, & Sanseuerinate Cardinalibus comitibus adiunctis
 discedere iussit, & unà cum illis principis Gazam soli-
 to ualde diminutam misit: manifestum enim est, annis
 octo ante id tempus, quum Ludouicus ad potētiam suā
 ostentandam, legatis alijsq; multis ærarium ostendisset,
 in numerata pecunia, et aureis argētēisq; uasis ad quin-
 decim millia auri pondo ascendere compertum fuisse,
 præter gemmas, quarum magna erat copia: hoc autem

tempore hominum opinione duo millia auri pondo nō multum excedebat. Post filiorum discessum, omnib. domesticis ac familiaribus dissuadetibus, Bernardino Curtio Papiensi ueteri suo alumno, qui tunc quoque arci præerat, huius fide Ascanij fratris, qui se eam curam suscepturum pollicitus erat, fidei anteposita, arcis custodiam commisit, & tria peditum millia sub fidis ducibus cum commeatu, tormentorum puluere, pilis, alijsq; rebus necessarijs, & pecunijs ad multorum mensium defensionem idoneis reliquit: cumq; in Genuæ rebus, Augustino Adurnio tunc præfecto, & Ioāni fratri, cui Sanseuerinatum soror matrimonio iuncta erat fidere statuisset, arcis tesseram ad eos misit. Borromeis Mediolanensibus nobilibus, Angleriam, Aronam, aliaq; ad Verbanum lacum oppida quæ illis occupauerat restituit: et Isabellæ Aragoniæ, quondam Io. Galeacij ducis uxori, dotis ipsius nomine Bariensem ducatum, & Rosanensem principatum pro triginta ducatorum millibus donauit, quamuis illa paruum Io. Galeatij filium, quē ipse cum suis in Germaniā duci cupiebat, concedere nolisset: ubi autem his rebus constitutis, tādium moratus esset, quā se id tutò facere posse duxit, ciuitate iam seipsam gubernante, secundo septembris die Atestino Cardinale, & Galeacio Sanseuerinate, & ut iter tutum haberet Lucio Maluccio, cum grauis armaturæ equitum ac peditum non paruo numero comitatus, cum multis lacrymis Germaniam uersus contendit: ac uix dū arce egressus erat, quum Calatinus per fidiam suam colore aliquo tegere conatus, illi obuiam factus dixit, postquam ipse imperium suum deserebat, se ipsius militari sacramento liberatum, suiq; ad quamuis conditionem arripiendam

iuris esse existimare: & repente se nomine et signis Gal-
 liae regis militem declarauit: & cum eadem turma quā
 Ludouici aere compararat conseruaratq; ad illius stipē-
 dia transiuit. Ludouicus autem Como, ubi arcem in po-
 puli potestate reliquit, lacu Bellasiū usq; profectus est:
 deinde pedibus Bormium, & per ea loca, in quib. olim
 cum in tāta gloria & felicitate collocatus esset, Maxi-
 milianū potius tanquam suum ac Venetorum exerci-
 tus ducem, quā ut Romanorum regem in Italiam uē-
 nientem acceperat iter fecit, inter Comum ac Bormiū
 gallicae copiae & Calatiae comitis turmae illum persecu-
 te sunt: ex quibus locis, praesidio in Tirani arce, quam
 post paucos dies Rheti occuparunt relicto, Ocnipontē
 quam Isbrucam uocant, uersus, ubi Caesarem esse audie-
 bat contendit. Post Ludouici discessum Mediolanenses
 legatis statim ad exercitus duces, qui iam cum copijs ad
 sextum ab urbe lapidem aberant, missis, illos sponte ad-
 mittere passi sunt, compositionis conditionibus in re-
 gis aduentum dilatis, à quo suae utilitatis tantummodo
 ratione ducti, immoderata priuilegia immunitatesque
 sperabant: idem absq; mora omnes reliquae mediolanē-
 sis imperij urbes & oppida fecerunt. Voluit & Cremo-
 nensis ciuitas (quum à Venetorum copijs, à quorum im-
 perio abhorrebat obsideretur) idem facere: sed cū rex
 pacta cum Venetis facta nollet infringere, illis sese de-
 bere fuit coacta: Genua, populo, Adurnijs, & Io. Ludō-
 uici & Elisco singulis certatim, cā sua opera regi dedi uo-
 luntatibus, eādem propensionem sequuta est. Et ut in Lu-
 douicum, non modò tam repentina tamq; magna, adeo
 mobili ac potenti imperio, uiginti dierum spacio amisso
 calamitas, uerum etiam omnia ingratorū exempla exta-

Vent, mediolanensis arcis præfectus, quem ipse inter omnes suos uelut fidiſſimum elegerat, ne uno quidẽ tormenti iactu, uel aliqua oppugnationis ſpecie expectata duodecimo poſt eius diſceſſum die, arcẽ quã expugnari minimẽ poſſe credebatur, Gallie regi, magna pecunie ſumma, centum cataphraſtorum præſectura perpetua, & multis alijs muneribus ac priuilegijs in tantæ perfidiæ præmium acceptis, tradidit: ſed cum tanta infamiæ nota, tantoq; etiam apud Gallos odio, ut illius familiaritate, uelut peſſimæ atq; abominandæ ſeræ ab omnibus reiecta, quocunq; ueniſſet contumelioſis uerbis irriſus, pudoreq; & conſcientia potentiſſimis certiſſimisq; facinoroſorum hominum flagellis cruciatus, non multo poſt dolore conſectus, uitam reliquit. Huius infamiæ, duces qui cum illo erant in arce relictæ, & præſertim Philippinus Fliscus, qui cum ducis eſſet alumnus, et ab illo tanquam fidiſſimus relictus, quum præſectum ad tuendam arcem hortari debuiffet, ingentibus promiſſis obcœcatus, contrarium ſuaſit: & cũ Antoniomaria Palauicino, qui regis nomine inierat, deditiõnem tractauit, participes fuere. Rex autem tantæ uictoriæ longẽ citius quàm ſperauerat parte, Lugduni acceptis nũcijs maximis ſtatim itineribus Mediolanum contendit: ubi ingenti plauſu acceptus, multorum uectigalium immunitatem conceſſit, qua tamen populo in deſiderijs intemperanti, qui omnium rerum immunitatem animo conceperat, nõ penitus ſatiſfactum eſt. Multis Inſubriæ nobilibus uiris multa donauit, cẽſusq; attribuit: inter quos Io. Iacobi Triultij meritis perſpectis, Vigeuenum cum multis alijs rebus ei cõceſſit. Eodem uerò tempore, quo rex Gallie in Mediolanenſium ducem arma mouebat,

Paulus Vitellius, Florentinorum copijs apparatusq; collectis, quo facilius deinde Pifarū expugnationi incubere posset, ad Cascinam castra metatus est: quam & si propugnatoribus, alijsq; rebus necessarijs, & fossis, aggeribus, ac propugnaculis satis esset munita, tamen ubi tormenta collocata fuerunt, uigintisex horis cepit: quia oppidanis magno tormentorū in debilibus muris progressu territis, peregrini milites qui intus erant, ut illos anteuertent, suam tantum & rerum suarum incolumitatē pacti, oppidanis ac Pisanis militibus & legatis, uictoris arbitrio permissis, deditioem fecerunt. Deinde Tubicinis internuncio, turris ad Arni hostij custodiam edificata, & Stagni uallum à Pisanis desertum, dedita sunt, adeo ut in toto agro, Pisani præter Verrucula arcem, & parua Ascani turrim, propter Arni, expugnare eas uolentibus trajiendi incommoditatem, & auxilij ex uicina urbe capiendi facilitatem, & quia tempus ibi terere nullius ad rerum summam momenti erat, ab hostibus non tentata, nil possiderent: Sole Pisæ expugnandæ relinquebantur: quæ res ab ijs qui prudenter ponderarent, ob urbis munitiones, & propugnatorum numerum, uirtutem, & pertinaciam, inuicem facilis credebatur: nam & si Pisis præter Gurlinum Rauenatē & alios paucos, qui Venetorū stipendijs eò perducti, post uenetarum copiarum discessum sponte remanserant, nulli essent peregrini milites, ciuium tamen & agrestium hominum numerus erat copiosus, & uirtute haud contemnendus: quoniam quinquennij perpetua experientia penè omnes bellicis apti erant: tanq; obstinato sub Florentinorum iugum minimè redeundi proposito, ut quamuis aliam grauissimam calamitatem mi-

nore

norem existimaturi essent. Urbis moenia fossas nullas habebant, sed erat admodum crassa, & ex lapide antiqua structura, ob calcis quæ in ea regione fit uim ita cōglutinata, ut cum magis quàm reliqui muri soliditate sua tormentorum impetum sustinerent, ijs qui defendebant priusquam diruerentur, multum ad prouidendum spacij præberent: & tamen Florentini Paulo Vitellio, & Ranutio Marciano idem suadentibus, & eius quindecim dierum spacio capiendæ spem facientibus, eam oppugnare statuerunt: quare decem peditum millibus, multisq; equitibus collectis, & ex ducis præscripto, multis apparatus factis, ipse ultima Iulij, non quem admodum multis monebatur, & ut Florentini instabant, ab ea Arni parte, qua Lucensium auxilia impediri poterant, sed ab altera fluuij parte, contra Stampacium propugnaculum, siue quòd eo propugnaculo occupato, uictoriam faciliorem reddi arbitraretur, siue ad maiorem cōmeatus, qui ex castellis in collibus sitis ferebatur oportunitatem, siue quòd Pisanos illum nunquam ad eam partem accessurum ratus, nullum propugnaculum, quem admodum ab alia parte edificare cœpisse comperisset, exercitum admouit. Stampacium igitur cum moenibus longissimo ad dextram & sinistram tractu, hoc est à D. Antonio ad Stampacium, & inde ad Portam quæ maritima dicitur, propter Arni ripam positam usq; uiginti maioribus tormentis uerberari cœptum est: Pisani uero cōtrà, assiduis dierum ac noctium absq; intermissione laboribus, mulieribus etiam huic operi pertinacia et animo, minimè uiris inferiori incumbentibus, paucissimorum dierum spacio intra murum qui uerberabatur, aggerem, magnitudine & altitudine insignem, & pro-

fundissimam fossam, multorum in ipso opere, ex tormētorum uel directis uel repercussis ictibus, uulneribus ac cæde minimè territi crexere: quæ pestis, pariter & in castris milites, ab urbanis tormentis, & præcipuè uno quem passauolantē uocitant, in Martiana turri colloco ita percutiebat, ut totis castris uel terram quo se tegerent extollere, uel in fossis delitescere cogerentur. Res plures dies hac ratione processerunt: & quamuis à D. Antonio ad Stampaciū bona pars muri esset diruta, & propugnaculum eò redactū, ut Vitellius id absq; magna difficultate capi posse speraret, tamen ut uictoriam sibi faciliorem compararet, à Stampacio ad maritimam usq; portam uerberando perseuerabat, leuioribus interea crebro inter percussum murū & aggerē tanto spacio, ut Stampacium totum extra aggerem relinqueretur à mœnibus distantem, prælijs commissis, in quorum uno Ranutius sclopetti glæde uulneratus fuit: ducis consilium erat, Stampacio occupato, in eo, & in uerberato muro tormenta collocare, quibus cum tota ea pars quam Pisani tuebātur, à latere peteretur, penè certam uictoriam sperabat: eodemq; tempore muri partem inter Stampacium & aggerem interiectam, quæ prius scalpris excisa, ligneis fulcris sustinebatur, aggerem uersus, ut fossa repleta ascensus militibus facilior esset, deijcere. At Pisani qui in defensione Gurlimi consilia sequebantur, Sanctantoniū uersus, nonnullas casas quas mattas, hoc est insanas appellant, in fossa, quibus hostes si fortè descenderent, ab ea replenda prohiberent fecerant, & in munitionibus multa tormenta ibidē collocarant: & ut si res in angustum deueniret, propria corpora hostibus obijcerent, pedites pro aggerē esse iusserant.

rant. Tandem Paulus Vitellius, decimo obsidionis die, cum Stampacij expugnationē ulterius differre nollet, manē sub auroram oppugnatione incepta, et si milites ab arcis, quam ueterem Citadellam uocant, tormentis laderentur, celerius faciliusq; quam sperauerat, eo positus est: idq; tanto cum Pisanorum terrore, ut munitionibus desertis tota urbe in fugam conijcerentur: et multi, atque inter eos Petrus Gambacurta nobilis ciuis cum quadraginta hyppotoxotis, qui sub illo militabāt, Pisus aufugerent: et nisi magistratus ad portas obstitifissent, longē plures aufugissent: manifestissimumq; est, si ulterius progressi essent, eo die summa cum imperatoris gloria uictoria potituros fuisse, cui is dies, qui ipsius calamitatū origo fuit, felicissimus extitisset: is enim in sperata occasione quæ offerebatur, ut ipse postea excusabat, minimē cognita, cum nec oppugnationem omnibus copijs eo die adoriri, nec aliud quā turrim illā occupare constituisset, non modō milites ad aggerem, ubi obstaculum nullum reperissent, inuadendum nō misit, sed maximam peditum partem, qui Stampacij occupatione audita, urbis diripiēdæ cupidi tumultuosē ut eam ingrederentur accurrebant, reuocauit. interea uerō Pisani, hostes uictoriam minimē sequi, fama per urbē uolutante, miserabilibus mulierum ad mortem potius optendam, quā sub Florentinorum iugo uitam conseruandam hortantiū fletibus clamoribusq; concitati, ad munitionū custodiā redire cœperunt: quō reuersus Gurlinus, atq; ex Stāpacij turri quæ in urbē spectat, uia quæ ad maritimā portā quā antea terra et lignis obstruxerāt, et castra uersus, sed nō ab altera parte, qua Stāpacium spectat muniēāt, tenderet, esse animaduertēs, sta-

tim id latus muniri ac repleri curauit, tumulo aggestâ
 terra extracto, tormētis quæ latus uerberabāt, ingressū
 ab ea parte impediēbat. Paulus Stāpacio occupato, ali-
 quot minora tormēta, quos falconettos & passauolātes
 uocant, eò attolli curauit, quæ per totā urbē iaculaban-
 tur, sed munitiones non lædebant: quæ & si ab infra po-
 sitis tormentis peterentur, non tamen à Pisanis desere-
 bantur: eodemq; tempore casa Antonij sanum uersus,
 & maritima porta cum munitionibus impetebantur:
 nec Paulus Vitellius ut fossam lignorum fasciculis, quo
 aggeris expugnatio facilior redderetur, repletet cona-
 ri desinebat: contra quæ Pisani, ad quorum auxilium
 proxima nocte trecenti pedites Luca missi erāt, animo
 aucti, artificiosos ignes in fossam proijciebant, & cum
 summo studio, ut hostes ad Stampaciam turrinam deserē-
 dam cogerent niterentur, ingens tormentum, Busa-
 lum nuncupatum eò direxerunt: quo paucis ictibus, ut
 tormenta in edito posita remouerentur effecerunt: in
 quo, & si Paulus aliquot tormenta, quorum ictibus an-
 terior eius pars fracta fuit direxisset, tamen à iaculādo
 minimè desistens, pluribus diebus turrinam ita lacerauit,
 ut Paulus tandem tormenta inde abducere, eamq; dese-
 rere coactus sit: nec succisus murus alium habuit euen-
 tum, quoniam cum cum Pisani ab interiori parte, ut in
 fossam caderet pariter suffulcissent, quum Paulus eum
 deijcere uellet, immotus stetit. Hic euentus ducem uicto-
 riæ tandem adipiscendæ spe minimè deiecit: quam cum
 morem suum secutus, tutissimam & quamminimo exer-
 citus detrimento quæreret, quāuis pluribus locis iam su-
 pra quingentas muri ulnas diruisset, maiore tamē rui-
 na edenda, urbis fossis replendis, & Stampacio propu-
 lgnat-

gnaculo, ut iterum tormenta quibus magnos à Pisanis extructos aggeres à latere uerberare posset, ibi collocaret, muniendo sedulò incumberebat, omniq; peritia & arte sua semper tutiorem ad eam quam totis castris & uiribus moliebatur oppugnationem, uiam munire nitebatur: quam & si res eò perduxisset, ut quotiescunq; fieret uictoriam ualde speraret, & Florentini legati, quibus quælibet minima cunctatio erat molestissima, còtinuis Florentia literis ac nuncijs incitati, ut accelerando impedimenta quæ singulis horis oriri possent auerteret assidue urgerent, tamen quo magis & magis exercitus incommoda minuerebatur, certiorq; esset uictoria, libenter differebat: quod Pauli consilium fortè prudentius, & magis ex militari disciplina contrariam habuit fortunam. nam cum pisanus ager inter proximam maritimam oram & urbem, stagnis paludibusq; plenus ea anni tempestate, & præsertim in ea parte ubi castra habebat, pestiferis uentis sit obnoxius, biduo innumere ægritudines exercitum inuaserunt: quibus cum Paulus oppugnationem adoriri uoluit, quod fuit xxiiij Augusti, tantum militum numerum inutilem factum animaduertit, ut qui bona erant ualetudine nõ satis multi esset: quod incommodum quamuis Florentini & ipse morbo ut reliqui oppressus, nouis militibus conscribendis sarcire conarentur, tamen aeris intemperies adeo superabat, ut diminutio quotidie supplemento maior esset: quare ad extremum, uictoriæ consequendæ spe deiectus, aliquam etiam cladem ueritus, Florentinis qui ut idoneo in Stampacij propugnaculo præsidio posito, cum exercitu prope Pisas moraretur cupiebant, uehementer repugnantibus, exercitum retrahere statuit: ac quòd Stam-

pacia turris primùm ipsius, deinde Pisanorum tormen-
 tis uehementer concussa, defendi non posset, illorum uo-
 tis minimè acquieuit: ea igitur deserta, quarto Septem-
 bris die omnes copias ad maritimam oram perduxit: et
 quia itinera imbris inundata erant, tormenta curri-
 bus Cascinam uehi posse diffusus, ad Arni ostiũ ut Ligur-
 num ueherentur nauibus imposuit: & fortuna se omni-
 bus in rebus aduersa præbete, illorũ pars submersa est:
 quæ non multo post in Pisanorũ, à quibus eodẽ tempo-
 re turris quæ ad ostij custodiã posita est, capta fuit, ma-
 nus peruenierunt: qui casus à populo Florentino iã de
 Paulo sinistram conceptam opinionem ita auxerunt, ut
 intra paucos dies copiarum in hyberna distributione
 constituendæ specie, ab legatis Cascinam uocatus, supre-
 mi urbis magistratus imperio ab illis captus, indeq; Flo-
 rentiam missus, & eadem nocte qua eò perductus est,
 quæstionibus acerbè uexatus, sequenti die eiusdẽ magi-
 stratus iussu securi percussus fuerit: parũ absuit quin u-
 nã cum ipso & frater ipsius ad quẽ legati eodem momẽ-
 to qui eum caperent miserant, in eandem calamitatem
 incidit: sed Vitellocius, ita ut erat, morbo circa Pisas
 contracto æger, dũ imperio se parere uelle fingens stra-
 to egreditur, dum se induendo tempus interponit, ali-
 quot suorum qui accurrerunt ope equo conscenso, Pisas
 se, ubi summa cũ leticia acceptus est, cõtulit. Præcipua
 Pauli damnationis capita hæc fuerunt, quo minus Pisa
 quo die Stampacium propugnaculum captum fuit ca-
 perentur, ipsius factum esse uoluntate: eadẽ de causa ip-
 sorum oppugnationẽ tam diu distulisse, sæpius Pisanos
 homines ad se missos, illorũ legationibus nunq̃ cum le-
 gatis cõmunicatis audiuisse: contra publicũ imperium
 exer-

exercitum remouisse, Stampaciumq; deseruisse: aliquē ex alijs militū præfectis ad Cascinam, Vicopisanū, & tormenta, quo in stipendijs alijsq; cōditionibus Florentinos ut uisum esset tractare possent, secum occupanda inuitasse: in Casentino osculta cum Medicis cōsilia habuisse: eodemq; tēpore cum Venetis egisse ac penē conuenisse: quāuis ut illis statim sacramenti sui cū Florentinis tempore exacto, cuius iam propē finis aderat militare inciperet, quod eam ob causam perfectum non fuit, quia Veneti pace cum Florentinis inita; illum neglexerant: his de causis Urbini ducem, & Iulianum Medicē cum publica fide dimisisse: quibus de rebus interrogatus, nihil quod illi obesse posset confessus est: & tamen ne Gallie rex qui iam Mediolanum uenerat, ipsum sibi condonari peteret ueriti, supplicium accelerarunt: diutius interrogatus non fuit: nec quisquam ex ipsius ministris, qui post eius necem commodius in questionem uocati sunt, aliud extorquere potuerunt, quā illi ob Ranutio ad æmulationē ipsius concessam auctoritatem, ob necessariarum rerū quas petebat ministrandarum, interdum etiā difficultatem, nec nō ab ea quæ uulgō Florentiæ in ipsius ignominiam iactabatur, cū haud parum in Florentinos fuisse cōmotum. Itaq; & si apud aliquos, illum quasi ad Pisarum principatum, & ad aliam quam florentini imperij, in quo multos conscios & amicos fouebat, partem occupandam aspiraret, non sincerē se gessisse, opinio resideret: tamē in maxima parte cōtraria fuit opinio, qui sibi persuaderēt illū gloriæ, quæ belli ducū præcipuus scopus est, quā ea re gesta maximā adipisceretur, causa Pisarū expugnationis summo pere cupidū fuisse. Ad regē uerò, qui Mediola. uenerat,

præter Federicum omnes Italiae principes, aut ipsimet, aut per legatos, alij ut tantummodo uictoriam gratularentur, alij ut maioris in Ludouicum Sfortiâ, quam in ipsum propensionis crimina diluerent: alij ut res suas in posterum cum illo firmarent, concurrerant: quos omnes benignè accepit, & cum omnibus pro statuum uarietate, & pro commodorum quæ ab illis sperare poterat ratione composuit. Mantuanum marchionem in clientelam suam recepit: eumq; centum cataphractis præfecit, & D. Michaelis equestri ordine, honestoq; stipendio donauit. Ferrariensium uerò duce(m nam & is & Mantuanus ad eum iuerat) quia ex eo tempore quæ Genuæ arcem Ludouico Sfortiæ tradiderat, semper à rebus Gallicis animo alieno habitus fuerat, non sine sumptu & difficultate in clientelam admisit. Admisit etiam (accepta tamen ab illo pecunia) Ioânem Bentiuolum, qui Annibalem filiû miserat: sed maiore sumptu ac difficultate Florêtinorum res, quibus penè tota aula, illorum meritis, & ijs quæ gallicæ amicitie causa superioris regis tempore passi erant obliuioni traditis, & illorum rationibus, quòd ne Ludouicum Sfortiam in pisanis rebus in se prouocarent, nullius partis esse coacti fuissent minimè probatis, insensa erat, compositæ sunt: in Gallorum namq; pectoribus, opinio eo tempore, quo Carolus rex Pisanis libertatem concesserat concepta, adhuc uigebat: & in præfectis ac militaribus uiris, Pisanos in armis acres esse fama ubiq; peruagata, propensionem erga ipsos auxerat. Oberat præterea Florentinis Io. Iacobi Triultij autoritas, qui cum Pisanum imperiû affectaret, illorû causæ fauebat: illi uerò uel ipsum, uel quemuis alium, qui se à Florentinis tueri posset, li-

ben-

bentissime dominum accepissent: ob Pauli quoq; Vitel-
 lij necem, quasi tantum belli ducem, cui Gallia quòd dicitur
 in regno neapolitano Caroli stipendijs militarent, fra-
 ter eius interfectus, & ipse captus fuisset, deberet, sine
 caussa obtruncassent, à tota aula lacerabantur: sed tan-
 dem alijs rebus in regis animo propriæ utilitatis ratio-
 ne superatis, foedus ictum est, quo rex illos sexcentis ca-
 taphractis, & quatuor peditum millib. aduersus quæ-
 uis iuuandos suscepit: & Florentini uicissim ad illius in
 Italia regna tuenda, quadringentos grauis armaturæ
 equites, & tria peditum millia promiserunt: rex uerò
 quotiescunq; petiissent, tot cataphractos ac tormenta,
 quot ad Pisas & oppida à Senensibus & Lucensib. oc-
 cupata (excipiebat enim rex ea quæ Genuenses posside-
 rent) recuperanda opus essent, illis suppeditare teneret-
 tur: quòd si hæc copiæ non antè ab illo peterentur, quum
 exercitum ad neapolitanum bellum missurus esset, totum
 uel partem ad hoc bellum conficiendum conuerteret: ipsi
 uerò Pisis receptis, quingentos grauis armaturæ equi-
 tes ad neapolitanum bellum, & quingenta auri pondo
 quinq; Heluetiorum millibus in tres menses conducen-
 dis penderent, trecentas & sexaginta auri libras, quæ
 à Ludouico Sfortia mutuo acceperat, ex Io. Iacobi Tri-
 ultij sententia, ijs quæ pro ipso soluerant uel insumpse-
 rant detractis, restituerent: Romanæ urbis præfectum
 Hostiensis cardinalis fratrem, in cuius gratiam hoc po-
 stulatum fuit, omnibus copijs suis præficerent. Pontifi-
 cis ambitio in tanta oportunitate minimè dormitabat,
 quo promissorum obseruationem urgente, rex Valen-
 tino duci, qui iam secum ex Gallia uenerat trecentos ca-
 phractos sub Iuone Alegrio proprijs sumptib. & qua-

tuor Heluetiorum millia sub Diuionensi præfecto pontificijs stipendijs, contra Aemiliæ Flaminiæq; uicarios concessit. Aemiliæ Flaminiæq; urbes, ut & aliæ pontificio imperio subiectæ, uarijs casibus uexatæ, iam multos annos reipsa ferè tanquã à pontificũ imperio disiunctæ suas res agebant: quoniam nõnulli uicarij supremo domino tributum non pendebant: alij difficulter & sæpe extra tempus, omnes autem æquè absq; Pontificum uenia, nulla aduersus pontificium imperium militandi exceptione interposita, sui etiam contra Pontificum auctoritatem armaq; defendendi stipulatione ab illis accepta, aliorum principum stipendia sequebantur: à quibus ut illorum armis & oportunitate locorum uti possent, nec non, ut Pontificum potentie incrementum impedi-
rent, cupidè admittebãtur. Hoc autem tempore Rauenna & Cæruia in Aemilia à Venetis possidebantur: quibus ante multos annos Polentanae familiae homines, qui cum præmium priuati Rauennæ essent ciues, patriæ suæ tyranni, deinde Vicarij facti fuerant, priuauerant: Fauentia, Forumliuij, Imola & Ariminum, singula suis uicarijs parebant: Cæsena diu à Malatestiorũ familia possessa, non multos annos antè Dominico, postremo eius urbis uicario sine liberis defuncto, sub Pontificum imperium redierat. Idcirco Pontifex illas urbes uarijs de causis ad Pontificatum deuolutas, seq; eas in pristina iura restituere uelle asserens, re autem uera, ut Cæsari filio subijceret, cum Gallia rege, ut Insubria imperio occupato, sibi ad eas tantum quæ à Vicarijs possiderètur, & præterea Pisaurum, in qua urbe Ioannes Sfortia olim gener ipsius erat uicarius, capiendas, auxilium dærei conuenerat: neq; enim Venetorũ magnitudo, hæc cõ
filiis

filia ad ipsos extēdi patiebatur: quæ ne ad parua quidē
 illa oppidula quæ Pado flumini adiacent, in Ferrariē-
 sium ducis potestate posita tunc spectabant. Valentinus
 igitur copijs ab rege acceptis, ijsq; pontificijs militibus
 additis, Aemiliam ingressus, statim sub anni 1499 finē
 Imolam deditione cepit: quo anno Italia tot motibus cō-
 cussa, turcica quoq; arma senserat. nam cū Baisettus Os-
 tomannus ingenti classe, mari loca quæ Veneti in Græ-
 cia possidebant inuasisset, sex equitum millia terrestri
 itinere ad Forijulij regionem uastandā misit: quā absq;
 præsidio, utpote nihil tale metuentem inuentam, præ-
 das agendo & incendendo ad Lipientiam amnem usq;
 excurrerunt: & innumeris mortalibus captis, quum in
 regressu ad Tiliauenti ripam peruenissent, ut in itinere
 expeditiores essent, ea parte quam secum ducere posse
 existimarunt conseruata, reliquos omnes crudelissimē
 trucidarunt: & rebus in Græcia quoq; parum prospe-
 rē succedentibus, Antonius Grimanus uenetæ classis,
 quam turcicæ opposuerunt præfectus, quod hostes, cum
 ab Sapientie portu egredierentur, & iterum ad Lepan-
 ti sinus fauces, uincendi occasione usus non esset, accu-
 satus, successore ei dato Senatusconsulto Venetias est re-
 uocatus: causaq; Senatui Rogatorum permissa, in quo
 multos menses summa expectatione, hinc illius autori-
 tate & amplitudine defendēte, illinc accusatoribus mul-
 tis argumentis ac testibus persequentibus acta est: tan-
 dem quum siue uiri autoritate & propinquorum mul-
 titudine, siue quod in eo Senatu, cui multi prudentes ui-
 ri intersunt, non tam publici rumores, & nō satis pro-
 bate calumnie ponderarentur, quàm maturo iudicio
 rei ueritas indagaretur, fuit hæc causa per tribunos

plebis quos Communis Aduocatores appellant, ad maiorum comitorum iudicium deducta, ubi uel gratia cessante, uel multitudinis leuitate senatoriam grauitatem superante, non tamen ante sequentis anni finem perpetuo exilio in Ossarum insulam relegatus fuit. Tantos motus habuit annus 1499: sed non minus uarius, & memorabilis fuit annus 1500, etiam anno seculari, quem Iubilæum uocant, nobilis: quæ res initio à Pontificibus Moſæ legis exemplo centesimo quoque anno, non ad delectationem uel pompam, ut apud Romanos seculares ludi erant, sed ad animorum salutem instituta: eo enim anno pia Christiani populi persuasione peccata sua ex animo detestantur, ac Romæ Apostolorum principibus dicata templa atque delubra adeunt, omnia delicta aboleri arbitrantur: deinde ut quinquagesimo quoque anno celebraretur constitutum fuit: ac tandem ad uigesimum quintum redactum: tamen ob primæ originis memoriâ centesimo anno frequetia longè maiore, quàm alijs temporibus celebratur. Huius anni initio Valentinus sine impedimento Foroliuensi urbe potitus est: quoniâ Domina illa liberis cum preciosiore supellectile Florentiam missis, ceteris rebus quæ tueri non poterat desertis, ad citadellam tantum & arcem Foriliuij, uiris ac tormentis abundè instructas defendendas se contulit: itaque citadellam ingressa, uirili ferocique animo fœmina multa cura sua gloria eius defensionem procurabat: Valentinus autem frustra illam ad deditiōem flectere conatus, magno tormentorum numero citadellæ muro uerberare cœpto, magnam eius partem deiecit: quam aggesta terra sequuta, fossam magna ex parte repleuit, hostibusque facilem ascensum reddidit. Quare propugnatores animo fracti

fracti, ea deserta, in arcē se recipere tentarunt, quò domina prius illos omni ratione ad defensionem sistere conata, se contulit: factòq; in ingressu à trepidantibus tumultu & perturbatione, à Valentini militibus oppressi penè omnes cæsi sunt, qui illis permixti, eodem impetu arcem ingressi occuparunt, omnesq; defensores, paucis quibusdam ex principibus qui se unà cū hera in turrim quandam receperant, quiq; cum ea capti sunt exceptis trucidarunt: & Valentinus maiore in illa fortitudinis quàm sexus habita ratione, captiuam Romam misit: ubi in Angelica arce custodita fuit, quamuis nō multo post in Iuonis Alegrij gratiam libertate sit donata. Valentinus Imola & Foroliuij captis, nisi nouis repentinisq; casibus impeditus fuisset, ad reliquarum ciuitatum oppugnationem progressus esset. Rex etenim, partis rebus in eum ordinem qui oportunius uideretur redactis, idoneo præsidio relicto, inducijsq; cū Rom. rege, Insubriæ quoq; imperio, & ijs omnibus quæ in Italia possideret inclusis, ad proximum Maium usq; prorogatis, in Galliam redijt: quo paruulum Io. Galeatij filiū, à matre illi imprudenter traditum duxit: & religiose uitæ, quã monasticam uocant, dicauit: & Io. Iacobum Triultium, cui ob uirtutem & merita, ac Ludouici Sfortiæ odium plurimum tribuebat, toti Insubriæ præfecit: eius autē imperij populi, tum quòd multis Gallorū mores studiaq; displicerent, tum etiam quòd in rege nō eam liberalitatē inuenissent, nec omnium uestigalium, quemadmodum multitudo sibi imprudenter persuaserat, immunitatem essent adepti, minimè in fide permāserunt: multū quoq; intererat, quòd Gibellinæ factioni Mediolani & in alijs urbibus potentissimæ Io. Iacobum Guelfæ factionis

principem administrationi præesse, ualde molestum erat, qui morbus ab illo qui natura factiosus, animoq; elato & inquieto, magistratus autoritate multo plus q̄ deceret suæ factionis hominibus faueret, uehementer augebatur: plebis præterea animos, aliquot lanijs, qui cum ceterorum plebeiiorū temeritate, uectigalia à quibus immunes non erant persoluere recusantes, exactoribus armis se opponebant, in macelli foro propria manu cæsis, magnoperè à se alienauit: quas ob causas à maiori nobilitatis parte, totaq; plebe suapte natura rerum nouarū cupiissimè Ludouici reditus optabatur: iamq; uerbis uocibusq; minimè occultis eius nomen implorabatur: qui unà cum Cardinale Ascanio ad Cæsare profectus, & magna humanitate uisi acceptiq; optimum in illo animum, & maximo ob ipsorum calamitates dolore affectum inuenerant: quin etiam frequenter magnis uiribus ad imperium ipsis recuperandū ipsemet se profecturum promittebat: iam enim penitus bello Heluetio finem imposuerat: hæc uerò spes ob eius naturæ uarietatem, & quòd malè innixa consilia sua inuicè permiscere consueisset, indies leuiores apparebant: quin & consueta egestate pressus, sepe pecunias ab illo petere non desinebat. Quare Ludouicus & Ascanius, illius auxiliorum spe deiecti, perpetuoq; à multis Mediolanensibus nobilibus incitati, octo Heluetiorum millibus, & quingentis Burgundionibus grauis armaturæ equitibus conscriptis, per se ipsi rem aggredi statuerunt: quo motu percepto Triuittius statim à senatu ueneto ut copias suas Abdus admouerent petijt: & Iuoni Alegrio, ut Valentino relicto, cum Gallis cataphractis, ac Heluetijs summa celeritate Mediolanum rediret significauit:

atq;

atque ut primum hostium impetum reprimeret, copiarum partem Mediolanensis populi metu, omnes vires eo conuerti minimè permittente, Comum misit. Sed Sfortianorum fratrum celeritas, omnem aliorum diligentiam superauit: quippe non omnibus copijs quas cōscripserant expectatis, sed sequi iussis, summa celeritate montes superarunt: & nauibus quæ in Lario lacu erant conscensis, Como appropinquarunt: quæ ciuitas Gallis ob ciuium animos perspectos, abeuntibus, statim eos accepit. Comi amissio Mediolani nunciata, ita populi ac penè omnium Gibellinæ factionis principum animos erexit, ut iam à tumultu minimè abstinerent: adeo ut Triultius, quum regijs rebus nullam salutem superesse cerneret, repentiè in arcem se receperit, & sequenti nocte unà cum cataphractis, qui in septum arci contiguum se receperant, populis in discessu tumultuosè ad Ticinum usque persequentibus, Nouariã uersus contenderit: & quadringentis cataphractis Nouariæ relictis, ipse & reliqui duces magis de Mediolano, si noua auxilia ex Gallia uenirent, recipiendo, quàm de propugnâdo cogitantes, ad Mortariam castra locauit. Post Gallorum discessum primùm cardinalis Aseanius, deinde Ludouicus Mediolanũ ingressi sunt, quã urbem arce excepta, eadẽ facilitate qua amiserãt recuperarũt: maiusq; populi Mediolani, in eorũ reditu desiderium & læticia, quã in discessu, perspecta sunt, quod studium cum in reliquis populis quoq; esset, Papienses & Parmenses absq; mora ad Ludouici fidẽ redierũt: & Laudapõpeia atq; Placẽtia, nisi uenetæ copiar, quæ prius ad Abduã erãt, statim ingressæ essẽt, idẽ fecissẽt. Alexãdrini et penè omnes Trãspadani, quòd Mediolano longius abessẽt,

Et Astæ regie ciuitati propinquoꝛes, ex rerũ progres-
 su maturius consilium expectaturi, nullam mutationẽ
 fecerũt. Ludouicus Mediolano recuperato, sine ulla cũ-
 ctatione magnum Italoꝝ peditum numerũ, et quot-
 quot grauis armaturæ equites posset conscribere, eosq̃
 omnes à quibus in tanta necessitate auxilia sperabat,
 precibus, promissis, et uaria spe impellere. Ideo Seue-
 rinatem cardinalem, qui prosperum initium significa-
 ret, et ut milites ac tormenta mitteret supplex rogaret
 ad Cæsarem misit: cumq̃ uenetum senatum minimẽ ini-
 micum habere cuperet, ab Ascanio Cardinali Cremonensem Antistitẽ, qui fratris ad quasq̃ leges optare
 possent accipiendas, promptam uoluntatẽ offerret, sta-
 tim Venetias mitti curauit: sed frustra, quia senatus à re-
 gio fœdere discedere minimẽ statuit. Genuenses quãuis
 ab Ludouico uehementer rogati, sub eius imperium re-
 dire recusarunt: nec Florentini pecuniæ ab ipso mutuo
 acceptæ petitionem audire uoluerũt: solus Mantuanus
 fratrem cum aliquot grauis armaturæ equitibus illi au-
 xilio misit: cum quo Mirandulæ, Carpij, et Corregij re-
 guli concurrerunt, et Senenses exiguam pecuniæ sum-
 mam miserunt, subsidia in tantis periculis penẽ contem-
 nenda, quemadmodum etiam parui momenti fuerunt
 Philippi Rosij, et Vermineoꝝ auxilia: quorum pa-
 tres, etsi ab illo ueterib. suis bonis spoliati fuissent, Rosij
 Sansecundo, Torciaria, et multis alijs Parmensis a-
 gri castellis: Verminei, Bobiensi ciuitate, alijsq̃ in Pla-
 centiæ montanis circumiectis locis: nihilominus Philip-
 pus à Venetorũ stipendijs sane uenia discessit, et ad op-
 pida sua recuperanda contendit: ijsq̃ in suam potestatẽ
 redactis, Ludouici se exercitui coniunxit: idem et Ver-
 minei

minei fecerunt, utriq; ut hac occasione illius beneuolentiam captarent. Ludouicus autem collectis, præter Burgundiones, mille quingentis grauis armaturæ equitibus & plurimis Italis peditibus Heluetijs adiunctis, Ascario cardinale ad arcis obsidionem relicto, Ticino amne traiecto, Vigeuenoq; oppido cum arce deditioe capto ad Nouariam castra posuit : hoc potius quàm Mortariæ oppugnationem, uel quia Galli Mortariæ se præclare munierant: uel quòd Nouariæ celebris atq; abundantis urbis expugnationem magis ad belli summam & existimationem pertinere arbitraretur: uel ut Nouaria capta, commeatus inopia Gallos Mortariam deserere cogeret: uel ut Iuonem Alegrium ex Aemilia reuersum Nouariam uenire prohiberet, aggressus: Iuo enim dum cum Valentino duce ad Pisauri oppugnationem contenderet, acceptis à Triultio nuncijs, statim cum omni equitatu & Heluetiorum cohortibus regressus, Mediolanensium prope Parmam defectione audita, iter summa uelocitate sequutus, cum Parmensibus & Placētinis illos modò ne itinere prohiberent, se non lesurum pactus, Dertonam perueniēs, ac eius ciuitatis Guelfis, Gibellinos qui sub Ludouici imperium reuersi ipsos expulerant, ulciscendi cupiditate ardentibus incitatus, ciuitatem ingressus, Guelfis frustra querentibus, quòd fidißimi regis serui non secus ac perfidi hostes tractarentur fidem implorantibus, totam diripuit. Dertona Alexandriam profectus, ibi consedit: quia Heluetij qui cum illo uenerant, siue quòd stipendia nõ darentur, siue alia re impulsī, in Mediolanensium ducis exercitum transierant: qui cum se hostes militum copijs superare conspiceret, summo studio Nouariam tormētis uerberare ac-

celerabat, ut antequam Galli qui ab rege auxilia operiebantur, se illi acie opponere possent ea potiretur: quæ res feliciter successit: quoniam Galli qui Nouaria erant, defensionis spe amissa, incolumes cum rebus suis abeundi fide accepta, urbem dederunt: qua ille fide, et si quod illorum militum cædes magni ad uictoriã momenti esset, à multis qui si magnorum uirorũ autoritate et exemplis, imperij augendi gratia fidem uiolare liceret, multo magis conseruandi licere aiebant, ad frangendam impelleretur, constanter seruata, Vercellas usq; comitatos incolumes dimisit. Nouaria capta, ad arcem expugnandam hæsit: sed opinio fuit, si Mortariam contendisset, gallicas copias Triultio et Lignino nonnihil disidentibus, trans Padum ituras fuisse. Sed dum Ludouicus hæc sollicitè curat, nõ minor fuit regis diligentia et sollicitudo, qui Mediolanensi defectione audita, indignatione et pudore ardens, statim Tramolliam cum sexcentis cataphractis in Italiam properè ire iussit: magnũq; Heluetiorum numerum conscribi curauit: et quo maiori celeritate res necessariae compararentur, Rotomagensem Cardinalem suum in Cisalpinis rebus legatum constituit, statimq; Astam iussit conuolare: ita rebus his mira celeritate cõparatis, initio mensis Aprilis mille quingenti cataphracti, peditum Heluetiorum dena, Gallorũ sena millia, Tramollia, Triultio et Lignino ducibus in Italiam conuenere: quibus copijs ad Mortariam simul coniunctis, nõ minus dolis quàm uiribus freti Nouariæ appropinquarent: Heluetij namq; duces qui cum Ludouico erant, quamuis in Nouariæ expugnatione fidem ac uirtutem ostendissent, Heluetiorum tamen qui in Gallicis castris erant præfectorum opera clari cum illis conuen-

uene-

uenerant: q. Ludouicus nōnullis coniecturis suspicatus, quadringētos equites, & octo peditū millia qui Mediolani conscribebantur sibi adiungi urgebat: Heluctij Nouaria à ducib. incitati, quòd stipendijs constituta die pecunia nō numeraretur, tumultuari coeperunt. Dux autē ad tumultum subito accurrens, humanissimis uerbis, & huiusmodi precibus quæ minimè mediocrem misericordiam excitaret, omni etiā sua argentea supellestile illis dono data, ut donec Mediolano pecuniæ afferrētur, patienter expectarent effecit: duces uerò illorū, ne ubi duci copiae quæ Mediolani cōparabantur cōiunctæ foret, cogitata impedirentur ueriti, ut gallicus exercitus acie instructa Nouariæ mœnib. maxima urbis parte circumdata, appropinquaret, aliquotq; equitibus inter urbem & Ticinum amnē missis, duci & reliquis Mediolanum confugiendi facultatē adimerēt, effecerunt: qui semper deteriora suspicatus, cū exercitu præmissis iam leuis armaturæ equitib. & Burgundis qui pugnam inciperēt, ut cum hostibus præliū inirent, Nouaria egredi uoluit, cui ab Heluetiorum ducibus apertè repugnatum fuit: q. se absq; suorum magistratuū mādato, cum propinquis & proprijs fratribus, ceterisq; suæ gentis hominib. pugnare nefas esse dicerent: quib. paulò post, quasi eiusdē essēt exercitus permixti, q̄ primū in patriā redire uelle dixerunt: cū autē dux nec precibus, nec lacrymis, nec infinitis promissis illorū animos flectere posset, se illis ut saltē in tutū locū perducerēt uehemēter cōmēdauit: sed q̄a Gallis ducib. illo secū nō abducto se discessuros receperāt, illius petitiōe reiecta, heluctij peditis amictu sui si nō agnosceretur, seruādi gratia fortunā tētaturus se ipsis misceret cōcesserūt: quæ cōditio ab ipso in extrema

necessitate cōstituto accepta, ad eius salutem irrita fuit
 quoniam illis ordine per gallicū exercitum incedentib.
 siue eorum quibus hæc cura mandata erat diligenti in-
 uestigatione, siue à quibusdā proditus, dum agmini per-
 mixtus Heluctio more uestitus & armatus pedes ince-
 deret, cognitus, & statim captus fuit: usq; adeo miseran-
 do spectaculo, ut uel hostib. ipsis lacrymas expresserit:
 fuerūt præter ipsum capti Galeatius Sansseuerinas, Fra-
 cassa & Antonius maria fratres, Heluctijs eodē uestitu
 permixti: & Itali milites pars Nouariā, pars Ticinum
 uersus fugientes spoliati & capti, quia Galli, ne gentes
 illas irritarent, Burgundiones equites & Germanos pe-
 dites incolumes abire permiserūt. Duce capto, & exer-
 citu dissipato, cū nihil iam obstaret, omniaq; terroris et
 fugæ plena essent, Ascanius cardinalis, qui iam copias
 Mediolani cōparatas ad exercitū ire iusserat, tanta ca-
 lamitate audita, repente Mediolano ut se in tutum locū
 conferret, multis ex Gibellina nobilitate, qui Ludouici
 partes immoderatè professi, de uenia à Gallis impetran-
 da desperabant, sequentibus discessit: sed quia in duorū
 fratrum calamitate, cum aduersa fortuna fraudem im-
 misceri in fatis erat, proxima nocte, ut se aliquantisper
 à labore itineris celeritate suscepto recrearet, ad Riuol-
 tam in Placentino agro Conradi Landi, eius urbis pa-
 tricij, ipsi affinitate & longa necessitudine coniuncti ca-
 stellum moratus est: qui mutato cum fortuna animo, Ca-
 rolo Ursino, & Sonzino Benzonio Venetorum ducib.
 statim Placentia accersitis, illum atq; unā Hermetē Sfor-
 tiam Io. Galeacij defuncti ducis fratrem, & nobiliū qui
 cum eo uenerāt partem tradidit: reliqui nobiles utiliori
 cōsilio, cū ibi pernoctare noluisent, ulterius progressi
 erant.

erant. Ascanius statim captiuus Venetias perductus est: sed rex illum in sua potestate habere, quāti ad Insubriæ imperij securitatem interesset animaduertens, absq; mora illum à senatu Veneto, additis, etiā ubi cunctari animaduertit minis attestationibusq; sibi tradi, quòd in suæ ditionis loco captus esset, ad se spectare affirmās, postulauit: quæ petitio quamuis admodum acerba, & ueneto nomine minimè digna uideretur, tamen ad illius armorum furorem uitandū ei traditus est: & unā omnes Mediolanenses qui cum illo capti fuerant: quinetiā Baptistam Vicecomitē, aliosq; nobiles qui eandē ob causam Mediolano aufugerant, & publica securitatis fide, Gallicis etiā in ea nominatim expressis accepta, in Giarada de oppidis manserāt, eodē metu in regis potestātē tradere coacti sunt: tanto plus gallicorū armorum timor, quā reip. dignitatis ratio, hoc tēpore in ueneto senatu potuit. Mediolanēs autē omni spe deiecti, statim legatos ad ueniam apud Rotomagensē Card. deprecandam miserunt: qui illos clementer cōplexus est, & regis nomine rebellionis crimen remisit: ita tamen ut illi tria millia auri pondo persoluerent, cuius pecuniæ deinde rex maximā partē eis condonauit: eodemq; exēplo Rotomagensis ceteris urbib. quæ defecerāt ignouit: & singularū status & facultatū habita ratione pecunia multauit. Sic bello feliciter confecto, copijsq; dimissis, quatuor Heluetiarum ciuitatum, quæ Bellizonæ oppido in montibus posito propinquiores sunt, milites in patriā redeuntes, id oppidum auidē occuparunt: quē locū rex ab initio parua pecuniæ summa ab illis redimere potuisset: sed quemadmodū sepe sua natura, ut exiguæ pecuniæ parceret, rerū magnarū occasiones amittebat, recu-

fuit: secuta pòst sunt tempora & occasiones, quib. sæpe & libenter magna ui auri id ab ipsis redemisset: est enim locus ad Heluetios in Insubriã descensu prohibendus ualde oportunus. Ludouicus Sfortia Lugdunũ, ubi tunc erat rex, perductus fuit, & in urbẽ meridie introductus, infinita multitudine, ad tãtã paulò antè amplitudinis et maieſtatis principẽ, cui multi inuiderèt, quiq; nunc in tantam miseriam corruisset, uisendũ accurrète: unde ut ad regis conspectũ quemadmodũ summopere cupiebat, admitteretur, minimè consecutus, post biduũ in Locensem turrim ductus est, in qua circiter decẽ annos, quib. uitam terminauit, illius cogitationibus & ambitione, quæ antè uix totius Italiæ terminis cõtinebantur, angusto carcere inclusis, captiuus fuit. Princeps profectò eloquentia, ingenio, multisq; animi & nature ornãmētis excellētissimus, ac nisi nepotis necis infamia hanc laudem maculasset, mansueti & clementis nomine dignus: sed uicissim ingenio uanius, & inquietis ambitionisq; cõsilijs plenus, et promissorũ fideiq; contẽptor, quiq; tantũ suæ ipsius sapientiæ tribueret, ut aliorũ prudentiã & consilia celebrari molestissimè ferens, sua industria & artibus cuiusuis mentẽ quò uellet impellere posse sibi persuaderet. Secutus est illum non multo pòst Ascanius Cardinalis, qui maiore humanitate & honore acceptus, & ab Rotomagensi cardinali benignè salutatatus, honestiore in custodia habitus est, nimirum in Biturigum turri: in qua idem rex, à quo nunc captiuus tenebatur, bienniũ inclusus fuerat: ea est humanæ sortis uarietas ac miseria, usq; adeo omnibus incertum, quæ sit in pòsterum futura sua cuiusq; conditio.

QUARTI LIBRI FINIS.

FRAN-

FRANCISCI GUIC-
CIARDINI HISTORIA.
RVM SVI TEMPORIS
LIBER QVINTVS.

C. S. C. interprete.

Pisani belli continuatio, eiusq; successus: Fa-
uentia à Valentino obsessa: Hispaniæ & Galliæ
regum in regno neapolitano bella: qua ratione
Plumbini dominatus à Borgia fuerit occupa-
tus: Magni Consalvi in regno neapolitano res
præclare gestæ: inter Hispanos & Gallos discor-
diarum origo: Aretinorum à Florentinis defe-
ctio: multorum principum in Valentinum con-
iuratio, eorumq; mors: Gallorum ad Terrâno-
uam clades: tredecim Gallorum & totidem Ita-
lorum certamen: pax inter Hispaniæ & Galliæ
reges à Consaluo reiecta: ad Semenariam vna,
altera item ad Ciriniolam pugna.



TANTA, tamq; felici Insubriæ victo-
ria, Galliæ regis ambitio & audacia i-
ta creuerat, ut nisi cum Germanorum
motuum timor repressisset, facile eadē
estate regnum neapolitanū inuasurus
fuerit: nam etsi antè de mediolanensi quoq; imperio à
Maximiliano Cesare inducias impetrasset, tamen cum
postea rex ille, quantum imperij maiestas, tanti regni
alienatione minueretur, quantaq; ignominia, ad se qui
penè sub patrocinio suo, & spe data, tanta pecuniæ ui

accepta, Ludouicum Sfortiam priuari passus esset, inde perueniret, diligentius perpendisset, Gallie regis ac Venetorum legatos, uelut eorum qui imperij iura occuparent, non amplius audire uoluerat: ac demum duorum fratrum miseranda calamitate multo magis accensus, ueteri emulatione, iniuriarumq; à Gallie regibus & ueneta rep. uarijs temporibus sibi & maioribus suis illatarum, memoria in eius animo excitata, ut Septemuiros augustales, & reliquos Germanorum principes, ad tantam iniuriam non minus Germanorum genti, cuius Imperij dignitas propria est, quam sibi illatam, armis ulciscendam concitaret, crebros conuentus peragebat: quin etiam ne rex Gallie, tanta imperij principum patientia audacior factus, & tanto fortune fauore elatus, ut aliqua obliqua ratione Cesaream coronam Gallie regibus quorum aliàs fuerat restitui curaret, animu intenderet, periculum imminere ostendebat: qua in re Pontificis consensum, cum necessitate, ut qui illius potentie repugnare non posset, expressum, tum ob filij euehendi cupiditatem, esset habiturus. Que in caussa fuerunt, ut rex, quem hæc cõsilia finem essent habitura incertus, neapolitani belli cogitationem in aliud tempus distulerit: ideoq; quum eius copie alio bello non essent occupatæ, copias à Florentinis ad Pisarum & Petrasanctæ oppugnationem petitas, non sine multa difficultate ac dubitatione conceßit: qui Pisani, & cum illis Genueses, Senenses, & Lucenses, centum ducatorum millia si Pisæ Petrasancta & Monspolitanus à Florentinorum molestijs liberarentur, in presentia regi numerare: & si ipsius autoritate Pisani, Ligurni portus munitione, & toto pisano agro potirentur, quinquaginta millia
 insu-

Insuper singulis annis in perpetuum pendere promittentes, contrà uehemèter instabāt: ad quæ regis animus pecuniæ cupiditate nō mediocriter flecti uidebatur: tamen ut in rebus grauibus solebat, hanc deliberationem Rotomagensi cardinali, qui Mediolani erat, commisit: apud quem præter supra dictos, pro Pisanis agebāt Io. Iacobus Triultius, & Io. Ludouicus Fliscus, uterq; regni pisani cupidus, quiq; regi ut id permitteret, nō par uam pecuniæ summam offerebant, atq; Florentinos, ceterosq; Italiæ principes, cū occasio daretur, deprimere ad illius securitatem pertinere docebant. Sed apud Cardinalem, regiæ fidei ratio, & Florentinorum, qui regi ad Insubriæ recuperationem pro copijs quas ei mittere debebāt, ex ipsius petitione pecunia numerata præstō adfuisse, recētia merita maiorem uim habuerūt: quare ut Florentinis ad Pifarum oppugnationem sexcenti cataphracti regio stipendio, & illorū sumptibus quinque Heluetiorum millia Diuionensi præfecto duce, & certus Vasconum numerus, & omnia tormenta cū eorum apparatu ad id bellum necessaria, Cardinalis illos prætereuntes Petrasanctam & Mutronem restituturos promittente, mitterentur, decretum fuit: & cōtra regis ac Florētinorum uoluntatē illius gētis more, accesserūt duo Heluetiorū millia: quib. copijs uniuersis, Bemontinū à Florentinis petitem eius fidei plurimum tribuentes, quod in Ligurno restituēdo promptus fuisse, parū considerantes in exercitus imperatore etsi fides requiratur auctoritatem pariter, & rei militaris peritiam necessariam esse, præfecit: etiamsi rex saniori utilioriq; consilio, Alegrium rei bellicæ longè peritiorē, quiq; quod nobiliori genere natus esset, & maioris existimationis,

exercitum ad imperia pröptiore[m] esset habiturus, desti-
 nasset. Sed mox molestiæ ac difficultates quæ gallica au-
 xilia comitabantur apparere cœperūt: nam cum pedi-
 tum stipendia Cal. Maij deberi inciperēt, totum eū men-
 sem ad regis commodum, qui harum copiarū transitus
 occasione, à Mantuæ marchione, Carpij, Corregij, &
 Mirandulæ regulis, quòd Ludouico Sfortiæ opem tulif-
 sent, pecunias multæ nomine extorquere cupiebat, in
 Longobardia manserunt, adeo ut Florentini suspitione
 ex hac mora concepta, nimium præterea temporis Pi-
 sanis ad se muniendos & comparandos dari rati, de ne-
 gocio deserendo cogitarēt: tamen cum huiusmodi occa-
 sionem non libenter prætermitterent, secunda stipe nu-
 merata, progressum quammaximè urgebant: tandè cū
 Carpij, Mirandulæ, & Corregij domini, Ferrariensium
 duce pro illis deprecante, uiginti ducatorum millia spo-
 pondissent, nec ad Mantuanum, qui dum se muniret pe-
 cuniæ inopia excusata, legatis ad regem missis ueniam
 supplex petebat, cogendū tēpus terere possent, ad Mon-
 techeruculum Taurellæ familiæ quæ Ludouicum Sfor-
 tiam iuuerat in parmensi agro castellum, non tam quòd
 illos multare cuperent, quàm ut Bononiæ appropin-
 quantes Ioanni Bentiuolo pariter ob auxilia Ludoui-
 co data minarentur, exercitū duxerunt: Bentiuolus au-
 tem ut periculum uitaret, quadringētas auri libras re-
 promissit: eumq; rex denuo cum Bononiensi urbe Pon-
 tificij imperij in eam ciuitatē iuribus expressè exceptis
 patrocinio suo complexus est. Bononiensi re composi-
 ta, & Montecheruculo expugnato, copiæ ut Apenninū
 pontremulensi uia superarent regressæ sunt: & Luni-
 gianam ingressi, magis cupiditates & propria commo-
 da, quàm

da, quam honestum secuti, in Fregosiorum gratiam Albericum Malespinam qui in Florentinorum patrocinio erat, Massa castello reliquisq; eius oppidis expulerunt: cumq; ulterius essent progressi, Lucenses, quamuis plebe repugnante grauiter inter se dissideret, Petrasanctam Bemontio regis nomine tradere sunt compulsi: qui presidio in arce relicto, illorum magistratus in oppido manere passus est, quoniam Rotomagensis cardinalis, ijs quæ Florentinis promiserat in hoc contemptis, certa pecuniæ summa à Lucensibus accepta, ea lege, ut Rex Petrasanctam tamdiu donec ad quem iure spectaret diiudicasset, depositi loco teneret, illos in regis clientelam acceperat. Pijani uerò hoc tempore animis ad defensionem obstinatis, à Vitelloccio, cum quo propter commune in Florentinos odium maximè coniuncti erant, aliquot architectos, qui munitiones ipsorum in quibus unda uiri ac mulieres magno concursu operam nauabāt, instaurarent, acceperant: & nihilominus Gallos cōsuetis artibus demulcere minimè prætermittētes, in totius populi comitijs urbem regi subiecerant: cuius deditiois publicas tabulas nō modò ad Bemontium miserunt, sed etiam ad Philippum Rauestenium regium Genue præfectum, qui temerè regis nomine accepit: cumq; Bemontius Fecialem Pisas qui sibi ciuitatem dedi posceret misisset, se nihil magis cupere quàm sub regis imperio uiuere, ideoq; dummodo ipsos Florentinorum imperio se non subiecturum promitteret, ad deditioem paratissimos esse, mulierum lacrymis & omni arte, se Gallie regum à quibus libertatem acceperant, obseruantissimos additissimosq; esse, Feciali persuadere conati, responderunt. Bemontius uerò Pisanorū legatis eadē de causâ

sa ad se missis exclusis, penultima die Iunij castra urbi, inter Plagarum portam, & Calcesanam, contra angulum, Barbagianni nuncupatum, admouit: & cum eadē nocte ad maiorem dici partem usq; magno impetu moenia uerberasset, tormentorum ui circiter sexaginta muri ulnae conciderunt: quo facto, repente equites ac pedites absq; ordine ullāue disciplina permixti, antequā cogitassent qua ratione profundissimam fossam, à Pisanis inter dirutum murum & interiorem munitionem factā superaturi essent, ut in urbem conscenderent, accurrerunt: sed conspecta eius latitudine altitudineq; territi, reliquum diei potius difficultatis spectatores quā oppugnatores contriuerunt. Post quem diem semper uictoriae spes est diminuta, tum quia ob munitionis naturam, ac defensorum pertinaciam gallica audacia defebuerat, tum etiā quia consuetis artibus eius gentis pristina in Pisanos propensio denuo erat excitata, ita ut loqui & familiariter cum ciuibus, qui eodem pacto regi se, modò ne sub Florentinorum iugum redirēt, dedere uelle, sepius iterabant, uersari inciperent: multiq; illorum Pisas tanquam amicam urbē tutò ingrederentur egrederenturq; totis castris, qui apud duces Pisanorū causam defendebant, ac pleriq; eos ad defensionē hortabantur: & ad hoc praeter Gallos haud parum animos auxerunt Franciscus Triultius, Io. Iacobi uicarius, & Galeacius Palauicinus qui cum sua acie in Gallorū castris erat: quarum perturbationū occasione, ijs qui obsidebant permittentibus, Tarlatinus ex Ciuitate castelli cum aliquot militibus bello expertis à Vitellocio Pisanis auxilio missus, uir tunc obscurus, sed qui deinde ab illis ad militiae gradus euectus, non parua cum laude ad

extremum

extremum usq; in eius urbis defensione permāsit, à ma-
 ritima parte Pisas ingressus est. Hanc tam peditum quā
 equitum communem propensionem, multa mala secuta
 sunt: cum enim discedendi occasionem quærent, com-
 meatum qui ad castra ferebatur diripere cœperunt: ad
 quos errores reprimendos cum ducis autoritas minimè
 esset idōnea, indies ita creuerunt, ut tandē Vascones cō-
 fuse ab exercitu discesserint: quorum exemplum reli-
 qui omnes secuti sunt: & in discessu nonnulli Germa-
 ni milites qui regis iussu Romā uenerant, Lucam Albi-
 tium Florentinum legatum, quod sibi aliàs cum Florenti-
 nis Ligurni militarent, non satisfactum fuisse dicerēt,
 ceperunt. Heluetij & reliqui pedites statim discesserūt,
 sed cataphracli prope Pisas hæserunt: ubi paucos dies
 immorati, regia uoluntate non expectata, Florentino-
 rum, qui ut Heluetiorum & Vasconum stipendia per-
 soluere possent, omnem suum peditatum dimiserāt, reb.
 in graui perturbatione relictis, in Longobardiā redie-
 runt: qua occasione perspecta, Pisani ad Librafactā e-
 xercitum duxerunt, quam non minus hostium imprudē-
 tia, quam proprijs uiribus facile expugnarunt: quoniā
 dum oppugnatio fieret, & omnes pedites qui intus erāt
 in eum locum ubi pugnabatur conuolassent, nonnulli
 ex oppugnantibus, scalis arcis editissimum locum, qui
 non custodiebatur conscenderunt: qua re territi dedi-
 tionem fecerunt: dein statim castris ad Ventura uallium
 positis, dum oppugnatur, milites Sanbrandani Floren-
 tinorum præfecti, patria Lucensis, uel ignauia, uel fraus
 de se dederūt: quorum locorum expugnatio Pisanis,
 quia qua parte Luca est liberati, fines extenderant, ualde
 utilis fuit. Hic Pisanarum rerum successus, plusquam

credibile sit regis animum turbauit: ut qui animaduertet, quantum ea re exercitus sui existimatio esset imminuta: nec Gallorum armis, qui tanto omnium terrore totam Italiam peragrarent, unicam urbem nullius quàm proprii populi defensione nixam, in qua nullius esset celebris belli dux restitisse, ferre aequo animo poterat: Et ut plerumque in rebus molestis homines solent, seipse fallens, à Florentinis idoneos commeatus, instrumentorum ad tormenta spectantium, et fabrorum apparatus, non suppeditatos, quemadmodum sui ut culpam ab se reicerent asserabant, uictoriæ non adeptæ causam fuisse: militumque omnia præter uirtutem defuisse, sibiipso persuadere nitebatur. querebatur etiã Florentinos, quod imprudenter potius sub Bemontio quàm sub Alegrio copias mitti postulassent, multorum errorum causam præbuisse: deinde amissam existimationem recuperare cupiēs, Corcutum cubicularium suum, non tam ut quæ à ducibus referebantur uera essent nec ne exploraret, quàm ut à Florentinis melioris in posterum successus spe minimè amissa peteret, suos cataphractos in pisano agro quo eã urbem sequenti hyeme perpetuò infestare possent, donec ineunte Vere, iusto exercitu, ducibus atque imperio ad oppugnationem melius instructo redirent, considerare iterum paterentur, Florentiam misit: quæ res à Florentinis, Gallorum armis meliora effici posse desperantibus, reiecta fuit: ex quo sors illorum indies deterior facta est. Et quia regem ab illis alienatum esse fama erat, Genuensēs, Senensēs, et Lucensēs, Pisanos palàm, militibus ac pecunia iuuare, et quicumque Florentinos ledere cupiebant, animum sumere cœperunt. Florentiæ uerò etiam ciuium factiones ita crescebant, ut non modo amif-

ad amissa recuperare non possent, sed ne proprij quidē
 imperij perturbationibus occurrerent: cum enim Pisto-
 rij Panciatica & Cancellaria contrariæ factiones arma
 sumpsissent, atq; inter eos in urbe & in agro maximis
 incendijs ac cædibus, ferè ad apertum bellum, etiam cū
 peregrinis auxilijs res uenisset, magno reip. dedecore
 nulla ratione huic malo obuam ibant. Interea Cæsaris
 Borgiæ res feliciter succedebant: nam etsi rex parum
 æquo in Pontificem esset animo, quòd se ad Insubriæ im-
 perium recuperandum non iuisset, in auxilijs ad cœ-
 ptum aduersus Aemiliæ Flaminiæq; uicarios bellum cō-
 ficiendum, mittendis moram traxisset, nihilominus tan-
 dem pontificis beneuolentiæ ob Germaniæ motuum ti-
 morem conseruandæ desiderio, cum nullam cum Cæsa-
 re concordie rationem inueniret, & longè magis Ro-
 tomagensis cardinalis, qui Galliæ regni legationem am-
 biebat autoritate, in aliam sententiam est perductus.
 Pontifex igitur regi quotiescunq; neapolitanum bellū
 aggredi uellet, copias se & ipsummet filiū auxilio mis-
 surum promisit: & Rotomagensi cardinali in d. rem et
 octo menses Galliæ regni legationem cōcessit: quòd mu-
 nus, quia nouum erat, & quia, quamuis citeriorem Bri-
 tanniam non complecteretur, multa negocia, & pluri-
 mos quæstus à Romana curia ad se pertraherat, ualde
 amplum existimabatur. Rex autem uicissim trecentos
 cataphractos, & duo peditum millia Alegrio ducè, ad
 eius auxiliū misit: omnibusq; se eos qui Pontificis nego-
 cio se opposerēt, eo loco, quasi sibi ipsi iniuriam fecisset
 habiturū significauit. Qua autoritate et proprijs uirib.
 quib. 700 grauis armaturæ equites, et sex peditū millia
 continebātur, Valētinus Flaminiā Aemiliāq; ingressus,

absq; difficultate, Pisaurum atq; Ariminum illarum ciuitatū dominis fugientibus in suam potestatem redegit: deinde Fauentiam uersus nullius præterquam ciuium suorum auxilio nixam, contendit: quia non modò Ioan. Bentiuolus, Astorris paruuli infantis auus maternus, ne Pontificis eiusq; filij arma irritaret, necnō regio iussu, ab auxilijs mittendis absinebat: nec Florentini solū atq; Ferrariensium dux, easdem ob causas idem faciebant, uerumetiam Veneti ad illius defensionem obstricti, quoniam ita rex ab illis petierat, se eius patrocinium deserere, ei significarunt: quemadmodum etiam prius eadē de causa Pandulfo Malatestæ Ariminsium domino fecerant: imò quo se magis Pontificis rebus fauere ostenderent, eodem tempore Valentinum ducem iure comitiorum in ipsorum rep. donarunt: quæ res ab ea rep. uel ob acceptorum beneficiorum gratiam, uel ob summæ beneuolentiæ testificationem fieri solet. Valētinus Dionysium Naldium Bersigellensem, qui magnas in Lamonis uallē clientelas habebat, ad stipendia sua periraxerat, eiusq; opera sine labore Bersigellam oppidum, ac penè totam uallem occupauit: & ueteri arce expugnata, noua præfecti deditioe potitus est: & eiusdem Dionysij cum Fauentiniæ arcis præfecto, homine in eadem ualle nato, quiq; diu Astorris imperium administrarat, proditione composita, eius urbis arce potiturū esse sperauit: sed proditione patefacta, à Fauētinis captus fuit: qui, neq; quòd ab omnibus deserti essent, neq; uallis graui iactura territi, ut se sub Manfrediæ familiæ, quæ multos annos in ipsos dominatum obtinuerat, imperio conseruarent, quoduis periculum subire statuerant: ideoq; maxima sollicitudine urbem municrunt: à qua sententia

quum

quum illos Valentinus nec promissis nec minis remouere posset, prope urbis moenia inter Lamonam & Martianū amnes metatus, tormenta ab ea parte quæ Forolium spectat, quæq; & si muro circumdata sit, uulgò suburbium appellatur, collocauit: ubi Fauentini firmissimum uallum extruxerāt: cumq; satis moenia, & præsertim portam quæ inter suburbium & ciuitatem est, pulsasset, quinto die oppugnationem est aggressus, ex qua ciuibus strenuè propugnantibus, magna clade qua Honorius Sabellus interijt accepta, receptui canere ius sit. Nec dies sequentes, exercitu perpetuis ex ciuitate tormentorum ictibus infestato, & ciuibus, quamuis admodum exiguum conductitiorum militum numerum haberent, crebrò ferocissimè ad leuia certamina proceduntibus, mitiores fuerunt: præcipuè autem, etsi mēsis Nouember nundum esset exactus, tempori præter eius anni partis consuetudinem acerbissimi asperitate impediebatur: erant enim niues maximæ, & ingentia frigora, quibus ferè penitus militaria munia sub dio statim habentibus impediebantur: quoniam Fauentini, anteq̃ exercitus urbi appropinquaret, omnia ædificia ciuitati propinqua incenderant, arboresq; omnes deiecerant: quibus rebus coactus Valentinus, decimo die obsidione relicta, exercitum per proxima oppida in hyberna distribuit: quòd cum præter gallicæ uires exercitum Italis ducibus atq; militibus ualde florentem haberet (aderāt enim illi Paulus & Iulius Ursini, Vitellocius, & Io. Paulus Ballio cum multis delectis uiris) sibiq; nec maria, nec montes repugnatura ingenti animo promississet militiæ suæ initiorum famam, à populo qui in diuturna pace uixisset, quiq; tunc temporis nō aliud quàm pue-

rum ducem haberet obscurari, ferre non poterat: multisq; gemitibus, se quã primum tempus ferret animo, aut ad mortem aut uictoriam cõparato ad eandẽ oppugnationem rediturũ grauissimẽ iurabat. Quo tempore Alexander eius pater, ut omnes ipsius actiones eũdem finem spectarent, sibiq; inuicem responderent, duodecim, non quidem ex magis benemeritis, sed ex ijs qui preciũ maius obtulerant, in Cardinalium numerum hoc ipso anno summa cum infamia allectis, ne quòd lucri genus prætermitteret, per totam Italiam & exteris prouincijs delictorum ueniam, quam Iubileum uocant, Romæ magno transalpinarum præsertim gentium cõcursu celebratam, cunctis mortalibus etsi Romam non uenisset, aliquam modò pecuniam darent, eius adipiscendi facultate data spargebat: quam pecuniam omnem cum alia, quam siue ex sacris thesauris, siue ex põtificio imperio elicere poterat, Valentino dabat, qui Foroliuij commoratus, res ad oppugnationem in proximum annum necessarias comparabat: nec minori diligentia Fauentini urbi muniendæ operam dabant. Hæc anno M. D. gesta sunt: sed longè maiora à rege Gallie in millesimũ quingentesimum primum ordiebãtur: ad quæ ut expeditior esset, semper pacem cum Romanorum rege, qua præter mediolanensis imperij auctoritatem, quam ab illo impetrare cupiebat, neapolitanum regnum sibi inuadere liceret, quæsierat, Archiducis illius filij hac in re operatus: qui, quoniam eius populi, ne mercaturæ commercium impedirent, haud libenter cum Gallis bella gerebant: & quia rex cum mascula prole careret, Claudiam filiam suam Carolo Archiducis filio in matrimonium dare, & dotis nomine, cum ad etatem qua procreandis liberis

liberis dare operam possent peruenissent (neuter enim triennium attigerat) Insubriæ imperium se traditurum esse promittebat, ad pacem erat propensus: cuius opera quum multæ difficultates quæ in pacis negotio inueniebantur, non tam citò tolli possent, anni 1501 initio inducias in multos menses, certa pecunia numerata, à Maximiliano impetrauit: quibus neapolitani regis, quamuis Maximilianus quadraginta ducatorum millibus ab illo acceptis, & si opus esset quindecim millium in singulos menses soluendorum stipulatione, nullam se pactibnem sine ipso admissurum, & si necessitas incidere, ad periculum ab illo auertendum bellum in Insubria moturum promississet, nulla facta fuit mentio. Itaq; Gallie rex tunc à Germaniæ motibus tutus, & breui per eundem Archiducem imperij Mediolanensis diploma pacemq; adipisci sperans, omnia sua cõsilia ad neapolitanum bellum conuertit: in quo ne Hispaniæ reges aduersos haberet, illisq; potentie illorum metu Veneti, & fortasse etiam Pontifex coniungerentur ueritus, negocia Caroli regis tempore de regni illius diuisione, in quo & Ferdinãdus Hispaniæ rex ius se habere asserebat, agitari cœpta renouauit: nam etsi Alfonsus Aragoniæ rex peculiari, & ab Aragoniæ regno separato iure id adeptus esset, idèoque tanquam rem propriã Ferdinando filio notho tradidisset, tamen apud Ioannem eius fratrem qui illi in Aragoniæ regno successit, & Ferdinandum Ioannis filium, quum Alfonsus id Aragoniæ regni armis & pecunijs adeptus esset, iure ad id regnum spectare, ad illud tempus usque tacita querela fuerat: quam Ferdinandus Hispanica arte & patientia, non modò debitis inter propinquos officijs, cum Ferdinando Neapolitanorum

rege & successoribus non prætermiſſis, ſed etiam nouæ affinitatis uinculo auctis texerat: Ferdinando enim neapolitano regi, Ioannam ſororem ſuam in matrimonium dedit, & ut altera Ioanna illius filia Ferdinando iuniori nuberet aſſenſus eſt: nec tamen efficere potuerat, quin cupiditas ſua multo antè neapolitanis regibus innoſceret. Eadem itaq; cupiditate in Ferdinando & in Galliæ rege conſpirante, alter ut impedimenta & diſcultates remoueret, alter uerò ut eius quod diu optauerat partem adipiſceretur, cum ad totum occupandum nulla occaſio appareret, neapolitanum regnum eodem tempore inuadere pacti ſunt: quod inter ipſos hac ratione diuideretur, ut Galliæ regi Neapolis ipſa cū tota Leborij agri regione Aprutijq; prouincia: Ferdinando uerò Apulia & Calabria obtingeret: ſuam uerò quiſq; partem altero nec iuuante nec impediante occuparet: hoc autem ſædus tam diu donec Galliæ regis exercitus quem ad id bellum miſſurus eſſet Romam perueniſſet, quammaximè occultum eſſet: quo tempore utriuſq; legati, id ad Chriſtianæ reip. commodum contra religionis hoſtes factum aſſerentes, ſimul à Pontifice diploma ex partitione inter ipſos facta, ut Ferdinando uidelicet Apuliæ & Calabriæ ducatus, & Galliæ regi non amplius Siciliæ, ſed Ieroſolymitani & Neapolitani regni nomen attribueretur peterent: quæ regni Ieroſolymitani appellatio, ſemel Federico II Rom. Imperatori, & Neapolis regi, in uxoris, quæ Ioannis, nomine, ſed non re Ieroſolymitani regis filia erat, in dotè data, à ſequentibus regibus perpetuò uſurpata fuerat, etſi eodem tempore uarijs de cauſis Cyprij reges ex Luſiniana familia eandem appellationem ſibi non minus auidè arrogaffent

gaßet, usq; adeo principes cupidè colores ac prætextus amplectuntur, quibus aliqua honesti specie, quãuis plerunq; iniuste, aliorum regna uexare possint. Quo fœdere inter duos reges imito, Gallia rex palàm exercitum comparare cœpit: interea Valentinus, cum primis annidiebus noctu cum magno scalarum numero Fauentia suburbium adißet, & ut credebatur, conscios intus haberet, frustra id occupare tentauerat. quare fraudis spe exclusus, post paucos dies Rusium & reliqua eius agrî oppida cepit: ac tandem incunte Vere cum exercitu redijt, & prope arcem castris positus, mœnibusq; ab illa parte uerberatis, Gallos & Hispanos qui ipsius stipendijs militabant, permixtos oppugnationem aggredi iussit, qui absq; ullo ordine impetu facto, sine fructu recesserunt: sed triduo post totius exercitus uiribus aliam impressionem fecit: cuius primus impetus Vitellochio & Ursinis obtigit, qui militum suorum flore selecto, magna uirtute atq; ordine eò usq; sunt progressi, ut aliquam uictoriae spem habuerint: sed non minor erat ciuium uirtus, & ualida munitio intus ab illis facta, adeo hostis ingenti fossa conspecta, magnaq; tormentorum copia à latere uerberatus, Ferdinando Farnesio, & multis magnis uiris amissis, ut cum magno sauciorum numero pedem referre coacti sint: & tamen Fauentini non parua in oppugnatione clade accepta, qua tandem ratione se à tanto exercitu omni ope destituti tueri possent, quantoq; cum detrimento & iniquis legibus, uel ui expugnati, uel extrema necessitate compulsi, in uictoris potestatem peruenturi essent, sic animo uoluerè incoeperunt, ut tanto ardore extincto, timoreq; subeunte, intra paucos dies hominibus ac fortunis conseruatis, & Astorris

eorum principis libertatem, & ei uti quocunq; uellebire liceret, utq; priorum prædiorum fructibus frueretur pacti, Valentino urbem dediderint: quæ Valentini, quod ad Faentinos attinebat, inuiolata fide seruauit: sed Astorem qui nondum decimum octauum annû attingebat, excellenti forma præditum, ætate & innocentiâ, uictoris perfidiæ crudelitatiq; cedente, quasi illum in sua aula habere uellet, honorificè ut uidebatur, apud se retinuit: sed non multo post Romam perductus, aliuicuius (ut dictum fuit) prius libidine expleta, cum fratre notho clam interfectus fuit. Fauentia in potestatem suam redacta, Valentinus Bononiam uersus nõ modò ut eam urbem occuparet castra mouit, uerum etiam ut Florentinis, quorum res recentibus ad priorem Gallie regis indignationem causis additis, uehementer inclinabant, postea molestias inferret: nam grauib; sumptibus quos fecerant, quosq; ob Pisanum bellum, & ob Pontificis ac Valentini uirium metum indies facere cogebantur defatigati, regi quamuis maximè urgenti, reliquã à Mediolanensium duce mutuò acceptam pecuniã, et quã pro Heluetijs in Pisanos missis petebat, minimè persoluebãt: nam cum Florentini, quòd Heluetij multos dies antè accepti stipendij tempus exactum discessissent, pro ut Mediolani cum Rotomagensi Cardinale pacti fuerant, mensis unius stipendium quo in patriam redirent, soluere noluissent, rex ut eius gentis beneuolentiam retineret, de suo numerarat: & acerbissimis uerbis, nulla inopie excusatione admissa, à Florètinis repetebat: quæ omnia ciuili; discordia ex popularis status confusione orta difficiliora reddebat: in quo quum nemo, qui certam rerum curam haberet, & plerique ciuitatis

Principes, uel tanquam Mediceorum amici, uel tanquam alterius reipublicæ status cupidi suspecti essent, magis temeritate quam consilio reipublica administrabatur: ex quo quum regis postulatis non satisfacerent, imò temporis prorogatione ab illo impetrata sine effectu elabi permissa, maxima illum indignatione accenderant: qui præterea etiam ut pecuniam & auxilia ad neapolitanum bellum promissa compararent postulabat: nam & si ex pacto nisi Pisis receptis non deberentur, sibi quum illorum culpa factum esset quo minus adepti essent, perinde esse ac si recuperassent, aiebat: ad id uel pecuniæ, cuius natura admodum auidus erat cupiditate, uel quòd præscriptis temporibus non persoluissent indignatus, uel quòd ob status perturbationem, & multos Mediceorum amicos nullam rebus suis firmam spem in ea urbe locare posse persuasum haberet, impulsus: & ut atrocitate acerbitateq; quòd autoritate minimè potuerat, illos impelleret, palam illorum legatū quem apud se habebat, sinistrè excipiebat: se non amplius ad illorum patrocinium teneri asserens, quòd sibi Mediolanensis factionis capita, pecunia ijs comprehensa debito tempore minimè persoluta, nõ seruassent: quare Iulianum Medicem, qui Pontificis hortatu, ut suo ac fratrum nomine maxima pecuniæ ui promissa, de restitutione in patriam illum supplex rogaret, ad se uenerat, libentissimè audiuit, & perpetuò cum illo de eorum reditu agebat: ideo Valentinus his rebus axdacior factus, & à Vitellocio atque Vrsinis, militibus suis, & Florentinorum, ille ob fraternæ necis iniuriam, hi ob Mediceorum necessitudinem, grauissimis hostibus incitatus, antea Liuerotum Firminum cum centum

leuis armaturæ equitib. Pisanis auxilio miserat: & post
 Fauentiam captam, Florētinos armis inuadere, quam-
 uis nec ipse nec pater ullam à Florentinis iniuriam, imò
 potius beneficia commodaq; accepisset: quia ad illorum
 petitionem Riariorum patrociniū, cui obstricti erāt
 deseruerant: & quotidie commeatus ex Florentinis ter-
 ris ad illorum castra ferri patiebantur, decreuerat. Hoc
 itaq; animo, iam post Fauentiæ deditiōem, à Pontifice
 ex sacri Senatus consensu Flaminie Aemilieq; dux ap-
 pellatus, eiusq; rei diplomate accepto, Bononiensem a-
 grum, magna eius urbis occupandæ spe, cum exercitu
 ingressus est: sed eodem die quo ad Castello sanpetrum,
 Imolam inter ferè & Bononiam situm castra locauit, à
 Gallie rege ne Bononiam oppugnare, neue Ioan. Ben-
 tiuolum inde pellere contenderet, mandatum accepit,
 quòd se & ad urbis & ipsius defensionem teneri dice-
 ret: eamq; exceptionem in patrociniū suscepti pactione
 expressam: ne uidelicet in pontificij iuris fraudē fieret,
 de ijs rebus eaq; potestate intelligendam, quæ tunc pon-
 tificatus possidebat: si enim promiscuè, nō autē ex uer-
 borum sono, quemadmodum uolebat Pontifex intelli-
 geretur, frustra Bononiēses & Bentiuolos in ipsius pa-
 trociniū susceptos fuisse. quocirca Valentinus cū ma-
 ximis Pontificis ac suis querelis ea spe ad tempus depo-
 sita, per Paulum Vrsinū cum Bentiuolo, ut sibi per Bo-
 noniensem agrum iter & comineatum concederet, sin-
 gulis annis nouem ducatorum millia penderet: certum
 grauis armaturæ equitum & peditum numerum secum
 in Hetruriam mitteret: Castellum bononiensem, quod
 oppidum inter Imolam & Fauentiam positum in Bo-
 noniensiū ditione est, sibi traderet (quod ipse Paulo
 Vrsino

Ursino dono dedit) pactus est. quibus ita constitutis, Bentiuolus siue propria suspicione, siue quòd Valentinus, ut fama fuit, quo illum odiosorem in ea urbe faceret, se à Mariscotta familia, quæ clientelis & factione potens erat, quæq; tum eam ob causam, tum propter ipsorum insolentiam erat illi ualde suspecta, ut Bononiæ appropinquaret inuitatum ei patefecisset, penè omnes ex ea familia qui Bononiæ essent, multorum nobiliũ adolescentum unà cum Hermete suo filio opera abusus, ut tanti facinoris in Mariscottorum cæde patrati memoria eius familie inimici facti, sui imperij cõseruationem optare cogerentur, interfici curauit. Gallicæ copiæ Valentinum non ulterius sequutæ sunt, quia regiũ exercitum, qui numero mille cataphractorum, & decẽ peditum millia Obignino duce, ad neapolitanum bellũ contendebat, ut ei coniungerentur expectabant. Valentinus autem per Bononiensem agrum cum septingentis grauis armaturæ equitibus, & quinq; selectis peditum millibus, & præterea centum cataphractis & duobus peditum millibus, quos Bentiuolus protonotario filio suo ductore mittebat, in Florentinorum ditionem progressus est: ac transitu & comœatu à Florentinis per illorum fines petito, nec tamen responso expectato, legatos à Florentinis ad se missos, donec Apenninũ transiisset benignis uerbis demulcens ultra processit: sed ubi ad Barberinum peruenit, benignitate in acerbitatẽ commutata, ut secum scedius inirent, seq; cum ijs equitibus, ijsq; cõditionibus quæ gradum ac personam ipsius decerent, stipendio suo conducerent, & presenti statu mutato, aliam reip. formam cui magis fidere posset constituerent postulauit: ad hæc uerò petenda, non tam po-

tentia sua, cum minimè magnas copias nec tormèta ad
 moenia pulsanda secum haberet, quàm ex Florentinorū
 malè affectis rebus, audax fiebat: quum illi paucos equi
 tes, nec alios pedites quàm è suis popularibus impera
 tos haberent: Florentiæ uerò, propterea quòd Vitello
 cius & Vrsini in ipsius exercitu essent, & Petrus Medi
 ces eius iussu Loiani in bononiensi agro hæreret, timo
 ris, suspitionis ac dissidiorum omnia erant plena: & po
 pulus, optimates ut formam reip. ex suo arbitrio consti
 tuerent, illius aduentum procurasse uehementer suspi
 cabatur. Sed in Valentino, quòd Vrsinorum ac Vitello
 cij, quibus Petrum in patriam reuersum, coniunctissi
 mum fore sciebat, potentiam sibi commodam non cen
 seret, nullum erat Petri restituendi desiderium: præte
 rea ex fide dignis uiris accepi, in ipsius animo antiquæ
 indignationis, cum Pompelone archiepiscopus, patre
 nondum ad pontificatum promotus, in Pisano Gymna
 sio pontificio iuri operam daret, in eum conceptæ me
 moriam fixam in se diisse: nam cum de cuiusdam familia
 ris sui capitali caussa ad eum Florentiã iuisset, ubi mul
 tas horas frustra, donec illum uel negocijs, uel uolupta
 tibus occupatum alloqui posse daretur expectasset, mi
 nimè auditus, req; infecta se contemptum, & nõ medio
 criter lesum existimans, Pisas redierat: & nihilominus
 ut Vitellijs atq; Vrsinis gratificaretur, & multo magis
 ut Florentinorum terrorem atq; discordiã, quo instru
 mento, uel meliores ab illis conditiones, uel alicuius ma
 gni momenti oppidi in eorum imperio occupandi occa
 sionem sperabat, auget, secus simulabat: sed cum irru
 ptionem suam Gallie regi molestantem esse iam subolsce
 ret, quamprimum Campium, sex à Florentia passuum
 millibus

millibus peruenit, in hunc modum cum illis pactus est: Inter repub. florentinam & ipsum foedus ad utriusq; defensionem esset: neutri parti alterius rebelles iuuare, & nominatim Valentino Pisanos, liceret: Florentini omnia delicta a quouis in ipsius aduentu commissa condonarent: nec ad Plumbini principis qui sub illorum patrocinio erat, defensionem se illi opponerent: ipsum Florentini trecentis grauis armaturæ equitibus, quos quotiescunq; siue ad propriam defensionem, siue ad bellum alijs inferendum opus haberent illis auxilio mittere teneretur, in proximos annos tres præficerent: atq; hanc ob causam ei quotannis triginta sex ducatorum millia penderent: qua compositione facta, paruis itineribus, singulis castris aliquot dies moram trahens, & regionē præda & incendijs non minus ac si manifestus hostis esset infestans, Signiam contendit: insuper pro stipendiorum quæ cataphractis persoluuntur consuetudine, annui stipendij quartam partem, & tormenta quæ ad Plūbinum duceret sibi commodari petebat: quorum unum Florentini, quòd non tenerentur, apertè recusabant: alterum quòd quæ coacti promiserant, minimè præstare in animo haberent, differebant: & nuncijs ab ipsorum apud Galliæ regem oratore acceptis, eius autoritate se hac molestia liberatum iri sperabant: quæ spes minimè eos sefellit: regi enim Valentinum eis minatum esse gratum fuerat, at inuasisse minimè: cui etiam præsentis status mutatio molesta fuisset: aut saltem si aliam reip. formam Florentiæ constitui cupiuisset, id alijs uiribus aliâue quàm sua autoritate factum, ægrè tulisset: idcirco, quamprimum Valentinum Florentinorum fines ingressum cognouit, uti statim discederet, & Obignino qui

iam cum exercitu in Insubria erat, si non paruisset, totis uiribus ad eum pellendum contenderet imperauit: quare Valentinus nec stipendij quadrante, nec tormentis acceptis, Plumbinum uersus progressus est: & Pisanos, qui Vitellocij opera, ab ipso ut tormenta ad exercitum duceret Pisas missi ad Ripomarätias Florentinorū castellū exercitū duxerät, illinc abirent, mandauit. Plūbini agrum ingressus, Sugheretum & Scarlinum castella, Iluam, Plano siamq; insulas cepit: & præsijs in locis captis ad ea defendenda, & Plumbinū perpetuò infestandum idoneis relictis, cum reliquis copijs ut regiū exercitum in neapolitano bello sequeretur, Latium petijt: regij uerò exercitus pars cum Obignino, Castrocarino itinere Heturriam erat ingressa, reliqui per Lunigianam eodem contendebät: omnes autem copię simul coniunctę erant, mille cataphracti, quatuor Heluetiorum millia, & partim Vasconum, partim Francorū peditum sex millia, & ex eorum more magnus tormētorum apparatus: illud uerò notatu dignum fuit, eam copiarum partem quę per Lunigianam uenit, Pisis itigeniti tam Gallorum quàm Pisanorum letitia amicè iter fecisse: eodemq; tempore classis, quę tribus Genuensibus nauibus, quas Caracchas uocant, sexdecim alijs, & multis minoribus nauigijs, cum magna peditum copia constabat, ad idem bellum Rauestenio Genuę præfecto duce ex Prouincia soluebat: aduersus quos motus Federicus rex, qui Hispanica arma amicitię specie in se parata esse ignorabat, Consaluum Ferrandum, qui cum Hispaniæ regum classe, auxilij ferendi simulatione in Sicilia hærebat, ut Caietam ueniret, aliquot Calabrię oppidis ab illo ut partem suā facilius occupare possent, suarū

tamen

tamen copiarum securitatis colore petitis, eius potestati permissis urgebat: Federicus autem Consaluo copijs suis, quas partim à se, partim à Columnijs Marini conscriptas, septingentos grauis, sexcentos leuis armaturæ equites, & sex peditum millia fore existimabat, coniuncto, se satis ualidum aduersus Gallos exercitum habiturum, nec oppidis sese includere coactum iri sperabat: quamuis ab Turcarum Imperatore, à quo ipsè & maioribus ex huius regis, quàm quæ ex superioris uictoria timuerat, periculis ostensis, opem obnixè petierat, sperata auxilia deficerent: & ut se à fraude tutum redderet, Bisiniani principem, & Meleti comitem, occulta cum Calatiæ comite, qui cum gallico exercitu erat, consilia habere apud se accusatos, in carcerem includi curarat: qua spe nixus, prius tamen Ferdinando filio natu maximo, etiam tum puero, Tarētum magis ad ipsius si quid sinistri accidisset securitatē, quàm ad urbis illius defensionem misso, cum exercitu suo ad Sangermanum confedit: ubi Hispanica auxilia & copias quas Columnij adducebant expectans, feliciori successu, quàm in Caroli aduentu Ferdinandus eius nepos fecisset, se regni claustra defensurum sperabat. In quo rerum statu, proculdubio uniuersa Italia omnib. id bellum grauissimarum calamitatum initium fore iudicantibus, ancipiti dubitatione plena erat: neq; enim Gallie regis exercitus tantè potens uidebatur, ut Federici & Consalui coniunctas uires facillè superare posset: & tantorum regum animis irritari cœptis, utraq; pars bellum maioribus uiribus persecutura existimabatur: ex quo per uniuersam Italiam, ob uaria ceterorum principum studia, graues ac periculosi motus facillè oriri possent. Sed quamprimū galli-

cus exercitus in romanum agrum peruenit, hæ cogitationes uanæ apparuerunt: quoniam Galli atq; Hispani oratores unâ Senatûm ingressi, Pontifici & Cardinalibus scdus inter suos reges, regniq; diuisionem, ut (quæ admodum aiebāt) in Christianæ religionis hostes ducere possent factam, atq; pro eius diuisionis ratione sibi diploma concedi petentes, notam fecerunt: quod sine mora à Pontifice consecuti sunt: quare de huius belli fine dubitatione sublata, & hominum metu in summâ admi rationem cõuerso, Gallie regis, quòd potius eius regni mediam partem in Hispani regis manus peruenire, regemq; æmulum suum in Italiam, ubi antea solus omnium rerum arbiter erat, ad quem omnes ipsius hostes, quibus ue ab illo non satis esset factum possent confugere, Romanorum præterea regi arctissimis uinculis coniunctum, introducere, quàm Federicû ipsius beneficio, tributo, quemadmodum uarijs modis quæsierat, dato, regnantem pati uoluisset, prudentia desiderabatur. Nec minus communi hominum sententia in Ferdinando cunctis hominibus, quòd eius regni partis occupandæ cupiditate, in cõsanguineum suum coniurasset, quemq; quo facilius posset euertere, semper falsis auxiliij promissis fouisset, & Catholici regis, quem ipse cum Elisabeta regina ante paucos annos à Pontifice erant adepti splendorem eamq; gloriam qua quòd non minus religionis studio, quàm proprijs de causis, Mauros Granatæ regno expulissent, nomen illorum in cœlû usq; ferebatur, obscurasset, summopere mirantibus, fides integritasq; desiderabatur: quib. utriq; regi obiectis calumnijs, pro Gallie rege nihil aliud respondebatur, nisi Gallorum tantam esse potentiam, ut cum tempus foret, omnib. erroribus

rorib. obuiã ire possent: pro Ferdinãdo dicebatur, quãuis à Federico iustam belli inferēdi causam accepisset, quòd illum multo antè cum Galliæ rege occulta in suũ detrimentum consilia agitasse sciret, tamen non hac de causa motum fuisse, sed quòd, cum regem illum prorsus neapolitanum regnum inuadere statuisset animaduerneret, se aut ad illud tuendum, aut deserendum cogi: si defensionem suscepisset, tam grauis incendij initium fore, ut Turcarum præsertim armis terra mariq; tanta ui Venetos impetentium, Christianæ reipub. ualde perniciosum esset futurum: sin deseruisset, suum Siciliæ regnũ in graue discrimē conijci: præterea his omiſſis neapolitanum regnũ quod ad ipsum iure spectaret, quodq; etiam Federici posteris deficiētibus, nouo iure ad ipsum peruenire posset, à Galliæ rege occupari, manifestè ipsi insigni detrimento fore. In hac igitur ancipiti deliberatione, diuisionis uiam elegisse, qua ex Gallorum peruersa administratione illorum quoq; partem sperare posset: quod si contingeret, ex publicæ utilitatis ratione, ad quam semper plus quam ad proprium commodum cõsilia sua direxisset, consilio capto, uel sibi retineret, uel Federico, siue potius eius liberis, quòd eius nomen se iã penè odisse, ut qui illum iam antequam Galliæ rex Insu briam occuparet, cum Turcis consilia agitasse sciret, negare non posset, restitueret. Horum regum concordie nuncijs ita Federicum terruit, ut quamuis Consaluis, quæ Romæ promulgata erant contemnere fingens, se illi opem laturum asseueraret, à primis nihilominus consilijs discederet, & Sangermano Capuam uersus regressus, copias à Columnijs suo nomine conscriptas expectaret, qui præsidij Ameriæ, & in Roccapapæ re-

lictis, reliqua omnia quæ in Latio possidebant deseruerunt: Pontifex enim ex Gallie regis consensu ad illorum fortunas occupandas arma mouerat. In his difficultatibus, cum tandem Consaluis simulatque gallicum exercitum ultra Romam processisse intellexit, sua patefecisset mādata, & sex triremibus Neapolim, quæ duas seniores reginas, quarum una soror, altera neptis sui regis erat asportarent, misisset, Prosper Columna Federico eas triremes ut retineret, & omnibus uiribus suis collectis, acie se hostibus opponeret suadebat: quòd in tentanda fortuna, quum præliorum euentus omnium humanarum actionum incertissimi sint, aliqua uictoriæ spes esse posset: hoc consilio omisso, nullam ipsi prorsus duobus potētissimis regibus, qui se ex diuersis regni partibus adorirētur, obsistendi facultatem reliquā esse: nihilominus Federicus qui id consilium quoque tenuissimæ spei censebat, oppidorum præsidij operam dare statuit: quare cum iam antequam Obigninus Roma exiret, Sangermanum aliāq; uicina loca defecissent primum impetum Capuæ expectare statuit: qua in urbe Fabricium Columnam, & cum ipso Ranutium Martianum, qui recenter ad eius stipendia uenerat, cum trecentis grauis, aliquot leuis armaturæ equitibus, & tribus peditum millibus posuit. Ad Neapolis præsidium Prosperum Columnam reliquit, ipse uerò cum reliquis copijs Auersæ constitit. Obigninus autem Roma profectus, quia Fabricius Romæ nonnullorum neapolitani regni procerum qui gallicas partes sequebatur, nuncios ad secum pasciscendum missos interfici curarat, indignatus, Marinum, Caium, & nonnulla alia Columniorum oppida incendi iussit. Deinde ad Montefortinum, quem

locum

locum Iulium Columnam defensurum arbitrabatur, contudit: sed cum illum parua cum laude deseruisset, Obigninus ulterius progressus, omnia in Capuano itinere circumiecta oppida ad Vulturnum usq; annem occupauit: quē cum prope Capuam uado transire non posset, ut in superiora loca montem uersus exercitum traiceret profectus est: quo cognito, Federicus Auersa relicta, Neapolim se contulit. Auersa uerò cum Nola, & multis alijs locis Gallis se dediderunt: quorum uires omnes circa Capuam cōuenere: ubi pars cis, alia trans flumen, ad superiorem partem, ubi ad urbem fluere incipit, castra posuit, & mœnibus undequaq; magno impetu concussis, ferocem admodum impressionē fecerūt: quæ quāuis non feliciter successerit, imò magna clade accepta, à mœnibus recesserint, tamen cum non absque defensorum graui periculo fuisset, ducum & militum animi, præcipuè quia in populo & regionis incolis, quorum maximus numerus eò confugerat, magnā consternationem animaduertebant, ad deditiōem inclinare cœperunt: cumq; octauo obsidionis die Fabricius Columna ex uallo cum Calatiæ comite de deditiōe loqui cœpisset, militum in custodiendo negligentia, ut sæpe in propinqua pacis spe accidit, hostibus irrupendi occasionem præbuit: qui ob prædæ cupiditatem, & ob cladem in oppugnatione acceptam ira perciti, totam urbem multa cum cæde diripuerunt, eosq; qui ipsorū crudelitati superfuerant, captiuos fecerunt. Nec minor fuit effërata in mulieres impietas, quæ ex omni statu, etiam quæ religioni deuotæ uirgines erant, uictorum libidini & auaritiæ misera præda fuere: quarum multæ postea minimo præcio Romæ uēditæ sunt: & fama est, aliquas

Capuæ minus mortem, quàm honoris iacturam horren-
tes, alias in puteos, alias in flumen se præcipites dedisse:
ac præter alia scelera infamia digna sempiterna diuul-
gatum est, ducem Valentinum qui regij uicarij appella-
tione castra tantummodo cum suis nobilibus & stipa-
toribus sequebatur, cum multæ quæ primum impetum
effugerant, in turrim quandam confugissent, omnes in-
spicere uoluisse: ijsq; diligenter inspectis, quadraginta
omnium formosissimas retinuisse. Fabricius Columna,
Vgo Cardonius, & omnes reliqui duces, uiriq; insignes
captiui fuerunt: inter quos Ranutius Martianus, qui in
oppugnatione balistæ iaculo sauciatus, cum in Valen-
tini ministrorum potestatem peruenisset, nõ absq; pro-
curata necis suspicione biduo extinctus est. Capuæ ia-
ctura, omnis ullius rei defendendæ spes sublata est. Caie-
tani absq; mora urbem dederunt: cūq; Obigninus cū
exercitu Auersam uenisset, Federicus Neapoli urbe re-
lictæ, quæ sexaginta ducatorum millibus uictori promif-
sis deditioem fecit, in arcem Nouam se recepit: ac post
paucos dies cum Obignino sic composuit: ut oppida at-
que arces quæ ex partitione facta ad Gallie regem spe-
ctarent, & in sua potestate essent, intra sex dies ei sola
Ischia insula ad sex menses retenta traderet: quo tempo-
ris interuallo, quocunq; uellet præterquam per regnū
neapolitanum ei ire: centum grauis armaturæ equites
Tarentum mittere: omnia præter tormenta à Carolo re-
ge relicta, ex arce Noua, atque altera quæ Oui dicitur,
asportare liceret: omnibus quæ postquam Carolus Nea-
polim uenerat commississent, condonarentur: Cardina-
les Columna & Aragonius sacerdotiorum census, quos
in eo regno habebant, perciperent. Sed in Ischiæ arce,
omnes

omnes certè Ferdinandi primi posterorum miseriæ miserabili spectaculo cumulatae cernebantur: quoniam præter Federicum recenter tam præclaro regno spoliatum, ac multo magis de tot paruulorum liberorū, et de primi sui nati Tarenti obsessi, quàm de propria sorte sollicitum, erat in eadem arce eius soror Beatrix, quæ post Mattiæ cceleberrimi Vngariæ regis uiri sui obitum, ab Vladislao Boemiæ rege, quo ab illa ad id regnum occupandum iuuaretur, matrimonij fide accepta ab illo ubi uoti compos fuit, ingratißimè repudiata fuerat, qui post Alexandri Pontificis permissu, aliam uxorem duxit: ibidem quoque erat Isabella Mediolanensium regina, haud minus quàm ceteri omnes calamitosa, quòd penè eodem tempore, marito, regno, atque unico filio orbata esset. Illud fortè, utpote maximum nequaquam prætermittendum est, quod quidem eò rarius est, quo temporibus his filiorum in parentes amor minus est frequens: Puteolos ad paternum sepulchrum uisendum unus è Gilberti Mompenscrij liberis uenerat, qui grauissimo mœrore commotus, innumeris effusis lacrymis, supra idem sepulchrum exanimis cecidit. At Federicus, extremo quo in Hispaniæ regem flagrabat odio ductus, quum ad Galliæ regis clementiam potius confugere statuisset, ad regem si lem publicam postulatum misit, eaq; accepta, suis omnibus in Ischiæ arce relictis, ubi etiam manserunt Prosper & Fabricius Columnij, qui multa persoluta à Gallis liberatus fuerat, & insula Vastij marchionis & Francheuille dominæ fidei ut antea fuerat, commendata: & copiarū suarū parte ad Tarenti defensionem missa, cum quinque triremib. in Galliam infelici sanè consilio traiecit: si enim libero in

loco fuisset, fortasse in bellis, quæ post inter duos reges orta sunt, multas in regnum suum redeundi occasiones habuisset: sed tranquilliorẽ uitã secutus, ac fortè hanc optimam rationem ratus, conditionem oblatam, ut in Gallia maneret, ab rege accepit: ea autè fuit, ut Andiovinorum dux esset, ac præterea aureorum nummum triginta millia quotannis acciperet: quibus rebus cõfectis, ijs quos Ischiæ præfecerat, uti eam Galliæ regi traderent mandauit: qui parère recusantes, diu sub Federici tamen insignibus eam tenuerunt. Eodem tempore Consalius in Calabriam transierat, ubi quamuis regio uniuersa Gallorum potius imperium exoptaret, tamen cū nullum defensorem haberet, omnia oppida & urbes præter Manfredoniam atque Tarentum, sponte illum admiserunt: Manfredonia cum arce obsidione capta, exercitum Tarentum, ubi maior apparebat difficultas, duxit, qua nihilominus tandem quoq; deditioe potitus est: quoniam Potentiæ comes, cuius custodiæ paruus Calabriae dux à patre cõmissus fuerat, & Leonardus Neapolitanus Rhodius eques Tarenti præfectus, cum nullã amplius defensionis spem uiderent, nisi intra quatuor menses auxiliũ acciperent, urbem cum arce ei tradidere: isq; uicissim solemniter ad sacra altaris mysteria sacramento confirmauit, se Calabriae ducem liberum abire permissurum, qui occultum à patre mādatum habebat, si fortunæ amplius repugnare non posset, ad se in Galliam contenderet: sed nec Dei metus, nec apud homines suæ existimationis ratio, plus quã regni causa, potuerunt: cū enim Consalius, ipsum in Hispaniæ regis potestate nõ esse, olim plurimũ interesse posse animaduertet, iureiurãdo cõtẽpto abeũdi facultatẽ minimè dedit, sed

sed quamprimum potuit bene comitatum in Hispaniam misit: ubi à rege benignè acceptus, apud ipsum si externam quandam speciem spectes, in regio penè honore fuit. Hoc eodem tempore res Pontificis solitum felicitatis cursum obtinebant, quia mira facilitate omnem Columniorum & Sabellorum in Latio ditionem, in potestatem suam redegerat, cuius partem Vrsinis dono dedit: & Valentinus in bello aduersus Plumbinum perseuerans, Vitellotium, & Ioannempaulum Ballionem, cum nouis copijs eò misit: quorum aduentu Iacobus Appianus qui regnum illic obtinebat territus praesidio in arce & oppido relicto, maritimo itinere, ut num à rege, qui multo antè illum in suam clientelam receperat, ut proprij honoris causa se pessundari non permetteret, impetrare posset experiretur, in Galliam contendit: cui rex infamia sua nullo artificio tecta, se Pontifici non repugnaturum promississe, nec sine suo ipsius detrimento facere posse, admodum apertè respondit. Sed interea oppidum Pandulfi Petrucij opera Valentino deditum fuit: idemq; intra paucos dies & arx fecit, Pontifex etiam Lucretiam filiam, quæ iam tribus uiris desponsa fuerat, & tunc Gismundi Biseliorum principis, Alfonsi Neapolitani regis nothi filij, quem Valentinus trucidauerat, obitu, uidua erat, Alfonso Herculis Estensis natu maximo, cum centum millibus aureorum numùm in pecunia numerata dotis nomine, multisq; maximi pretij muneribus, connubio iunxit: cui matrimonio Estensis familia, nobilissimis affinitatibus contrahendis assuetæ, indigno, Hercules & Alfonsus, quia rex Gallie Pontifici in omnibus obsequendi cupidus, id summopere urgebat, cõsenserunt: sui etiam

regni, à Valentini armis & ambitione (si tamen aliqua aduersus tantam perfidiam erat idonea cautio) muniendi desiderio ducti, qui Pontificatus pecunijs & autoritate, nec non Gallie regis fauore potens, iam magnæ Italie parti erat formidabilis: utpote quæ cerneret eius dominandi libidinem, nullo iam termino aut freno contineri. Eadem tempestate Gallie rex, maxima diligentia non modò sumptuum ac suspicionum uitandarum, & mediolanensis imperij diu exoptati diplomatis impetrandi spe, uerùm etiam ut Venetos instandi facultatem haberet, pacem cum Maximiliano Cesare procurabat: ad quod quidem, quia suam felicitatem illis molestantem esse sciebat, eosq; ut pacem inter Cesarem & ipsum impedirent operam dedisse sibi persuaserat, impellebatur: sed multo magis Cremonæ & Giaradadæ, quas ipsemet paulo antè concesserat: & Brixie, & Bergomi & Cremæ, quæ urbes olim Mediolanensis dititionis fuerant, & à Venetis in bellis quæ cum Philippomaria Vicecomite gesserant, occupatæ, imperio suo adiungendarum cupiditate, quæ & per se, & Mediolanensium stimulis flagrabat, mouebatur: & ut hæc ex propinquiori loco tractaret, resq; ad neapolitanum bellum necessarias compararet, Cardinalem Rotomagensem, cuius lingua & autoritas regis ipsius lingua autoritasq; erat, multo antè Mediolanum miserat: qui cum ob Romanorū regis crebras mutationes, nihil adhuc cū illo firmi statuere potuisset, plures menses ibi moram traxerat. Hoc tempore Florentini per cardinalem, ut denuò in regis clientelam admitterentur egerunt, sed frustra: quoniam difficiles admodum leges proponebat, imò animo ab illis prorsus alieno

osten

ostenso, seq; pactioibus Mediolani factis non amplius
 teneri ratus, Lucensibus denuò in clientelam admissis,
 Petrasanctam & Mutronem, tanquam ueteri iure ad
 eam urbem spectantes, quatuor tamen & uiginti milli-
 bus aureorum numùm ab illis uelut Genuensium do-
 minus acceptis, eis tradi iussit: quia Lucenses olim Pe-
 trasanctæ domini, quadam necessitate impulsî tanta pe-
 cuniæ summa mutuò accepta Genuensibus oppignera-
 rant: ex quorum manibus postea iure belli ad Florenti-
 nos peruenerat: egit etiam cum Senensibus, Lucensibus,
 & Pisanis, ut ad Mediceos Florentiam reducendos con-
 iungerentur, regem ex singulis non paruam pecuniæ
 summam inde consecuturum sperans: quæ consilia etsi
 ferè ad stipulationem perducta fuerant, non tamen exit-
 tum habuere: quia non omnes ad postulatam pecuniam
 soluendam parati erant. Tandem certiore à rege Roma-
 norum spe allata, Cardinalis Tridentum ad transigen-
 dum cum illo se contulit: ubi multa ad Claudiæ Galliæ
 regis filię, & Caroli Archiducis nati maximi matrimo-
 nium mediolanensis ducatus iuribus utrique concessis
 firmandum spectantia tractarunt: agebatur etiam de
 bello Venetis inferendo: quo unusquisque ea quæ ab il-
 lis usurpari sibi existimabat recuperaret: & de uniuer-
 sali concilio, ad res Ecclesiæ non modò, ut aiebant, in
 membris, uerùm etiam in capite corrigendas, conuo-
 cando: & in hoc Romanorum rex, ut Rotomagensi
 Cardinali, Pontificatus, ad quem ipse uehementer aspi-
 rabat, & regem eius rei propriæ potentiæ gratia non
 minus cupidum habebat, adipiscendi spem faceret, con-
 sentire simulabat: ab Galliæ rege quoque in clientum
 & fœderatorum capite, ea exceptio, saluis imperij iu-

ribus concedebatur: qua Maximiliano, etiam in eos qui uel tunc ab rege nominati essent, uel prius in ipsius clientelam admissi, agere licebat, tantum præcipua priuilegij controuersia relinquebatur, quòd Cæsar maribus, si quos rex suscepturus esset concedere recusabat: & in insubriæ exulum restitutione aliqua erat difficultas: quam quum Cæsar uehementer urgeret, quia multi erant, & factione atque autoritate potentes, rex non admittebat, quamuis eiusdem precibus impulsus Ascanium Cardinalem liberarit: & de Ludouico Sfortia, cum uiginti millium solatorum stipendio, quo in Gallia regno honestè uiueret, pariter liberando spem fecerit: quibus in rebus quum non penitus inter eos conueniret, sed alicuius tamen commodæ rationis inueniendæ spes esset, eamq; ob causam inducijs denuo renouatis Cardinalis res tractatas breui prorsus transigi posse ratus, in Galliam redijt: quæ spes ideo aucta fuit, quia non multo post Archidux in Hispaniam, ut sibi & Ioannæ coniugi suæ, Hispaniæ regis natu maximæ uelut hæredibus, populorum fidem sacramento obstringeret profecturus, cum uxore terrestri itinere facto, Blesiaci Gallia regem conuenit: ubi maximo honore acceptus, de filiorum connubio concordēs fuere. Hoc ipso anno Augustinus Barbadicus Venetorum dux, principis munere felicissimè, tantaq; autoritate, ut in multis rebus superiorum suorum gradum excessisse uideretur, functus obiit: idè successorum potestate nouis legibus coarctata, republica, ob præstantem administrationis formam, nec principis morte, nec noui electione ullam mutationem passa, Leonardus Lauredanus in eius locum successit. Eodem hoc anno præter superiorum annorum

consue

consuetudinem, arma inter Florentinos ac Pisanos satis pacata fuerant: quia Florentini, quum non iam in Gallie regis clientela essent, semperq; Pontificem ac Valentiniū metuerent, magis proprijs rebus tuendis, quàm alienis infestandis operam dederant: Pisani uerò per se, ad laceffendum imbecilles, aliorum auxilio, quia nemo nisi ad illos quum in periculo essent tuendos mouebatur, id facere minimè poterant. Anno autem millesimo ^{1502.} quingentesimo secundo ad consuetos motus redierunt: quoniam Florentini sub eius anni initium omnibus difficultatibus magis fortunæ beneficio, quàm regis benignitate uel alijs de causis superatis, denuò cum Gallie rege foedus inierunt: rex etenim Romanorum post Rotomagensis Cardinalis discessum noua consilia ingressus, & Insubriae regni diploma etiam in filias regi concedere recusans, Hermetem Sfortiam, ab Gallie rege in Romanorum reginae sororis suae gratiam carcere liberatum, & Brixinae praepositum oratores in Italiam, ut cum Pontifice reliquisq; principibus de suo ad imperij coronam accipiendam aduentu agerèt misit: qui aliquot dies Florètia immorati, ut ea ciuitas illi quamprimum Italiam attigisset centum grauis armaturæ equites, & trecentas auri libras dare uellet, effecerant: quare rex, ne Florentini amicitia sua exclusi, ad Maximiliani res animum conuerterent ueritus, immoderatis postulatis omiſſis, ad æquiores conditiones deuenit: quarum hæc fuerunt capita: Rex eos patrocinio complexus per tres proximos annos proprio ære à quouis, qui seu iure seu iniuria eam quam tunc possiderent ditionem infestaret, armis tueri teneretur: Florentini eo triennio, mille ducentas auri libras regi

darent: ita ut singulis annis tertiam penderent partem: omnia reliqua fœdera inter illos facta, & quæ ex ijs penderent obligationes sublatae extinctæq; essent: Florentinis Pisanos aliosq; qui ipsorum oppida occuparent armis persequi liceret. Quo fœdere audaciores facti, ut postquam oppugnatio infeliciter tentata fuerat, Pisanos temporis longitudine & fame ad deditiorem cogere, agros vastare decreuerunt. Hoc consilium primo illorum defectionis anno ab aliquo sapienti ciue, qui hac, quamuis longiori, certiori tamen via, minori sumptu ac periculo, Pisanos affligendos atque atterendos suadebat, propositum fuerat: quoniam pecunia conseruata, in tam perturbato Italiae statu multis occasionibus uti possent: si autem illos ui cogere conarentur, quum ea urbs mœnibus munita, & incolis ad eam defendendam pertinacibus plena esset, rem factu difficilem fore: & quia quotiescunque illa in periculo uersaretur, omnes illi qui eam non opprimi cuperent, qui multi quidem erant, opem essent laturi, sumptus graues, spes autem exiguas, imò cum manifesto grauium molestiarum discrimine fore: quod ab initio uelut perniciosum reiectum, plurium annorum cursu, sed eo tempore, quòd ad uictoriam adipiscendam iam ingentem pecuniæ uim insumperant, & plurima pericula subierant, utile repertum est. Agris igitur uastatis, regij patrociniij metu neminem arma moturum sperantes, ad Vicopisanum exercitum miserunt: quia illud oppidum ante paucos dies, nonnullorum militum qui in praesidio erant proditiore, in Pisanorum potestatem peruenerat: & arcis praefectus, auxilio, quòd intra paucas horas adfuiisset, minimè expectato, per
summa

summam ignauiam arcem quoque dediderat: nec de uictoria facile cōsequenda, quòd illos quindecim dierum commeatum non habere scirent, & quo minus inferretur se prohibituos sperarent, dubitabant: quare munitionibus in montibus extructis, & pluribus in locis itineribus occupatis, quum eodem tempore Fracassam, qui pauper, & sine stipendio in Mantuano agro degebat, Maximiliani penè mendicatis literis & nomine fretum cum paucis equitibus Pisas petere comperissent, in Barginensi agro ei insidias posuerunt: quibus in timere oppressus, quamuis in propinquum Ferraricnsium ducis imperij templum confugisset, à persequentibus captus fuit. Hæc in Hetruria gerebantur, nec dum quid præter hominum expectationem paritura essent apparbat. Sed maiores longeque periculosiores motus, & ex quibus maximi momenti res manaturæ erant, in regno neapolitano, ob dissidia iam superiore anno inter Gallos & Hispanos præfectos orta, gliscere incipiebant: quorum origo fuit, quòd quum ex illa regni diuisione, uni Leborij campi & Aprutium, alteri Apulia & Calabria prouinciæ adiudicatæ essent, prouinciariū fines & termini non bene expressi fuerant: ex quo uterque eam partē, quæ nunc Capitanatus dicitur, sibi deponere cepit: cui controuersia, priscorum nominum, ab Alfonso Aragonio eius nominis primo neapolitano rege immutatio facta occasionem præbuit: qui ut censuum ac uectigalium exactiōem faciliorem redderet, regnum uniuersum in sex præcipuas prouincias distribuit, hoc est Leboriam terram, Principatum, Basilicatam, Calabriam, Apuliam, & Aprutiū: ex quibus Apulia in tres partes diuidebatur, uidelicet in Hydruntinā,

Barensem, & Capitanatum: qui Capitanatus quum Aprutio sit coniunctus, ab reliqua Apulia Lofanto flumine, qui olim Aufidus dicebatur, seiungitur. Galli igitur qui nouæ appellationis non habita ratione, in diuidendo ueterem spectauerant Capitanatum aut sub nulla quatuor dictarum prouinciarum comprehendi, aut potius Aprutij quàm Apuliæ partem esse uolebant: nec tam regionis magnitudine mouebantur, quàm quòd nisi Capitanatum possiderent, nullum ex pecore uectigal, magnum eius regni uectigalium membrum ad ipsos perueniebat: & quia Aprutium & Leborij campi frumento quod in Capitanatu nascitur spoliati, sterilibus temporibus, quoties ab Hispanis ex Apulia & Sicilia accipere prohiberentur, facile ad extremam penuriam redigi poterant. Sed in contrariam partem, quòd Aprutium locis montanis terminatum ad planitiem minimè protendatur, & quia in controuersijs de prouinciarum nominibus & terminis semper præsens consuetudo spectatur, Capitanatum minimè ad Gallos pertinere adducebatur. Quibus in altercationibus, anno priore, uectigalibus in æquas partes diuisis contenti fuerant: sed anno sequenti eadem diuisione minimè contenti, quantum quisque potuerat arripuerat, & nouæ contentiones accesserant: iam tunc (sic fama erat) magis præfectorum uoluntate, quàm regum consensu excitatæ, quoniam Hispani Principatum, & Basilicatam Calabriæ, quæ duplex est, Calabria citra, & Calabria ultra, id est, superior & inferior, includi, & Beneuentanam uallem quam Galli possidebant, Apuliæ partem esse uolebant: & ideo magistratus qui iurisdictionem exercerent ad Tripaldam, duobus ab

Auellino, ubi Galli magistratus erant, passuum millib. procut miserunt: quæ apertè dissensionis initia cum regni proceribus molesta essent, inter Consaluū Hernandem, & Ludouicum Arminiacum Nemurij ducem Gallia regis uices gerentem, operam suam interposuerunt: qua effectum est, ut Ludouicus Melfiam, & Consaluus Atellam, Melfiani principis oppidum uenerit: & post aliquot mensium agitationes, quibus etiam duo summi præfecti simul collocuti sunt, nulla inter eos concordia forma inuenta, suorum regum mandata expectare statuerunt: ita ut interea temporis nihil innouaretur. Sed Gallus prorex, quòd uiribus longè superior esset, superbia elatus, intra paucos dies alia lata sententia, Consaluo, ni illico Capitanatum relinqueret bellum indixit: dein statim milites suos ad Tripaldam excurrere iussit, ex qua incursione, quæ decima nona die Iunij facta fuit bellum initiū habuit, in quo semper perseuerantes Galli, sine delectu oppida quæ Hispani in Capitanatu & alibi possidebant ui occupare cœperunt: quæ à suo rege non modò repressa non fuerunt, uerum etiam cum Hispania regem Capitanatu non cedere decreuisse iam certior factus esset, toto animo ad bellum cōuersus, duo Heluetiorum millia mari suis auxilio misit, & Salernitanum atq; Bisinianum regulos, cum nonnullis alijs nobilium primoribus, ad stipendia sua pertrahi curauit: præterea ut ex propinquiori loco res ad totum regnū imperio suo subijciendum, ad quod iam locis quæ in cōtrouersia erant minimè cōtentus, palam aspirabat, necessaria suppeditare posset, & si opus foret, in Italiam transiret, Lugdunū uenit: ad id autem citò efficiendum noui tumultus in Hetruria exorti, Vitellocij, Io. Paulo

Ballione & Vrsinis conscijs opera, & præcipuè Pandulfi Petruccij consilio & autoritate concitati, qui omnes Petrum Medicem Florentiam reducere cupiebant, illum coegerunt. Res hanc habuit originem, quum Guilielmo Paccio Florentinorum Aretij præfecto, nonnullos ciues eam urbem ipsorum opera à Florentinis defecturam, cum Vitellotio pactos esse innotuisset: ipse omnium animos corruptos esse minimè ratus, & publici nominis autoritatem, pro uirium defectu satis fore persuasus, nullo idoneo ad coniuratos, & eos qui repugnare uellent opprimendos subsidio comparato, quod breui temporis spacio facere poterat, repente duos ex conscijs in carcerem conijci curauit: quare populus à ceteris coniuratis concitatus, et alioqui semper sinistro in nomen Florentinum animo, tumultuans duos captiuos recuperauit, & præfectum cum reliquis magistratibus cepit, ac per totam urbem libertatis nomine conclamato, apertam defectionem declarauit, sola arce in Florentinorum potestate relicta, in quam tumultus initio Cosmus eius urbis episcopus præfecti filius confugerat: quo facto Aretini statim ad Vitellotium accersendæ miserunt, cui id antè ab se cum coniuratis statutum tempus accidisse, quia nundum uires, quibus Florentinorū copijs, si ut uerisimile erat, Aretium per arcem ingredi uoluisset obsisteret, collegerat, non placebat: cuius metu gratia, quamuis statim cum sua equitum ala, & multis peditib. quos à Ciuitate castelli expectabat, Aretium cōtenderit, & Io. Pau. Ballio milites aliquot Perusia miserit, et P. Petrucius clam aliquā pecuniæ summā suppediuit: tamen illis copijs, cum mandato, ut arci ne ex ea in urbem aditus pateret obstruendæ diligenter operā darent

rent, ibi quasi mox maioribus uiribus Aretium esset rediturus relictis, Ciuitatem castris reuersus est. At Florentiae ab illis, ad quos huius rei cura pertinebat, quãtũ momenti esset hic motus, non satis ab initio animaduersum fuit: nam quum ciuitatis principes, quorum consilio de grauibus reip. negocijs deliberari solebat, copias quæ ad Vicopisanum castra habebant, numero tantas, ut si citò perrexissent, ualidum impedimentũ non essent habituræ, statim Aretium mitti suassissent, multi imperitũ qui maiores magistratus gerebant, hãc rem leuem esse, cuiq; ei urbi uicinorum uiribus occurri posset: sed ab ijs qui animo à præsentĩ statu alieno, ne eo anno Pifarum recuperationi incumbi posset, Vicopisanum non expugnari cupiebant, periculum maius fingi uociferantes, tandiu copiarum profectiõnem distulerunt, ut Vitellotius ex illorum tarditate resumpto animo, & iam uiribus auctus Aretium redierit, quẽ Io. Paulus Ballio, Fabius Pauli Vrsini filius, Cardinalis & Petrus Medicei, cum alijs copijs secuti sunt: & tormentorum apparatus Senis accepto, arcem uerberare cœperunt: in qua more quorundam, qui in nouis munitionibus ædificandis quã in iam extructis conseruandis diligentiores sunt, comatus & reliqua omnia ad defensionẽ necessaria deficiebant: præterea ab exteriori latere, ut auxiliij admitteendi facultatem adimerent, fossis aggeribusq; præsepuerunt: adeo ut qui intus erãt, necessarijs rebus destituti Florentinorum copias, quibus Hercules Bentiuolus imperabat, tandem castris ad Quaratam castellum Aretio propinquum positis, ulterius progredi non audere scientes, auxiliij spe frustrati, quartodecimo post ciuitatis defectiõnem die coacti, ea lege, ut ceteris liberis, Epi

scopus cum octo alijs ab Aretinis nominatis, quo eos cum nonnullis ciuibus suis qui Florentiæ in carcere detinebantur permutare possent, captiui essent, arcē dediderunt: quam Aretini statim facto concursu diruerūt: & florentinus exercitus, ne Vitellotius & Io. Paulus, iam ipsis potentiores in se ducerent ueritus, omnia circumposita oppida capiendi hostibus potestate relicta, Monteuarhium se receperunt. Opinio fuit hanc irruptionem absq; pontificis & Valentini, quibus Petri Medices propter ipsius cū Vitellotio & Vrsinis, quos iam opprimere clām in animo habebant, necessitudinē, Florentiam reditus molestus fuisset, consilio factam fuisse: nihilominus semper cōtrarium simulantes, Vitellotiū, Io. Paulum & Fabium suos milites eam expeditionem persequi permiserunt: nec summā se ex Aretij defectio- ne uoluptatem cepisse dissimularunt, facile fieri posse sperātes, ut ex Florentinorum molestijs, uel ipsi aliquā illorum imperij partem adipiscerentur, uel illos ad aliquas duras condiciones sibi utiles accipiendas cogerēt. Florentinis autem illos eius rei autores non fuisse difficile persuasum erat: ideoq; tāto magis territi, & proprijs uiribus diffisi, quòd propter peruersum ciuitatis statum paruum equitatum haberēt, nec tam citò, quàm in tam repentino periculo necesse fuisset, comparare possent, summa diligentia Galliæ regis auxilia implorarunt, nō modò quòd tam recenter ipsorum patrociniū suscepisset, de ipsius honore, uerumetiam de periculo, si Pontifex & Valentinus, quorum opera hos motus excitatos dubitandum minimè esset, Hetruriæ imperio poterētur, Insubriæ imminenti agi, commemorantes: illos armorum potentia, & exercitu delectis ducibus ac mili-

tibus

tibus florenti uigere: iamq; ad illorum immensam ambitionem explendam, nec Aemiliam Flaminianamq;, nec Hetruriam omnem satis esse, sed uastos immensosq; fines sibi proposuisse luce meridiana clarius apparere: & quandoquidem regis maiestatem, eos qui sub illius patrocínio erant, adorti læsissent, cogi nunc illos non minus de propria salute, quam facultate, qua tantam iniuriam ulcisci possit, ei adimenda cogitare. Regem, cui iam antea Pontificis ac filij insolentia ambitioq; molesta esse coeperat, hæ rationes uehementer commouerunt: cumq; bellum in regno neapolitano cum Hispaniæ regib. coeptum esse, tentatam cum Maximiliano pacem, impeditam, nec se multas ob causas Venetis fidere posse animaduerteret, uereri coepit, ne Hetruriæ motus occulto aliorum consilio maiora spectaret: quam suspicionem, Caroli Ambrosij Ciamontij domini Rotomagensis cardinalis nepotis, regijq; in Insubria uicarij, qui ex hoc nouo motu suspicione capta, ut proprio periculo sollicitè obuiam iret hortabatur, literæ uehementer confirmarunt: quocirca in Italiam quamprimum transire, & in Florentinorum rebus defendendis, moram nullam interponere statuit: eidemq; Ciamontio uti statim illis quadringentos cataphractos auxilio mitteret imperauit, ac Normandiam Fecialem suam celerrimè mutatis equis, qui Vitellocium, Io. Paulum, Pandulfum, & Ursinos, atq; unam Valentinum ducem, à Florentinorum iniurijs destitute iuberet, misit: & ipsemet cum pontificio oratore uehementer ea de re egit, Julianoq; Mediceo, Pandulfo ac Vitellotij procuratoribus, qui in ipsius aula erant, admodum contumeliosis uerbis minatus est. Interea Valentinus, qui post Arcetij tumultum, Camerini expugna-

tioni quo prius Grauinæ ducem, & Liucrotum Firmatum cum copiarum parte ad agros uastandos, & urbē obsidendam miserat, se uelle operam dare simulant, re autem uera, Vrbinati imperio insidijs occupando intentus, cum exercitu Roma egressus erat: reliqua copiarū parte in Perusini agri finib. collecta, à Guidobaldo Vrbinatum duce, tormenta & militum auxilium petijt. quia uerò principi qui tam propinqua arma haberet, denegare minimè tutū erat: & quia controversia quedam, quam de tributis cum Pontifice habebat, fuerat iā antè composita, timendi causam non habebat, eius petitioni facile annuit: sicq; uiribus illi ad defensionem ademptis, repente Nuceria tanta celeritate profectus, ut ne cibi sumendi quidem militibus suis in itinere spaciū concesserit: eodem die copias Calliū, quæ ciuitas in Vrbinati imperio est, duxit: qui repentinus illius aduentus illos omnes imparatos ita terruit, ut dux cum Franciscomaria Ruuereo urbis præfecto suo nepote, uix euadendi facultate habita, sic in fugam coniecti fuerint, ut præter Sanlei & Maioli arces, Valentinus, ingenti Pandulfi Petruccij, Vitellotij & Vrsinorum, qui ex aliorū malis proprium periculum cernere incipiebant, cū dolore atq; terrore, paucarum horarum spacio totum illud regnum in potestatem suam redegerit. Vrbinati regno occupato, uaria fuerunt eius consilia, an ad Cameratinum bellum conficiendum se conuerteret, an uerò palàm Florētinos inuaderet, ad quod quidem toto animo propensus fuisset, nisi iam ab rege acceptum mādatum, & quòd illum Pontificis, ne se his motibus opponeret precibus posthabitis, prorsus animo ad illorum defensionē obfirmato, cataphractos illis auxilio mittere sciret: &

ret: &

sciret: & quod magis illum mouebat, quia ipsemet re-
gem in Italiam uenire audiebat, obstiisset. Quæ dum
secum animi dubius uoluit, Urbiniq; ex rerum euentu
consilium capturus moratur, uaria eodẽ tempore à Põ-
tifice & ipso cum Florentinis, quos aliqua ex parte in
sua uota pertrahi posse sperabant, agebantur, & simul
suos milites semper in Vitellocij castra ire patiebatur,
qui octingentis equitibus & tribus peditum millib. col-
lectis, & quo maiorem rebus auctoritatem conciliaret,
copias suas Pontificium exercitum appellans, post Are-
tinæ arcis deditiõnem, montem Sansouinum, Castellio-
nem aretinum, & Crotonem urbem cum ceteris omni-
bus Glanice uallis oppidis atque castellis occupauerat:
quorum nullum, quod Florentinorum parata auxilia
non uiderent, quodq; mensis tẽpore instante fructus nol-
lent amittere, oppugnationem expectauit: seq; non i-
deo à Florentinis, quum in castris esset Petrus Medices,
pro cuius restitutione ea geri dicerentur, deficere excu-
santes aiebant. Nec dubium est, quin si Crotona capta,
Vitellotius extemplò Casentinum agrum ingressus esset
ad Florentiæ mœnia usq; progrediendi facultatem, cum
nundum Gallie copie aduenissent, & maxima Floren-
tinorum peditatus pars, singulis, quod ex captis ab ho-
stibus locis penè omnes essent, ad propria domicilia re-
uersis, dissipata esset habiturus: sed Sansepulchri Burgi
Ciuitaticastelli propinquum occupandi cupiditas, quã-
uis eius tegendæ gratia, nullum hostilem locum à tergo
relinquendum diceret, melius consilium impediuit: qua-
re in Anglarium conuersus est: quod oppidum in hac
constantia solum, cum tamdiu donec tormenta collo-
cata essent expectasset, nulla re ad defensionẽ cõparatũ

cum aliquot militib. absq; ulla exceptione uictoris arbitrio se dedit. Anglario capto, mox Sansepulchri Burgum pactione accepit, deinde Casentinū uersus redijt, & castris ad Rassinam uillā positis, per præconē Poppiū oppidum sibi dedi postulauit, in quo natura munito pauci milites erant: sed Gallicorum armorum existimatio id effecit, quod illorum uires nondū efficere potuissent: nam cum iam ducenti cataphraeti Imbaltio duce prope Florentiam uenissent, nec, quia peditatu carebant, hostibus appropinquare auderent, ad Sanioannē in Arni ualle, ut eo in loco omnes copiæ coniungerentur, castra posuerāt: Vitellocius autem illorum in Arni uallem cōgnita profectiōne, Aretij rebus se absente metuens, summa celeritate ex Auernia in Cecilianū collē duobus à Quærata passuum millibus distantem se recepit: deinde, ut animum ostenderet, Rondinēq; & alia uicina loca confirmaret, tria milliaria progressus, aliquot peditibus ad Gargonse & Ciuitellæ, qui erāt aditus, quibus Florentinus exercitus eam regionem ingredi poterat, custodiam relictis, prope Rondinum tuto in loco castra locauit. Florentinorū autem copiæ; cū iam alij 200 cataphraeti Lanireo duce uenisset, inter Monteuarchiū & Laterinā, ut quumprimū tria peditū milia collegisset, in aliquo eminenti colle prope Vitellociū castra metarēt, congregabātur: quod cū ipse expectare nollet, quia post nec manere, nec sine maximo periculo abire potuisset, ad Aretij mœnia regressus est. Sed Gallicis cum toto exercitu in aciē progressis, & in Quæratæ frōte positis, Aretiū ingressus est: & quāuis se in ea urbe defendēda memoria dignā operā nauare uelle seper dixisset, tamē nouis casib. ingruētib. noua cōsilia sequi coactus

coactus est: quoniã Ioannes paulus Ballio Vrbinatium rerum exemplo proprijs rebus metuens cum suis militibus Perusiam se contulerat: quo etiam exemplo, non minus Camerinatium rerum successu, Vitellotij, Pandulfi Petrucij & Vrsinorum animi ualde erant perturbati: quoniã Valentinus, dum de pactione cum Iulio Varano Camerinatũ principe agit, urbe fraude capta; Iuliam cum duobus liberis qui in eius potestatem uenerant, eadem immanitate qua in ceteros utebatur, strangulari curauit. Id autem Vitellotio maiorem incutiebat terrorem, quòd Gallia rex qui iam Astam peruenerat, Ludouicum Tramolliam cum ducentis cataphractis, & plurimis tormentis in Hetruriam mittebat: isq; Parmæ tria Heluetiorum millia quæ ab rege ad Aretij recuperationem Florentinorum ære mittebantur expectabat: quia rex mirum in modum Pontifici iratus, Valentinum Flaminia Aemiliaq; & alijs locis quæ occupauerat spoliare in animo habebat: hancq; ob causam, ijs omnibus, qui uel eius potentiam metuebant, uel ab illo lesi fuerant accersitis, se ad id bellum contendere uelle asseuerabat: & palam maximo ardore id bellum tam pium, tamq; sanctum esse, ut nec magis pium, nec sanctius aduersus Turcas bellum esset futurum, aiebat: simulq; Pandulfum Petrucium, quòd Ludouicum Sfortiam, quum Mediolanum redijt pecunia iuuisset, & post semper Cæsaris partes esset professus, Senis pellere in animo habebat: at Pontifex & Valentinus, quum se tam grauem tempestatem sustinere non posse cognoscerent, artibus suis usi, Aretinum tumultum à Vitellotio ipsis inscijs concitatum affirmabãt: nec se tanta auctoritate fuisse ut illum remouere, uel ne Vrsini & Ioan-

nespaulus Ballio quamuis suis stipendijs militarent, praeuatis de causis ei auxilium darent, possent efficere: quin etiam quò regis animum magis placaret Valentinus, Vitellotio misit, qui ni statim Aretium & reliqua Florentinorum oppida desereret, se exercitum suum aduersus illum ducturum minaretur: quibus rebus terretus Vitellotius, ac ne (ut plerunque fit) potentioribus inter se conciliatis, regis ira in se minus potentem uerteretur ueritus, cum Imbaltio duce Aretium accersito Florentinis, qui capta loca statim sibi liberè restitui uolebant, frustra repugnantibus, pactus est ut ipse statim cum suis copijs discedens, Aretium & omnia reliqua oppida Gallorum ducum potestati regis nomine tantum custodienda, donec Ursinus cardinalis qui in Galliam proficiscebatur regem esset alloquutus, traderet: interea uerò temporis nulli milites, praeter unum ex Gallis ducibus cum quadraginta equitibus Aretium ingrederentur: ad cuius securitatem & promissorum seruandorum cautionem, Vitellotius duos nepotes suos Imbaltio obsides daret: hoc facto statim cum omnibus copijs & tormentis quae Aretij erant, omnibus oppidis in Gallorum potestate relictis, discessit: quae regis iussu quamprimum Florentinis restituta fuerunt: sicq; quod dum de pace ageretur, Imbaltius non absque irrisione illorum querelis responderat: se ubi Florentinorum tam celebre ingenium esset non uidere: qui ad uictoriam statim sine periculo & sumptu adipiscendam, & ad perturbationum pericula, quae Gallorum natura à comaeatus inopia, alijsue de causis oriri possent uitanda, Aretium in regis manus quouis modo peruenire, qui ea quae sui duces Vitellotio promississent,

nisi

nisi quatenus uideretur, rata nõ esset habiturus, optandum esse non animaduertent: Florentini in hunc modum facillimè, quamuis non paruo sumptu, tam graui ac repentino periculo liberati, ad reipubl. formam statumq; corrigendum animum conuerterunt: ex cuius uitio & perturbatione tantum periculum profectum iam uel ipsi multitudini experientia notum erat: quoniam ob crebram magistratum mutationem, & quòd paucorum nomen populi suspectum esset, nec publici magistratus, nec priuati homines erant, qui assiduam rerum curam haberent: sed quia ciuitas serè uniuersa tyrannidem detestabatur, & optimatum autoritas multitudini erat suspectissima, nec perfecta reipubl. forma, quum imperiti homines solis rationibus conuinci non possent, unica deliberatione constitui poterat: quare tunc unam tantum nouam legem ferre decretum fuit, nimirum, ut Iustitiæ Vexillifer Reipub. princeps, quiq; cum senatu in duos tantum menses crebatur, in posterum toto uite sue tempore eum magistratum gereret, ut perpetuis cogitationibus reipublicæ inuigilaret, & publicum bonum procuraret, ne respubl. neglecta deinceps in tot pericula rueret: ac sperabatur eum tum suis uirtutibus, tum quòd in tanta dignitate perpetuò esset futurus, tantam sibi apud populum fidem conciliaturum, ut paulatim, reliquas reipublicæ partes facillè constituere, & dignioribus ciuibus in honesto aliquo gradu collocatis, medium inter se & multitudinem inuenturum, quo populari imperitia atque licentia temperata, iisque qui illi in ea dignitate successuri essent, si nimium sibi arrogare uellent fræno constrictis administrati

prudens, & multis ad concordiam in ciuitate conseruandam rebus oportunis, exornata firmaretur: qua lege lata in maioribus comitijs, Petrus Soderinus, uir ætate matura satis amplis opibus, nobili genere, integritatis continentie fama celebris, quiq; in publicis rebus plurimum laboris insumpserat, & quod ad ambitionis occasionem uitandam magni erat momenti, liberis carens, magno ciuium concursu atque consensu Vexillifer creatus est. Sed ut ad res communes reuertamur, ad Gallie regem, quamprimum Astam uenit, ex more omnes Italiae principes & liberae ciuitates, alij ipsimet, alij per legatos concurrerunt: inter quos fuisse Ferrariensium dux, & Mantuae marchio: quamuis hic nec fidus, nec gratus aduenit: & Baptista Ursinus cardinalis inuito Pontifice ut suis ac Vitellotio de Aretinis rebus obiecta crimina dilueret, & regem aduersus Pontificem ac Valentinum concitaret profectus: in quos, pro regis pristino ardore, gallica arma motum iri, summo totius Italiae desiderio expectabatur. Verum quæ à multis optantur rarò euenire, res ipsa uerissimè esse docet: nam quum humanarum actionum effectus plerumq; ex paucorum pendeant uoluntate, horumq; mens & fines serè semper à multorum mentibus atque finibus diuersi sint, uix res secus quàm ex eorum mente à quibus actiones gubernantur geri possunt: ut in hoc negocio accidit, in quo propriae utilitatis ratio & fines, regem ad contrarium communi omnium desiderio consilium sequendum impulerunt. Regem non tam Pontificis, qui nunquam proprijs hominibus missis, ut eius animum placaret conari desistit, diligentia mouit, quàm Rotomagensis cardinalis, tunc ut semper fuerat

amicitiæ inter Pontificem & Gallie regem, non modo propter regiam, uerum etiam propter suam utilitatem conseruandæ cupidi consilium: nam & à Pontifice gallica legatio in decem & octo menses ei prorogata fuit: & quia sibi ad Pontificatum fundamenta sollicitè parabat, propinquos & clientes ad purpurei Galeri dignitatem ab illo promoueri impetrare uolebat: sibiq; Pontificij imperij amanti & defensoris famam ad idem profuturam censebat. Præsentium quoque temporum status, ad regem in hanc sententiam facilius pertrahendum, accedebat: quia & de Cæsare qui animo minimè pacato denuò multos equites & certum peditum numerum Tridentum miserat, & multa Pontifici ut ab illo ipsius in Italiam ad imperij coronam capiendam transitus iuuaretur promittebat, suspicabatur: & eo maioris omnes Cæsaris motus faciendi erant, quòd rex Insubriam & neapolitanum regnum in sua potestate esse, Venetis molestum sciret: accedebat etiam cum quatuor Helueticorum pagis dissidium, qui Bellizone iura sibi cedi, Telinam uallem, aliaq; immoderata tradi postulabant: quod ni faceret, cū Maximiliano foedus inire minabantur: hasce difficultates augebat, quòd omni pacis cum Hispaniæ rege spe exclusus erat: nam etsi rex ille, Federici in regnum restitutionem proposuisset, idcoque ipse illum secum in Italiam adduxisset, de inducijs quoque ad certum tempus singulis quæ possiderent retinentibus faciendis agitatum esset, amen utrumq; negocium tot habuit impedimenta, ut Gallie rex uehementer indignatus, Hispanos oratores ab aula sua dimiserit: quas ob causas, quem Pontifex nouissimè per Troccesium fidelissimum cubicularium suum, ad illum

cesium fidissimum cubicularium suum, ad illum mis-
 sum, se & Valentinum ipsi totis uiribus in neapolitano
 bello affuturos promississet, in Pontificis amicitia per-
 manere statuit: idcirco quamprimum Troccesius Ro-
 manum redijt, Valentinus illius responso fretus, clam per-
 mutatis equis, ad regem qui Mediolanum uenerat, con-
 tendit: à quo contra expectationem grauissimoq; om-
 nium mœrore, humanissimè, ingenitq; honore acce-
 ptus fuit: quare, quum milite in Hetruria non iam opus
 haberet, Senensibus & Pandulfo Petrucio, ea lege ut
 partim statim, partim certis temporibus quadraginta
 aureorum numum millia soluerent, in clientelam acce-
 ptis, in Insubriam copias illas reuocauit. Deferbuerunt
 deinde mox Maximiliani motus, adeo ut regi penè nea-
 politanarum rerum cura tantummodo relinqueretur:
 quæ tunc satis feliciter succedere uidebantur, maiorq;
 in posterum felicitas sperabatur: quoniam rex quãpri-
 mum in Italiam peruenit, duo Heluetiorum millia &
 totidem uel plures Vasconum mari miserat, quibus
 pro regi, qui præter Manfredoniam, & Santangelum,
 uniuersum Capitanatum imperio suo subiecerat, con-
 iunctis, ad Canusium in quo erat Petrus Nauarrus cum
 sexcentis Hispanis pedibus castra posuit: quod oppi-
 dum, ubi aliquot dies egregiè se defendisset, Consalui,
 qui ne illorum militum iactura fieret, ut extrema peri-
 cula non expectaret imperarat, mandato, Nauarrus ho-
 minibus ac fortunis saluis Gallis dedit: quocirca quã
 Hispani, neque in Apulia, neque in Calabria, neque in
 Capitanatu ullum oppidum, præter supradicta, & Bar-
 lettam, Andriam, Gallipolim, Tarentum, Cosentiam,
 Hieracem, Semenariam, & pauca alia mari proxima
 possi-

possiderent, & Consaluis copiarum numero longè inferior esset, cum exercitu sine pecunijs, exiguo commedatu, & tormentarij pulueris inopia, Barlettam se contulit: puluere tamen Veneti Senatus, qui magnam nitri copiam Venetijs Consalui nomine coemi minimè uetuit, tacito consensu adiutus est: qua de re quum Gallie rex questus esset, se inscijs à priuatis mercatoribus id factū, Venetijs autem, tanquam in libera ciuitate, nulli unquā quo minus negotiationes & commercia sua exerceret, interdictum fuisse responderunt. Canusio capto, Galli duces quòd multas ob causas & præcipuè aquæ penuriam omnes copias circa Barlettam hæere non posse dicerent, quamuis (ut multi aiunt) contra Obignini sententiam attestationemque, copiarum, in quibus fama erat mille ducetos cataphractos, & partim Italarum, partim transalpinorum militum decem millia esse, parte circa Barlettam ad diuturnam obsidionem relicta, reliquos ceteris regni locis recipiendis operam dare statuerunt: quæ res, ut multi crediderunt, Gallorum addita negligentia, rebus illorum maximum attulit detrimentum. Hoc ergo consilium sequutus prorex, totam Apuliam, præter Tarentum, Hydruntum & Gallipolim, in potestatem suam redegit: deinde ad Barlettæ obsidionem redijt: eodemq; tempore Obigninus cum altera exercitus parte Calabriam ingressus, Coseniam, Hispanis arcè tuentibus cepit, atq; diripuit: deinde cum omnibus Hispanis qui in ea prouincia erant, & alijs copijs quæ ex Sicilia uenerant simul coniunctis congressus, eos debellauit. Hæc omnia dum rex esset in Italia uel iam feliciter gesta, uel in ipso cursu posita, nō modò illum ad necessarios apparatus, in quibus perfi-

ciendis si diligenter perseuerasset, hostes facile toto regno expulisset, negligentem fecerunt, uerum etiam omnem sui in Galliam reditus ambiguitatem sustulerunt: idq; eò magis, quia iam ab Romanorum rege quas paulo post impetrauit diuturnas inducias sperabat: sed in eius ex Italia discessu, magna omnium admiratione quid cum Valentino duce egisset elucescere coepit: quem aretinarum rerum excusatione admissa, non modò in gratiam suam receperat, uerum etiam à Pontifice & ipso, auxiliij si opus foret ad neapolitanũ bellum ferendi promissione & fide accepta, uicissim ei, ad Bononiam pontificis imperio adiiciendam, & Ioan nempaulum Ballionem, ac Vitellotium opprimendos, trecentos cataphractos promiserat: ad Pontificis potentiam tam immoderate promouendam, uel quòd illum tot beneficijs deuinctum sibi ex animo amicum fore, eaq; necessitudine stante, neminem in Italia res nouas in se moliri ausurum, imprudenter existimaret: uel quòd non tam illius amicitie fideret quàm inimicitiam metueret impulsus: huc accedebat peculiare in Ioan nempaulum, Vitellotium & Vrsinos, quòd omnes sua iussa ut à Florentinis infestandis desisterent neglexerant, odium: & præsertim Vitellotius, qui tormenta Aretij capta restituere recusauerat: & ad regem tutò ueniendi fide petita acceptaq;, postea contempserat: neque rex Italos duces opprimi rebus suis inutile ducebat: præterea siue Põtificis & Valentini astu, siue aliorum suasionibus, ne hi cum Vrsinis tandem Hispanie regis auspicia stipèdiaq; sequerentur uereri incœperat. Valentinus igitur Astæ ab rege, quamuis antea ijs qui illũ metuebant se communis tranquillitatis gratia eum

in Galliam secum ducturum spem fecisset, dimissus, in
 Aemiliam Flaminiamq; redijt. Quæ res non modò illo-
 rum qui primum illius impetum expectabant, sed mul-
 torum aliorum animos commouit: quia Pandulfus Pe-
 trucijs & Vrsini in eadem cum Vitellotio & Ballione
 cæssa coniuncti, in eodem metu erant: & Ferrariensiu
 ducem magis eius & Patris perfidia & ambitio terre-
 bant, quàm affinitas solaretur: Florentini autem etsi op-
 pida regis ope receperant, quia equitatu non satis erãt
 instructi, in magno timore uersabantur: quoniam rex
 Mantuano, propterea quòd eius arma metuens, Cæsa-
 rem respexerat, quamuis Mediolani cum in gratiam re-
 cepisset, parum fidens, ut illum copijs suis præficerent,
 minimè consenserat: & illos eodem semper in se animo
 esse, multis signis agnoscebat: præsertim uerò, quia ut
 Florentini in perpetua suspicione essent, omnes qui A-
 retio, uel alijs ex oppidis exularèt, in proximis locis re-
 cipiebant. Horum omnium formidinem augebat cogi-
 tatio, quantum hi hostes armis, pecunia, & autoritate
 possent, quàm fortuna se illis omnibus in rebus propi-
 tiam exhiberet: quodq; tot rebus partis, illorum cupidi-
 tas nulla ex parte esset diminuta: quin potius perinde
 ac si igni noua semper alimenta subministrarentur
 immodicam infinitamq; factam: uerebantur ne illi quã-
 tum sibi ab Galliæ rege condonaretur animaduertètes,
 quiduis etiam contra regis uoluntatem essent ausuri:
 iamq; pater & filius palàm dicebant, pœnitere se quòd
 nimium religiosi in Aretinis reb. fuissent, nimisq; hæsi-
 tassent, affirmantes regem, prout est Gallorum natura,
 propter magna quorundam in regis aula erga se studia
 semper quæ facta essent quamuis molesta, laturum. Nec

aliquem horum qui in metu erant, ab rege promissum patrocinium tutum reddebat: erant enim recentia exempla, quòd Plumbini regulum quem defendendum suscepisset, regno spoliari passus erat: nec idem Urbinatium duci, quem cum exercitum Neapolim misit, quia quinquaginta grauis armaturæ equites tradiderat, in clientelam acceperat, factum ulciscébatur: sed recentius magisq; formidandum erat Ioannis Bentiuoli exemplum, nam etsi Rex proximis annis fœdus quod cum Pontifice habebat, ad ea tantummodo iura autoritatemq; quæ pontificatus eo tempore quo fœdus ictū est possidebat, extendi asserens, Valentino ne Bononiã infestaret mandarat, tamen hoc tempore Bentiuolo contra ea arma, quæ in se comparabantur auxilium flagitante, uerborū interpretatione, pro suorum consiliorum uarietate mutata, & fœderis conditiones magis iurisconsultorum, quàm regio more expositis, patrocinium quo eum defendēdum susceperat, Pontificis causam, nisi priuatim ipse eiusq; priuata bona in discrimen uocarentur, non impedire respondit: quoniam etsi uerba generatim & uniuersè scripta sint, adiecta tamen esset exceptio, id fœdus in pontificij imperij fraudem non esse intelligendum, ad quod Bononiam pertinere nemo negaret: tum etiam illud addebat, in fœdere quod cum pontifice omnibus Italiæ antiquius icisset, se quibuscunq; fœderibus icturus esset, illam exceptionem additurum promississe, ne quid iuri & imperio pontificis derogaret: itaque in ea sententia adeò impudenter permansit, ut Rotomagē si suadente, reliquis omnib. in regio consilio repugnantibus, Bononiam certum hominem miserit qui denunciarct: cum ea ciuitas ad pontificem pertineret, se, quin
 eius

eius expeditionem promoueret, facere non posse: licere tamen Bentiuolis regis clientelæ nomine priuatim Bononiæ habitare, bonaq; sua possidere. Nec uerò his tantummodo tanta Valentini felicitas suspecta esse incipiebat, uerum etiam Venetis, iratis quoq; quòd ante paucos menses illius senatus auctoritatem parui se facere ostendens, Io. Baptistæ Caraccioli, qui illorum peditatui imperabat, coniugem Urbino ad maritum per Flaminiam iter facientem rapi curauerat: ideo ut regi causam quæ illi moderatius faueret præberent, se tanquam amicos, & ipsius honoris cupidos moueri ostendentes, oratione tantæ reip. grauitate digna, per oratores suos monuerunt: cogitaret quantæ ignominie esset, tantum fauoris Valentino præstare, & quàm parum Francorum stirpis splendorem, Christianissimiq; regis tam illustre cognomen, talem tyrannum, populorum prouinciarumq; uastatorem, humanū sanguinem immoderatè sitiētē, & uniuerso orbi horrendæ immanitatis perfidiaq; exemplū, à quo uelut à publico latrone, tot nobiles & principes uiri contra datā fidem crudelissimè interfecti fuissent, quiq; nec fratrum nec consanguineorum sanguinē parcens, nunc ferro, nunc ueneno, in etatem uel turcicæ immanitati miserabilem scuiisset, fouere deceret: ad quæ rex fortè Venetorum intercessione magis in sententiæ suæ confirmatus, se Pontificem quo minus de ijs locis quæ ad Pontificiū imperiū spectarent, quicquid libitū esset faceret, impedire nec uelle, nec debere respōdebat: itaque cum reliqui eius causā à Valentini armis impediendis abstinere, qui iam incendio proximi erant, sibi ipsis consulere statuerunt: quare Ursini, Vitellocius, Ioannes paulus Ballio, & Liuerottus Firmanus,

quamuis tanquam Valentini, qui se tantummodo Bononiensibus bellum inferre uelle simulabat, milites receter ab illo pecunias accepissent, ut ad communem defensionem simul coniungeretur, suas singuli copias in tuta loca reducerunt: quam rem ut accelerarent, S. Lei arcis iactura impulit, quæ cuiusdam eius regionis incolæ, qui ad quandam muri partem custodiendam positus fuerat, opera, in Guidobaldi Urbini ducis potestate redijt: hoc ille initio, penè omnibus eius regni populis reuocantibus. Venetijs quò confugerat mari Senogalliam profectus, repente arcibus exceptis, suum omne regnum recepit. Itaq; Cardinalis Vrsinus qui post regis discessum Romã redire minimè ausus, ad Monterotundum confiterat, Paulus Vrsinus, Vitellotius, Io. Paul. Ballio, Liærottus Firmianus, pro Io. Bentiuolo Hermes filius, & Senensium nomine Antonius Venafranus Pandulfi Petrucij fidißimus minister, ad Mansionẽ in perusino agro sitam conuenerunt: ubi apertissimis periculis suis ponderatis, & oportunitate ex Urbinate imperij defectiõne oblata, tum quia Valentino ab ipsis deserto paucissimi milites relinquebantur, foedus ad communem & Urbinate defensionem aduersus Valentinum percusserunt, ea conditione, ut omnes simul septingentos grauis armaturæ equites, & nouem peditum millia conscriberent: & Bentiuolus in Imolensi agro bellũ moueret, & reliqui maiori conatu Ariminum & Pisaurum uersus ducerent: quo in foedere, cum ne Gallie regis animum irritarent, maximam rationem haberent, eiq; fortè Valentinum aliorum armis infestari minimè molestum fore sperarèt, se quotiescunq; rex posceret, exercitum in quẽuis proptẽ ducturos expresserunt: eandemq; ob caussam Columnios

lumnios quamuis tantos Pontificis hostes, atq; ita ab illo uexatos, in hoc fœdus non admiserunt: præterea Venetorum ac Florentinorum fauorē postularunt, his Pisarum restitutionem, quam in Pandulfi, Petrucij, propter illius apud Pisanos auctoritatem potestate esse dicebant deferentes: sed Veneti Gallie regis propensionem expectantes dubij hæserunt: Florentini uerò cū eandē ob causam, tum quia cum utramq; partē sibi aduersam existimarent, utriusuis uictoriam metuebant. hic repentinus casus, Valentinum eo tempore quo tottis alienis regnis occupandis intētus, nihil minus quàm ut suū regnum inuaderetur expectabat, obruit: sed nec animo nec consilio ob periculi magnitudinē amisso, & ut uiebat, secunda fortuna sua magnopere fractus, summa industria atque prudentia oportunis remedijs incubuit: præsertim cum penē inermis esset, sine ulla mora ab rege Gallie auxilium, quantum ei quouis euentu magis Pōtificis & sua opera, quàm hostium suorum usui esset futura, quamq; parum Vitellochio & Pandulfo, qui reliquorum omnium præcipuū caput atq; consultor esset, quiq; prius Mediolanensium ducē iuuisset, deinde semper in Romanorum regis fide fuisset, posset fidere commemorans implorauit: & nihilominus nouis copijs cōparandis, non tamen ipseq; paterq; insidiarum doliq; obliti diligēter operam dabat: Pontifex nanq; nunc res apertas excusans, nunc dubias negans, Cardinalis Ursini animum per Iulium eius fratrem diligentissimè placare nitebatur: & Valentinus uarijs blanditijs & promissis modò hunc, modò illum mitigare, securumq; reddere conabatur, cū ut illos in apparatus negligentiores efficeret, tum quòd hæc separata consilia inter ipsos

suspicionem atq; dissidium paritura speraret, ac donec ualidum exercitum haberet, Imola non discedere, sed nullo ad Vrbinates res auxilio misso, ei cum reliquis Aemiliae Flaminiaeq; urbibus custodiendis operam nauare statuerat: quocirca Vgonem Cardonium, & Michaellem suos homines, qui in eius regionis finibus centum grauis, ducentis leuis armaturae equitibus, & quingentis peditibus erant, Ariminū se recipere iussit: cui illi Pergulae & Forisempronij ab arcium praefectis recipiendi, diripiēdiq; occasione oblata minimè paruerunt: at quanto utilius fuisset ducis imperium sequi, exitus ostendit: nam cum Callium uersus eontenderent, prope Forumsempronij Paulum & Grauinæ ducem, ambos ex Ursina familia cum sexcentis Vitellotij peditibus obuios habuerunt: cum quibus congressi, Valentini multis ex suis caesis, multis captis, fusi fuerūt: inter quos occubuit Barptolomeus Capranicus septuaginta grauis armaturae equitū dux, & Vgo Cardonius captus fuit: Michael Fanum confugit, unde Valentini iussu, Fano tanquam magis fidei ciuitate, quòd tantas uires non haberet ut utramq; tueri posset, in populi potestate relicta, Pisaurum se recepit: iisdem quoq; diebus Bononiensium copiae quae ad Castellum sancti Petri castra habebant, ad Docciam locum Imolae propinquum, excurrerūt: & certè si foederati maiori in eo persequendo celeritate essent usi, Valentini res in magnum discrimen adduxissent: sed dum illi siue quòd copijs in ipsorum conuentu decretis nondum essent instructi, siue pacis consilij suspensi, se inuicem intuentur, occasio quae prius propitiam se ostenderat, elabi coepit: quoniā rex Galliae Ciamontio uti quadringentos cataphractos Valentino

lentino

lentino mitteret, omniq; ratione rebus illius autoritatē adiungere niteretur imperavit: quo audito, fœderatī magnopere perturbati, singuli de proprijs rebus solliciti esse cœperunt: quare Vrsinus Cardinalis negocia cū pontifice cœpta pertractabat, & Antonius Venafianus à Pandulfo Petrucio Imolam missus cum Valentino de pace agebat: cum quo pariter & Ioānes Bentiuolus eodem tempore Carolo Ingratio oratore suo ad Pontificem misso, rebusq; ad Docciam direptis resitutis agebat: quæ consilia à Valentino summo artificio fœuentur adiuuabanturq;: cumq; Paulum Vrsinū ad reliquos flectendos aptum fore censeret, plurimum ei fidere fingens, illum Imolam accersiuit: ad cuius securitatem Cardinalis Borgia in Vrsinorum oppida profectus est: cū Paulo Valentinus suauissimis uerbis usus est, nec tam illum ac reliquos, qui cum ad eum usq; diem tāta fide sibi militarēt, uana suspiciōe ab se tā leuiter alienati fuisset, q̄ propriā imprudentiā, q̄ nō itā se erga illos gerere sciuisset, ut has uanas suspiciones admittēdi causā admisset accusabat: sperare autē se hāc cōtentionē nulla prorsus de causā certā, pro inimicitia inter se & illos perpetuam & nunq̄ dissoluendā necessitudinē pariturā: ipsos autē se ad cuius potentiam tuendā Gallie rex ita paratus esset, opprimere minimè posse, debere iam animaduertere: se quoq; uicissim huiusce motus experiētia edoctum, ex ipsorū consilijs, armorumq; robore felicitatē existimationemq; suam prouenisse ingenuè fateri: atq; ideo pristinae in illos fidei redintegrandæ cupidissimū, quacunq; ratione uellēt, ipsos securos reddere, illorūq; arbitrio, modò cum aliqua sua dignitate, Bononiensem controuersiam componere paratum esse. Huic ora-

tioni quæ ad omnes pertinebat, summæ in Paulum fidei testificationem adiunxit, eumque peculiari spe & promissis implevit: tantoque artificio id egit, ut facile omnia quæ dicebat persuaserit: erat enim natura in verbis efficax, & ingenio promptus. Hæc dum aguntur, Camerinates, Ioannem Mariam Varanum superioris principis filium, qui Aquilæ erat, reuocarunt: & Vitellotius ipsius & Pauli Vrsini graui cum expositione Forisempronij arcem cepit: cumque Urbini pariter, deinde Callij, atque Eugubij arces essent amissæ, nihil in illo regno aliud præter Santagatam ei relinquebatur, præterquam quod etiam Fanensem ditio- nem omnem amississet: & tamen Paulo in cœpto negotio perseverante, quum sæpius, ut Bentiuolorum affinium suorum res componeret (eius enim filia Hermeti Ioannis filio nupta erat) Imola Bononiam ultro citroque commeasset, in hanc sententiam, ea tamen lege, si Vrsino cardinali, cuius auctoritatem reliqui ferè omnes sequebantur, probaretur cum eo reconciliatio facta: ut concepta odia, & præteritarum iniuriarum memoria deleerentur: fœderatis pristina stipendia confirmarentur: ipsi uerò tanquam Valentini milites ad Urbini regnum & reliqua quæ rebellauerant recuperanda proficisci tenerentur: sed illorum securitatis gratia non ipsimet omnes unâ, sed singuli ei militarent: neque Vrsinus Cardinalis in Romana aula manere cogere- tur: Bononienses res liberè Valētini ducis, Cardinalis Vrsini, & P. Petrucij arbitrio cõmitterentur: his transactis cū Paulus Vrsinus indies de Valētini bono animo certior factus, & ad reliquos, ut ad pacem confirmandam illos flecteret profectus, Bentiuolus res suas aliorum arbi-

arbitrio committi, nec tutum, nec decens, nec æquum
 ratus, filio suo Protonotario, acceptis uicissim à Valen-
 tino hominibus Imolam missis, pacem cum Pontifice et
 ipso fecit: cui illi, quòd Galliæ regem, siue rei indignita-
 te motum, siue quantum interesset Bononiam in eorum
 potestate esse diligentius perpendentem, reiecta priore
 sententia, Pontificios ea ciuitate potiri nõ amplius per-
 missurum animaduertent, facile assensi sunt. pacis hæ
 fuerunt leges: Inter Valentinum ab una parte, & Ben-
 tiuolos cum Bononiensi populo perpetuum foedus esto:
 Bononienses Valentinum suis stipendijs cum centum
 grauis armaturæ equitibus in annos octo conducunt:
 duodecim aureorum nummum millia quotannis ea de
 causa danto: ijdem in annum unum duntaxat proxi-
 mum, ei centum cataphractos & totidem hypotoxas
 commodant: Galliæ rex & Florentini, pro utraq;
 parte de his omnibus fide iubent: ad maius pacis firma-
 mentum, Lunensis Episcopi Pontificis nepotis soror An-
 nibalis Bentiuoli filio nubito. Nec tamen interea Valen-
 tinus Gallicarum copiarum, & trium millium Helue-
 tiorum ære suo conscriptorum aduentum urgere desi-
 nebat: id autem eo colore quasi ijs non aduersus socios,
 sed ad Urbini, & Camerini imperia recuperanda uti
 uellet: quoniam socij Ursino cardinale qui ad Hospita-
 letum in Senensi agro erat Pauli suasionibus, & Pan-
 dulfj Petrucij hortatu in hanc sententiam pertracto,
 compositionem factam ratam habere iam decreuerant:
 cui Vitellotius quoque & Ioannes paulus Ballio, qui-
 bus Valentini fides erat suspectissima, ubi diu repugnas-
 sent consenserant: post quorum approbationem, quum
 Pontifex quoque comprobasset, Urbini dux, quamuis

à populo, qui pro ipsius salute uitam impendere se uelle pollicebatur, ut non discederet rogaretur, tamen magis militaria arma ueritus, quàm popularibus uerbis confisus, omnibus eius imperij munitiombus, præter Sanctilei & Maioli arces, dirutis, Venetias reuersus, hostium furori cessit: quare Vrbinates, Antonio Sansouino, qui postea fuit cardinalis, Valentini iussu, cum uenie eis concedendæ facultate eò profecto, sub eius iugū pacati redierunt: idem & Camerinates principe suo, quia Vitellotius reliqui, copijs ex Fanensi agro deductis, ut eò tanquam Valentini milites contenderent se comparabant territo, & in regnum neapolitanum fuga profecto, fecerunt. Quo tempore Pontifex, exercitum ad Palumbariam, à Sabellis horum motuum occasione, unà cum Senzano & alijs illorum castellis recuperatam, misit. At Valentinus sua occulta consilia exequi cupiens, unola Cesenam petijt, quò quamprimum peruenit, Galli catephraeti, qui ante non multos dies uenerant, à Ciamontio, non quidem regis iussu, sed ut ferebatur uel priuato inter ipsum et Valentinum odio: uel quòd ipse quo minus formidabilis esset, ijs quos maxime securos reddere cupiebat sic procurasset reuocati repète ab illo discesserunt. Ipse Cesenæ copijs suis quarum numerus famam superabat (etenim de industria paucas legiones, sed multos equites nobilesq; priuatim conscripserat, quotidieq; conscribebat) instruendis operam dabat: eodemq; tempore Vitellotius & Vrsini, eius mandato castris Senogalliæ admotis, oppido & arce potiti sunt: quo ex loco urbis præfecti uxor, Urbinitis ducis soror omni ope spoliata aufugit, quamuis pupillus filius in Galliæ regis fide esset, sed rex se illi ideo

opem non ferre excusabat, quòd fœderi ad Mansionem facto adhaesisset. Senogallia capta Valentinus Fanum petijt, ubi aliquot dies, ut omnes copias suas colligeret moratus, Vitellotio atque Vrsinis, se postero die Senogalliam ingredi uelle indicauit: quocirca milites suos qui in ciuitate castra habebant educerent, quod illi statim peditibus in suburbijis, & equitibus per agrum distributis, fecerunt. Constituta die Valentinus Senogalliam uenit, cui Paulus Vrsinus, Grauinæ dux, Vitellotius & Liuerottus Firmanus, obuiam progressi sunt, ab eoq; humanissimè accepti, ad portam ciuitatis usque illum sunt comitati, antequam omnes Valentini copiae instructa acie constiterant: quo in loco cum illi quòd maiores eum quàm opinati essent copias habere animaduertent, iam suspicari aliquid inciperent, atque se in castra sua quæ extra ciuitatem erant recipere uellent, ut ingrederentur, se enim quòd cum ipsis loqueretur habere petijt: quòd cum denegare non possent, quamuis animo iam serè futurum malum præfagiente, eum in eius hospitium sunt secuti: cumq; eo cubiculum ingressi, post pauca uerba, eo uestitum mutandarum prætextum mox ab illis discedente, à certis hominibus idem cubiculū ingressis, omnes quatuor capti, eodemq; tempore milites illorum castris exuti prædæ Valentinianis fuerunt: dieq; insequenti, qui fuit ultimus Decembris, quo in hanc tragœdiam annus M. D. II. exiret, ceteris in uinculis retentis, Vitellotium & Liuerottum in quodam cubiculo strangulari iussit: quorum alter familiæ suæ fatum uitare non potuit, ut uidelicet uiolenta morte periret, quemadmodum omnes reliqui eius fratres, quum in re militari iam magnum

Et usum et nomen sibi comparassent, alius post alium
 ætatis ordine, Ioannes tormenti globo in castris Inno-
 centij Pontificis Osimum missis: Camillus dum Gallis
 militaret, lapide circa Circellas ictus: et Paulus Floren-
 tiæ securi percussus, interierant: sed Liuerottum nemo
 suis sceleribus dignum exitum inuenisse negare potuit:
 quid enim iniustius quàm eum qui paulo antè Firmi, ut in
 ea ciuitate potens esset, Ioannem Frangianum patruum
 suum, cum multis alijs summis in ea urbe ciuibus, in do-
 mum suam per speciem conuiuij perductos, crudelissi-
 mè trucidarat, fraude quoque perire? Hic annus nihil
 aliud memoria dignum habuit, nisi quòd Ludouicus et
 Federicus Pici, Mirandulæ comites, antè ab Ioãne Fran-
 cisco fratre pulsi, qui etsi ille natu maior esset, eadem
 tamen ad se iura quæ ipse haberet, spectare asserebant,
 auxilijs à Ferrariensium duce, ex cuius sorore notha
 nati erant, et ab Ioanne iacobo Triultio Ludouici socero
 acceptis, fratrem ui expulerunt: quæ res non tam
 per se memoria digna, quàm quia sequentibus annis,
 horum fratrum controuersia, alicuius momenti turbas
 ediderunt. Sequitur annus M. D. III. rebus memo-
 ratu dignis, grauissimisq; casibus supra omnes superio-
 res abundans, quibus Christianæ religionis principis,
 quid sibi rebusq; suis hoc ipso anno euenturum esset
 ignari, perfidia impietasq; initium dedere: nam quum
 Valentinus, quemadmodum inter eos conuenerat, sum-
 ma celeritate, quàm felicem exitum suæ insidiæ Seno-
 galliæ habuissent Pontifici significasset, ipse nuncio oc-
 cultato, ac ne alia ratione ad alios permanare posset
 opera data, statim aliorum negotiorum prætextu, Vr-
 sinum Cardinalem, qui compositione quæ inter eo in-
 tercess

1503.

tercesserat, fideq; illius quem nunquam fidem habuisse cunctis erat mortalib. notum fretus, suo potius fato quàm ratione ductus, ante paucos dies Romam uenerat, in Vaticanum uocauit: quò ille cum uenisset, ex templo ibi captus fuit: eodemq; tempore Rinaldus Vrsinus Florentie Archiepiscopus, Protonotarius Vrsinus, Abbas Aluianus Barptolomæi frater, & Iacobus Sanctacrux patricius Romanus, eiusdem factionis principes, in suis singulis ædibus capti, atque in Angelicam arcem perducti sunt: quo facto, Pontifex Scyllaceum principem filium suum, ad Pauli & aliorum oppida occupanda, & cum eo Protonotarium & Iacobum Sanctacrucium qui postea eidem custodiae mādati sunt, ut ea tradi iuberent misit: Pontifex hispanica argutia in filij factum luserat, ut diceret Paulum Vrsinum & reliquos quum ad illum singuli tantum ex pacto ire deberent, omnes simul iuisse: in quo quoniam primi fidem fregissent, non minus ei fidem frangere licuisse. Cardinalis Pontifice uarias tam antiqui ea ætate, atque auctoritate cardinalis captiuitatis causas afferente, circiter uiginti dies in carcere fuit, ac tandem illum ægrotare rumore sparso, mortuus in Vaticano est, ueneno, ut firma fuit opinio, sublatus: quam opinionem ut eleuaret Pontifex, quamuis infamie notas minimè curare consuesset, illum interdum aperto feretro, & sua & omnium Cardinalium familijs comitatibus ad tumulum efferru uoluit: reliqui captiui non multò post iudicio se sistendi uadibus datis liberati sunt. Valentinus uerò quòd sine premio scelestus esse nollet, absque mora Senogallia profectus Ciuitatemcastelli petijt: qua ciuitate, ab ijs qui ex Vitelliorum gente reliqui erant, deserta inuenta

(nam Vitellotij morte audita fugæ se dederant) iter Perusiam uersus direxit: unde Ioannes paulus aufugerat, qui quòd tardiori quidem, sed grauiori supplicio destinatus, ceteris, quò minus Senogalliam proficisceretur, cautior fuerat: utranque ciuitatem sub Pontificatus nomine reliquit, Carolo Ballione, Oddijs, & reliquis Ioānis pauli inimicis omnibus, Perusiam reductis: cumq; tanta occasione oblata Senis principatum occupare tentare uellet, aliquot eius ciuitatis exulibus sequentibus, exercitum, cui recenter auxilia à Bentiuolo promissa accesserant, ad Plebis castellū duxit: ubi Vrsinum Cardinalem captum certior factus, Grauinæ ducem, et Paulum Vrsinum strangulari curauit: & legatos Senas misit uti Pandulfum Petrucium, uelut hostem suum, & quietis in Hetruria turbatorem pelli postularent: seq; illo pulso cum exercitu, finibus illorum inuiolatis in Latium profecturam promitterent: & ab alia parte Pontifex & ipse ut Pandulfus quemadmodum reliquorum in uita socius fuerat, etiam in morte esset, desiderio incredibilem flagrantem, iisdem artibus quibus reliquos consopiuerant, breuibus epistolis atque literis ualde humanis ad illum scriptis, & per proprios homines uerbis beneuolentiæ & suauitatis plenis allocuti, et ipsum consopire nitebantur: sed suspicio quæ populum senensem inuaserat, illos de ciuitate occupanda cogitare, illorum aduersus Pandulfum consilia difficiliora reddebat: quoniam multi ciues, etsi eius administratione minime essent contenti, tamen potius unius ciuis tyrannidem ad tempus ferre, quàm in externi hominis seruitutem ruere malebant: quare inde ab initio nullū responsum quo Pandulfi discessum sperare posset accipiebat:

ipse

ipse uerò semper se nihil aliud quàm id uelle fingens, in eorum fines progrediebatur, iamq; Pienfiam & Clusium peruenerat, & reliqua proxima oppida pactione se illi dederant. Itaque timore Senis aucto, quum iam in populo, atque etiam inter nonnullos præcipuos ciues sermones increbrescerent, minimè æquum esse, ut unius ciuis potentia tuenda gratia, tota ciuitas in tam graue periculum conijceretur: Pandulfus, quòd ne tandem communi omnium odio, maiori periculo, & proprio detrimento facere cogeretur metuebat, omnium cum beneuolentia & gratia facere statuit: quocirca eius consensu ciuitatis publico nomine Valentino signficatum fuit, uelle se illi in eo quod petierat, dummodo cum suis copijs ipsorum finibus excederet, satisfacere: quam conditionem, etsi Pontifex et ipse maiora animo concepissent, tamen ob eius urbis expugnanda quam perspiciebant difficultatem acceperunt: est enim ea urbs ampla, loci natura munita: in qua erant Ioannes paulus Ballio, & multi milites: & populus qui si Valentinum alium præter Pandulfi discessum finem spectasse comperisset, ad urbis defensionem conspirasset. Huc accedebat quòd Pontifici, ad propriam securitatem, filium exercitum in Latium ubi non absque alicuius motus suspitione erat reducere necessarium uidebatur: quoniam Iulius & nonnulli præterea ex Ursina gente, Pitilianum conuenerant, & Cereueteri cum multis equitibus erant Fabius & Organtius Ursini: & Mutius Columna, ex regno neapolitano profectus Palumbariam, ut Sabellis qui denuò se Ursinis animis affinitateq; coniunxerant, opem ferret, ingressus erat: sed Pontifex & filius de Senis occupandis, multò magis despe-

rarunt, quia Galliae regi, etsi ab initio diu anceps fuisset, eam prodicionem molestam esse iam animaduvertebatur: ut qui quamuis Vitellotium & reliquos foederatos castigari optasset, tamen extrema illorum pernicie, cum tot prouinciarum accessione Pontificis & Valentini potentiam nimium augeri censeret, cumq; Senensis ciuitas una cum Pandulfo Petrucio in sua essent clientela, neque ad Pontificatum, sed ad Imperium pertineret, iure sibi eius urbis occupationem impedire posse uidebatur. Sperarunt etiam Pandulsi discessu, ciuitatem in aliqua perturbatione, qua progressu temporis consilij sui aliquo colore praetexendi occasio daretur, relictam iri quamobrem & Pandulfus eodem praesidio, eademq; amicis & clientibus autoritate relicta, ita ut nulla administrationis mutatio facta uideretur Senis discessit: & Valentinus Romam uersus ad Ursinorum excidium iter suscepit: qui una cum Sabellis Lamentani pontem occuparant, & totam regionem percurrerant: sed Valentini aduentu repressi sunt, qui statim Ioannisiordaniditionem, nihil pensi habens, eum qui se illi hostem non ostenderat, regis esse praefectum, equestri diui Michaelis ordine donatum, regis clientem, tuncq; in regno neapolitano ipsi regi militantem inuasit: cuius rei Pontifex apud regem eam purgationem afferebat, non moueri uidelicet se eius dittonis occupandae cupiditate: sed quum sibi cum Ursina gente tot iniuriae & offensiones intercederent, non posse illum tutum tam propinquum patit: ideo uelle ei pro ijs Scyllaceum principatum, & alia oppida quae horum precium aequarent tradere: nihilominus rex his rationibus non admissis, ea de re grauiter questus est, idq; non tam quod apud eum patrocinijs ratio

tio plus consueto posset, quàm quia rebus suis in neapo-
 litano regno non amplius ita feliciter succedentibus, Põ-
 tificis & Valentini audaciam atq; insolentiam superio-
 ris anni in Hetruriam irruptione, & quid postea con-
 tra patrocinium suum in senensibus rebus moliti essent
 in memoriam reuocatis, suspectam habere incipiebat:
 atque illos quo plura à se adepti, uel deinceps adeptu-
 ri essent, tanto eorum cupiditatem magis auctum iri a-
 nimaduvertebat: quare acerba oratione Valentino per-
 nuncium, ut ab Ioannis Iordani qui per ignota itinera
 non sine graui periculo Braccianum peruenerat, ditid-
 ne infestanda abstineret imperauit: præterea Hetruriæ
 res cum præsertim Senis aliquod ciuilibus disidij initium
 apparere audiuiisset, ita componere, ut nulla mutatio o-
 riri posset necessarium ratus, Florentinorum consilio,
 Pandulfi Petrucij, qui Pisis hærebat Senas reditum pro-
 curare cœpit: atq; ut inter Florentinos, Senenses, & Bo-
 nonienses fœdus pro communi defensione, Montepoli-
 tiano Florentinis quò omnes disidiorum caussæ tolle-
 rentur restituto, fieret: & horum unusquisq; pro utrius-
 que equitatum ad mutuam defensionem compararet, ut Põ-
 tifici ac Valentino in Hetruriã amplius ueniendi facul-
 tas adimeretur. Interea Valentinus cum copiarum sua-
 rum parte Vicouarium, ubi erant sexcenti Io. Iordani
 pedites ceperat: sed regio mādato accepto, magna Pon-
 tificis & sua cum molestia, Bracciano relicto, ad Cere
 exercitum duxit, ubi cum Ioanne Vrsino eius loci domi-
 no erat Rentius eius filius, Iulius & Franciottus ex ea-
 dem familia: eodemq; tempore pater in uniuersam ur-
 sinam gentem Io. Iordano, & Pitiliani comite, quem Ve-
 neti tentari nolebāt exceptis, forensi disceptatione age-

bat. Cere uetustissimum oppidum est, & ob locum natura munitissimum ualde celebratum: est enim in tumulo, uel potius saxi solidi fastigio positum: cam ob causam Romani à Gallis ad Alliam fluuium, qui hodie Caminates dicitur, fracti, de urbe tuenda desperantes, Vestales uirgines, & deorū magis arcana, augustioraq; simulachra, cū multis alijs sacris religiosisq; rebus, eò tanquā in tutissimum locum miserunt: & eadē de causā sequentibus temporibus Barbarorum ferocitate in Rom. imperij inclinatione, tota Italia tanto impetu inundante, minimè uiolatum fuit: hanc igitur ob causam, & quia fortissimorum militum copia abūderet, ea oppugnatio Valentino difficilis reddebatur, qui ut id expugnaret, nec diligentiam nec industriam ullā permittebat: nam præter complures alias belli machinas, ad mœnium altitudinem superādam uincis, quas nunc Gattos fortè uocant, alijsq; uarijs ligneis machinis utebatur: ubi dū moratur Franciscus Narniensis ab Galliæ rege Senas missus, regis mentem esse, ut Pandulfus, qui prius regi se in eius fide permansurum, filiumq; natu maximum obsidē in Galliam missurum, quod adhuc ex quadraginta partibus aureorum numūm millibus debebat soliturum, & Montepolitianum Florentinis restitutum promiserat, rediret significauit: quo nuncio Senis audito, ad regij nominis autoritatem aperto Florentinorum fauore, & ciuium eius amicorum studijs accedentibus, qui armis nocte ea quæ illius aduentus diem præcessit sumptis, eos omnes qui secus sentirent represserunt, haud multum de eius reditu laborandum fuit: id cum magno Pontificis, cuius res alioqui secundis fortunæ flatibus uehebantur, dolore accidit: quoniam Palumbaria & reliquis

quis Sabellorum oppidis deditioe potitus erat: & qui Cere erant, dies noctesq; uarijs modis, crebrisq; impressionibus uexati, tandem ea lege oppidum dederant, ut Ioanni oppidi domino à Pōtifice certa pecunie summa numeraretur: isq; cum reliquis omnibus incolumis Pitilianam ire permitteretur: quæ præter Pontificis consuetudinem, communemq; expectationem sincerè obseruata fuerunt. At Gallorū in regno neapolitano res tam ab huius anni initio difficiles fieri cœptæ, minimè paræ felicitatis cursum obtinebant: nam Mileti comite, cū Salernitani & Bisimiani principum copijs ad Terranouā, castra habente, Messana in Calabriam Vgo Cardonius cum octingentis Hispanis peditibus, quos Valentini stipendia antea meritos Romæ accersiuerat, & cum centis equitibus, & octingentis partim Siculis, partim Calabris militibus traiecit: cumq; Semenariam peruenisset, Terranouam uersus, ut ei oppido opē ferret duxit: quo cognito Mileti comes Terranoua profectus, illis obuiā processit: Hispani per planitiem mōte & flumine quodā qui exiguo alueo fluit, sed uia aggere interiecto cōiungitur, interclusam incedebāt. Galli uerò numero superiores, infra fluuium, obuiam illos in patentē locū pertrahendi cupidi gradiebātur: sed cū densatos, atq; agmine quadrato eos progredi animaduernerēt, nisi iter ipsis præciderent, incolumes ad Terranouā peruenturos ueriti, flumine traiecto impetū in eos fecerunt: ubi Hispanorū peditū bellis assuetorū uirtute superate, & aggere Gallis uehementer incōmodante, Galli uicti fuerunt. Nec multo pōst ducenti grauis armaturæ, totidem minoribus hastis, quas Giannettas uocant, utentes equites, & duo peditum millia Manuello Benauida duce,

cum quo tunc in Italiam uenit Antonius Leua, qui post ex gregario milite per omnes militiæ gradus, Cæsarei exercitus summum imperium adeptus, multis in Italia uictorijs potitus est, mari ex Hispania Messanam peruenunt. Qui Messana Rhegium Calabriae oppidum nõ multo antè ab Hispanis Obignino in alia Calabriae, quã penè totam obtinebat parte uersante, captum, transfucti, ad Losarnum quinque ab Callimera milliarib. castra posuerunt: in quod oppidum ante biduum Ambricurtius cum triginta cataphractis, & Mileti comes cū milite peditibus ingressi erant, & sequenti mane in aurora moenia, quæ portas non habebant, sed tantummodo scripta quædam aggressi, secunda impressione, quamuis illi se strenuè tuerentur, expugnarunt: ubi Spiritus Centurio cæsus, Ambricurtius captus fuit: Mileti uerò comes qui in arcem confugerat, euasit: quoniam uictores Obigninum qui cum trecetis cataphractis trib. auxiliariorum, & duobus incolarū militum millibus, aduentabat metuentes, mox Terranouã se contulerunt. His in hunc modum gestis, cum Obigninus ad Pollistrinam uicinū castellum constitisset, Hispani commeatu destituti, noctu clam Hieracem petituri castra mouerunt: sed Obignini copijs ad asperi cuiusdam montis ascensum usque persequentibus, sexaginta cataphractos, & multos pedites amiserunt: ex Gallis autem Grunius magni apud illos nominis uir, qui eam alam quæ Calatini comitis paulò post Capuæ expugnatione ex aduersa ualetudine mortui fuerat, ducebat, quòd nimium progressus esset, occubuit. Hoc ipso tẽpore alia classis qua ducenti graues, totidemque leues equites, & duo peditū millia, quib. Portus Carrera præfuerat: sed eo Rhegij quòd cū exercitu iter faciebat

faciebat defuncto, cura ad Ferrandum ab Andrada eius uicarium deuenerat, uehebatur, ex Hispania ad Sicilia appulsa est: quorum aduentu Hispani qui Hieracium se receperant, audaciores facti, ad Terranouam reuersi, in ea oppidi parte quæ arcem quam ipsi obtinebant attingit, se munierunt: quæ pars ad caput uallis cui reliquum oppidum coniungitur est, non frustra Obignini aduentum metuentes: is enim statim Pollistrinæ profectus, in ea parte quam Hispani uacua relinquebant, castra locauit: sicq; uterq; suam partem cum alijs rebus tum septis oppositis, communiuit: Obigninus autem postea Hispanos qui Rhegium classe appulerat, ut reliquis coniungerentur aduentare certior factus, Losarnū concessit: & hostes commeatus oportunitate secuti, omnes unâ Semenariæ confederunt. Dum hæc ita in Calabria geruntur, Gallus prorex Barlettam reuersus in id incurrens ut commeatum impediret, & propter pestilentiam, atq; annonæ caritatem, quib. Barletta infestabatur, Hispanos minimè diutius ibi permanere, nec Tranium ubi eadem obuersabantur incommoda, se conferre posse ratus, Materæ metatus, milites per circumposita loca distribuerat. Sed admirabilis erat illorum in tantis incommodis atq; periculis perscuerantia, Consalui uirtute diligentiaq; confirmata, qui modò bis mille Germanorū peditum, ad quos conscribendos Octavianum Columnam in Germaniam miserat, aduentus, modò aliorum auxiliorum spem faciens, modò mari Tarentum se recipere uelle, fama diuulgata, sed multo magis suo ipsius exëplo, qui omnes labores, omnè uictus ac necessariarū rerū inopiam læto animo perferens, illos sustinebat. Bellicis reb. in hunc statū redactis, Gallorū negligētia,

& petulantia, qui ad eam usq; diem inferiores fuerant, superiores esse coeperunt. nam Castellana (quod oppidum prope Barlettā est) homines, detrimentis atq; iniurijs quas à quinquaginta Gallis cataphractis qui illic castra habebant patiebantur, perciti, armis consternatione sumptis, illos spoliarunt: & post paucos dies Consul Palissam qui cum centum cataphractis, & trecētis peditibus in Rubosij oppido, duodecim à Barletta miliaribus castra habebat, negligentes habere excubias certior factus, nocte Barletta egressus, Rubosijq; profectus, & tormentis quæ quòd planum iter esset facile secum duxerat, summa celeritate dispositis, tanto impetu inuasit, ut Galli qui quiduis aliud expectabāt, repentino impetu territi, leui facta defensione, Palissa cum reliquis capto, uicti fuerint: eodemq; die Cōsaluus nūlius à Nemurio, qui ante paucos dies Canusum uenerat, periculi metu Barlettam redijt: quoniam Nemurij copiae, ut Barlettam ex pluribus lateribus obsessam tenerent, & forte maioris commoditatis gratia, in uaria loca distributæ, tēpestiuè conuenire non poterāt: huc accessit quòd quinquaginta Galli cataphracti ad quandam pecuniā quæ Tranio Barlettam ferebatur, intercipiendā missi, à militibus quos Cōsaluus ad pecuniæ præsidium miserat fusi siere. Hæc omnia alius casus qui Gallorum audaciam magnoperè depressit, insequutus est: neq; enim poterant id quod propriū uirtutis opus fuerat fortunæ malignitati tribuere: nam cum de nonnullis militibus qui Rubosij capti fuerant redimendis præco Barlettam uenisset, à nonnullis Italis equitibus quædam in Gallos dicta siere, quæ à præcone in Gallorum castris relata, uicissimq; ab illis respōsum Italis esset, sic utriq;

accēsi fuere, ut ad suæ utriusq; gentis honorem tuendū, tredecim Galli, totidem Itali grauis armaturæ equites, tuto in loco, ad extremum usq; spiritum inter se ferro decernerēt, conuētum sit: locus pugnæ planus ac patēs inter Barlettam, Andriam & Quadratū cōstitutus: quē ad locum certo militū numero utriq; comitati uenirēt: tamen ut insidiæ abessent, utriusq; partis Imperator cū maxima exercitus parte suos ad medium iter deduxit: atq; dum proficiscuntur hortatur, ut cū ex omni exercitu selecti essent, animo & factis conceptæ expectationi quæ talis esset, ut in eorū manib. & uirtute, cōmuni omnium consensu, nobilissimarū nationū honos positus esset responderent. Gallus prorex suos monebat hos eosdem illos Italos esse, qui gallicū nomē sustinere nō ausi, quotiescunq; ab alpiibus ad extremā usq; Italiæ oram cucurrissent, nullo unq; suæ uirtutis facto periculo, semper ipsis cessissent: quos ne nūc quidem noua animi generosi magnitudo aut uirtus excitaret, sed cū Hispanorum stipendijs militarent, eorumq; imperijs subiecti essent, illorum uoluntati repugnare nō potuisse: qui non uirtute, sed fraude & insidijs pugnare assueti, libenter alienorū periculorum ociosi spectatores essent: sed simul ac Itali in arenam adducti essent, eorū à quibus semper percussi fuerant, armis & ferocitate ex aduerso conspectis, cum aduersus uictricia arma Hispanorum uanis iactabundisq; uerbis nixū fundamentū minimè idoneus clypeus sit, ad timorem consuetum reuersos, uel pugnare nō auros, uel timidè pugnantes, facilem ipsis prædam futuros. Italos uicissim Consaluus, non minus pungentibus aculeis incitabat, pristinos gentis honores, & armorum gloriam, quibus olim orbem terrarum do-

muissent, commemorans, nunc in horum paucorum
 qui a maiorum suorum uirtute minimè degeneres essent
 potestate positum, cunctis mortalibus patefacere: si Ita-
 lia cunctarum gentium uictrix, à paucis annis externo-
 rum incursiones passa erat, eius rei non aliam, quam
 suorum principum imprudentiam qui ambitione inter
 se disidentes, ut se inuicem deprimerent externa arma
 accersuerant, causam fuisse. Gallos nullā in Italia ui-
 ctoriam uera uirtute adeptos, sed uel Italarum cōsilio,
 uel armis adiutos, uel tormentorum fulminibus cessum
 fuisse, quorum terrore quòd ea res noua in Italia esset,
 non illorum uirtutis metu uiam illis patefactam fuisse:
 iam oblatam esse occasionem coram præcipuis Christiani
 orbis gentibus, totq; suæ nationis nobilissimis uiris,
 qui ab utraq; parte summopere ipsorum uictoriam ex-
 optarent, ad tam illustre spectaculū animis oculisq; cō-
 uersis ferro & propria uirtute dimicandi: meminissent
 se omnes apud totius Italiæ celeberrimos duces educa-
 tos, perpetuoq; in armis uixisse, & uarijs in locis singu-
 los præclara uirtutis documenta dedisse. Itaq; aut ipsi
 palmam Itali nominis in eam gloriam, in qua non mo-
 dò maiorum suorum temporibus fuerunt, uerumetiam
 ipsimet uidissent, reponēdi a dijs immortalibus datam,
 aut si tantum decus istis manibus obtineri non posset, I-
 talias alio in statu quam ignominiosæ perpetuæq; ser-
 uitudinis futuram desperandū penitus esse. Nec minus ue-
 hementes erant reliquorum utriusq; exercitus ducum,
 ac militum stimuli, quibus ut sibi ipsi similes essent, &
 propria uirtute gentis suæ gloriam & splendorem ex-
 tollerent, singulos accendebant. his adhortantium uo-
 cib. in campū deducti, animo ardoreq; pleni, in diuersa
 septi

sepi parte, utrique constitere: datur signum: infestis hastis uelut acies, ternidemi equites concurrunt: quo in concursu, cum nullus superior extitisset, magno animo atque impetu alijs sumptis armis, singuli uirtutem suam, omnibus spectatoribus ex utroque exercitu tacite confitentibus ad tam illustre certamen nec magis strenuos, nec magis dignos milites elegeri potuisse, egregie ostenderunt: sed quum iam minime paruo temporis interuallo pugnatum, & solum multis armorum frustis constructum, plurimoq; utrinq; uulneratorum sanguine maderet, & adhuc anceps praelij euentus esset spectatoribus magno silentio, nec serè minore quam ipsimet, animi angore atq; solitudine intuentibus, accidit ut Gulielmus Albimontius Italus, ab uno Gallorum equo deiceretur: dumq; Gallus feroeiter ut eum interficiat, equo in eum incurrit, Franciscus Salamonius, ad socij periculum accurrens, Gallum, qui ad Albimontium opprimendum intentus sibi ipse ab illo non cauebat, ingenti uulnere interfecit: mox una cum Albimontio, & Miale, qui saucius humi iacebat, erectis, uenabulis quæ in hunc finem attulerant correptis, plerosq; hostium equos confodere: quare Galli iam inferiores facti, singuli à singulis omnes ab Italis capti fuerunt: qui magna à suis letitia recepti, postea Consaluum qui illos ad medium itineris spacium expectabat obuium habuerunt, à quo incredibili plausu atq; honore cunctis illis tanquam italicae gloriae assertoribus gratias agentibus, accepti, ac Triumphantium more captiuos præ se agentes, tubarum atq; tympanorum sonitu, tormentorum tonitruis, militaribusq; acclamationibus ac gratulationibus, cælo reboante Barlettam ingressi sunt: uerè digni uiri, quorum nomina ab Italis

omnibus posterorum memoriæ literarum monumentis commendentur. Fuerunt autem hi, Hector Feramusca Capuanus, Ioannes Capoccius, Ioannes Bracalo, et Hector Iuuenalis Romani, Marcus Carellarius Neapolitanus, Marianus Sarnensis, Romanellus Foroliviensis, Ludovicus Animalis Terniensis, Franciscus Salamonijs, & Gulichæus Albimontius Siculi, Mialis Troianus & Ricius atque Tanfulla Parmenses, omnes in armis, aut sub Aragonijs regibus, aut sub Columnijs educati: est autem incredibile, quantum hic conflictus Gallici exercitus animum depresserit: & contra Hispanici auxerit, dum utriq; ex hoc paucorum experimento totius belli fortunam exitumq; præfagiunt. Hoc ipso tempore, Heluetij Gallie regi in Insubria negocium facecebant, initio non ab uniuersa gente, sed à tribus qui Bellizonam occuparant pagis facto: qui ut eum ad id oppidū ipsis uelut proprium concedendum cogèrent, in Locarnum & Muratam, ubi murus est insigni longitudine, ad Verbanum Lacum prope Locarnum ductus, quo descensus ex illis montibus in planitiem, nisi per portam quæ in muro unica est prohibetur, impetum fecerunt: & quāuis propter Gallorum præsidium ab initio potiri nequiverint, et Ciamontius qui cum octingentis cataphraetis & tribus peditum millibus Varesij & Galerate castra habebat, eum locum tueri posse speraret, tamen Heluetij postea numero aucti, quoniā à Rhetis auxilia acceperāt, post multas impressiones frustra factas, pars eorum aspero monte qui muratæ imminet conscenso, custodes discedere coegerunt: deinde Locarno excepta arce capto, indies crescebant: quia reliqui nouem pagi, & si initio regi foedere quod cum illo habebant milites obtule

obtulerant, tribus pagis, quòd socios suos destituere se
 minimè posse dicerent, quibus antiquis inter se fœderi-
 bus, quæ omnia cum alijs fœdera antecedunt teneren-
 tur, auxilia mittere cœperunt: cumq; iam circiter quin-
 decim millia circa arcem conuenissent, & Galli ob iti-
 nerum angustiam, & illorum in ijs custodiendis diligen-
 tiam suis auxilium ferre non possent, per circumiectam
 regionem prædabantur, indignatiq; quòd Mesauiciacæ
 arcis præfectus, quæ Io. Iacobo Triultio parebat, tor-
 menta ad Locarni arcem oppugnandam, commodare
 noilet, Mesauici arce, quòd inexpugnabilis esset non ten-
 tata, oppidum diripuerunt. Galli autem hunc motum
 minimè parui facientes, omnibus quas in Insabria habe-
 bant uribus collectis, auxilijsq; Bononia, Ferraria, &
 Mantua accessitis, à Venetis quoque ad Insabriæ defen-
 sionem debita auxilia quæ ab illis promptè promissa
 tam serò expedita sunt ut necessaria non fuerint. Cia-
 monius montanis arcibus, & propugnaculis rebus o-
 portunitis optimè instructis Heluetios, qui quòd neque
 equites neque tormenta haberent, in aperta loca descē-
 dere non audebant, commeatus, & pecuniæ inopia, &
 quia ullius magnæ rei gerendæ spe carebant, defatiga-
 tum iri sperans, exercitum in planitie detinebat: quo in
 siatu quum Heluetij multos dies uersati essent, & quia
 Galli multis nauigijs armatis, multas naues quæ com-
 meatum ad Heluetios ferebant submerserant, & quo-
 minus per lacum adueheretur prohibebant, commea-
 tus penuria subinde augescente, quodq; ea res ad eos
 tantum pagos qui Bellizonam possidebant spectabat,
 dissensione inter eos gliscente, præfectis quoque galli-
 ca pecunia corruptis, tandem omnibus quæ hoc bello

occuparant Mesauco, utpote quod ad regem non pertineret excepto, restitutus: et uicissim ab rege Bellizone ad certum tempus non infestandæ fide accepta, recesserunt: adeò erant Galli ab Heluetiorum inimicitia alieni, ut eos non modò hoc tempore quo cum Hispaniæ regibus bella gerebant, Romanorum regem metuebant, & Venetos suspectos habebant, uerumetiam quouis alio, annuis publicè ac priuatim pensionibus illorum amicitiam mercari, indignisq; legibus pacisci non puderet: ad quod quidem præterquàm quòd peditum Gallorum uirtuti parum fidebant, illa quoque eos mouebant, quòd magno incommodo cum ijs, qui quod amittant non habent, bellum geri animaduertent: sic Gallie rex Heluetico tumultu liberatus, haud minus se eodem tempore ex neapolitano bello extricare sperabat: nam post multa pacis consilia serio inter utrunque regem agitata, quum Philippus Austrius ex Hispania in Flandriam redire uellet, contra multas utriusque soceri preces terrestri itinere reuerti statuit, à quibus amplam pacis cum Gallie rege conficiendæ, in quam dum in Hispania fuit uehementer incubuerat, facultatem liberamq; potestatem obtinuit: uerum duobus illorum regum legatis ei adiunctis, sine quorum consilio nihil uel agi uel confici uolebant. Incredibile est quanta magnificentia et honore regis iussu per uniuersum Gallie regnum acceptus fuerit, non modò ut eum sibi in pacis negotio propitiũ redderet, sed etiam ut eius principis, qui & iuuenis erat, & in summæ potentia expectatione (erat enim Romani imperij successioni proximus, & Hispaniæ regnorum cum omnibus ad ea regna pertinentibus hæres) animum sibi in perpetuum deuinciret:

pari

pari liberalitate qui plurimum apud eum poterant ac-
 cepti: multa ijs munera data: quibus rebus regia animi
 magnitudine respondit Philippus: nam quum rex præ-
 ter fidem publicam qua per totum Gallie regnum iter
 faciens tutus esset, nonnullos ex summis regni proceri-
 bus, tanquam obsides in Flandriam ut ibi tandiu donec
 ipse iter confecisset manerent misisset, Philippus quã-
 primum Galliam attigit, ut se penitus eius fidei commit-
 tere ostenderet, obsides liberari iussit: nec uerò hæc tanta
 amicitie signa, quantum in ipsis fuit, minores fructus
 consecuti sunt: quoniam Blesiaci collocuti, post aliquot
 dierum deliberationem, pacem his legibus sanxerunt:
 Vti regnum neapolitanum, prouincijs de quibus ad ar-
 ma uentum erat Philippo depositi loco traditis, ex pri-
 mæ diuisionis constituto possideretur: & nunc statim
 Carolus Philippi filius, et Claudia regis filia, inter quos
 connubium superioribus temporibus inchoatum, con-
 firmabatur, neapolitani reges, Apulie & Calabriae du-
 ces nuncuparentur: parti quæ Hispanie regis erat, Ar-
 chidux in posterum præesset: ei uerò quæ ad Gallie re-
 gem spectabat, quemcunque rex uoluisset: ita tamen ut
 utraq; duorum infantium nomine gubernaretur: qui-
 bus quamprimum Hymenæi sacra peregissent, rex in
 filie dotem partem suam traderet: quæ pax in Blesiaci
 augustissimo templo solenni ritu promulgata, & regis
 ac Philippi tanquam regum procuratoris sacramento
 confirmata fuit: quæ pax certè, si firma permansisset, ma-
 ximi extitisset momenti: quoniam non modò inter tam
 potentes reges arma quieuisissent, sed hanc inter Roma-
 norum & Gallie reges pax quoque esset consecuta: ex
 quo noua aduersus Venetos consilia orta essent: et Pon-

tifex omnibus suspectus et infamis, conciliorū aliorūq;
ipsius autoritatis deprimendæ instrumentorum metu
non caruisset: sed quum rex & Philippus, ad pacem in
regno neapolitano nunciandam, & ducibus, ut donec
Hispaniæ regum confirmatio afferretur, ea quæ habe-
bant possidentes ab iniurijs abstinere imperatum mi-
fissent: Gallus quidem præfectus se regi suo parituum
dixit, sed Hispanus, siue quòd magis de uictoria spera-
ret, siue quòd sola Philippi autoritas illi non esset satis,
se donec idem ab regibus suis mandatum acciperet, bel-
lo abstinere non posse respondit: ad quod magis accen-
debatur, quia Gallie rex, prius pacis agitationibus, de-
inde ipsa pace perfecta fretus, idq; quod adhuc incer-
tum erat, certum esse ratus, non modò reliquos appara-
tus prætermiserat, uerum etiam ter mille pedites, quos
antea Genuæ nauibus imponi iusserat, & trecentos ca-
taphractos Persiuo duce ad id bellum destinatos, remo-
ratus erat: et contra, Barlettam bis mille Germanorum
pedites peruenerant, qui Romanorum regis consensu
conscripti, nauibus Tergesti conscensis, Galliæ rege
grauiter exostulante, per sinum Venetorum tutò ena-
uigarant: quare Nemurius, quum sibi inducias pollice-
ri non posset, & cladibus paulò antè acceptis debilita-
tus, ut si fortè occasio daretur, uel necessitate cum hosti-
bus confluere cogeretur paratus esset, omnes gallicas
copias, quæ in uaria loca erant distributæ (ijs exceptis
quæ Obignino in Calabria militabant) omniq; regni
procerum auxilia euocauit: uerum in ijs colligendis for-
tunam parum habuit prosperam: nam cum Airiæ dux,
& Ludouicus Arsius Gallus, militum præfectus, qui co-
pias suas per Hydruntinum agrum dissipatas habebāt:

quia

quia Petrum Nauarrum, cum hispanicis peditum copijs eo loco esse unde si disiuncti iuissent, ipsos ledere potuisset cognoucrant, unâ ad proregem contendere statuissent, accidit ut Ludouicus Arsius, oportunitatem qua solus tutò proficisci posset nactus, Atriæ ducis periculo neglecto discesserit: Atrius uerò Petrum Nauarrum, Materam uersus, ut ad Consaluum contenderet, castra mouisse certior factus, et ipse cum suis copijs itineri se dedit. Sed humana consilia aduersus fortunam non satis habent uirium: nam cum Rutilianenses (quod oppidum in Barensi agro est) qui iisdem diebus à Gal-
lis desererant, Petrum Nauarrum accersuissent, ille ab cæpto Materensi itinere Rutilianum desectens, Atriæ ducem obuium habuit: qui hoc casu perterritus, quid sibi agendum esset dubitauit: tamen cum fuga non satis tuta esset: & quamuis peditum numero inferior, plures se equites habere animaduertens, atque hispanicum peditatum, quòd ea nocte longum iter conscisisset, defatigatum ratus, prælium iniit: in quo quum utrinque fortiter pugnatum esset, tandem eius milites succubuerunt: Ioannes antonius patruus eius cæsus, ipse uerò captus, ac quemadmodum plerunque accidere uidetur, ut aduersæ res solæ non ueniant, quatuor gallicæ triremes quibus præerat Preiânes ex Prouincia eques Rhodius, ueneto magistratu, qui se illas ab Hispanica classe, quæ Villamarino duce proxima loca circumibat, uexari nō passurum promisit, permittente, Hydruntinum portum inuectæ sunt: sed classe paulo post eundem portum ingressa, Preiannes uiribus inferior, ne se inuadarent ueritus, ut saltem clades sua hostibus nullum adferret emolumentum, turma nauali liberata, triremibusque submer-

sis, ipse cum suis terrestri itinere euasit. Gallie rex du-
 cibus suis, ut defensionem incumbentes pugnam euitarèt;
 mox enim uel pacis confirmationem, uel magna auxi-
 lia habituros significarat: sed cum exercitus utrinque
 ualidi essent & propinqui, Gallorum ardorem tempe-
 rare, & ut bellum produci paterentur efficere difficile
 erat: imò fatis, ut de rerum summa nulla amplius inter-
 posita mora decerneretur trahebantur: cuius rei in Ca-
 labria initium fuit: Hispanis enim Semenariae coniun-
 ctis, Obigninus omnibus suis & principum qui galli-
 cam factionem sequebantur copijs collectis, peditatum
 in Gioia oppido quod tribus à Semenaria milliari-
 bus distat, & equitatum Losarni totidem à Gioia milliari-
 bus castra metari iussit: & quatuor tormentis in flumi-
 nis ripa, ad quam sita est Gioia collocatis, ut se hostibus,
 si flumen transire tentarent opponeret, paratus erat.
 Hispani autem aliud consiliū sequuti, eo die quo trans-
 ire statuerunt, primum agmen, cui Manuel Benauida
 præerat recto itinere ad flumen duxerunt: isq; quum
 ad ripam peruenisset, cum Obigniino qui omnem exer-
 citum suum ad oppositam ripam duxerat, loqui cœpit:
 interea nouissimum agmen Hispanorum quod media
 acies subsequebatur, alio itinere ad fluuium mille &
 quingentos supra Gioiam passus traieciendum con-
 uersum est: quòd animaduertens Obigninus, celerrimè,
 & ut eos antequàm omnes traiecissent offenderet, abs-
 que tormētis eò contendit: at iam omnes trans flumen,
 quamuis tormentis carerent, acie ad pugnam instructa
 atque densata consiterant: quo factò in Gallos longè
 minore (ut quidam aiunt) peditum numero, nullo ordi-
 ne procurrentes impetum fecerūt: sicq; citò antequàm
prima

prima acies flumen transfret, eos fuderunt: quo in conflictu, Ambricurtius cum aliquot alijs Gallis ducibus, et Sommæ princeps cum multis regni procerib. capti fuerunt: & Obigninus quamuis in Angitole arcem confugisset, in ea inclusus sese dedere fuit coactus, in iisdem locis debellatus & captus, in quibus paucis annis antè tãta cum laude Ferdinandũ regem & Consaluum superauerat: usque adeo mobilis est fortunæ blandientis aura. Nec ei uiro qui fuit ex præstantissimis ducibus quos Carolus in Italiam duxerit, liberoq; & nobili ingenio, aliud quidquam obfuit, quàm nimio impetu ad uictoriæ spem properare: quæ res & pro regi in Apulia nocuit: qui fortasse etiã cladis in Calabria acceptæ nuncio magis accensus est: quoniã Consaluus suorum uictoriam ignorant, cũ fame atq; pestilentia pressus, ultra Barlettæ morari non posset, paruo præsidio relicto discessit, & ad Ciriniam decem miliaribus procul, & penè inter Canusium ubi erat prorex, atq; Barlettam trianguli figura positam, exercitum duxit. Antea in proregis consilio, utrum prælij occasio quærenda, an fugienda esset, disceptatum fuerat, multiq; duces in hac sententia fuerant: cum Hispani militum numero aucti esset, ipsi uerò imminuti, & propter ea quæ prius Rubosij & Castellane, deinde in hydruntino agro, & postremò in Calabria acciderant, timidiore fieri cœpissent, nō esse periclitandam fortunam, sed Melfiam, uel aliam amplam & comitatu affluentem ciuitatem ingrediendũ: ibiq; uel noua ex Gallia auxilia, uel pacis certum nunciũ expectandum: & ad huiusmodi cunctationē se etiam recenti regis imperio cogi: sed habuit hæc sententia contradicētes multos, quib. donec Calabriae uictor exercitus Con-

saluo coniungeretur, uel ad aliquam magni momenti reſ
 ubi aduerſariũ non eſſet inuenturus gerendã conuerte-
 retur expectare, periculofum uidebatur. Quẽ fructum
 Mõpenſerij exercitus qui ſe oppidis potius continere q̃
 dimicare uoluerat, attuliſſet, cõmemorantes præcrita
 exempla, quid de longis atq; incertis Gallie auxilijs ſpe-
 rare poſſent admonere: quod ſi rebus adhuc ambiguis,
 nec Conſaluus ab iniurijs abſtinere uoluerat, nec Hiſpa-
 nie reges pacẽ cõprobarãt, eo minus nunc facturos cũ
 tantam uictoriẽ ſpẽ haberent. Habere ſe exercitũ robo-
 re ac uirtute hoſtibus minimẽ inferiore, neq; clades pro-
 pria negligentia acceptas, cũ eo experimento quod ſer-
 ro atq; animi fortitudine, nõ autẽ aſtu & fraudib. aper-
 to Marte caperetur cõparandas: rem eſſe ad ſecuritatẽ
 & gloriam aptiore ſaltem equa ſpe fortunã experiri, q̃
 ea uirtute ſuisq; uiribus paulatim attritis, uictoriã hoſti
 ſine ſanguine & periculo concedere: & regis qui pro-
 cul eſſet iuſſa, potius pro monitis quã præceptis acci-
 pienda: quæ ſi ab Obignino ſeruata fuiſſent, prudenter
 data erant, ſed belli conditione eo errore immutata, de-
 liberationes quoq; mutandas eſſe. Hæc ſentẽtia in conſi-
 lio ſuperauit: ideo ut primũ Hiſpanos aut omnes, aut
 partem Barlettã egreſſos per exploratores cõpererũt,
 Nemurius quoq; Ciriniolã uerſus progreſſus eſt, quod
 iter utriq; exercitui ualde incõmodum erat: eſt enim ea
 regio ſicciſſima, & aquis indigens: æſtas autem initio
 Maij longẽ citius quã ſoleat aduenerat. Fama eſt, eo die
 multos utrinque ſiti periſſe: & Gallinum totus e-
 exercitus, an pars tantũ egreſſa eſſet ignorabant: quo-
 niam Fabricius Columna cũ expeditis equitibus nullam
 ad illos eius rei notiã peruenire permittebat: & cata-
 phracto-

phraactorū erectæ hastæ, atq; sceniculū quod ea in regio-
 ne ad maximā altitudinem crescit, uisum eis adimebāt.
 Hispani primi Ciriniolam, quā Galli obtinebant, perue-
 nerunt, & in quibusdā uinetis metati, Prosperi Colūnæ
 consilio fossam, quæ in castrorū fronte erat dilatarunt:
 dū uerò castra munitur, Galli superuenerūt, & nocte
 iam ingruente, utrū statim prælium esset incundū, an in-
 crastinū differendum dubitarunt. Iuo autē Alegrius &
 Malsianus princeps in sequentē diē differri suadebant,
 quo die Hispanos cōmeatus inopia coactos, castra mo-
 tuosos sperabant, quo fieret, ut præter noctis uicinitatē
 illos in proprijs castris, quorum præsertim situs ignora-
 retur, inuadendi, incōmodum euitaretur: sed Nemurio
 magis salutare consiliū uehementer contēnente, Hispanos
 magno impetu Heluetijs eadem ferocitate pugnan-
 tibus adorti sunt: cumq; Hispanorū tormētarius puluis
 siue casu, siue alia quauis ratione accensus esset, Consal-
 uus omen forti animo amplexus, uicimus, Deus nobis a-
 pertè uictoriam pollicetur, exclamauit: hoc enim signo
 tormentis nihil iam opus fore demonstrat. Varia est hu-
 ius pugnæ fama: Galli suos primo congressu Hispano-
 rū peditatum fugisse, atq; ad tormenta usq; progressos,
 puluerem incendisse, & tormētis potitos: sed nocte ad-
 ueniente, cataphractas errore in proprium peditatum
 impetū fecisse: hoc errore Hispanos uires resumpsisse
 diuulgarunt. Alij, Gallos fossæ transeundæ difficulta-
 te perturbari, nec ordines seruare cœpisse: sicq; præ-
 cipuè Nemurij, qui dum inter primos ferociter pugnat
 suosq; ad fossam transeundam accēdit, sclopetti glan-
 de ictus cecidit, morte territos, non minus ordinum
 suorum perturbatione, quā hostium uirtute in fugam

coniectos fuisse dixerunt. Alij uerò diligentius edocti affirmāt, Nemurium fossæ superandæ spe deiectum, cum copias ad castrorum latus, ut ab ea parte experiretur, cōuertere uellet, retrocederēt, proclamari iussisse: quæ uox caussam ignorantibus fugæ signum dabat: quã ipsius qui in prima acie erat mors statim sequuta, uniuersum exercitum in apertam fugam conuertit. Nonnulli, pugnae cōtra reliquorum sententiã inite notam à prorege remouent, & in Alegrium transferunt: quẽ aiunt, timiditate prorege qui eo die pugnare nolebat obiecta, eum in contrariã sententiã traxisse. Paruo admodum spacio pugnatum est: & quamuis Hispani fossa superata eos persecuti fuerint, tamen quoddam obscura nox esset, pauci præsertim equites capti uel cæsi fuerunt: inter quos interfectus fuit Ciandeus: reliqui impedimētis tormentisq; amissis, ducibus passim atq; militibus in uarias partes dissipatis fuga elapsi sunt. Fama est, hostibus undiq; pulsis, Consalus cum nusquam Prosperũ Columnam uideret, ne in pugna occubuisset uerenti, diligenterq; de eo percunctanti, Fabriciũ, quod illum timiditatis arguere uellet, subridentem respondisse: ne periculũ aliquot adijisset, uerendum non esse. Parta fuit hæc uictoria octauo post Obignini cladem, eoq; utraq; die qui à Venere appellatur: quem diem Hispani sibi faustũ sæpe fuisse obseruarunt. Galli ubi ex fuga unum in locũ conuenerunt, uaria consilia ceperunt, aut cum exercitus reliquijs in aliquem se locum, ad uictores neapolitano itinere prohibendos oportunum, conferre: aut in Neapolis defensione hæreret: tamen quemadmodũ in rebus aduersis metus, & eorũ qui uicti sunt, difficultates indices augentur, neutrum horum fecerunt: nam & alibi consistere diffi-

re difficile erat, & Neapolim propter comعات inopiam defendi nō posse censebant: cui ut prouiderēt Galli antea, magnam si umentis copiam Romæ coemi curarant: sed populus Romanus, siue ut sibi cōseruaret, siue ut multi crediderunt, occulto Pontificis consilio, asportari prohibuit. Quare Alegrius, princeps Salernitanus & multi alij proceres inter Caietam et Traiectum, quo maxima exercitus reliquiarum pars, illorum nomē secuta conuenisset, castra posuerunt. Consaluis tantā uictoriam adeptus, secundæ fortunæ cursum secutus, Neapolim uersus exercitum duxit: & præter Melfiam iter faciens, principi, si Hispanorum partes sequi uellet, imperij sui retinendi facultatem obtulit: qui potius cū coniuge ac liberis discedendi facultate arrepta, ad Ludouicum Arsum qui Venusiæ confederat, contendit. Melfia capta, Consaluis Neapolim uersus iter est secutus: quò, ut appropinquare cœpit, Galli qui ibi erant in arcē No uam se receperunt: & Neapolitani deserti, quartadecima die Maij Consaluum admiserunt: quod eodem tempore & Auersani & Capuani fecere.

QVINTI LIBRI FINIS.

FRANCISCI GUI-
CIARDINI HISTORIA-
RVM SVI TEMPORIS
LIBER SEXTVS.

C. S. C. interprete

Galliæ regis ad Italicum bellum apparatus:
Hispanorum in neapolitano regno progressus:
Alexandri Pont. obitus: Iulij II ad pontificatū
electio: eiusdem belli Venetis inferendi consi-
lia, & eorundem in Aemilia atq; Flaminia pro-
gressus: inter Hispanos & Gallos ad Garilianū
pugna: Petri Medices obitus: de noua ad Indos
nauigatione: Valentini ducis captiuitas: inter
Hispanos & Gallos induciæ: Florentinorum in
Pisanos res gestæ: Federici Aragonij interitus:
Florentinorum ad Osolem clades: Hippolyti
Estensis cardinalis in fratrem suum immanitas.



ALLIÆ rex tantæ cladis nuncijs,
co tempore quo magis pacis spei, quã
bellicis cogitationibus deditus erat, ac-
ceptis, tam nobilis regni iactura, suorū
exercituum, in quib. tot nobiles, totq;
fortissimi uiri crant calamitate, & periculis quæ reli-
quis reb. quas in Italia possidebat, imminebant: nec mi-
nus, quia turpissimum sibi ducebat, ab Hispaniæ regi-
bus, proculdubio potētia inferioribus uinci, grauissimè
commotus, seq; pacis spe deceptū fuisse uehementer in-
dignatus, ut amissam gloriam regnumq; recuperaret,
et tau.

& tantā iniuriam armis ulcisceretur, totis uiribus niti
 statuebat: sed antequā quidquā aliud ageret, cum Archi
 duce, qui nondū Blefiaco discesserat, grauiſimē expo
 ſtulauit: petijtq; ut ſi fidem honoremq; ſuum tueri uel
 let, quemadmodum decebat, prouideret: qui cum culpa
 uacaret, apud ſoceros hæc tanto cum ſuo dedecore in
 omnium mortalium oculis in hunc modum geſta fuiſſe,
 ſupra modū queſtus magnopere rogabat, uti facta cor
 rigerent: illi autem ante uictoriam, nunc ſe non ambos
 quemadmodum neceſſe erat uno in loco eſſe, nunc alijs
 negocijs ualde occupatos afferentes, ut quibus pax, ſiue
 quòd gener ipſorum mandata exceſſiſſet, ſiue quòd poſt
 illius ex Hiſpania diſceſſum maiorem de belli euentu ſpē
 concepiſſent, ſiue quòd illum abſq; ulla filij matrimonijs
 propter utriuſq; teneram ætatem perficiendi certa ſpe
 regni partem in ſe conuertiiſſe ægrè tuliiſſent, non ſatis
 faceret, uarijs excuſationibus pacis cōfirmationem di
 ſtulerant: ſicq; non negantes, ſed ſemper ſpem facientes
 & differentes quamdiutiſſimē poterant, conſilij ex re
 rum euentu capiendi liberam ſibi facultatem reſerua
 rant: ſuorum autem uictoria audita, ſuam tamen mentē
 nondū Archiduci declarabant, ut quo diutiſſ Gallia
 rex anceps eſſet, eò ſerius auxilia ad Caietam, & alia
 oppida quæ Galli retinebant, tuenda compararet: ſed
 tandem a genero qui alioqui Blefiaco diſcedere minimē
 uellet, coacti, nouos legatos miſerunt: qui poſt aliquot
 dierum colloquia, ad extremum regibus ſuis eam pacē,
 quæ ita erat facta, ut ipſis nec honeſta nec tuta eſſet,
 comprobare in animo non eſſe declararunt: & contro
 uerſia inter illos & Archiducem orta, dixerunt ei, ſo
 ceros magnopere miratos eſſe, quòd ipſe in pacis capi

tibus illorum uoluntatē esset transgressus: nā etsi honoris causa potestas libera amplissimaq; ei data fuisset, de buisse tamen ipsum libellos in quibus ipsorum esset expressa uoluntas, & mādati amplitudo limitata, intueri: ad quæ Philippus, libellos haud minus liberos fuisse, q̄ mandatum respondebat, imò utrunq; socerum sibi in discessu, se pacem eius opera fieri optare & uelle, efficacissimis uerbis dixisse, & omnia quæ ipse spopondisset, rata habituros, sacro Euangelij libro, & Christi crucifixi imagine tactis asseuerasse: nec tamen se tam ampla, tamq; libera facultate, absq; duorū hominum quos secū miserant, consensu & approbatione uti uoluisse. Oratores ipsæ artibus se ad regnum Federico restituentū propensos ostendentes, nouas concordie rationes proposuerunt: quæ cum non modò uana, uerum etiam insidiosas, quia ad Philippi, qui id regnum filio parare nitentur, animum ab Gallie rege alienandum spectabat esse animaduertentur, ipsemet rex in publico confesso, se nullo modo antequam pacem factam comprobassent, & sibi ea quæ gesta erant displicere signis declarassent, noua colloquia audire uelle respondit: sibiq; eos reges qui Catholicorum nomine tantopere gloriarentur, proprium honorem, fidem, & religionem tam parui facere: neque Archiducis, tanta amplitudine, nobilitate & uirtute principis, filij atque heredis ullam rationem habere, non modò mirum, sed etiam detestandum, execrandūque uideri: quo responso illis eodem die aula discedere iussis, toto animo ad belli apparatus, quos terra mariq; maiores, quàm à quoquā eius regni rege, à multis annis facti fuissent, adornare cogitabat, se conuertit. Itaq; maximum exercitū, & ualidissimam

classenam

classẽ in neapolitanum regnum mittere, et ne interea Caieta atque neapolitanæ arces caperentur, quàm cellerrimè mari nouas copias, resq; necessarias subministrare, & ut ex Hispania auxilia, quæ omnium malorum causa fuerant mitti prohiberet, duobus terrestribus exercitibus, quorũ alterum in Rosinonensem agrũ qui mediterraneo mari adiacet, alterum Fonterabiam uersus & ad circumiecta loca ad Oceanum sita mitteret, Hispaniæ regnum inuadere, eodemq; tempore ualida classe Cataloniae & Valentiae oram infestare statuit: quæ dum ingenti ardore comparantur, Consalius neapolitanarum arcium expugnationi intentus, tormenta contra arcem Nouam, ad Sammartini mōtis radices posuit, unde ex edito loco Citadellæ murus uerberabatur, quæ dictum montem uersus sita, muros habebat uetustos, fundamentisq; penè suprà solum extantibus: eodemq; tempore Petrus Nauarrus cuniculũ ad Citadellæ murum euertendum agebat, et arcis muri, ex Vincentij turri, quam ante paucos dies Consalius ceperat, pulsabantur. Arx noua, siue ut nunc appellãt, Castelnouum, tunc alia quàm nunc forma erat: quoniam nũc Citadella diruta ubi eius muri erant, nouus murorum ambitus, qui per arcis areã ad mare protenditur, incipit: hic ambitus à Federico inceptus, & ab eodem ad coronamentum usq; erectus, solida ex materia constructus, beneq; fundatus est: ac, quòd ubiq; cuniculis hostium cuniculos excipiat, quòdq; aquæ extremitas terræ penè extremitatem attingat, cuniculis euerti difficulter admodũ potest: erat autem Consalui consilium, ubi Citadellam cepisset, arcis muri substructioni appropinquare, conariq; eam nouis cuniculis euertere: sed Gallorum uel te

meritate, uel aduersa fortuna, maior illi occasio oblata est: nam cuniculo iam perfecto quum Petrus Nauarrus ignem applicari curasset, pulueris impetus Citadellæ murum aperuit: quo facto, statim Hispani pedites, qui instructa acie hoc expectabant, pars per muri hiatus, pars scalis ex pluribus partibus scâdetes, ingredi: Galli contra arce egredi, ac ne illos in citadalla cōsistere permitterent, illis obuiam ire: quorum uiribus breui tempore superati, dum se in proximum propugnaculum recipiunt, Hispani illis permixti eundem locum subire, eodemq; impetu portam petere: ubi noua illa ingensq; turris quam postea edificauit Consaluus, nondum erat: quo facto Gallos iam animo fractos tantus terror incessit, ut ante semihoræ spacium animo prorsus consternati, arcem cum omni supellectile, cuius ingens copia eò ab alijs ut seruaretur importata fuerat, & hominibus ipsis, hostium arbitrio tradiderint: ubi Montorij comes alijsq; multi principes uiri capti fuerunt. Eoq; magis hæc res eò oportunior accidit, quia postero die classis in qua sex grandes onerariæ naues erant, multa præterea minora nauigia commeatu, armis, & tormentario puluere onusta, cum duobus peditum millibus Genua, arci opem latura conspecta est: quæ dum appropinquat, Hispanica classis quæ in neapolitano portu erat, Ischiam concessit: quò illam gallica classis arcis Nouæ deditioe audita sequuta est: sed quum Hispani ne pugnare cogerentur, nonnullas naues ante se submersissent, ubi se inuicem aliquot tormentorum globis petiuissent, altera classis Caietam se contulit: altera uerò illius discessu secuta in neapolitanum portum redijt. Consaluus arce Notæ potitus, totius regni occupationi intent

Intētus Calabriae exercitu, qui ut omnia progressus impedimenta tolleret, ad Ariani uallem occupandam hēserat, minimē expectato, Prosperum Columnam in Aprutium misit: & ipse, Petro Nauarro ad Ouatae arcis oppugnationem relicto, cum reliquo exercitu Caietam uersus contendit: in cuius expugnatione belli summa erat sita: quoniam Gallorum spes, atque desperatio, penitus ex eius munitissimae urbis maritimae, quaeq; portum habet tam amplum, & clasibus quae Genua atq; ex Prouincia mittuntur, tam oportunum, defensione, amissionē uē pendeat. Nec tamen Galli Caietam solum, sed praeter circūiecta loca in Aprutio Aquilam, Euan-dri arcem, & pleraq; alia oppida obtinebant: & Ludouicus Arsius, multis equitibus atque peditibus collectis, cum Amalfitano principe Venusiam munierat, & totam uicinam regionem infestabat, et Russanum, Atalona, multaq; praeterea munita oppida, quae Anouinae factionis principum erant, constanter in Galliae regis fide permanebant. Interea Nauarrus aliquot tectas naues faciebat, quibus arci Ouatae muro tutius succedens, cuniculum ijs qui intus erant minimē sentientibus, ab ea parte quae Picifalconē respicit, egit: cui igni iniecto, muri pars unā cum hominibus qui supra erant magno impetu in altum exiliit: quo casu reliquis territis, statim arx capta fuit, tanta cum Nauarri laude, tantoq; hominum terrore, ut, quemadmodū nouae laedendi rationes, quia nondum defensionum modi excogitati sunt, magis terrent, opinio fuerit eius ab cuniculis, nullum amplius murum munitionē uē tutam fore: & erat certē admodum horrendum, tormentarij pulueris in cuniculū positi ui, ingentes muros euerti: quo expugnationis gene-

re primi omnium in Italia Genuenses usi sunt, quibus, ut quidam aiunt, tunc tanquam gregarius miles Nauarrus militabat, quum anno M CCCC LXXXVII, ad Serefanelli arcem, quam Florentini possidebant castra posuerunt: ubi cuniculo simili ratione acto, muri partem aperuerunt: sed arce quia cuniculum quantum necesse fuisset muri fundamenta non subierat, minime capta, tunc eius rei exemplum nemo est secutus. Sed Consaluo Caietæ appropinquante, Allegrius qui quadringentos cataphractos et quatuor millia peditum, ex ijs qui ex prælio incolumes supersuerant in Caietam, Fundos, Itrium, Traiectum, & Gulielmiam arcem distribuerat, omnes Caietam coegit, quò unà ingressi sunt Salernitanus & Bisinianus principes, Traiecti dux, & multi regni procures, qui antè se illi adiunxerant. Quo ab illis facto, Consaluus, omnibus ijs oppidis & Sangermani arce potitus, castra in Caietæ suburbio posuit: tormentisq; collocatis, magno impetu mœnia quæ portum, quæq; montem quem uulgò Orlandi uocant, qui urbi proximus imminet, quiq; ab eo post muro cinctus, tunc à Gallis uallo atque aggeribus munitus fuit spectant uerberauit: hisq; frustra (acie tamen non instructa) impressione facta, tandem propter defensorum numerum & uirtutem expugnationem difficilem fore ratus, animaduertens quoq; quòd & si sui milites ui in montem irrupissent, tamen in maiori adhuc periculo uersabantur, quia tormentis, è cœnobio atque alijs editoribus eius montis locis fulminantibus expositi fuissent, ab instituta oppugnatione eo die quo statuerat abstinuit: sed tamen, urbem mari quoque obsessam (nam ante portum erant decem & octo hispanicæ triremes, quibus Rai-

mundus

*mundus Cardonius imperabat) quater, atque affligere non desinebat. Sed post paucos dies classis quæ sex magnas naues onerarias Genuenses quas Caraccas uocant, totidem alias naues & septem triremes habebat, com-
 meatu & magno peditum numero referta missa est, qua uehebatur Salutarum Marchio, Nemurio defuncto ab Gallie rege, quàm maximè fieri posset de Caietæ defen-
 sione sollicito, quiq; eam ob causam cum his nauibus, tum alijs quæ non multo post uenerunt, paucorum die-
 rum spacio mille Corsos pedites, et tria Vasconum mil-
 lia misit, in regni exercituumq; administratione suffe-
 ctus. huius aduentu, Hispanorum classis Neapolim se re-
 cipere coacta fuit: & Consaluus ullius rei ibi gerendæ
 spe amissa, copias ad Molam Caietani agri castellum et
 Castellonem, contraxit: unde Caietam quasi lata obsi-
 dione cingebat multis hominibus cum in leuibus præ-
 lijs tum in discessu amissis, inter quos Vgo Cardonius ab
 ijs qui in urbe erant tormenti glande ictus cecidit: sed
 interea omnia reliqua in regno feliciter illi succedebat.
 Prosper namq; Columna, Euandri arcem ceperat: &
 Aquilam cum omnibus reliquis Aprutij oppidis Hispano-
 rum imperio subiecerat: & Calabria penè tota, Ca-
 pacij comitis recenti pactione, eidem imperio accesser-
 rat. neque quidquam aliud præter Russanum, cum San-
 ctasfeuerina ubi Russani princeps obsessus erat, relin-
 quebatur. Quo tempore ceteræ Italie partes à metu
 & laboribus minimè erant immunes: quoniam Floren-
 tini iam ante Gallorum in regno neapolitano clades,
 Pontificis & Valentini uires atque insidias ueriti, præ-
 ter alios bellicos apparatus, Camensem præfectum, ma-
 gni in bello nominis ducem, ut omnibus suis copijs, ex-*

cepto appellationis honore imperaret, eos quos ipsi metuebant, propterea quod is Gallie regis minister esset, & quinquaginta cataphractos sibi ab rege traditos, ex regis uoluntate duceret, circumspectius progressuros: præterea regia auxilia si quando esset opus promptiora fore rati, suis stipendijs conduxerunt: in cuius aduentu, omnibus copijs collectis, Pisanorum agros iterum depopulati sunt: nec tamen omnes, quoniam Seresanæ uallis ingressus, quod ea uallis inter montes & aquas, medio Lucam inter & Pisas itinere sita sit, periculo non carebat. De populatis agris, exercitus ad Vicopisanum contendit, quo sine labore potiti sunt: quia præfectus centum Gallis peditibus qui intus erant tanquam regijs hostibus pœnam interminatus, & si egrederentur menstruo stipendio promisso, ut discederent effect: quorum discessu, oppidani liberâ deditioem facere coacti sunt. Vico capto, statim Verruculam ubi pauci milites erant, ne alij ingrederentur obsederunt: deinde tormentis per asperos illorum montium tramites summo labore aduentus, qui intus erant paucis petiti globis uita & fortunis conseruatis, deditioem fecerunt. Verrucula situs, quæ parua arx est, in editissimo monte, in diuturnis bellis quæ in Pisano agro gesta sunt extructa, magni momenti est: nam cum quinq; tantummodo passuum millibus Pisis distet, non modò ad circumpositam regionem, ad eius urbis portas usque infestandam, uerum etiam ad omnem equitatum, & eos qui Pisis egrediantur speculandos oportuna est: & hoc in bello à Paulo Vitellio et alijs sæpius frustra tentata fuerat: sed Pisanorum, Vicopisani quo non capto Florentini Verruculae castra ad mouere minimè poterant, defendendi spes, ut non satis

eã munierint in caussa fuit. Pisanos Verruculæ iactura
 magnopere terruit: & tamen, quamuis tanta detrimen-
 ta acceperint, paucos admodum externos milites habe-
 rent, pecuniæ inopia & comestus penuria labora-
 rent, ut sub Florentinorum imperium redire uellent,
 ueniæ, iniuriarum, quas grauissimas Florentinis intule-
 rant, conscientia impetrandæ desperatione præsertim
 adducti, non flectebantur: quam affectionem, eos qui
 summæ in repub. autoritatis erant, maxima cura & in-
 finitis artibus tueri, & conseruare necesse erat: agricola-
 ris enim, sine quibus se tueri non poterant, messes suas
 amittere graue uidebatur, idcirco uaria spe eos fouere
 studebant, & simul etiam plebeios homines, qui magis
 pacis, quàm belli artibus alebatur, fictis literis uarijsq;
 artibus fallendo, & falsis uera miscendo, & si quid no-
 ui in Italia accidisset, interpretatione ad suum propo-
 situm accommodando, modò hunc, modò illum princi-
 pem ipsis auxilio uenturum, mentiendo retinebant.
 Nec tamen in hisce angustijs aliquo Genuensium &
 Lucensium Florentini nominis antiquorum hostium,
 atque Pandulfi Petrucij, acceptorum beneficiorum
 parum memoris, auxilio penitus destituebantur: &
 quod maioris erat ponderis, aliqua etiam occulta
 ope, sed longè maiore spe à Valentino fouebantur:
 qui quum diu ea urbe ab ipsismet Pisanis sibi obla-
 ta potiri exoptasset, sed ne Galliæ regis animum le-
 deret abstinuisset, nunc ex illius in regno neapoli-
 tano calamitatibus audacior factus, patris consen-
 su cum Pisanorum ad id Romam missis legatis, de
 accipiendo dominatu agebat, hoc animo, ut totius
 Hetruriæ imperium occuparet: quod etsi Floren-

*timi & Senenses maximè suspicarentur, tamen priuatis
 causis publicum bonum impediens, fœdus ab Gal-
 liæ rege inter Florentinos, Bononienses & Senenses
 propositum, non progrediebatur: quoniam Florentini,
 nisi Monspolitianus, quemadmodum ab initio actum
 promissumq; fuerat, restitueretur, societatem inire no-
 lebant: & Pandulfus Petrucius animo ab ea re, quamuis
 uerba contrarium sonum ederent, alienus, eius restitu-
 tione tantum in se Senensis populi odium concitatum
 iri aiebat, ut denuò urbe excedere cogere: ideo uti-
 lius omnibus fore, quò meliori occasione fieret, aliquan-
 tulum differre, quàm eo nunc restituto, Senarum occu-
 pationem Valentino faciliorem reddere: sicq; nihil de-
 negando, sed prolatando, Florentinis ut spem pro facto
 acciperent persuadere nitentur: quæ excusationes ab
 ipsis reiectæ, Francisci Narniensis, qui regis iussu Senis
 morabatur opera, in gallica aula admittebantur & cre-
 debantur. Sed Pontifici & Valentino id negocium, nisi
 quatenus exercitus qui à Gallia rege parabatur pro-
 gressus suaderent, & prout magis uni, quàm alteri regi
 adherere statuisent, alicui committere non erat in ani-
 mo: cuius rei uaria erant illorum hoc tempore consilia,
 ac quantum poterant animi sensum, minimè in regem
 Gallia nisi timore coacti propensum, occultantes: Bo-
 noniensium enim Hetruscarumq; rerum experientia,
 eius fauore plura adipiscendi spem adimebat: ideo iam
 ante Hispanorum uictoriam indies magis animo ab
 illo alienari cœperant: & post uictoriam audaciores
 facti, consuetam eius uoluntatis autoritatisq; rationem
 non amplius habebant: & quamuis statim post Galliorum
 clades, se Gallia regis partes sequuturos asseuerassent,*

Et milites quos in regnum neapolitanum mitteret con-
 scribere ostendissent, nihilominus nouarum rerum cupi-
 ditate tracti, cum neque oculos, neque animum ab Hetru-
 ria remouere possent, regi ut se suarum partium aper-
 te profiterentur postulanti, Pontifex tam ambigua respon-
 sa dabat, ut ipse et filius indies suspectiores fierent: quo-
 rum simulatio atque dissimulatio in Romana curia adeo
 nota erat, ut commune prouerbium inde ortum esset:
 Pontificem nunquam quod diceret facere: Valentinum
 uero nunquam quod faceret, dicere: neque illorum cum Io.
 Iordano controuersia adhuc finem habebat: nam et si
 Valentinus regis iram ueritus, cum illius mandatum ac-
 cepit, a molestiis ei afferendis abstinuisset, tamen Pon-
 tificem summam ex eo molestiam praesens ferens, nunquam regi
 aut ut armis omnem Io. Iordani dittonem posse occupa-
 re sibi concederet, aut illum ad permutationem facien-
 dam cogeret, instare desierat: se ad id non ambitione, sed
 iustissimo eius uicinitatis metu moueri ostendens: nam
 quum in Cardinalis Ursini scriptis uacuum folium Io.
 Iordani propria manu subscriptum esset inuentum, id
 arguere, illum in rebus ad Mansionem tractatis, eadem
 in se uoluntate, eorundemque cum Ursinis consiliorum
 participem fuisse. Qua in re rex utilitatis maiore quam
 honestatis habita ratione, uariae pro temporum ratio-
 ne se gesserat: nunc ut ante Ioannem Iordano fauere, nunc
 aliquo modo Pontifici satisfacere uelle ostendens: qua-
 re cum Ioannes Iordanus Braccianum in regis orato-
 ris qui Romae agebat, manibus deponere recusasset, rex
 hanc controuersiam sibi ea lege, ut Ioannes Iordanus
 intra duos menses se in Galliam conferret, nec ante sen-
 tentiam ab se latam quicquam inuouaretur, permitti

postulauit: cui Ioannes Iordanus qui tum paternis, tum suis in regem meritis, se omnino hac molestia liberatum iri sperauerat, necessitate coactus: & Pontifex petitione eo tempore facta, quo Archidux Hispaniæ regum nomine pacē confecerat, potius metu quam alia de causa assensi erant: sed rerum statu Hispanorum uictoria immutato, Pontifex quantum rex sua opera indigeret animaduertens, omnem illius ditionem, ea permutatone quam rex declarasset, petebat: rex autem eandem ob causam Ioannemiordanum, quamuis inuitum, ad consentiendū induxerat, effeceratq; ut suæ fidei de eo quod rex pronunciaffet, filium obsidem daret: erat enim regi in animo, eam ditionem Pontifici, nisi eodem tempore se in neapolitano bello secum facere apertè declararet, non tradere: sed cum Pitilianenses ubi filius erat, Transiuro regio oratori, qui ad Portum Herculis eius recipiendi gratia uenerat, eum tradere recusassent, ipsemet Ioannes Iordanus qui redierat, Portum Herculis petijt, seq; ipse oratori dedit, qui illo imprudenter accepto nauis imposuit: quod quamprimum rex cognouit, eum liberari iussit. Interea apparatus bellici, quibus cis & trans alpes uti constitutum erat, accelerabatur, quoniã Alibrettus & Giensis Tribunus cum quadringentis cataphractis, & quinq; partim Heluetiorum, partim Vascorum peditum millibus, in Ghiennæ regionē, ut Fonterabiam uersus bellum mouerent, profecti erant, & in Linguadoccam, Ruifius Britto Tribunus, rufinonensem agrum infestaturus, octingentos cataphractos, & octo partim Heluetiorum, partim Gallorum peditum millia duxerat: eodemq; tempore classis quæ Cataloniæ & Valentini regni oram infestam redderet soluebat: &

in Ita-

in Italia rex Tramolliam, cui tunc cōmuni omnium cōsensu, primus in re bellica totius gallici regni locus tribuebatur, exercitus imperatorem destinabat: & Diuionensem præfectum ad octo Heluetiorum millia adducē d. t miserat: cataphracti autē & reliquus peditatus properabant: nec tamen tantæ erant copie, quantæ initio fuerant decretæ: id autem fecit rex, non quòd facultas deesset, aut ut sumptus minores faceret, sed tum, ut, quæ admodum ualde utile censebatur, citius in regnum neapolitanum ducerentur: tum etiam quia Alegrius, cum rerum quæ illic gerebantur statum indicaret, exercitus reliquias ualidiores, & oppida, ac principes qui adhuc in eius fide permanebant, firmiores esse, quàm re uera essent affirmauerat: ac deniq; quòd ab omnibus ijs qui suarum in Italia partium essent, auxilia postularat: quare Florentini Camensem præfectum cum quinquaginta cataphractis, & centum quinquaginta alijs suo ere ei concesserunt. Ferrariensiu dux, Bononienses & Mantuanus qui regis accitu ipsemet ad id bellum proficisceretur, singuli centum grauis armaturæ equites, & Senenses totidem tradiderunt: quæ copie octingentis cataphractis, & quinq; Vasconum, quos Tramollia in Italiam ducebat, & octo Heluetiorum millibus qui expectabantur, ijsq; militibus qui Caietæ erāt, additæ, mille & octingentorum, partim Gallorum, partim Italarum numerum, & insuper decē & octo peditū millia constituebant: præter quos terrestres apparatus, & ualidissima classis soluerat, adeo ut omnes à nullo Gallie rege, uiribus terra mariq; cis atq; trans alpes collectis maiores potentioresue apparatus factos memoriæ traditum fuisse faterentur. Sed regium exercitum antequam regi

à Pontifice & Valentino cautum esset, Romam pertrāsire minimè tutum cēsebatur, cum præsertim multas ob causas plurimaq; indicia, & quia Valentini ad Consaluum multo antè interceptis literis, inter eos, ut si Consaluus Caietam expugnasset, regni rebus in tuto collocatis, cum exercitu progredetur, Valentinus Pisas occuparet, & Consaluo coniunctus Hetruriam ambo inuaderent, tractatum fuisse animaduvertebatur, suspicandi iustissimā causam haberet: idcirco rex exercitu iam in Insubriam traducto, ut tandem animum suum declararent summoperè urgebat: qui etsi audirent, & cum omnibus agerent, tamen ex aliorum molestijs quæstum facere & mercaturam exercere commodum tempus adesse rati, magis in Hispanos propensi erant, sed manifesto cum periculo, ne gallicus exercitus imperium suū inuaderet: sicq; unde præmia & dignitates cōsequi sperassent, damna & molestias perciperent, retinebantur. Qua in dubitatione, sententiam suam quoad fieri posset sustinentes, utranq; partem palàm milites Romæ cōscribere patiebantur: sed tandem rege acrius instante, Valentinum cum quingentis grauis armaturæ equitibus, & duobus peditum millibus, si rex illi non modò Ioannis Iordani ditionem, uerumetiam ut Senas occupare posset concederet, regia castra secuturū promittebant: tamen cum ad transactionem ipsam deueniendum erat, ut qui quo ex rerum euentu suo more consilium capere possent, ab ijs quæ inter eos tractata fuerant, nouis introductis difficultatibus uariare, suamq; denuo mentem occultare: ideo alia ratio inuenta fuit, qua Pontifex, ut communis omnium pater maneret, neutri parti se fauaturum, sed gallico exercitui per pontificium im-

perium

perium iter concessurum, & bello in regno neapolitano uigente, nec Florentinis, nec Senensibus, nec Bononiensibus, molestum futurum promittebat: quas conditiones rex tandem, quamuis parum decoras, neq; sibi, neq; ijs quos in Italia in fide sua haberet tutas agnosceret, ut exercitus sine longiori mora in regnum transiret admississet: uerum, quoniam certus non erat, si quid suis in regno accidisset, Pontificem & Valentinum sese ipsius hostes non declaraturos: præterea nec satis securus quominus copijs suis Latio digressis, ipsi fide neglecta, Hetruriam quæ proprijs disidijs, & ob auxilia regi data debilis ac penè inermis relinquebatur aggredirentur: uerisimile enim erat, quum sibi eis tantis occasionibus immoderatos quæstus proposuissent, cã rem, uel quamuis aliam aggressuros. Sed ecce tibi in summo maioris spei fastigio, ut inania & fallacia sunt hominũ consilia, Pontifex repente ex uinea prope Vaticanum, quo sui ab æstu recreandi gratia ad cœnam se contulerat, penè exanimis in regiam suam, ac paulò post eius quoq; filius eodem modo fertur: sed Pontifex postero die qui fuit xvij Augusti, mortuus pontificio ritu, in D. Petri ædè, ater, tumefactus, totusq; deformatus, quæ aperitissima sunt ueneni indicia elatus fuit: at Valentinus ætatis uigore, optimis statim, atq; ei ueneno accommodatis remedijs usus, longa & graui ægritudine oppressus, uitam tamen conseruauit. Huius casus uenenum causam fuisse constans opinio fuit, & cõmuni fama res in hunc est acta modum. Valentinus qui eidem cœnæ intersuturus erat, Adrianum Corneti Cardinalem, in cuius uinea cenaturi erant, ueneno tollere constituerat: neque enim ignotum est, hanc fuisse patris & ipsius frequentẽ con-

suetudinem, ut ueneno non modò aduersus hostes ultionis uel metus gratia uterentur, uerum etiam nefaria diuitum proprijs facultatibus spoliãdi cupiditate, in Cardinales & alios aulicos, etiamsi nullam unquam ab illis iniuriam accepissent, cuiusmodi fuit ditissimus ille S. Angeli cardinalis: quin etiã amicissimos coniunctissimosq; eodem modo acceperunt: ut Capuanũ & Mutinensem Cardinales, qui eis utilissimi fidissimiq; ministri fuerãt. Valentinus igitur suum secutus morem, quum lagenas quasdam uino uenenato plenas prãmisset, easq; ministro cuidam rei minimè conscio, cum mandato ne cuiquam daret tradidisset, fortè fortuna Pontifex ante cœnæ tempus eò uenit, qui siti, ingentiq; ut tunc erat, aestu uictus, potum petiuit: sed quia nondum ex Vaticano ea quæ ad cœnam erant necessaria allata fuerant, minister is qui id uinum uelut præstantius conseruari crederet, ex eis lagenis quas Valentinus prãmiserat, Pontifici infudit: Valentinus patre bibente eò superuenit, atq; ex eodem uino bibit. Ad defuncti Alexandri spectandum corpus, in D. Petri templum urbs tota incredibili lætitia accurrit: nec cuiusquam oculi Draconem illum, qui immoderata ambitione, & pestifera perfidia, omnibusq; horrendæ crudelitatis, monstruose libidinis, & inaudite auaritiæ exemplis, sacris atq; profanis rebus absque discrimine uenditis uniuersum orbem uenenis infecerat extinctum spectando expleri poterãt: qui nihilominus ab ineunte ætate ad extremum usq; uitæ suæ dicm, singulari ac penè perpetua felicitate, maximaq; semper appetens, & plura q̄ optaret perpetuò adipiscens, elatus fuerat: quod exemplũ ad illorum qui humanorũ oculorũ imbecillitate diuinorũ iudiciorum arcana se uidere

arbitrantes, quicquid mortalibus uel fausti uel aduersi accidit, ex bene maleue factorum causis manare aiunt, arrogantiam retundendam potentissimum est: quasi nō quotidie multos bonos iniuste uexari: & contra, plerosque improbos ad non meritos honores euehi, cernere minus: quasi secus interpretando, de Dei iusticia potentiaue detraberetur, cuius amplitudo breuibus ac presentibus terminis minimè inclusa, alio tempore & loco, larga manu eternis premijs atq; supplicijs, iustos ab iniustis discernit. Sed Valentinus in Vaticano grauitè decubens, omnes copias suas circa se cōtraxit: & cum antea semper in patris obitu partim armorum suorum terrore, partim Hispanorum Cardinalium qui undecim erāt suffragijs Pontificem ex arbitrio suo eligere cogitasset, tunc temporis, propter grauisimam ægitudine, & hoc & reliqua omnia longè difficiliora quàm prius cogitasset inueniebat: quare uehementer indignatus, querebatur, quòd cum aliàs sæpius omnia quæ in parentis morte accidere possent cogitasset, omnibusq; remedia inuenisset, sibi, ut & ipse eodē tempore tam periculoso morbo detineretur fieri posse, nūquam in mentem uenisset: ideo cum consilia non ad ea quæ antè cogitarat, sed ad presentem necessitatem accommodanda essent, se eodem tempore Columniorum & Ursinorum odium sustinere non posse ratus, & ne in se conspirarent ueritus, ijs potius quos in fortunis tantum, quàm ijs quos in fortunis & sanguine læserat fidere statuit: quapropter Columnijs & Vallensi familiæ quæ eandem factionem sequebatur statim recōciliatus, ijs ut in propria regna rediret inuitatis, arcēs quas magno sumptu Alexander muuierat, auxeratq; restituit. Sed hæc neq; ad eius securi-

tatem, neq; ad Romanæ urbis, ubi omnia timore & tumultu erant plena, tranquillitatē satis habebant. momentū: quoniam Prosper Columna in Urbē uenerat, & tota Columniorū factio arma ceperat: et Fabius Vrsinus suæ familiæ ædes in Monte iordano ingressus, cum magna Vrsinæ factionis turba aliquot tabernas, & mercatorū atq; Hispanorum aulicorum domos incēderat: in cuius gentis nomen propter tyrannidis in Alexandri pontificatu ab illis usurpatæ memoriā, serē omnium animi erant concitati: & Valentini sanguinem sitiens, multos peregrinos milites conscribebat: & Barptolomæū Aluianum, qui tunc Venetis militabat, ut cum reliquis Vrsinis suis ad tot iniurias ulciscēdas properaret urgebat. Suburbium & Quintiana prata Valentini copijs erāt referta, & Cardinales se non tutō in Vaticanum conuenire posse rati, ad Mineruæ conueniebant: quo in loco præter antiquum morem, Alexandri exequias, sed seriū consuetō celebrare incœperant. Consalui Romanæ aduentus timebatur, præsertim quia Prosper Columna certum Hispanorum militū numerum Marini reliquerat, & quia Valentini cum Columnijs reconciliatione, hispanicam factionem se secuturum promississe credebatur. Sed multo magis gallici exercitus aduentus formidabatur, qui ad eum usq; diē lentē processerat, quia publica Heluetiorum cōcilia, infaustis suæ gentis in regno neapolitano successibus territa, antequam regijs ministris pedites apud se conscribendi facultatem dedissent diu dubitarant: & serē omnib. ducibus & delectis peditibus eadē de causa ire recusantibus, seriū conscripti, & in itinere lenti fuerant. Sed Pontificis morte exercitus, cui Mantuanus uelut regis uicarius, & cū co,

& si

& si non nomine, re tamen ipsa Camensis præfectus, et Sandricurtius præerant: quoniam Tramolia æger Parmæ hæserat, Heluctijs minimè expectatis, in Senensem agrum, ut Romam contenderent uenerant: sic enim rex imperauerat, atque etiam gallicam classem quæ Caietæ erat, Hostiam, ut Consaluum si fortè, quemadmodum ferrebatur, exercitum Romam quo Cardinales ad libitum suum Pontificem eligere cogeret, ducere uoluisset, impediret, petere iusserat: tamen quia mercatores, in literis quibus pecunia ex Gallia representari iuebatur, recipiendis, propter Romanarum rerum perturbationem se difficiles exhibuerant: & Heluctij qui iam in senensem agrum peruenerant, nisi prius stipendia accepissent, ulterius progredi recusabant, aliquot dies inter Bonconuentum & Viterbium subsistere. Quo tempore non minores erant in Latio, & in plerisq; alijs Pontificij regni & Valentini locis tumultus: quoniam Vrsini, & omnes Romani principes, in suas quisque fortunas redibant. Vitellij Ciuitatem castellum redierant, & Ioannes paulus Ballio, coniuratione fretus, Perusiam oppugnauerat: & quamuis ab hostibus fugatus recedere coactus sit, tamen cum multis copijs & publicis Florentinorum auxilijs. denuò reuersus, ualida impressione facta, non sine aliqua hostium & suorum cæde ingressus est. Plumbinates quoque arma ceperant: & quamuis Senenses id oppidum occupare conati sint, tamen Florentinorum ope prior dominus redijt. idem in suis regnis Urbinatium dux, Pisauri, Camerini, & Senogallie principes faciebant: sola Aemilia, etsi Veretorum, qui Rauennæ magnas copias comparabant metu non careret, in Valentini fide pacata permanebat:

quòd re ipsa quanto ei regioni tolerabilius fuisset unũ tantum principi eiq; potenti parère, quàm cum singula ciuitates proprium principem habebant, qui nec propter imbecillitatem eos tueri, nec propter inopiam beneficijs afficere poterat: quin potius cum se paruis uectigalibus quæ haberet alere non posset, illos opprimere cogebatur: illud etiam homines in memoriam reuocabant, propter illius auctoritatem atque potentiam, & sinceram iuris administrationem, eam regionem à factionum tumultibus quibus antea semper crebris hominum caedibus uexari solebat, immunem fuisse: quibus rebus & beneficijs quoque in multos illorum collatis, in militares homines stipendijs in togatos, sui & Pontificij imperij magistratibus distribuendis, & sacerdotibus apud patrem ad sacra beneficia obtinenda commendandis, populorum animos sibi deuinxerat: quare nec aliorum exempla qui omnes rebellabant, nec ueterum principum memoria, eos à Valentino alienabat: quem uel tot angustijs oppressum, tamen et Hispani & Galli, amplis promissis sibi adiungere summopere nitentur: nam præter ipsius copiarum usum, Hispanorum cardinalium suffragia ad futuram pontificis electionem adipisci sperabant. Ipse uerò etsi propter Columniorũ reconciliationem illum Hispanis adhæsisse opinio fuerit, nihilominus cum nulla alia re quàm metu, ne Urfinis coniungerentur, ad id esset impulsus: tunc uerò quæ admodum aiebat, se ad nullam rem in Gallie regem tendendã teneri uelle declarasset, quia & Romæ ubi Galli tam propinquum exercitum habebant, & in alijs suis fortunis, magis ei & nocere et prodesse poterant quàm Hispani, Gallie regis partes sequi cõstituit: idcirco pri-

mo Septembris die cum Sanseuerina i' cardinale & Transiua regio legato, pro rege stipulãtibus, conuenit, copias suas ad neapolitanum & quoduis aliud bellum in quemcunq;, excepto Pontificis imperio gereretur, promittens, & uicissim regij procuratores, regem ad eius cum omni diuione quam possidebat defensionem, et ad auxilia quibus ea quæ amiserat recuperare posset subministranda obligarunt. Præterea Valentinus, se plurimorum Hispanorum cardinalium suffragia pro cardinale Rotomagensi: captaturum spem faciebat: qui Pontificatus sui regis auro, itate, opibus, & armis adipsiscendi spei plenus, statim post Pontificis obitum ex Gallia ut Romam contenderet profectus erat: secumq; præter Aragonium cardinalem, Ascanium quoque adducebat: qui ante biennium è Bituricēsi turri liberatus, postea in aula in honore habitus, & ab Rotomagensi ualde humaniter acceptus fuerat, quòd ueterem eius auctoritatem qua in Romana curia pollere solebat, & maximas amicitias atque clientelas, sibi primo pontificatus interregno profutura speraret: quæ fundamenta nõ admodum firma erant, quia nec Valentinus sibi de Hispanis cardinalibus, qui magis hominũ more proprie utilitatis, quàm gratiæ ob beneficia tum à patre, tum ab ipso accepta referendæ studiosi erant: & quia plerique illorum regum suorum animos offendere nolentes, nunquam id commississent, ut Gallum cardinalem pontificem crearent: nec Ascanius si maxime potuisset, ut Rotomagensis ad spes omnes quæ sibi & familie sue relinquebantur deprimendas & extinguendas ad pontificatũ ascenderet, assensus esset. Noui Pontificis creatio cum quia defuncti exequiæ, ante quarum finem

(sunt autem nouendiales) Cardinales, ex ueteri more locum suffragijs ferendis destinatum, quem ipsi Conclauē uocant, non ingrediuntur: tum quòd ad seditionis, in tanta rerum perturbatione, & tam graui principum dissensione occasiones & pericula uitanda, Cardinales qui praesentes aderant, absentibus cardinalibus ueniēdi tempus concedi uoluerant: qui cum uenissent, Senatus, propter Valentini copias, & quia Gallicus exercitus, tandem totus inter Nepet atq; Insulam collectus, quiq; Romam usque castra extendere cogitabat: siue quòd ne aduersa factio Collegium ad libitum suum facere cogeret uererentur, siue quòd Rotomagensis ad maiorem sui securitatem, utq; eis copijs ad Pontificatum consequendum se usurum speraret, Tiberim antequam nouus pontifex creatus esset transire recusabat, electionem minimè liberam fore uerebatur: quæ tandem post multas contentiones collegio, se alioqui conclauē ingressurum negante, hac ratione sunt composita, quòd Rotomagensis pontificum collegio, gallicum exercitum Nepetis atq; Insulae fines minimè excessurum, fidem suam obstrinxit, & Valentinus Nepet profectus est: deinde, ducentis grauis & trecentis leuis armaturæ equitibus, Ludouico Mirandulano & Alexandro Triultio ducibus in Gallica castra missis ad Ciuitatem castellanam se contulit: & collegium multis militibus ad urbis praesidium conscriptis, & tribus antistitibus conclauis custodiae praefectis, si quem tumultum perciperent, eius apertendi auctoritatem dedit, ut singulis Cardinalibus liberam quocunq; uellent proficiscendi facultatem haberentibus, omnes eos cogendi spem amitterent. Cardinales tandem numero triginta octo, Conclauē ingressi sunt,

ubi

ubi disidium quod alijs temporibus moram asserre solebat, in caussa fuit ut intra paucos dies nouum pontificem crearint: nam propter alias singulorũ cupiditates, & præcipuè propter contentionem quæ Gallicæ factionis Cardinalibus cum Hispanis uel Hispaniæ regibus fauentibus erat, non de homine conuenientes, sed proprio periculo, cum res Romana in tanto metu, atq; tumultu esset, & casuum qui tam difficilibus temporibus, interregno præsertim pontificali, accidere possent cogitatione territi, Rotomagensi quoque Cardinale, in quo indies magis eius adipiscendi spes minuebatur consentiente, Franciscum Picolhomineum, Senensem cardinalem, quem quia senex erat, & tunc temporis infirma ualetudine, omnes breuissimo tempore supremum diem obiturum existimabant, Pontificem crearunt: qui Cardinalis certè erat integræ famæ, alijsq; dotibus tanto gradu minimè indignus censebatur: hic ut Pij Secundi, patru sui, à quo in Pontificum collegium cooptatus fuerat, memoriam renouaret, Pius tertius nuncupari uoluit. Pontifice creato, gallicus exercitus, cum nullam ultra moræ causam haberet, antea destinatum iter ingressus, statim Tiberim traiecit: & tamen nec Pontificis electione, nec exercitus discessu, Romani motus sedabantur: Aluianus enim & Ioannes paulus Ballio qui coniuncti in perusino agro milites conscribebant, expectabantur: & Valentinus graui adhuc uoletudine oppressus, illorum aduentum metuens, cum ducentis & quinquaginta grauis armaturæ, & totidem expeditis equitibus, & octingentis militibus, fide à Pontifice, res se aliqua pactione sedare melius posse sperate accepta, Romam uenit. Sed cum Valentinus, & Vrsini iustissimæ

eius sanguinis siti accensi, quiq; nouas perpetuò copias conscribebant, intra eadem mœnia essent, hiq; à Pontifice, pontificumq; collegio, ius sibi citò administrari postulassent, præcipuum tamen ultionis fundamentum in armis saltem quamprimum Ioannes paulus Ballio & Aluianus aduenissent, ponebant: ex quo urbs suburbium in quo Valentinus castra habebat, perpetuò serè tumultuabantur: quæ contentio non modò populum Romanum & curiam perturbabat, sed, ut creditur, Gallorum rebus plurimum obsuit: nam cum Vrsini se ut Valentini rebus confectis, ad Gallie aut Hispaniæ regis stipendia proficiscerentur adornarent, & illorum arma ad belli uictoriam non parui momenti fore existimarentur, ab utraque parte amplis conditionibus inuitabantur: sed cum sua natura magis gallici nominis studiosi essent, Rotomagensis Cardinalis cum Iulio Vrsino, qui totius familie nomine, Aluiano, cui locus honestus relictus fuit, excepto agebat, pactus est. Sed Aluiani aduentu omnia sunt turbata: nam etsi inuitò cum eodem Cardinale serè conuenisset, tamen temporis serè momento cù Hispano oratore loquutus, se cum uniuersa Vrsina familia, Ioanneiordano excepto, cum quingentis grauis armaturæ equitibus, & sexaginta in singulos annos a reorum nummum millibus Hispanis addixit: in quam sententiam, ut ipse constanter asserbat præcipuè fuerat impulsus, quòd indignè ferret, Rotomagensem Pontificatus cupiditate etiam tum flagrantem, Valentino quòd eius opera Hispanorum Cardinalium suffragia maxima ex parte consequi speraret, fauere: quamuis Cardinalis culpam quæ ipsi ascribebatur in alios transferens, Venetos eius rei autores fuisse sibi persuasum esse

esse præ se ferret, qui, quòd Gallia regem neapolitano regno excludi cuperent, non modò in hunc finem illum à suis stipendijs discedere, se eundem illi, ut ferebatur, locum seruaturos promittentes, passi essent: uerum etiã ut prima stipendia promptiora essent, hispano oratori quindecim aureorum nummum millia mutuò deditissent: quod etsi non penitus certum esset, tamen uenietum legatum huic negotio se apertè immiscuisse negari non poterat. Alij ampliores ab Hispanis conditiones propositas in caussa fuisse aiebant: quia ipsis & reliquis eæ eadem familia, oppidorum in regno neapolitano quorundam ius, & fratri opima sacerdotia se duros, ac, quod ille magni faciebat, bello confecto, duo Hispanorum peditum millia ad bellum quod contra Florentinos in Petri Medicis gratiam gerere in animo habebat, auxilio missuros promiserant. Opinio fuit Ioannempaulum Ballionem, qui unà cum Aluiano Romam uenerat, quemadmodum eius exemplo eodem tempore cum Galis & cum Hispanis agebat, similiter in conditione capienda sequiturum. Sed Rotomagensis Cardinalis Ursinorum alienatione, qua spes Gallorum antea serè certæ in dubium reuocata esse animaduertebantur permotus, statim omnibus quæ petijt concessis ad regis sui stipendia, cum centum & quinquaginta grauis armaturæ equitibus, quamuis sub Florentinorum nomine (sic enim uoluit Ioannes paulus ut certior esset, stipendia quæ ex ea summa quam illi ex fœdere regi debebant deducenda erant, se statis temporibus accepturum) pertraxit: & tamen Ioannes paulus Perusiam ad militem conscribendum reuersus, & centum quadraginta auri libris acceptis, magis ex communi rerum cunctu agens,

suaq; studia & commoda, quàm honesti & militaris fidei rationem sequutus, necnon uarijs coloribus profectiōnem ad exercitum suam protrahēs, Perusia pedem non mouit: quod Rotomagensis ideò fieri censuit, quòd Ioannes paulus, eius temporis Italiæ ducum parum integram fidem imitatus, iam tum cum secum pactus est, Bartolomæo Aluiano & Hispanis se sic facturum promississet. Vrsinorum conuentioni coniuncta fuit pax inter illos & Columnios, eadem hora in hispani oratoris domo confecta, quem unà cum ueneto, uno animo, suarum controuersiarum arbitros fecerunt: quorum coniunctione territus Valentinus, quum Roma discedere statuisset, & iam iam Braccianum, quia Ioannes iordanus se illum inuiolatum eò perducturum Rotomagensi fidem dederat, iturus esset, Ioannes paulus et Vrsini, qui illum adoriri statuerant, cum per Angelicæ arcis pontem suburbium ingredi non potuissent, Roma egressi, & longo circuitu ad portam quæ Turrionis dicitur, quæ tum clausa erat, profecti, eam incēdunt: ingressiq; cum nonnullis Valentini equitibus pugnam ineunt: & quamuis multi galli milites qui nondum Roma discesserant, ei auxilio uenerint, tamen cum hostium uires maiores assent & ingens impetus, milites autem ipsius quorum numerus iam antea ualde imminutus erat, fuge signum darent, unà cum Scyllaceo principe, & aliquot Hispanis purpuratis in Vaticanum cōfugere coactus est: unde statim in Angelicam arcem pontificis consensu ab arcis præfecto, qui adhuc idem erat qui superioris pontificis tempore fuerat, quandocunque discedere uellet in sua potestate sōre fide accepta, se recepit: eius autem copie dissipatæ sunt. In hoc tumultu Camensis

sis præfectus lœue uulnus accepit: & Rotomagensis eo die magno in metu fuit: offensionum caussa hoc facto remota, & tumultus pariter Romæ sedatus, adeo ut pacatè noui pontificis electioni operam dare cœperint, quoniam Pius, cardinalibus spe in sua creatione concepta minimè fraudatis, uigesimo sexto post die, quam erat ad pontificatum assumptus, ex hac uita migrarat. Post cuius obitum, cum pontificum collegium aliquot dies conclauis ingressum distulisset (uoluerunt enim Ursinos, qui ut legionis suæ numerum explerent, ibi manserant, prius Româ discedere) electio extra conclauem decreta fuit: nam Hostiensis, qui S. Petri in Vincula cardinalis appellabatur, amicis, autoritate, & opibus potèst tot suffragi. sibi obstrinxerat, ut qui contra sentirent, se opponere non audentibus, iam certus & designatus Pontifex conclauem ingressus, nouo atque hominum memoriæ antea inaudito exemplo, antequàm conclauem clauderetur, eadem nocte, quæ fuit postrema Octobris, ad pontificatum assumptus fuerit: qui uel primum suum Iuliani nomen intuitus, uel ut fama fuit, quo cogitationum suarum magnitudinem indicaret, uel ne etiam nominis præstantia Alexandro cederet, Iulius, eius nominis inter omnes quotquot fuerant pontifices Secundus appellari uoluit. Magna certè fuit omnium mortalium admiratio Pontificatum tanto consensu, Cardinali, quem difficilè admodum natura esse, cunctis formidandum, & omni tempore inquietum, notissimum erat, quiq; etatem in continuis molestiis consumpserat, necessitate coactus, multos læserat, odia & simultates cum multis magnis uiris exercuerat, delatum fuisse: sed mox singula perpèdenti, caussa, quibus omnibus impedimentis superatis,

ad tantum gradū euectus fuisset, apparebant: cum enim diu Cardinalis admodum potens fuisset, magnificentia qua reliquos omnes superauerat, & animi magnitudine non modò amicorum multitudinē, uerum etiam inueterata admodum in curia autoritate pollebat: præterea pontificiæ dignitatis libertatisq; defensor princeps habebatur: sed multo magis illum promouerunt immodica atq; infinita promissa quæ cardinalibus, principibus nobilium primoribus, & ijs qui sibi hac in re adiumento esse possent, in omnibus quæ petere potuerunt facta: adhæc pecunias, sacerdotia, dignitates tam ex suis, quàm ex alienis distribuendi facultas, quia multi eius liberalitatis fama permoti accurrere, sponte ei pecunias, nomē officia & beneficia, quibus ad suam uoluntatem uteretur, certatim offerre: nec fuit aliquis qui cogitaret, eius promissa longè maiora esse, q̄ ut ea pontifex factus præstare posse aut debere uideretur: diu enim aperti ac ueracis famam obtinuerat, ita ut Alexander VI eius tã acerbus inimicus, in reliquis illum carpens, ueridicum hominem esse fatebatur: quam laudem ille, cum sciret à nullo homines facilius decipi, quàm ab eo qui decipere nunquã solitus sit, uel huiusmodi saltē nomen habeat, ut pontificatum adipisceretur, parui fecit. Huic electioni assensus est Rotomagensis, quia cum se pontificatum adipisci non posse animaduertent, hanc, quæ admodum hactenus fuisse existimabatur, sic in posterū sui regis amicū fore sperauit. Aseanius quoq; Cardinalis, prius illi, ueterum contentionum, cum uterq; purpuratus ante Alexandri pōtificatum, Rom. curiam sequebatur, memoria deposita, reconciliatus, assensus est: quia eū eius naturam melius quàm Rotomagensis agnosceret, illum

Pontificem factum perinde, ac multo etiam magis quā in minori fortuna, inquietum fore, eaq; consilia quæ sibi ad Insubriæ imperiū recuperandum uiam aperire possent, habiturum sperauit. Hispani quoq; etsi primum animo essent alienissimo, tot tamen alia suffragia cōcurrere animaduertentes, ideoq; se eius dignitatis impediendæ impari s rati, assentiendo mitigare, quā repugnando irritare tutius existimarunt: & aliqua ex parte ingentibus ipsius promissis freti, & Valentini suasionibus precibusq; permoti, consenserunt: qui ad tantā calamitatem redactus erat, ut quoduis periculosum consiliū sequi cogreretur, nō minus quā cæteri spe frustratus: eius namq; filiam Franciscomariæ Piuereio urbis præfecto suo nepoti se matrimonio iuncturum, pontificatus copiarum imperium confirmaturum: & quod maioris erat momenti, ad Aemiliæ Flaminiaq; possessionē quæ arcibus exceptis iam ab eius imperio defecerant, recuperandā auxilia daturum promisit: quarū prouinciarū res, nouis rebus & mutationibus plena, Pontificis, qui se tunc imparem ad eas ex arbitrio suo constituendas perspiceret, & Venetorum imperium in ea Italiae parte dilatari uix ferre possset, animum uarijs cogitationibus angebant: quamprimum enim Valentini in Angelicam arcem fuga, & copias quæ cum illo erant dissipatas, in Aemilia cognitum fuit, ciuitates quæ antea illum constanter expectauerant, spe amissa, diuersas rationes intrare cœperunt: Cesenates ad pristinam pontificij imperij fidem redierant: Imolenses arcis præfecto, nonnullorum ciuitatis principum opera interfecto, alijs pontificium, alijs Riariorum ueterum dominorum dominatum exoptantibus. ancipites erant: Foroliuenses qui diu, antequā

Xysti Pontificis concessu Riarijs subijcerentur, Ordellaffis paruerant, Antonium Riarium reuocauerant, qui prius Venetorum ope redire conatus, deinde ne illi, ut ea urbe ipsi potirentur suo nomine abuteretur ueritus, ad Florentinos conuersus illorum auxilio redierat. Pisaurum Ioannes Sfortia, Ariminum Pandulfus Malatesta, uterque à populo uocatus redierant. Sed Dionysius Naldius ueteranus Valentini miles, ab ariminenfis arcis præfecto accitus, ei opem laturus eò se contulit: idcirco Pandulfo eiecto, ciuitas sub Valentini dominatum redijt: soli Fauentini diutius in eius fide permāserāt: sed tandem illius reditus spe deiecti, ad Manfredorum ueterum dominorū reliquias conuersi, Astorre iuuenē ex ea familia, sed notū, quia nullus erat ex legitimo toro natus, accersuerunt. Veneti ad totius Aemiliæ imperiū aspirantes, statim post Alexandri obitum multos milites Rauennam miserant, cum quibus noctu ex tempore Cesenam adorti sunt: at populo fortiter urbem tuēte, ipsi qui sine tormentis, & magis insidijs quàm uiribus freti uenerāt, in Rauennatem agrum redierunt, in omnia quæ imperij in ea prouincia augendi occasionē dare possent, intenti, quam mox Dionysij Naldij cum Fauentinis dissensio aperuit: nam cum Dionysio Fauentinos sub Manfredorum à quibus cum Valentinus eam urbem oppugnauit defecerat, imperium redire molestissimū esset, Venetis accersitis uallis Lamoni arces quib. ipse præerat eis tradidit: qui paulò post Fauentine arcis præfecto pecunia corrupto, trecentos pedites in eam miserunt: eodem quoque tempore Foripopilij arcem, & pleraque alia Aemiliæ castella occuparunt, & copiarum partem ad Fanum fortunæ oppugnandum miserunt: sed populus

se Pon-

se Pontificis nomine constanter defendit. Ariminum quoque populi consensu, antea cum Pandulfo Malatesta se illi Citadellam patauini agri oppidum, annuum stipendium, & grauis armaturæ equitum turmam in perpetuum duros pacti, intromissi sunt: mox summo studio ad Fauentia oppugnationem conuersi. Fauentini enim arcis, quæ quod in depresso loco sita est, & ipsi eam statim profunda fossa à ciuitate separassent, parum illis obesse poterat, iactura minimè territi, & bene in Manfredorum nomen affecti, atq; Fauentiaè dominatum, ab Lanonis uallis incolis, alijs promitti ægreferentes, strenuè se tuebantur: sed cum uires ad defensionem deficerent, quia Veneti Christophoro Mauro legato exercitum & tormenta urbi admouerant, & optima quæque agri loca occuparant, ab Iulio iam Pontifice, cui hæc audacia molestissima erat, opem flagitabant: cum autem is in ea sede nouus esset, opibusq; & uiribus careret, nec ab Gallia aut Hispania regibus tum grauioribus rebus occupatis, tum quia neutri illorum adherere uolebat, auxilia speraret, nulla alia ratione, quam pontificij nominis autoritate, prospicere eis poterat: quæ, ut quanti unà cum amicitia, qua diu ei reip. cõiunctus fuerat ratione, apud senatum uenetum esset experiretur, Tiburtinum episcopum Venetias, quod cum Fauentia in pontificatus iure esset, ipsi ab hac iniuria pontifici, qui antequam ad eum gradum ascenderet, semper ipsorum reip. coniunctissimus fuerit, & à quo nunc ad ampliore fortunam euecto, ueteris beneuolentiæ uberrimos fructus sperare possent, inferenda, non abstineret, ex postulatam misit. Credibile est eos ipsos qui antea ut se Pisanis reb. nõ immiscerent, regni neap. portus pi-

gnori ne acciperent, Insubriam cum Gallia rege ne di-
 uiderent, sua erant, in senatu fuisse: qui, si indies multis
 magis odiosi atq; suspecti fierent, & reliquorum odijs
 pontificum quoq; inimicitiam adiungerent. quid tandē
 inde futuram esset, cogitarent: sed cum ambitiosa consi-
 lia tam felices exitus habuissent, omnib. uelis tam pro-
 pitio fortunæ uento datis, eorum qui contrarium suade-
 bant uerba non audiebantur: ideo summo consensu pō-
 tificio legato tale responsum datum est: Eum senatum
 semper S. Petri in Vincula Cardinalem, propter diutur-
 nam amicitiam, innumeris, mutuis utrinq; officijs atq;
 beneficijs confirmatam, ad pontificatum euehi summo-
 pere exoptasse: neq; ullo pacto dubitandum esse, quin
 quem Cardinalem ita obseruassent, eundem nunc mul-
 to magis Pontificem obseruaturi essent: uerum se qua in
 re, si oblatam Fauentiaē adipiscendæ occasionem ample-
 derentur, eius dignitatē lederent nō animaduertere:
 quod ea ciuitas non modò non pontificum nomine pos-
 sideretur, sed etiam ipsimet Pontifices se eius omni iure
 spoliassent: atq; in sacro collegio ac senatu omnem do-
 minatum in Valentinum ducem plenè transtulissent: il-
 lud quoque in memoriam reuocabant, ne antè quidem
 eam concessionem pōtifices post hominum memoriam
 unquam Fauentiam possedisse: sed nouis semper uica-
 rijs, nullum aliud præter censum quendam quem ipsi
 quoq; si quidem tenerentur, pendere promittebant, im-
 perij signum agnoscentes, concessisse: nec Fauentinos
 Pontificum dominatum exoptare, imò ab eo abhorren-
 tes, Valentini nomen ad extremum usque coluisse: &
 eius omni spe sublata, ad Manfredæ familiæ nothos ac-
 cersendos præcipites ruisse: ad extremum rogare, ut

Pontifex

Pontifex eandem in senatum uentum, qua Cardinalis eum profecutus erat, beneuolentiam conseruare uellet. Pontifex de Veyetorum animo certior factus, Valentinum duccm. qui ab illo quamprimum ad pontificatum ascendit, magno honore & magna beneuolentiæ significatione acceptus, in Vaticano cum Pōtifice habitabat in Aemiliam misisset: sed ne eius profectio quæ ab initio omnibus populis grata fuisset, nunc cum omnes iam ab illo defecerant ualde inuisa esset ueritus, id nō fecit. Fauentinis igitur unica in Florētinis spes reliqua erat: qui tam propinquam ciuitatem in Venetorum potestate uenire ægrè ferentes, initio ducentos pedites cō miserant: & ut eos ad se donec Pontifex auxilium mittere posset tuendos accenderent, aliarum copiarum mittendarum spe fouerāt. sed Pontificem ad arma capienda promptū non esse, nec Gallie regis, qui Venetos ut Valentini ditionem non attingerent hortatus erat, auctoritatem eos cohibere posse animaduertentes: quum ipsi soli se bello cum potenti hoste implicare nollent, auxilia mittere desierunt; quocirca Fauentini omni spe exclusi, cum Venetus exercitus, qui ad Obseruantie fanum castra habebat, iam urbis moenia tormentis quater incoepisset, cōiuratione etiam in urbe detecta, & aliquot qui ut Venetos introducerent conspirarant captis commoti, urbem eis dediderunt: Veneti autem, Astorri aliquod quamuis exiguum ad uitam tuendam subsidium promiserunt. Fauentia capta, facile Imola, & Foroliuij potiti essent, sed ne pontificem qui mirum in modum querebatur, magis irritarēt, militibus dimissis, tunc temporis, cum in Aemilia præter Fauentiam & Ariminum cum suis appendicibus, Monteflorē quoq; S. Archangelum, Verruciū,

Catteriam, Saunianum, Metulam, Cesenatum portum
 & in Imolensi ditione Tusinianum, Solariolū, & Montebataliam occupassent, ulterius progredi destiterunt. Valētini nomine in Aemilia tantummodo Foriliuij, Cēsē, Foripopilij & Bertinori arces tenebantur: quas ille, quamuis in Aemiliam proficisci summopere cuperet, ne in Venetorum potestatem peruenirent, Pontifici ea lege, ut eas post pacatas reciperet custodiendas tradidisset: sed Pontifex ueteri candore nondum dominandi libidine obliterato, cum diceret se occasiones quæ ad fidem fallendam allicerent sponte arripere nolē, recusarat, tandem ut aliqua ratione tamen Venetorum progressus sibi propter pontificij imperij periculum molestissimos impediret, Valentinum præterea Romā discedere cupiens, cum eo suo & pontificij collegij nomine egit, ut mari Spediam, & inde terrestri itinere Ferrariā deinde Imolam contenderet: quo etiam ducerentur centum grauis, & 150 leuis armaturæ equites qui adhuc eius signa sequebantur: quo consilio cum Valentinus Hostiam ut naues conscenderet esset profectus, Pontifex cum arces non accepisse pœniteret, & iam mutata sententia quacunque ratione ijs potiri posset, retinere statuisset, Volaterranum & Surrentinum cardinales, qui ei persuaderent ut ne illa oppida in Venetorum manus peruenirent, eadem conditione qua Romæ tractatum fuerat, ipsi traderet, misit: quod cum Valentinus facere nollet, Pontifex iratus, in triremibus, quas iam conscenderat eū capi, deinde honeste in Manlianū duci iussit, unde uniuersa aula, et tota urbe ob eius captiuitatē lætitiā exultāte, in Vaticanū ductus est: et quis diligēter custoditus, honorifice tamen atq; humaniter acceptus fuit: uerū quia

Ponti-

Pontifex ne arcium præfecti, de sua salute desperantes, arces Venetis uenderent ueritus, humanitate atq; blanditijs tesseras ab illo accipere nitebatur. Sic Valentini potentia, non minus crudelitate & fraudibus, quam pontificij imperij armis & potentia, repente euecta, ipso in se eas insidijs quibus pater & ipse tot alios uexauerant experto, magis repente corruit. Nec uerò eius milites meliorem fortunam habuerunt: qui cum in Perusinum agrum à Florentinis & alijs publicam fidem sperantes peruenissent, Ballionum, Vitelliorum, et Senensium copijs à tergo conspectis ut euaderent in Florentinorum ditionem confugerunt: ubi cum inter Castellionem & Crotonem, numero quadringenti equites cum paucis militibus constitissent, Florentinorum iussu omnibus rebus exuti sunt: & Michael illorum dux captus, quem illi postea pontifici, qui cum omnes eius pontificatus ministros odisset tum maxime illum, quòd omnium Valentini scelerum fidißimus minister & perfector fuisset, uehementer petenti concesserunt: quamuis, ut natura erga eos in quos seuire in sua potestate esset mitis erat, non multo post eum dimiserit. Hoc tempore Rotomagensis gallicæ legationis confirmatione, ab Iulio potius quia negare ausus non erat quam uoluntate impetrata, ut in Galliam rediret Roma discessit: at Ascanius, quamuis ex Gallia discedens regi se reitutum sacramento quo ab pontifice clam liberatus est, confirmasset, illum non est sequutus. Nec tamen suæ credulitatis ab Ascanio delusæ exemplum, Rotomagensem, in Pandulfi Petrucij rebus cautiorem effecit: qui eo Senis magno honore accepto, miroq; astu artificiosiq; consilijs sibi conciliato, adiecto quoque de Montepolitiano

Florentinis restituendo promisso, tantum effecit, ut Cardinalis ex Galliam reuersus, se nullum in uniuersa Italia Pandulfo sapientiore[m] uirum reperisse asserens, apud regem egerit ut Borghesius eius filius, paternæ fidei in Gallia obses, Senas redire permitteretur. Hæ fuerunt in Italia ob Pontificis mortem factæ mutationes. Eadem uerò tempestate bella ab Gallia rege tanta spe trans alpes cœpta, ad magnas difficultates redacta erant: quoniam exercitus in Aquitaniæ fines missus, pecuniæ defectu, & eorum qui præerant incuria, citò dissolutus fuerat: & classis Hispaniæ oram exiguo fructu præteruecta, in massiliensem portum redierat: exercitus uerò Perpenianū uersus profectus, de cuius progressu, quòd omnibus necessarijs rebus optimè esset instructus, rex sibi plurimum pollicebatur, ad Salsium, locum munitū prope Narbonem ad Pirenei radices, in Rusinonis ditione situm castra posuerat: quod oppidum, quum optimos defensores haberet, strenuè resistebat: & quamuis Galli fortiter oppugnarent, & omni studio mœnia tormentis concutere, & cuniculis euertere niterentur, nunquam tamen potiri potuerunt: imò maximo exercitu ex omnibus Hispaniæ regnis ut obsessis opem ferrent Perpeniani, quò rex ipse uenerat congregato, & propter Gallorum qui Fonterabiam uersus missi fuerant, dissolutionem, copijs quæ ad eos fines tuendos iuerant, huic exercitui coniunctis, omnesq; unà aduersus Gallos uenirent, duces se impares uiribus esse animaduertētes, cum iam circiter quadraginta dies Salsium obsedissent, Narbonem uersus copias reduxerunt: quos sequuti Hispani, Gallia regis fines ingressi sunt, & aliquot parui momenti oppidis captis cum Galli Narbone confitissent,

sent, paucos dies commorati, regis sui iussu, qui eius qui
 inuaditur proprium finem affecutus, praesertim cum
 ipsius regna ad uim Gallorum repellendam potentissi-
 ma, ad inferendam essent imbecilla, non libenter bellum
 ultra montes fouebat, in suos se fines receperunt. Haud
 multos dies post Federico rege intercedente, quinque
 mensium inducias solummodo de transalpinis rebus tra-
 cti sunt: nam Federicus, spe sibi ab Hispaniae rege de nea-
 politani regni restitutione facta, idemq; Galliae regem,
 apud quem misericordia commota Galliae regina pro
 eo uehementer laborabat facturum speraret, pacis tra-
 ctationem inter eos seruerat: quam obrem dum bellum
 in Italia arderet, Hispaniae regis legati in Galliam ue-
 nerunt: qui tanto artificio agebant, ut Federicus suae re-
 stitutionis, cui Andioninae factionis principes magno-
 pere repugnabant, difficultatem praecipue ex Galliae
 rege manare sibi persuaderet. Omnibus igitur duorum
 regum uiribus in regnum neapolitanum conuersis, o-
 mnium oculi & cogitationes in eam partem intende-
 bant: Galli etenim Roma profecti, per Valinontonis &
 Columniorum loca, in quibus commeatus illis sponte
 datus est, itinere facto, per pontificiam ditionem San-
 germanum uersus contendebant: ubi Consalus, Roc-
 casecca, & Montecassino praesidio munitis, non quidem
 ut fortunam experiretur, sed ut ulterius progredi pro-
 hiberet, quod propter loci qui natura munitus est o-
 portunitatem facile se facturum sperabat, castra po-
 suerat. Gallis ad Pontecoruum et Ceperanum progres-
 sis, Salutiis marchio, cum copijs quae Caietae erant, an-
 tea Traiectensi ducatu, & Fundano comitatu ad Gari-
 lianum fluiuium usque Consalus discessus occasione re-

cuperatis, adiunctus est. Primus gallici exercitus labor fuit, Roccafeccana oppugnatio, qua frustra tentata, in tantum contemptum adducti sunt, ut in Hispanorum castris, eum diem neapolitanum regnum ab Gallis securum reddidisse palam affirmaretur: eamq; ob causam se hostes Sangermano pellere posse diffisi, ad maritimum iter deflectere statuerunt: quare Aquini, quod ipsi ceperant, biduum commorati, septingentis peditibus, in Gulielmia arce relictis, Pontecoruum regressi, Fundano itinere, ad turrinam quæ in Gariliani fluminis transitu posita est, castra locarunt, quo in loco fama est olim Minturnas uetustissimam urbem fuisse: qui locus non modo ad pontem iaciendum, & fluuium trajiciendum, ut illis erat in animo, uerumetiam, si fortè ibi hærrere coacti fuissent, cum Caietam & classem à tergo Traiectum, Itrium, Fundos, & omnem regionem ad Garilianum usque amicam haberent, oportunus erat. Si Galli fluuium traiecissent, quòd Consalius tanto inferior uiribus esset, ut se aperto in loco opponere non posset, Gallis Neapolim usque, quo & classis quæ nullum mari impedimentum habebat uenisset, liberum iter relinquebatur, plurimum ad uictoriam referre existimabatur: ideò Consalius Sangermano profectus, ad alteram Gariliani partem, ut Gallos totis uiribus transitu prohiberet, uenit: se id propter incommodum & laborem, in quo exercitus, in fluminibus quæ uado superari nequeunt, cum hostes se opponunt superandis uersantur, facile facturum sperans: sed, ut sæpe accidit, quod prius difficillimum existimabatur id facillimum fuit: & contra, quod omnes facillimum censebant, difficilium: Galli namq; etiam si Hispani prohibere conati sint,

sint, ponte facto, tormentis partim in ea ripa in qua castra habebant, quæ opposita non nihil altior erat, partim in nauibus quæ ex classe aduerso flumine subuexerant, collocatis, fluminis transitum sibi uendicarunt: sed cum postero die transire cœpissent, Hispani se opposuerunt, & in eos qui iam transierant impressione facta, magno animo ad medium pontem usque repulerunt: & nisi tormentorum ui retrocedere coacti fuissent, ulterius eos essent persecuti. In hoc conflictu ex parte Gallorum, Diuionensis præfecti uicarius cecidit: ex altera parte Fabius Pauli Vrsini filius, iuuenis non parua inter Italos milites expectationis. Fama fuit, Gallos si cū transire cœperunt fortiter progressi essent, eo die uictoria potituros: sed dum lentè & cum timoris significatione procedunt, non modò eius diei uictoriæ occasionem amiserunt, sed etiam magna ex parte futuræ spem debilitarunt: nam post eam diem res illorum parum feliciter successerunt: iamq; inter duces potius erat perturbatio quàm concordia; proq; Gallorum militum erga Italos duces consuetudine, Mantuano regio legato, parum erant obsequentes, adeò ut ille uel hac de causa, uel quòd reuera, ut aiebat, egrotaret, uel quòd periculo prius ad Roccafecam, deinde, quo die pontem transire tentarunt, facto, de uictoria desperaret, ab exercitu maiore apud Galliæ regem, fidei quàm fortitudinis uel militaris in exercitu administrando peritiæ, opinione relicta, discessit. Post cuius discessum Galli duces, quorum præcipui erant, Saluciarum marchio, Camensis præfectus, & Sandricurtius, pontis capite ex altera fluminis parte prius carris munito, uallum multorum hominum capax, cuius ope ab hostibus pontem transeuntes haud amplius inuadi poterant, extruxerunt: sed alia

impedimenta, partim ipsorum culpa, partim ex hostiū uirtute & tolerantia, partim ex fortunæ iniquitate orta, quo minus ulterius progredierentur eos remorabantur: quia Consaluis, qui magis, ut eos hyemis, & regionis situs occasione, quam uiribus impediret operam dabat, ad Centuram uicum, editiore loco situm, passulo plus mille passibus à flumine distantem, peditatu & reliquis copijs circūcirca dispositis, castra locarat: idq; magno incommodo: nam cum deserto in loco, ubi, agricolarū casæ, & pastorum tuguria rarissima sunt, castra haberent, uix tectum aliquod inueniebant: planiciesq; ipsa natura depressa, atque ob anni tempus pluuijs obnoxia aqua & luto redundabat: idcirco milites qui ubi consisterent non habebant, magnum fasciculorum numerum in editiora loca comportantes solum ijs sternere conabantur: quas ob res tum quòd militi stipendia non dabantur, tum etiam quia Galli fluminis transitum profectus sibi liberum fecerant, ut milites minus incommodi perciperent, utq; periculum in quo milium numero hostibus inferiores, perpetuò uersari uidebantur uiderent, Capuam esse recedendum præfectorum quorundam sententia fuit: quam Consaluis his æterna memoria dignis uerbis, magno animo reiecit, cum diceret, optare se potius sepulchrum suum eadem hora pedem unum ulterius proferre, quam paucos cubitos retrocedendo uitæ suæ spacio centum annos addere: sicq; res aduersas animi constantia perferens, & castrorum fronte alta fossa, & bino uallo munita, se Gallis obiectus tuebatur, qui etsi uallum & ipsi fecissent, non tamè castra mouere tentabant: nam cum regio uniuersa imbriū, & fluminis aquis redundaret (hunc locum T. I. i-

uius ob Sinuessæ uicinitatem Sinuessanas aquas appella-
 lat, & fortasse sunt Minturnæ paludes, in quibus C. Ma-
 rius Syllam fugiens se occultauit) nisi angustis, ac bene-
 lutulento stagnantibus ubique aquis itimere, nec sine pe-
 riculo ne ab Hispanorum expedito peditum, qui admo-
 dum propè erat, à latere inuaderentur, progredi pece-
 rant, & forte fortuna ea hyeme tempestas erat frigidis-
 sima, atque asperrima, & supra eius regionis consuetu-
 dinem niuis & pluuijs abundans, ut fortunâq; cœ-
 lumq; in Gallos conspirasse uiderentur: qui cunctando
 non modò tempus inutiliter terebant, uerum etiam ob
 suam naturam ferè idem detrimentum ex mora perci-
 piebant, quòd ex ueneno paulatim erodente capiunt
 humana corpora: nam etsi minore incommodo quam
 Hispani in illis locis erant, propterea quòd antiqui cu-
 iusdam theatri reliquie, quibus multa lignea tecta ad-
 iunxerant, & uicina ædes atque diuersoria militum
 partem tegebant, & locus circa turrim nõnihil Sinues-
 sana planitie altior, minus aquarum iniuriam sentie-
 bat, et maxima pars equitatus Traiectum atque in alia
 uicina oppida se contulerat, nihilominus quia Gallorũ
 & Heluetiorum corpora diuturnos labores & incom-
 moda, non tam facile quam Hispani perferunt, animo-
 rum impetus atque ardor in eis indies deseruescebat
 magis: quæ difficultates, eorum qui ab rege commea-
 tui, & stipendiorum solutioni præfetti erant auaritia
 augebantur: qui proprio quæstui intenti, nec ullũ frau-
 dis genus præmittentes militum numerum imminui
 patiebantur: neque ut commeatu exercitus abundaret
 curabant: quas ob causas multæ ægrotudines exercitum
 inuadebant: & militum numerus, quamuis ad stipendia

accipienda serè idem esset, re ipsa tamen longè minor erat: Italis etiam militibus sua sponte ex parte dilapsis, eas perturbationes præfectorum dissensio augebat: quæ fiebat ut exercitus nec ordine, nec disciplina regeretur: hac ratione Galli hybèrni temporis asperitate detenti in Gariliani ripa ociosè hærebant, nulla re, præter leuiora quædam certamina ad rei summam parum conducentia, memorabili gesta, nisi quòd Hispani semper è certamine superiores discedere uidebantur. his quoque diebus acciãit, ut pedites qui à Gallis ad Gulielmiæ arcis præsidium relictì erant, quum molestias quæ ab ijs qui in Roccafecca atque alijs circa ea loca præsidio erant, ipsis perpetuò inferebãtur, sustinere non possent, ideoq; ad castra redirent, in itinere ab illis funderètur: sed cum res per multos dies hoc in statu fuissent, Bartolomæus Aluianus, & ceteri Vrsini, cum suis copijs in Hispanorum castra superuenerunt, quorum aduentu Consaluus uiribus ita auctus noningentos grauis, mille leuis armaturæ equites, & nouè militum Hispanorum millia in castris haberet, iam non de defensione, sed de hostibus laceffendis cogitare cœpit: ad quod eo magis accèdebatur, quòd sciret Gallos equitatu quidem superiores, peditatu uerò inferiores, per uicina oppida ita dissipatos esse, ut eorum castra paulò minus decem millibus passuum paterent: adeo ut circa Gariliani turrim Salutiùs prorex, & reliqui præcipui duces cum minore tantum exercitus parte mansissent: eaq; etsi commeatus copia superuenisset, morbis tamen, quibus multi, & inter reliquos Camensis præfectus interierant, indies magis crescentibus quotidie minueretur: idcirco fluuium furtim si posset transire cum statuisset, quod si succederet

ſet de uictoria minimè ambigebatur, Aluiano eius con-
 ſilij, ut aliqui aiunt, auctori, pontem clàm faciendum cu-
 raret, commiſit: cuius opera, cū in quodam uico propè
 Sinueſſam naualis pons magno ſilentio factus eſſet, eo
 ad Garilianum noctu uecto, & ad Suuij traiectū qua-
 tuor milliariſus ſupra Gallorum pontem poſito, ubi illi
 nullum præſidium habebant, quamprimū pons poſitus
 fuit, quod factum eſt die xxvij Decemb. totus exercitus
 & cum eo Conſaluis ipſe traiecit: eademq; nocte Suuij
 quod oppidum ad fluminis ripam poſitum eſt, à primis
 tranſeuntibus occupatū fuit, caſtra locauit: maneq; ſe-
 quenti qui erat dies Veneris Hiſpanis fauſtus, Cōſaluis
 cum nouiſſimū agmen quod inter Mondragonis arcē
 & Carinulam, quatuor paſſuū millia infra Gallorum
 pontem caſtra habebat, ad pontē illorum oppugnandū
 contēdere imperaſſet, ipſe cum primā acie cui Aluianus
 præerat, & media quæ unā cum ipſo ſtumen traiecerat
 ut Gallos inſequeretur, qui eadem nocte Hiſpanos pon-
 te iacto copias iam traducere certiores facti, ut qui an-
 tequam mitiora tempora adeſſent, nihil amplius moliri
 ſtatiſſent, exiſtimarentq; eandem hoſtibus negligentia
 atq; ignauiam ineſſe, ingenti terrore occupati, & hac
 audacia atq; repentino motu, eo magis perturbati ſunt,
 progreſſus eſt: quamobrem prorex ad quem multi Tra-
 iecto & ex uicinis locis per quæ diſipati erant, conue-
 niebant, trepidans potius (ut in repentinis caſibus fieri
 ſolet) quam in mediū conſulens aut deliberans, eſſi Ale-
 grium cum aliquot peditib. equitibusq; Suuiū uerſus ad
 hoſtes tranſitu prohibendos ire iuſſiſſet, ubi tamē ſerō
 hæc fieri ſecū reputaret, metuq; in omni eorū conſilio,
 & deliberatiōe ſuperate, media nocte à Garilianæ turri

ut se Caietam reciperent, rerum castrensiū magna parte, nouemq; magnis tormentis, & uulneratis cum magno ægrotorum numero ibi relictis tumultuātes, mouerunt. At Consaluus illorum cognita fuga, cum exercitu eos persequens Prosperū Columnā cum expeditis equitibus, ut ab illis lacesiti tardius incederēt, præmisit: qui cum ad Scandiū eos essent affecuti, Gallis semper incedentibus, sed tamen sæpe ad pontes & angusta itinera, ne ordines perturbarent hærentibus, leuibus prælijs simul dimicare coeperunt, ex quibus Galli semper ubi aliquantisper impressionem sustinuissent, aliqua clade accepta recedebant: hic autem erat illorū progressus, tormenta præcedebant, quæ pedites sequebantur, ultimo autē loco equites, quorum postremi perpetuò cum hostibus pugnabant: cum hac ratione modò hærentes, modò leuiter pugnantes, ad pontē usq; qui ante Caietam est, progressi essent, necessitas proregem, ut equitatus partem in loco quo tormentis suis, quæ cum ea celeritate quā milites iter conficere nō possent, iā ipsis permiscebantur, præcedendi spaciū concederet, susteret cogit: quare acri eo in loco inita pugna, paulo post postremum Hispanorū agmen, flumine absq; ullo impedimento ijsdem nauibus, quæ ad pontē à Gallis fractum erat, traiecto, recto itinere Caietam petebat, Consaluo cum reliquo exercitu semper cliuum tenente; ad Molanum pontem, Gallis, loci muniti beneficio præsertim, etsi plurimo timore pleni pugnā sustinentibus, & Hispanis qui sibi iā uictoria potiri uidebantur, magno impetu in eos irruentibus, aliquandiu ferociter pugnatum est: sed tandem Galli, cum hostes iam sustinere nō possent, & ne ab hostilis exercitus parte, quā Consaluus per cliuosa loca

ad id

ad id miserat, iter ipsis impediretur ueriti, ordinibus perturbatis retrocedere incœperunt: hostibus autē continuo persequentibus, cum ad biuium, cuius pars una Itrium, altera Caietam ducit peruenissent, tormentis cū omnibus equis à quib. trahebantur relictis, multis mortalibus cæsis, inter quos fuit Bernardinus Adurnius qui cataphractos quinquaginta pro alio ducebat, & plurimis captis, reliquos ad Caietæ portas usque fugientes, sunt uictores persecuti. Eodem tempore Fabricius Columna à Consaluo missus, cum quingentis equitibus & mille peditibus, flumine transmissis, circa Pontecoruum & Fracias, plurimis castellis & regionis incolis operā nauātibus, Ludouici Mirandulani, & Alexandri Triulij turmas debellauit: multi præterea eorum qui Fundis Itrij, alijs item propinquis locis castra habebant, & cū pontem ab Hispanis iactum audiuiissent, ad Gariliani turrim ut cum suis coniungerentur, non contenderant, sed quo sibi consulerent, dissipati, ac trepidantes uaria loca diuersis itineribus petebant, capti, spoliatiq; sunt. Maius infortunium Petrum Medicem, & aliquot alios nobiles Gallorum castra sequentes oppressit: qui gallicis copijs ab Gariliano discedentibus, cum quatuor tormentis quæ Caietam ueherent nauigio non magno confesso, tum nimio pondere, tum in fluminis hostio uentis aduersis cum nauis omnes submersi sunt. Sequenti nocte Consaluus cum exercitu ad Castellonem & Molam statina habuit: & postero die Caietæ, quò præter Gallos duces, Salernitanus & Bisinianus principes confugerant, appropinquauit, suburbiumq; & montem à Gallicis derelictum occupauit: qui & si ciuitas militibus & commeatu satis ad defensionem esset instructa, & locus

huiusmodi qui facile maritima auxilia accipere posset, tamen consternati, nec ad incerta subsidia expectationis molestiam ferre parati, statim animum ad deditiōē conuerterunt: & ideo Diuionensis præfectus, Sanctacolumba, & Theodorus Triultius, de reliquorum consensu ad Consaluū profecti, die prima anni millesimi quingentesimi quarti, Consaluo Caietam cum arce, terra marique; è regno neapolitano cum omnibus rebus suis, tutò abeundi accepta facultate, & ut Obigninus ceterique; captiui utrinque; dimitterentur, tradiderunt: sed hoc nõ tam perspicuè expressum fuit, quin Consaluus huius pactiōnis ui regni neapolitani proceres liberati minimè inteligerentur, cauillandi ansam habuerit. Hæc est illa ab Gallie regis exercitu ad Garilianum fluuium, ad cuius ripam quinquaginta dies moratus erat, accepta clades haud minus ex proprijs erroribus peruersaque; disciplina, quàm ex hostium uirtute profecta: quæ sanè memorabilis uel ob illud est, quia tam nobilis tamque; opulenti regni integra amissio, & Hispani imperij firmamentum secutum est: magis autem quòd cum Galli hostibus potentia longè superiores, & omnibus terrestribus maritimisque; ad bellum necessarijs apparatusibus instructi in regnum inuasissent, tam facile, & sine hostis sanguine & periculo sunt debellati: & quia quamuis pauci hostili manu perierint, tamen ex tanto exercitu uarijs casibus paucissimi euaserunt: ex peditibus enim qui fuga elapsi se conseruarunt, & ex ijs qui deditiōe facta terrestri itinere Caieta discesserunt, pars in itinere frigoribus & morbis consumpta est, et qui uiui Romam peruenērūt, plerique; nudi ac miserabiles, pars in publicis pauperum hospicijs, pars noctu frigore, & fame in foris, & uijs

perie-²

perierunt:huius autem rei, siue fata Gallis aduersa, nec minus nobilitati, quàm plebi contraria, siue morbi ex incommodis ad Garilianum passis, contracti causam præbuerint, pleriq; eorum qui deditioe facta nauibus Caieta, ubi maximam equorum partem reliquerunt, discesserant, uel in itinere, uel quamprimum in Galliam peruenissent, interierunt: inter quos Salutarum marchio, Sandricurtius, & Montis præfectus, multiq; alij magnæ nobilitatis uiri. Præter id autem quod discordiæ ducumq; socordiæ, temporum acerbitati, atque Gallorum Helueticorumq; naturæ, ad cunctationis molestias animo, & labores atq; incommoda corpore non ita ut Hispani perferenda aptæ tribui poterat: duo in primis regi uictoriã interceptisse, existimatũ est: nempe exercitus propter pontificis mortem longa circa Romam mora: qua factum est, ut hyems antè superuenerit, & Consul uisinos ad stipendia sua priusquã ipsi regni fines ingrederentur, adsciuerit: neq; enim ambigitur, quin si ipsi dum tractabile miteq; cœlum fuit ingreffi essent, Cōsaluus tunc uirib. longè inferior, nec tempestatis acerbitate adiutus, maxima regni parte desertas, in pauca munita loca se recepturus fuisset: alterũ fuit regionũ quæstorum rapacitas, qui regem in militũ stipendijs fraudantes, & eandẽ ob causam comitatũ impediẽtes, nõ parum eum exercitum minuerũt: rex etenim summa celeritate talem omnium necessariorum rerũ apparatũ fecerat, ut certum sit eo tempore quo pugna commissã est, magnam pecuniæ & comæatus copiam ab ipso missã, Romæ fuisse: & quamuis postremò ob innumeras ducũ & totius exercitus querelas uberior esset comæatus, tamen tanta antea fuerat penuria, ut ea ceteris incommodis

addita, tot ægritudinũ & militum discessus, utq; cõplures per uicina loca dissiparentur, caussa fuerit, quib. ex rebus tanta miseri exercitus clades manauit: nam ut ad corpus tuendum non satis est si caput sanum sit, sed & cætera mēbra munere suo fungi necesse est: sic nõ est satis principem ipsum culpa uacare, nisi in ministris diligentia & uirtus proportionẽ respondeat. Eodem anno quo hæc tam grauiã in Italia gesta sunt, pax inter Baisettum Othomannũ & Venetos confecta est, quam utraq; pars cupide amplexa est: quoniam Baisettus princeps mansueto ingenio, & à patris ferocitate admodum alienus, literis quoq; ac religionis suæ studijs deditus, natura ab armis erat alienissimus: idcirco bellum potentissimis terrestribus atq; maritimis apparatibus cœptum, quo primo biennio Naupactũ, qui hodie Lepantus appellatur, Methonẽ, Coronẽ, et Iuncum in Peloponneso, quæ nunc Morea dicitur, occuparat, siue ocij studio motus, siue ne uel propria pericula, uel religionis amor Christianos principes in se concitaret ueritus, nõ eodem ardore postea gesserat: nã & Alexander Põtifex aliquot longas naues Venetis auxilio miserat, & unã cum ipsis Vladislaum Bohemiæ atq; Pannoniæ regem, ad bellum in Turcarum finibus mouendum pecunia concitarat: et Galliæ atq; Hispaniæ reges, singuli suas classes, sed non eodem tempore ad Venetorum classẽ adiunxerãt. Sed maiori studio Veneti, quib. maximo reip. & priuatorũ detrimento, negociationum quas homines ipsorum in multis orientis partibus exercebant, commertium bello impediebatur, pacem amplexi sunt: nam cum ueneta res publica singulis annis maximam frumenti copiam ex ijs regionibus, quæ Turcarum fascēs agnoscunt, acci-

pere

pere soleret, ea oportunitate priuari, illis non paruas
 difficultates afferbat: sed multo magis, quia cum impe-
 rium suum in bellis cum alijs principibus augere con-
 suessent, nihil magis horrebant quàm Othomannorum
 potentiam, à quibus quotiescunque bella cum illis gesse-
 rant, cladibus affecti fuerant: nam & Amurates Baiset-
 ti auus Thessalonicam urbem, quæ hodie Salonich nun-
 cupatur, Veneto imperio subiectam occuparat: deinde
 Maumetes eius pater, sexdecim continuos annos bello
 cum illis gesto Negropontum insulam, magnam itè Pe-
 loponnesi partem, Scodram, & multa præterea oppi-
 da in Macedonia & Albania eorum imperio adme-
 rat: itaque cum turcicum bellum magno incòmodo, in-
 genti sumptu, & sine fructus alicuius spe gereretur, ad
 hæc ueriti ne interea à Christianis principibus inuade-
 rentur, semper pacis cum illis sancienda erant cupidissi-
 mi: Baisetto, pacis legibus omnia quæ occuparat reti-
 nere licuit: & Veneti Cefalonia Insula, quam ueteres
 Leucadem appellabant, retenta, Neritum, quæ hodie S.
 Maurice insula uocatur, ei tradiderunt. Sed nõ tam mo-
 lestum fuit Venetis turcicum bellum, quàm ab Lusita-
 niæ rege, aromatum quæ ipsorum mercatores & na-
 ues, Alexandria nobilissima Aegypti urbe, Venetias
 uehentes, magno quæstu per omnes Christiani orbis
 prouincias diffundebant, commercium interceptum,
 graue & perniciosum fuit: quæ res cum omnium quæ
 à multis seculis acciderint, memoria sit dignissima, at-
 que ob detrimentum ab ueneta ciuitate acceptum ali-
 quo modo Italiae rebus coniungatur, non prorsus ab
 re alienum fuerit, aliquanto fusius eam explicare.
 Qui ingenio & miris cogitationibus, cæli motum &

descriptionem contemplantes, posteris ea nota fecerunt in cœli ambitu, ab ortu in occasum, lineam ubiq; & in omni parte ab australi & septentrionali uertice æquè distantem descripserunt: eamq; quòd dies cum sol sub illam uenerit, noctibus æquales sint, Aequinoctialem appellarunt: cuius longitudinem in trecentas & sexaginta partes, quas gradus uocitarunt, cogitatione partiti sunt: quemadmodum & alter cœli per uertices ambitus quoq; totidem partes patet. Horum normam secuti Cosmographi, terram metientes & partientes, in ea quoq; æquinoctialem lineam, quæ ad perpendicularum cœlesti lineæ ab Astronomis descriptæ respondet finxerunt: eã pariter cum terræ circuitu, lineam directè sub uerticibus posita, in latitudinem trecentorum & sexaginta partium diidentes, ita ut à nostro uertice ad australem cœtum & octuaginta, & ab utroq; uertice ad æquinoctialem lineam nonaginta graduum interuallum constituerint. Hæc à Cosmographis generatim tradita sunt: sed quod ad terræ quæ incolitur peculiarem descriptionem attinet, ea unius terræ partis quæ in nostro orbe est cognitione, quam habebant posteris tradita, eam partem quæ sub torrida plaga quam Astronomi in cœlo describunt, in qua æquinoctialis linea continetur, est, uelut soli proximam æstu inhabitabilem, neque ex nostro ad eas regiones quæ sub torrida plaga, uel ultra illam australem uerticem uersus sunt, quas Ptolomæus omnium consensu Cosmographorum princeps, ignotas terras & maria appellabat, transitum patere crediderunt: quare & ipse & reliqui, ijs qui ex nostro orbe ad Arabicum, Persicumque sinum, uel ad eas Indiæ partes, quas Alexandri Magni uictoriæ primum nostris homi-

hominibus notas fecerunt, ire uellent, aut ter restri itinere, aut ibi per mare nostrum quantum possent progressi fuissent, reliquum iter pedibus conficiendum existimarent. Has opiniones atque sententias falsas fuisse, nostro æuo Lusitanorum nauigatio declarauit: quoniam Lusitaniæ reges, iam à multis annis, quæstus cupiditate, Africae litora peragraræ cœperunt: ac paulatim ad Capitis uiridis insulas usque à ueteribus, ut plerique existimant, Hesperides appellatas, quæ quatuordecim gradibus citra æquinoctialem septentriones uersus sunt progressi, & indies audentiores facti longo circuitu meridiem uersus nauigantes, ad Bonæ spei promontorium, quo nullum in Africa magis ab æquinoctiali remotum est, cum triginta octo gradibus ab eo distet, ab eoq; in Ortum flectentes, per Oceanum, ad Arabicum & Persicum sinum usque peruenerunt: quibus in locis Alexandrini mercatores, aromata, partim ibi nata, partim ex Moluchijs insulis, alijsq; Indiæ partibus allata, emere, deinde terrestri, longo, incommodo, & maximis sumptibus itinere, Alexadriam ferre, ibiq; uenetis mercatoribus, qui ea Venetias aduecta, ingenti quæstus per uniuersam Europam diffundebant, uendere solebant: nam cum soli aromata in manibus Veneti haberent, præcia ex arbitrio suo constituebant: & iisdem nauibus quibus ex Alexandria asportabãt, multas merces eò ferebant, eademq; naues, quæ aromata in Galliam, Flandriam, Angliam, & alia loca uehebant, Venetias pariter alijs mercibus onustæ redibant: quæ res reipub. quoque opes ex uestigalibus & portorijs mirum in modum augebat. At Lusitani Lisbona regia urbe mari ad remotas illas partes profecti, & cum Calicntio & alio-

rum locorum regibus in indico mari societate contracta, deinde paulatim ad interiora loca penetrantes, arcibusq; temporis progressu in oportunis locis extructis, & nonnullis eius regionis ciuitatibus sibi scedere adiunctis, alijs uero armis imperio suo parere coactis, aromatum quæ antea Alexandrini mercatores habere solebant negociationem in se transtulerunt: eaq; mari in Lusitaniam uehentes, ad eadem loca ad quæ Veneti mittere solebant, nauibus ipsi suis mittunt. Quæ nauigatio sanè mira est, in sex & decem milliarium millia protensa per maria penitus ignota, sub alijs sideribus, alio cælo, alijsq; instrumentis peragenda: nam ubi æquinoctialem lineam transgressi sunt, nostram arcton non amplius ducem sequuntur. & magnetis usu priuantur: tantoq; itinere, nullas terras nisi ignotas, lingua, religione, moribus diuersas, prorsus barbaras, & peregrinis insensibilissimas attingere possunt: nihilominus tanta difficultate minimè impediti, tēporis progressu hanc nauigationē sibi tam familiarem fecerunt, ut quò prius decem mensibus perueniebant, nunc longè minori periculo sex mensium spacio nauigent. Sed magis etiam miranda fuit Hispanorum nauigatio, anno millesimo quadringentesimo nonagesimo, Christophoro Colombo autore cœpta. is cum sæpius per Oceanum nauigasset, & quorundam uentorum obseruatione, id quod postea reuera successit, coniectasset, aliquot nauibus ab Hispaniæ regibus impetratis, & Occasum uersus nauigans, triginta trium dierum spacio, in ultimis orbis nostri finibus, aliquas insulas, quarum prius nulla cognitio habebatur repperit, cœli temperie, soli ubertate beatas (nam quibusdam immaniſſimis populis, qui hu-

manis

manis carnibus uescuntur exceptis, ferè omnes incola, moribus simplicissimi, & ijs quæ naturæ benignitas fert contenti, neque auaritia, neque ambitione cruciantur) sed quia, cum homines illi neq; certam religionē, neq; literarum scientiam, non artium peritiam, non arma, non militarem disciplinam, non scientiam, nullū deniq; rerum usum habeant, non secus atque mansueta pecora omnium qui eas inuaserint facillima præda fiunt, infelicissimas quapropter Hispani occupandi facilitate, & prædæ opulentia allecti (in illis enim copiosissimæ auri uenæ secturæq; sunt inuentæ) multi eas ueluti propria domicilia incolere cœperunt: ulteriusq; progressus Christophorus Columbus, & post illum Americus Vesputius Florentinus, deincepsq; multi alij, alias insulas & amplissimas continentis regiones patefecerunt, & in nonnullis, etsi in plerisque secus, in publicis ac priuatis ædificijs, in uestitu, & commercio, mores, & ciuilem cultum, sed omnes imbelles, atque omnium prædæ facile expositas gentes inuenerunt: tanta autem est noui huius orbis uastitas, ut hoc nostro habitabili antea noto, infinito latius pateat. Ad has igitur oras cum nouis copijs nouisq; itineribus aspirantes Hispani, & modò aurum atque argentum ex fodinis quæ pluribus in locis sunt, & fluuiorum arenis eruentes: modò rerum uilissimarum permutatione ab illis capientes, modò iam collectū rapientes, multi priuatis navigationibus & proprijs sumptibus, ab rege tamen accepta potestate, & quinta eidem appensa eius quod aut eruisent, aut alia quauis ratione in eorum manus peruenisset, portione, ingentem copiam in Hispaniam attulerunt: quin eo usque progressa est Hispanorum audacia, ut aliqua na-

ues australem polum uersus per tres & quinquaginta gradus, semper continentis oram legentes progressæ, deinde fretum quoddam ingressæ, & ab eo per amplissimum pelagus in orientem uelificantes, atque inde per Lusitanorum nauigationem redeunt, ut res ipsæ docet uniuersum terrarum orbem circumiuerint: utriusque uidelicet, Lusitani atque Hispani, & præsertim Columbus huius magis admirandæ, magisq; periculose nauigationis inuentor, digni sunt, quorum peritia, industria, magnanimitas, uigilantia, & labores, quibus tantarum, tamq; ignotarum rerum cognitio nostro æuo patefacta est, sempiternis laudibus celebrentur: uerum laude digni maiore, si eos ad tanta pericula tantosq; labores subeundos non auri & diuitiarum fitis immoderata, sed uel huius cognitionis sibiipsis adipiscendæ & alijs tradendæ, uel Christianæ religionis propagandæ studium impulisset: quanquam et hoc aliqua ex parte post consequutum sit: plurimis enim in locis homines illi nostram sunt amplexi religionem. His nauigationibus ueteres in terræ cognitione, pluribus in rebus deceptos fuisse est cognitum, ultra æquinoctialem aditum patere sub torrida zona habitari: quemadmodum & aliorum nauigationibus, etiam contra eorundem opinionem, terras polis proximas quas immoderatis frigoribus, propter coeli situm ab Solis cursu ita remotum, inhabitabiles esse aiebant, incolæ repertum est. Patuit etiam id quod ueterum aliqui crediderunt, alij uerò reprehendebant, sub pedibus nostris alios homines esse, quos illi Antipodas appellabant. Sed ut ad narrationem nostrâ, & res quæ post Caietam Hispanis deditam, anno M D LIII, gesta sunt reuertamur: Cladis ad Carilianum ac-

ceptæ,

septæ, totq; calamitatum quæ post secuta sunt nuncijs, ob eorum qui perierant multitudinem, & præcipue ob tot nobilium uirorum amissionem, totum Gallie regnũ lacrymis & planctibus replerunt: ex quo regia uniuersa ex uestita, & multis alijs doloris signis, mœrore, & afflictatione plena conspiciebatur: & per totum regnum uirorum ac mulierum, cum diem, quo primum infausa imperij in Italia adipiscendi cupiditas, regum suorum quasi tanto imperio quod possidebant contenti non essent, aninos inuasit, execrantium uoces audiebantur: imprimis uerò regis animus tam nobilis regni unquam recuperandi desperatione, & tantam existimationis autoritatisq; suæ diminutione uehementer agebatur: magnifica uerba toties in Hispaniæ regem iactata, & uane tantorum ad eum undique oppugnandum apparatus persuasiones in mentem ueniebant: eius quoque dolorem atque indignationem augebat cogitatio, quòd cum ipse summa diligentia, nulli prorsus rei parcens, tantos apparatus fecisset, & cum pauperri-
 mis, omniumq; rerum egenis hostibus bellum gereret, ministrorum suorum auaritia & fraudibus tam turpiter superatus esset: quare uociferationibus cœlum implens, efficacissimo etiam sacramento addito, se postquam suorummet tam negligentem & perfidam operam esset expertus, nullum amplius bellum ducibus suis commissurum, sed se ipsum ad omnia præsentem futurum, confirmabat. Super autem hæc omnia eum agebat discruciabaturq;, quia quantum uires suæ tanti exercitus clade, & tot ducum totq; illustrium uirorũ interitu, imminutæ essent, animaduvertebat: ita ut si uel Maximilianus aliquem motum in Insabria excitasset, uel Hispania

ni regno neapolitano egressi ulterius processissent, ipse
 met de eo imperio defendendo maxime diffideret: præ-
 fertim, si cui horum Ascanius Sfortia, cuius dominatus
 ab omnibus populis uehementer expetebatur, adhæsis-
 set. Romanorum uerò regem tanta oportunitate non
 excitari, cum eius esset inueterati moris, sæpissimè tem-
 pora & occasiones permutare, nemo miratus est: at de
 Consaluo omnes contrarium existimabant, quo fiebat,
 ut quicumque in Italia Gallis fauerent, in magno terro-
 re uersarentur, ne ille uictori pecunias occasionesue nõ
 defutaras sperans, nulla interposita morâ, ad Insubriæ
 imperium euertendum, & Hetruriæ statum ex itinere
 mutandam, uictoriam sequeretur: quod si fecisset, Gal-
 liæ regem pecunia exhaustum, & animo deiectum, præ-
 fertim cum suorum animi ab transitu in Italiam essent
 alienissimi: & qui Caieta redibant regijs mandatis quæ
 Genuæ acceperant contemptis, alpes transissent, ei tem-
 pestati sine ulla defensione cessurum fuisse, certò crede-
 batur: illud quoque palàm cernebatur, regem omnibus
 belli cogitationibus omiſſis, totum in concordia cum
 Maximiliano tractanda uersari: nec minus pacis nego-
 cio cum Hispaniæ regibus intentum, cuius rei gratia, in
 belli ardore non intermissæ, Hispani oratores apud eũ
 semper & fuerant & etiam tum erant. Sed Consaluus,
 quem deinceps postquam cognomen sibi ab Hispanica
 iactantia tributum, tam illustribus uictorijs confirma-
 uit, sæpius Magnum appellabimus, siue quòd cum pror-
 sus pecunia careret, & plurima stipendia militibus suis
 deberet, eos qui stipendia & statua petebant, futuri lu-
 cri, aut stipendiorum post longum tempus spe, mouere
 nullo modo posset: siue quòd ex regum suorũ uoluntate
 progr

progredi cogere, siue quòd antequam hostes toto regno pelleret exercitum educere non satis tutum censeret, tanta occasione non est usus, quia Ludouicus Arsius unus ex Gallis ducibus, qui post pugnam Cirinolanam cum huiusmodi debellati exercitus reliquijs, quæ non penitus erant contemnendæ, Venusiæ confederat: quiq; dum exercitus in Gariliani ripa hærebant, Troiã & Sanseuerum occuparat, totam Apuliam suspensam retinebat: & aliquot Andiuinæ factionis principes, Galliæ regis nomen aperte sequentes, loca sua tuebantur: his omnibus accessit magni Consalui grauis passio post uictoriam ægritudo, qua factum est, ut cum nulli rei gerendæ interesse ipse posset, Aluianum cum copiarum parte ad Ludouicum Arsium persequendum mitteret. Hac eius uictoria extra neapolitanum regnum eo tempore non sequendæ, siue uoluntate, siue necessitate, reliquæ Italiæ res potius in metu quàm periculo relinquiebantur: nam Veneti more suo suspensi rerum exitus expectabant: & Florentini satis sibi fecisse uidebantur, si quo tempore nullum penitus ab Galliæ rege auxiliũ expectabant, à Magno Consaluo non oppugnarentur: & Pontifex uastis consilijs suis in aliud tempus dilatis, id unum efficere nitebatur, ut sibi ab Valentino, Forinuij, Cesenæ, & Bertinorij arces quas solas in Aemilia possidebat concederentur: quoniam Antonius Ordelfus, ante paucos dies Foripopilij arcẽ præfecto precio corrupto, in potestatem suam redegerat: Valentinus Cesenæ arcis tesseram Pontifici dedit, cum qua profectus Petrus Douiedus Hispanus, ut eius possessionem Pontificis nomine acciperet, præfecto, domino suo, dum esset captiuus, parère sibi turpe uideri: eumq; qui talia pete-

re ausus esset supplicio dignū esse dicente, ab eo suspensus fuit: quare Pontifex, illarum absque Valentini libertate adipiscendarum spe frustratus, cum eo pactus est, eiusq; pactionis, quo firmiter esset, diploma in pontificum collegio confectum fuit: ut Valentinus in Ostiensi arce, in Bernardini Caruatalis Hispani, Cardinalis Sanctæ crucis, absoluta eum liberandi potestate, quamprimum Cesenæ, & Bertinorij arces Pontifici restituisset, eidemq; Foroliuianæ arcis tesseram, & pro quindecim aureorum nummū millibus Romæ numularios fideiufsores dedisset, cōstitueretur: eius namq; arcis præfectus, statim ubi tesseram, cum ea pecuniæ summa, in sumptus quos se fecisse asserebat accepisset, se eam restitutum promittebat. Sed alia erat pontificis mens, qui etsi datam fidem palam uiolare nollet, tamen siue metueret, ne liberatus efficeret, ut Foroliuianæ arcis præfectus eam dedere recusaret: siue iniuriarū à patre & ab ipso acceptarum memoria, siue odio quo illum meritò omnes prosequerentur, eius liberationem differre in animo habebat: quòd Valentinus suspicatus, clam à Magno Consaluo tutè Neapolim eundi fidem publicā, & duas triremes quibus eò ueheretur petijt: quibus à Consaluo concessis Cardinalis Sanctæ crucis, qui idem suspicabatur, quamprimum in eam summam sponsores Romæ datos, & Cesenæ atque Bertinorij arces à præfectis traditas intellexit, inscio Pontifice ei abeundi facultatem dedit: qui triremibus quæ à Magno mitti debebant minime expectatis, clam Neptuniū pedibus contendit: unde parua nauis ad Mondraconis arcem, & inde terrestri itinere Neapolim peruenit, ubi à Consaluo hilari frōte & magno honore acceptus fuit. Neapoli dum crebrò

arcana colloquia cum Magno Cōsaluo haberet, sibi Pisas eundi facultatem dari postulauit: quoniã si in ea urbe sedem posuisset, regum suorum rebus magna inde cōmoda esset peruentura: quod dum Consaluus se probare fingit, & triremes quæ ipsum uehant offert, militūq; quos secum ducere uolebat, in regno conscribendorum potestatem facit: & quotidie de Pisanis, atq; Hetruriæ rebus cum eo colloquia habet, & Alutianus ob Mediccorum in patriam restituendorum desiderium, se eodem tempore Florētinis bellum illaturum pollicetur, tã diu illum hac spe fouit, donec responsum ab regibus suis, cū eo quod ipse facere in animo habebat consentiens, accepit. Itaq; cum iam triremes & milites ut sequenti die soluerent paratæ essent, Valentinus uesperis diu cum Consaluo loquutus, & ab illo cum magna amoris significatione, atq; adeo cum amplexu dimissus, eadem simulatione qua Ferdinandus Aragonius senior in Iacobum Picinnum usus dicebatur, quamprimum cubiculo egressus est, eius iussu in arce retentus fuit: eademq; hora, qui fidem ei antequam Ostia discederet scripto datam auferrent, ad eius hospitium missi. Consaluus autem sic factū excusabat: sibi ut eum custodiæ traderet, à suis regibus imperatum, illorum præceptum suo priuilegio potius esse: quòd fides à ministro propria auctoritate data, non pluris sit facienda, quàm domini uoluntas: præterea necessarium fuisse eum sic retineri, qui tot scelerib. hætenus perpetratis minimè contentus, aliorum quietem in posterum turbare, res nouas moliri, offensiones & discordias ferere, ac perniciofa incendia in Italia excitare cogitaret: & paulò post naui longa impositum, nullo suorum præter pueram unam qui ei ministraret abi-

bito, captiuum in Hispaniam misit: ubi in Medinæ campensis arcem custodiæ traditus fuit. Circa hæc ipsa tempora induciæ terra mariq; tam de Italiæ quàm de transalpinis rebus inter Gallie & Hispaniæ reges factæ sunt: quas ab Gallie rege ualde exoptatas, Hispaniæ reges res partas hac ratione tutius pacatiusq; quàm nouis bellis, quæ molestiarum sumptuumq; plena sæpe diuersum à spe concepta finem sortiuntur, confirmare satius esse rati libenter concesserunt. Capita fuerunt, ut unusquisq; quæ possidebat retineret: eorum hominibus in omnibus utriusque partis regnis ac prouincijs liberum commercium, præterquam in regno neapolitano esset: qua exceptione Magnus obliquè id assequutus est, quod ei directò prohibebatur: quoniam in locorum quibus Galli potiebantur finibus (erant autem hæc tantum loca, in Calabria Russanum: in Hydruntino, Orea: in Apulia Venusia, Conuersanum, & Castellum montis) præsidia, quæ illarum regionum milites uel incolas in Hispanorum locis commercia habere prohiberët, posuit: quæ res breui eos ad tantam angustiam redegit, ut cum Ludouicus Arsius, & reliqui eorum oppidorum milites ac reguli, homines ne tanta incommoda ferre cogerentur, sese Hispanis dedere statuisse animaduertent, discesserint. Et nihilominus regnum neapolitanum, quãuis hostes undique pulsati essent, pacis fructibus minimè fruebatur: quoniam Hispani milites, quibus iam unius anni stipendia debebantur, à Magno, ut se donec pecunias comparasset, alere possent, in uaria loca, in quibus populorum sumptibus, ijsquæ immoderatissimè ad arbitrium suum abutentes (quod hospitij genus milites arbitrium ac moderatum appellarunt) distributi,

non contenti, ruptis disciplinae frenis, ingenti Magni dolore Capuam & Castellomarinum ingressi erant, unde se antequam merita stipendia numerata essent, discessuros negabant: neque huic rei quòd in ingentem pecuniae summam creuisset, nisi immenso regni iam diuturnis beluis exhausti, atque consumpti incommodo prospici posset, propterea quòd haud minus grauis esset medicua quam morbus, cuius cura quærebatur, misera erat hominum conditio: quæ quo magis noua, & præter superiorum temporum exempla, eo erant molestiora. Nam & si post prisca illa tempora, quibus militaris disciplina seuerè conseruabatur, milites semper insolentes, & populis graues fuerant, tamen rebus nondum penitus deprauatis, magna ex parte proprio ære uictum sibi comparabant: neque eorum licentia ad non ferendos terminos procedebat: sed Hispani primi omnium in Italia, prorsus ex populorum fortunis, stipendijs à suis regibus propter inopiam non solutis, tantæ licentiæ causam necessitatè que præbentibus, uiuere cœperunt: ex quo initio, quia mali imitatio semper exemplum superat, quemadmodum contrà, boni imitatio semper est inferior, aucta corruptela, postea iidem Hispani nec minus Itali, siue stipendia numerentur, siue non, idem facere institerunt: adeo ut summo cum huius æui militiæ dedecore, amicorum fortunæ non magis quàm hostium, à militum scelere tutæ sint. Induciæ inter Gallie & Hispaniæ Reges, cum pacis non multò post sequuturæ opinione factæ, & aliqua ex parte Valentini casus, Aemiliæ res prorsus sedarunt: nam quum primùm Imola, eius ciuitatis principum uoluntate, nec sine Cardinalis Sanctigeor-

gij, quem ipse eius urbis ipsius nepotibus restituenda uana spe fouebat, consensu, in Pontificis potestatem uenisset: iisdemque diebus, cum Antonij Ordela-fij obitu, Ludouicus eius frater notus, Forumliuii ingressus esset, ea ciuitas in Venetorum, quibus Ludouicus, quod sibi ad tuendum uires non adesse perspiceret, eam offerebat, manus peruenisset: sed temporum status illos ab ea accipienda, ne Pontificis ira magis accenderetur, deterruit: qui quum neminem qui se opponeret haberet, Ludouico elapso ciuitate, & pariter quindecim aureorum nummum millibus persolutis, Citadella potitus est: quam praefectus Valentino fidus nunquam tradere uoluit, donec per proprios homines Neapolim missos, de eius calamitate certior factus est. In hunc igitur modum bellis in omnibus alijs Italiae partibus quiescentibus, tamen Florentinorum in Pisanos arma, eius aestatis initio de more non quieuerunt: qui Ioannepaulo Ballione, & aliquot Columnijs atque Sabellis ducibus, ad stipendia sua adscitis, uiribusque consueto maioribus collectis, ad Pisanorum agros depopulandos miserunt: id autem eo maiore animo faciebant, quia ab Hispanis se impeditum iri non metuebant: non solum quod Pisani ab Hispaniae regibus in inducijs quibus utrique parti amicos & clientes nominare licuerat, non essent nominati: uerum etiam quia Magnus, post uictoriam aduersus Gallos partem, etsi antea magnam spem Pisanis fecisset, humaniter se cum Florentinis gesserat, se forte eos his artibus ab Galliae regis amicitia separaturum sperans: & quamuis postea hac spe frustratus esset, tamen quia eos ita prouocare nolebat, ut omnibus in rebus magis in Galliae regis uolunta-

luntatem præcipites ruerent, Prosperi Columnæ opera puris tamen uerbis, quodammodo tacitum scædus cum eis contraxerat, ut si contingeret Galliæ regem denuo regnum neapolitanū inuadere, nulla re illum iuuant: & ipse uicissim Pisanis, nisi Florentini exercitum cum tormentis ad eam urbem expugnandam misissent, qua illos dum Galliæ regis amicitia sequebantur non potiri cupiebat, nullū auxilium ferret. Florētīnorū exercitus nō modò ad eas Pisani agri partes, in quibus hæctenus quoque fuerant depopulandas, uerum etiam ad Sanresforem, & Barbericinam, post in Serchij & Dosoli ualles, loca urbi coniuncta, quæ cum exercitus minus erat firmus, sine periculo adiri non potuere, progressus est: quo factò, castris circa Librafactam, ubi paruum erat præsidium, positis, paucorum dierum spacio eos qui intus erant, ad liberam deditiōem coegerunt: neque dubium fuit quin Pisani eo anno, nisi à uicinis, & præsertim Genuensibus atque Lucensibus adiuti fuissent, Florentinorum iugum subire coacti essent: quoniam Pandulfus Petrucius ad alios cohortandos promptissimus, & qui se sumptuum participem fore facillimè promittebat, ad facta tardissimus erat: quorum ære Rainerius Sassetanus Magni Consalui miles, & nonnulli alij duces uenia ab illo accepta, ducentos equites mari Pisas duxerunt: & Genuenses legatum unum cum mille pedibus miserunt: præter quæ auxilia, Bardella ex Portu Veneris, Tyrrheni maris celebris pirata, qui quæ à Pisanis stipendium & ducis nomen obtinebat, magna nauis, quam Galeonem appellant, & alijs biremibus, assidu comiteatum Pisas importabat: quare Florentini, præter molestias quæ illis terra afferebantur, maris quoq;

usum adimere necessariū existimantes, tres Federici regis naues longas, quæ in Prouincia erant, cōduxerunt: cum quibus quamprimū Dimas Ricasentus illarū perfectus Ligurno appropinquauit, Bardella, quamuis aliquando uentorum oportunitate arrepta, aliquas naues commeatu plenas ad Arni ostium, unde facile Pisas ingrediebatur appelleret, longius recessit: Pisani uerò interea magnas molestias à terrestri parte patiebantur: quia florentinus exercitus Librafacta capta, in plures eius agri partes distributus, agrorum in proximum annum cultum & commeatum ne Luca mariue importaretur, prohibere nitebatur: præterea sub æstatis finem, milij, atq; huiusmodi aliarum frugum, quib. ea regio abundat, agros depopulati sunt. Neq; tantis sumptibus fatigati Florentini, nihilq; quod exoptati finis assequendi spem faceret fieri non posse existimantes, nouam Pisanis nocendi rationem excogitarunt: Arnum fluuium qui Pisas interluit, à Fagiana turri, quæ ad quintum ab urbe lapidem sita est, nouo alueo in stagnum, quod inter Pisas & Ligurnum est, ducere tentarunt: quo fiebat, ut nihil ex mari per Arnum amnem Pisas uehi posset: & cum pluuia in depressa regione exitum quo in mare exonerarentur haberent, urbs quasi in paludis alicuius medio relinquebatur: neq; ob Arni traijciendi difficultatem Pisani deinceps excursionibus per colles, cōmercium inter Ligurnum & Florentiam impedire potuissent: præterea eas urbis partes, quib. amnis admittitur & emittitur, ne hostium iniurijs pateret, Pisani munire fuissent compulsi. Hoc autem opus maxima spe inchoatum, & longè maiori sumptu aliquousq; perductū uanum extitit: nam ut plerūq; accidit, huiusmodi res quāuis men-

uis men-

uis mensuris exquisitè demonstrantur, tamen ubi in rē presentem uentum, fallaces inueniuntur: quod certissimum nobis, quantum designatio ab ipso opere distet, exemplum præbet: nam præter alia complura prius non animaduersa impedimenta ex fluminis decursu manantia, dum coarctare eum uellent, erodendo ipse suum sibi aluicum deprimebat: stagniq; in quod fluere debebat alueus, contra id quod multi architecti aquaq; ducendæ periti promiserant, Arni aluco altior inuentus est: & insuper fortuna, præter id quod ex eius urbis adipiscendæ inflammato desiderio expectabatur, se Florentinis aduersam ostendente, cum ipsi longas naues, quas diximus, Villafranca conductas, ad Pisanorum nauem, quæ frumentum ferebat intercipiendam misissent, in reditu uentorum impetu agitatæ propè Rapallum, nix præfesto cum nautis seruato, naufragium fecerant. Florentini ne quid intentatum relinquerent, armorum terroris asperitati, benignitatis & clementiæ lenitatem addiderunt: noua enim lege sanxerunt, ut quicumq; Pisanus siue ciuis, siue colonus, intra certū tempus se ad sua prædia domiciliæ contulisset, omnium quæ hæcenus perpetrasset ueniam & bonorum suorum restitutionem cōsequeretur: cuius tamen legis gratia pauci sincero animo Pisis egrediebantur: sed multi, hiq; ferè inutiles reliquorum consensu, simul & annonæ penuriam, qua ciuitas premebatur, minuentes, & facultatē qua in posterum ijs fructibus eos qui in urbe māserant, quæadmodū clam faciebant, iuuare possent adepti, discedebant. His reb. Pisanorum egestas aliqua ex parte leuabatur, at nō tantum, quin ob summā egestatē, & annonæ caritatem in maximis angustijs uersarentur: sed cum nihil æquè ac

Florentinorum nomen horrerent, quamuis interdum
 agrorum animi titubarent, tamen ante extrema om-
 nia quam se dederent, experiri statuerunt: ideo se Genu-
 ensibus cum quibus toties de imperio & salute dimica-
 rant, & à quibus olim ipsorum potentia afflicta fuerat,
 dedere uoluerunt. Id Lucenses & Pandulfus Petrucius,
 qui ut assiduos sumptus & molestias uitarent, Genuen-
 ses ad Pisas defendendas obstringere cupiebant, quoq;
 facilius assentirentur, per triennium aliqua sumptuum
 parte se eos leuatuores proponebant: cui rei, etsi multi
 Genue repugnarent, & præsertim Io. Ludouicus Eli-
 scus, tamen ciuitate approbante, apud Gallie regem, si-
 ne cuius consensu ea de re statuere in illorum potestate
 non erat, ut id concederet, quam periculosum esset, ne
 Pisani hac ferè unica spe exclusi, Hispanie regibus se de-
 derent, unde maximo eius incōmodo, & Genua in per-
 petuis molestijs periculisq; foret, & Hetruria penè uni-
 uersa Hispanie partes sequi cogeretur, ostendentes ege-
 runt: quæ rationes etsi ab initio regem ita mouerint, ut
 ferè illorum petitioni cederet, tamen cū postea in eius se-
 natu ponderaretur, si Genuenses per se bellis et foederib.
 cum alijs principib. sese immiscere, & imperio augēdo
 studere inciperēt, futurum esse ut indies cogitationibus
 ad maiora elati, post nō multum tempus ad absolutam
 libertatem aspirarent, Pisanum dominatū accipere eis
 disertè prohibuit: sed tamen grauissimis Florentinorum
 querelis posthabitis, ut in eis iuuādis perseuerarēt per-
 misit. Hoc ipso tēpore de pace inter Gallie & Hisp. re-
 ges uehementer agebatur: hi uerò fide, ut regnū Federi-
 co aut Calab. duci eius filio restitueretur, quib. Fræcus iu-
 ra sua concederet, et duci uidua regina eius regis neptis

que

quæ iam Ferdinandi Aragonij iunioris uxor fuerat uerberet, proponebant. Nec dubium erat quin Gallie rex à regni neapolitani rebus ita animo esset alienus, ut quod ad ipsum attinebat quasuis pacis leges admissurus esset: sed in proposita conditione duæ illum difficultates morabantur: una leuior, quod regulos, qui eius factionem secuti essent, regnis suis spoliatos, quibus duræ ac difficiles leges imponebantur, ipsum deserere pudebat: altera, qua magis mouebatur erat, quòd uereretur ne si Hispaniæ reges aliud in animo habentes, consuetis artibus id in aliquem finem proponerent, etiamsi consensisset res non perficeretur: & sic tamen Archiducis qui regnum neapolitanum filio comparare cupiens, ut pax aliàs ab se confecta procederet instabat, animù à se alienaret: idcirco generatim pacem se quidem optare, sed sua in id regnum iura Aragoniæ gentis homini cedere sibi dedecori fore respondebat: interea uetera negocia cum Romanorum rege & Archiduce tractabat: quæ ut exitum habitura propemodum certus fuit, ne ea incerto Hispaniæ regum negocio impediret, honoris sui gratia, neapolitanorum principum causa se moueri ostendens, Hispanis oratoribus ad se uocatis, in regia sede in frequenti consilio sedens, solè nibus, quæq; rarò adhibeantur ceremonijs, eos reges uerbis pacis, à qua animo essent alienissimi desiderium præ se ferre, questus est: eamq; ob causam cum uanis negocijs tempus terere rege indignum esset, ut è Gallie regno discederent, magis decere. Post horum discessum, Maximiliani & Archiducis oratores, ut cœpta perficerent uenerunt: quibus consilijs quia maiora spectabant, Sisto nensis episcopus Pontificis apud regem certus inter-

nuncijs, & Fimariensis marchio à Pontifice huius negocij caussa missus intererät: quod foedus aliàs sæpe agitatum omnibusq; his principibus magno emolumento fore uideretur, facile in hunc modum confectum est, ut Claudia Galliae regis filia, cum Carolo Archiducis filio nato maximo, antea tractatum matrimoniũ ad exitum perduceretur: & ad maiorem eius rei fidem, Galliae regis sacramento & subscriptione, itemq; Francisci Angolismensium domini, qui si regi mares filij non nascerentur, tanquam sanguine proximus ei erat successurus, & multorum præterea Galliae regni procerum manu confirmaretur: Maximilianus, iustis & honestis de causis, omnibus mediolanensis imperij monumentis ad eum usque diem concessis, rescisis, Galliae regi & liberis maribus, si qui nascerentur: sin munus, matrimonij iam dicti gratia, Claudia & Carolo: quod si Carolus ante matrimonium perfectum decederet è uita, Claudia atque unã Archiducis nato, si quidem illa ei nupsisset, insubrici imperij iura concederet: inter Pontificem uerò Romanorum, Galliae item regem, & Archiducem, foedus ad communem defensionem & contra Venetos, ut ea quae singulis horũ illi occupabãt recuperarentur, percussũ intelligeretur: Caesar in Italianam aduersus Venetos transiret, deinde Romã ad Imperij accipiendam coronam pergere posset: Galliae rex augustali diplomate accepto, statim sexaginta Rhenensium aureorũ millia, & post sex menses totidem Cesari persolueret: & singulis annis, Domini nostri natali sacro die, bina aurea calcaria eidem daret: Hispaniae regibus post quatuor menses in hoc foedere locus relinqueretur; illud autem expressum non fuit: si fortè illi foederi nõ adiungerentur,

tur, utrum Gallie regi neapolitanum regnum inuadere liceret, nec ne: Gallie rex, Comitum Palatinum qui ab illo incitatus, & eius auxiliorum spe fretus, cum Romanorum rege graue bellum gerebat, non amplius iuua-
 ret: Veneti, quamuis illorum oratores semper ab rege admodum humaniter audirentur, & Rotomagensis, ut eos suspicione liberaret, regem nunquam foedus quodcum illis icisset uiolaturum, semper efficaci oratione & iureiurando confirmaret, exclusi fuerunt. Hæc scriptis stipulatis continebantur: præter quæ actum fuit ut Cæsar & rex in locum aliquem de quo alio tempore decerneretur, conuenirent: promisitq; rex se Ludouicum Sfortiam è carcere exempturum: eiq; ut honestè in Gallie regno uiuere posset, prospecturum: cuius salutem non procurare Cæsarem, ut qui illū ob sua promissa, & spem frustra in se collocatam, eius euersionem acceleratam fuisse recordaretur, nonnihil pudebat: idcirco & cum Rotomagensis eum Tridenti conuenit, de angustia, in qua prius custodiebatur, multum remitti curauerat: & nunc ut liberè in regia aula, uel in ea Gallie parte in qua rex maluisset uersaretur, instabat: rex etiam in eius gratiam Insubrie exulum in patriam restitutionem, quæ in Tridentino colloquio multū negocij fecerat, repromisit. Hoc foedus Maximiliano & Archiduci adeò utile, quia Pontifex eo comprehendebatur, & Gallie regis non tam quòd tunc nouarum rerum cupidus esset, quàm quia mediolanensis imperij diploma obtineret, & se ab Cæsaris & filij iniurijs securum reddere cupiebat, gratum erat, crebris Maximiliani mutationibus minimè obstantibus, progressum habiturum credebatur. Iisdem ferè diebus Federicus rex, omni re-

gni neapolitani ulla compositione recuperandi spe penitus deiectus, obiit: quamuis antea (ut hominum natura fert) desiderio deceptus, Hispaniæ reges magis quam Galliæ regē ad id propensos esse persuasum habuisset: parum considerans, tanti regni adeo splendidam restitutionem, cuius etiam priscis temporibus, quæ ad præclara et generosa uirtutis facinora nostris longè magis propensa erant, tam rara extent exempla, nostro hoc æuo sperare uanum esse: & eos qui tot insidijs mediam partem occupassent, cum toto potirentur co priuari uelle, ab omni uerisimili ratione prorsus abhorrere: sed deniq; ex rerum usu, non minorem in uno quam in altero difficultatem positam, imò minus sperandum esse ut qui possidebat restitueret, quam ut qui non possidebat assentiretur, animaduertat. In eiusdem anni fine obiit Elisabeta Hispaniæ regina, honestissimis moribus foemina, quæq; magnū apud suos celsi ac sapientis animi nomen obtinebat: ad quam iure spectabat Castellæ regnum, longè maxima & potentissima Hispaniæ pars, cuius illa ob Henrici fratris sui mortem hæres, sed non sine sanguine & bello fuerat: nam etsi diu, Henricum natura ad procreandos liberos ineptum esse, ideoq; Beltramigiam, ex eius uxore natam, & ab illo multos annos pro filia educatam eius filiam esse non posse, opinio fuisset, & hanc ob causam Elisabeta Henrico uiuente Castellæ princeps, qui titulus proximo hæredi dari solet, salutaretur, nihilominus multis Castellæ principibus, in regis morte Beltramigiæ fauentibus, & Lusitaniæ rege, ei coniuncto armis, illam iuuante, partibus tandem ad pugnam perductis, Elisabetæ causa prælij cunctu potior est declarata, Ferdinando Aragonio eius uiro

viro exercitum ducente : qui & ipse ex Castellæ regum
 stirpe natus, & Elisabethæ tertio consanguinitatis gradu
 iunctus erat: qui quæ cum postea Ioanni patri suo defun-
 cto, in Aragoniæ regno successisset, se Hispaniæ regem,
 illa, reginam appellabat: nã cum Aragoniæ regno, Va-
 lentiæ quoque regnum, & Cathalonie comitatus con-
 iunctus esset, uaiuersa Hispaniæ prouincia, quæ Pircneis
 montibus, Oceano, & Mediterraneo mari continetur,
 cuius appellatione, quòd in ea olim multi Mauri reges
 regnarint, quemadmodum singuli illorum suum sibi no-
 men tribuebant, multorum regnorum nomina compre-
 henduntur : Granatæ tamen regno, quod tunc Mauri
 obtinebant, quibus postea ab illis magna cum gloria
 pulsis, sub Castellæ imperium redactum est, & paruo
 Lusitaniæ regno, & quod longè minus est Nauarræ,
 quæ regna proprios habebant reges exceptis, illorum
 imperio parebat. Sed Aragoniæ regnum, cum Sicilia,
 Sardinia & alijs insulis ad id spectantibus, quia Ferdi-
 nãdi propriũ erat, illi soli, reginæ nomine autoritatẽ
 non immixta, parebat : secus autem in Castellæ regno:
 nam cum id regnum Elisabethæ hæreditarium & Ferdi-
 nandi dotale esset, communi utriusq; nomine, signis &
 factis administrabatur: nec quicquam gerebatur, quod
 non ab utroque deliberatum, constitutum, & subscri-
 ptum esset: Hispaniæ regni nomen commune erat: com-
 muni nomine legationes expediebantur : in commune
 exercitus comparabantur: bella communibus auspicijs
 gerebantur: et neuter altero maiorem sibi autoritatem,
 administrationemue in eo regno uendicabat. At Elisa-
 beta absque mascula prole mortua, eius regni legibus
 quæ maiore sanguinis quàm sexus habita ratione, sex-

minas non excludunt, Castellæ successio ad Ioannam
 communem Ferdinandi & Elisabetæ filiam, Archiducis
 coniugem pertinebat: quoniam & maxima natus
 filia, quæ Emanuelli Lusitaniæ regi nupserat, paruus ex
 ea natus infans multò antè ex hac uita migrauerant:
 quare Ferdinando utpote ad quem regni administra-
 tio non amplius spectaret, in paruum Aragoniæ regnū
 redeundum erat: paruum inquam, si cū Castellæ regno
 comparetur, tum ob regionis & uestigalium paruita-
 tem, tum quia Aragoniæ reges non in omnibus rebus
 liberam & regiam habent potestatem, sed in multis eius
 prouinciæ legibus & moribus, quæ regiam potestatem
 ualde coarctant, subiiciuntur. Sed Elisabetæ iam morti
 propinqua Ferdinando quamdiu uiueret Castellani re-
 gni administrationem testamento reliquit: siue quòd
 semper cum eo coniunctissimè uixisset, cum in pristina
 dignitatis magnitudine conseruari cuperet: siue quòd,
 ut aiebat, Ferdinandi prudentia diutius gubernari po-
 pulis suis utilius fore censeret: nec minus genero & fi-
 liæ, qui Ferdinando nihilominus successuri essent com-
 modum fore, ut omnia regna tandiu donec Philippus in
 Flandria ubi res secus administrantur natus & educa-
 tus, ad maturiorem ætatem, maioremq; Hispaniæ legū,
 & morum cognitionem peruenisset, ipsis pacata, &
 bene constituta administratione custodirentur: atque
 interea Castellæ & Aragoniæ regna uelut unum cor-
 pus regerentur: reginæ mors novos motus in Hispania
 peperit, sed Italiæ rebus, ut infra dicitur, nouæ pacis
 tranquilliolem propensionem attulit. Annus M D V
 eandem tranquillitatem, quæ anno superiore fuerat ha-
 buit, sic ut nisi casus propter Florentinos & Pisanos
 orti,

orti, eam nonnihil turbassent, cum principum una pars
 pacem expeteret, illi uerò qui magis ad bellum propensi
 erant uarijs de causis impedirentur, hoc anno profus
 ab armorum motibus cessatum esset: quoniã Hispaniæ
 regi (hanc enim appellationem retinere perseverabat)
 cogitationibus quæ ex reginæ morte successerant occupa-
 to, satis erat si induciarum uel regnum neapolitanum
 retineret: & Galliæ rex, quia Cæsar in hoc ut in alijs
 rebus naturam suam secutus, pacem nunquam confir-
 marat, animo ualde dubius erat: & Pontifex nouarum
 rerum cupidus, nisi magnorum principum armis adiu-
 tus, motum facere nec audebat nec poterat: & Veneti
 non parum sibi affecuti uidebantur, si in tantis contra
 ipsos rebus agitatis, & in tanto Pontificis odio, ab alijs
 non uexarentur: ad cuius animum placandum, ante ali-
 quot menses Ariminum ei, & omnia quæcumq; post
 Alexandri Pontificis obitum in Aemilia occupassent,
 modò Fauentia cum suo agro ipsos potiri pateretur
 obtulerant, id autem tum Galliæ regis metu, tum quia
 Cæsar, Iulij postulata per legatum Venetias missum, ut
 Pontificij imperij ciuitates restituerent, hortatus erat:
 sed cum Pontifex pro animi sui constantia, liberaq; men-
 tis suæ aperiendæ natura, se ut uel minimam quidem
 turrim recinerent passurum non esse, quin etiam de Ra-
 uenna & Ceruia, quas urbes non minus iniuste quàm
 Fauentiam possidebant, ante obitum suum recuperan-
 dis spem habere respondisset, nihil amplius actum fue-
 rat: sed huius anni initio timore aucto Urbini ducenti
 communem amicum, omnia quæ occupassent ad Fauē-
 tiæ uel Arimini ditionem non spectantia, dum modò
 Pontifex, qui nunquam ipsorum oratores ad obedien-

tiam præstandam admittere uoluerat, eos nunc admitteret, obtulerunt: cui petitioni Pontifex, quamuis quòd à dignitate sua, & tot querelis atque minis ab se factis aliena uideretur, nõnihil difficilem se præberet, tamen Imolensium, Foroliuensium, & Cesenatum, qui maxima agrorum suorum parte spoliati magna incommoda patiebantur molestijs, cum aliud præsens remedium nullum cerneret, postquam Cesaris & Gallie regis res tam tardè procedebant, tandem ei rei in qua re lucrum absque iactura erat, cum nec uerbo, nec scripto ulli se rei obligaret, assensus est. oppidis itaq; prius restitatis, octo legati ex præcipuis senatoribus, iam ab initio eius Pontificatus destinati, qui numerus maior erat, quam ea resp. ad ullum unquam Pontificem qui Venetus non esset misisset, profecti sunt: qui obedientia consueto ritu præstita, nullum tamen aut maioris facilitatis, aut mitioris in Pontifice animi signum Venetias retulerunt. Hac tempestate Gallie rex, foederis perficiendi cupidus, Rotomagensem, Agnoam inferioris Germanie urbem, in qua recenter Palatino comiti adempta, à Cesare & Archiduce expectabatur, misit: cuius aduentu foedus promulgatum & solenni sacramento sancitum est, & Cardinalis pecunie promissæ dimidium dedit: alteram partem quamprimum Cesar exercitum in Italiam traduxisset accipere debebat: nihilominus & tunc se eo anno propter occupationes quas in Germania habebat transire non posse innuebat, & paulo post declarauit. Hac igitur de causa, quia Gallie rex nihil noui absque Romanorum rege moliri in animo habebat, eò magis belli suspiciones desinebant: solummodo serè perpetuò inter Florentinos & Pisanos bellum in Italia reliquam

exar. de sc

*exardescibat: quod dum lentè, nec certa aliqua expedi-
 tione definitū, sed ex occasionibus, quæ modò huic, mo-
 dò illi partì ostendebantur, geritur, accidit ut Lucas Sa-
 bellus & nonnulli alij duces ac præfecti Florètinorum,
 cum quadringentis equitibus, & multis peditibus, Casci-
 na, in quo oppido Florentini belli sedem collocarāt, ut
 commeatum Librasactam ducerēt, & quædā Pisanorū
 armenta quæ trans Serchium amnem in Lucensi agro
 erāt, diriperēt: idq; nō tam prædæ cupiditate, q̄ Pisanos
 ad pugnam elicendi studio, se quòd in campo illis for-
 tiores essent, eos debellaturos sperantes, egrederentur:
 cumq; commeatu Librasactam importato, & præda, ut
 erat constitutū, abacta, ut Pisanis ad se adoriendos spa-
 cium præberēt, eadem uia lentè reuerterētur. Tarlati-
 nus Pisanorum militum præfectus, statim huius rei nun-
 cio accepto, secum nō pluribus quàm quindecim grauis
 armaturæ, quadraginta expeditis equitibus, et sexagin-
 ta peditib. quòd opus esset celeritate sumptis, reliquisq;
 sequi iussis, Pisis egressus est: cumq; aliquot Florentino-
 rum equites ad Iacobi sanum usq; prope Pisas progres-
 sos comperisset, eis obuiam processit: quib. ut se reliquis
 copijs quæ ad Capellesium pontem supra Osoliū fluiuiū
 ad tertium à Pisis lapidem consiterant, ibiq; pecora &
 mulos quib. commeatum intulerant expectarēt, retro-
 cedentibus, cumq; omnes trans pontem essent, quem pri-
 mi pedites occuparant, & aggeres atq; fossas munierāt,
 Tarlatinus eos ad pontem usq; persecutus erat, nec an-
 te omnes hostium copias eo in loco castra posuisse ani-
 maduertit, quàm eò progressus esset, ut sine manifesto
 periculo recedere non posset: quocirca pontem oppu-
 gnare statuit: suisq; id ad quod necessitate coacti essent,*

non absque uictoriæ spe esse ostendit, quòd in loco angusto, ubi pauci pugnare poterant hostium maior numerus nihil obesse: ad cò ut & si pontem transire non possent, tamen facile tandiu hostium impetum sustinerent, ut pisanus populus, ad cuius aduentum accelerandũ miserat, auxiliij ferendi tempus haberet: si uerò pontẽ transirent, uictoriam facillimam fore: quum enim uia trans fluuium pontem inter & montem angusta sit, hostium multitudinem, iumentis & raptis pecoribus implicatã, loco & ad pugnam & ad fugam impedito, facile semet perturbaturam: exitus uerba comprobauit ipse primus equo acriter stimulado, pontem inuasit, sed cum pedem referre coactus esset, alius idem fecit, quem tertius secutus est: cui cum equus uulneratus esset, dux ingenti impetu ad illum iuuandum reuersus, armorum ui, & equi ferocitate pontem eius custodibus cedentibus transiuit: idem & quatuor alij eius equites fecerunt: quibus omnibus cum hostium peditatu trans pontẽ in angusto prato pugnantibus, aliquot pisani pedites aqua ad humeros usq; pertingente, equitibus pontem iam derelictum, absque impedimento transeuntibus fluuium traiecerunt: & reliquis copijs quæ dissipatæ & nullo ordine Pisis ueniebant, iam appropinquantibus, Florentini milites in angustum locum redacti, ordinibus perturbatis, maximoq; pauore & maiore cataphracti quàm pedites, cum consternati, nec ducem alicuius autoritatis, qui eos uel sisteret, uel in ordinem redigeret, haberent, qui uiribus longè præstabant, atque instructa acie incedebant, uictoria ijs relictã, qui paruo admodum numero dissipati, potius ut se ostentarent, quàm ut pugnarent uenerant, multis centurionibus & claris uiris cæsis, captis,

& uulne-

& uulneratis ibi relictis, in manifestam fugam coniecti
 sunt: & qui auferunt, maxima ex parte in fuga ab Lu-
 censibus agricolis spoliati fuerunt. Hac clade Florenti-
 norum res in pisano agro ualde perturbatæ fuerunt: ceterum
 enim pauci equites Cascinæ remansissent, per multos dies
 quum Pisani uictoria elati totam regionem percurrerent
 & præderentur, prohibere non potuerunt: & quod ma-
 ioris fuit momenti, Pandulfus Petrucius Florētinos quo-
 nimus ea æstate Pisanorum qui consuetis difficultatibus
 pressi à Genuensibus ac Lucensibus, quamuis parce, iu-
 uabantur (Senenses enim potius cōsilia quam pecunias
 aut comineatum dabant) agros desopularentur impe-
 diri posse, ex hoc casu spe concepta, curauit ut Io. Pau-
 lus Balto, in quo Florentini, quia eius Perustam reditus
 præcipui autores fuerant, plurimum spei collocabant,
 præfecturæ suæ tempore nondum exacto, sese ab eorum
 stipendijs remoueret, eo prætextu, quod cum M. Anto-
 nius & Mutius Columnij, & Lucas atq; Iacobus Sabel-
 li, qui omnes simul coniuncti, maiores quam ipse copias
 habebant, iisdem stipendijs militarent, se propter fastio-
 num diuersitatem sine periculo ibi non esse: atque ut eis
 minus temporis quo rebus suis consulere relinqueretur,
 priusquam sententiam suam penitus aperiret, quan-
 tum potuit distulit: quoq; maiorem res fidem inueniret,
 Florentinis se arma aduersus illos non sumpturum pro-
 misit: quia de re, ut minus illi dubitarent, Malatestam fi-
 lium suum tenere admodum ætatis, cum quindecim gra-
 uis armaturæ equitibus tanquam obsidem in eorum sti-
 pendijs reliquit: ipse ne prorsus stipendio careret, cum
 septuaginta grauis armaturæ equitibus, à Senensibus
 stipendium accepit: & quoniam illi tantis sumptibus

impares erant, Lucenses huius consilij participes, Troilum Sabellum qui antea Senensibus militabat, cum totidem equitibus ad sua stipendia adsciuerunt. Florentini eo anno propter repentinum Ioannis pauli discessum, & cladem ad Capellesium pontem acceptam cum paruis copijs relictis, Pisanum agrum minimè uastarunt, quin potius de remedio ad maiora pericula comparando cogitare cogebantur: nam cum in Pandulfo, & Ioanne paulo antiqua cupiditas excitata esset, cum Mediceo Cardinale de Florentinorum statu turbando occulta consilia agitabant: præcipuum spei fundamentum, in Barptolomæo Aluiano, qui se à Magno Consaluo alienatum præ se ferens, in Latium profectus, plurimos milites uaria spe atque promissis ad se pertrahabat, collocantes: quorum consiliorum Ascanius quoq; Cardinalis conscius esse putabatur: ut uidelicet reb. in Hetruria feliciter succedētibus, Florentinorū & aliorū qui eum motum probarent, coniunctis uiribus, Insurbriam inuaderent, rati eam, si quis impetus fieret, quod pauci Galli equites adessent, multi nobiles exularent, populi in Sfortianum nomen propensi essent, & Gallie rex graui morbo correptus ita ad extremum redactus fuerat, ut per multas horas de eius salute desperatum esset: qui quamuis postea nonnihil ab extremo mortis limine recessisset, tamen ita affectus uidebatur, ut parua eius uite spes esset. facile mutationem facturam: qui uerò diligentius res ponderabāt, Ascanium qui hoc tempore Romæ ab Veneto oratore frequentaretur, nō modò cum Magno Consaluo, uerum etiam cum Venetis qui tunc, quia Gallie rex nouis suspicionibus cōceptis, Romanorum regi & filio minimè fidebat, & Archiducis pro-

eis potentia quanta esset futura post Hispaniæ reginæ
 mortem animaduersa, apertè ab illis alienatus, Ghel-
 drensium duci acerrimo Archiducis hosti, contra illum
 auxilia suppeditabat: atque suis consilijs cum Hispaniæ
 rege seorsim coniungendis cogitabat: ad Gallos laces-
 sendos promptiores quàm antea, & maiore animo fuif-
 sent: occulta consilia habere suspicabantur: sed quàm
 sunt fallacia consilia, & fluxæ hominum spes: dum hæc
 aguntur, Galliæ rex, cuius salus ferè erat desperata, in-
 dies conualescebat: & Ascanius repenti Romæ pestilen-
 tia interijt: cuius interitu Insubriæ periculo sublato,
 non tamen Florentinorum uexandorum consilia pror-
 sus impedita sunt: cuius rei gratia Pandulfus Petrucius,
 Io. Paulus Ballio, & Barptolomæus Aluianus, nõ quo
 se amplius Mediceos Florentiam reducere posse spera-
 rent, sed ut Aluianus Pisanorum uoluntate Pisas in-
 gressus, pro eius urbis securitate Florentinorum fini-
 bus esset infestus: & prout sibi occasiones darentur, ul-
 terius progrediretur: quibus rebus patescere incipien-
 tibus, Florentini de Magni Consalui uoluntate, tũ quia
 Aluianum Hispaniæ regis stipendia ad proximum No-
 uembrem usq; facturum sciebant: tum quia Pandulfus
 Petrucius, qui pecunia quam Galliæ regi promiserat,
 nunquam soluta, eoq; sæpe uarijs artibus deluso, ab Hi-
 spaniæ rege penitus pendeat, absque cuius cõsensu res
 nouas aggressurus non credebatur, dubitabant: auxit e-
 tiam Florentinorum suspicionem, quòd quia Plumbini
 regulus, qui in Hispaniæ regis fide erat, sibi à Genuen-
 sibus metuebat, Consalius ad eius securitatem mille Hi-
 spanos pedites Nunio Campensi duce, Plumbinum, &
 in eius maris sinum, tres onerarias, duas longas naues,

Et aliquot alia nauigia miserat: quæ copiæ Florentinis
 tam propinquæ, ne Aluiano, quemadmodū ille sibi pro
 missum fuisset aiebat, coniungerentur, metuēdi causam
 præbebant. Res autem ita se habebat, quod cum Hispa-
 niæ rex post inducias cum Galliæ rege factas, ut sump-
 tus minueret, unâ cum aliorum stipendiorum diminu-
 tione, Aluiani quoq; stipendium ad cētum cataphractos
 redigi imperasset, ipse indignatus, nō modo nouo sacra-
 mento obligari recusabat: sed etiam quia debita stipen-
 dia non saluebantur, et quia Magnus duo peditum
 millia quæ se ei post regni neapolitani uictoriam, qui-
 bus pro Medicis aduersus Florentinos uteretur datu-
 rum promiserat, denegabat, priori se solutum sacra-
 mento asserbat: erat autem Aluiani ingenium natura
 rerum nauarum cupidum, et quietis impatiens. Florē-
 tini ut hunc impetum propulsarent, ab Galliæ rege qui
 ex fœdere ipsos quadringentis cataphractis iuuare de-
 bebant, ut ducentos in auxilium mitteret petierunt: qui
 magis pecuniæ cupiditate, quàm ueterum fœderatorū
 precibus aut misericordia motus, se nullum illis auxiliū
 antequam triginta aureorum nummū millia quæ ex fœ-
 dere illi debebant numerassent, daturum respondit: et
 quamuis Florentini, quod infinitis sumptibus ad defen-
 sionem suam necessarijs premerentur, ut nonnihil dif-
 ferret supplices rogarent: ille tamen pertinaciter in ea-
 dem sententia permansit, adeo ut plus adiuuenti illorū
 saluti attulerit qui suspectus erat, quàm cui fidebant, et
 beneficijs affectus erat: Magnus etenim Consalius, si-
 ue ne pacis consilia denuo inter duos reges agitari cœ-
 pta impedirentur: siue quod iam Regiæ mortuæ, et
 futuræ inter socerum atque generum dissensionis oc-
 casio-

caſione, aliquid de regno neapolitano ſibi uendicando cogitaret, Italiae tranquillitatis cupidus, non modò ut Aluianum, qui mandato à Pontifice ut uel copias dimitteret, uel pontificij imperij terris excederet accepto, Pitiilianum uenerat ſibi aenuo adiungeret, omnem operam dabat: uerum etiam illi uelut regis ſui beneficiario, ac militi, ut ni omnibus quæ in regno habebat, ex quibus ſeptuaginta auri pondo quotannis percipiebat, priuari uellet, ulterius ne progredereſtur edixit: ſimulq; Pifanis non multò antè ab ſe in regis ſui fidem clam acceptis, necnon Plumbini regulo, ne cum admitterent ſignificarat. Florentinis uerò ut pedibus ſuis qui Plumbini erant, quos Marco Antonio Columnæ militum i-pſorum præfecto, parère uolebat, ad deſenſionem ſuam ſi uellent uterentur, permisit: petijt quoque à Pandulfo Petrucio ut Aluianum non foueret: & Ludouico Piti-liani comitis filio, Franciſco item Vrſino, Ioanniquè Ceriti, ſuis militibus, ne illum ſequerentur interdixit: & nihilominus Aluianus, cum quo erant Ioannes Ludouicus Vitellius, & Ioannes Conradus Vrſinus, trecenti grauis armaturæ equites, & quingenti uoluntarij pedites, comitatu à Senenſibus accepto, per Senenſium mari-timam oram, in Scarlini, quod oppidum in Plumbinati agro parui dici itinere à Florentinorum finibus diſtat, planiciem, paulatim peruenerat, cum nuncijs à Ma-gno, cum nouis mandatis, ne Piſas contenderet, neu Flo-rentinos læderet miſſus cum offendit: cui cum ſe quãdo Magnus promiſſis non ſtitiffet, ſui iuris eſſe reſponſiſſet, ad Campiliam Florètinorum oppidū caſtra promo-uit: ubi leue inter ipſum & Florentinorum copias, quæ Vibonæ colligebãtur, certamen commiſſum eſt: deinde

ad Corniam in Florētīnorum & Sughereti finibus, spe atq; cōsilijs admodum incertis, maiorib. semper difficultatibus occurrētibus, uenit: quia neq; Plumbino amplius comitatum accipiebat, neq; Io. Paulus Ballio & Vitellij, quorum consilia plerumq; ex rerum euentu pendebant, pedites, quemadmodum promiserant, mittebant: Pandulfum Petrucium à rebus suis, ut antea faciebat, adiuuandis abstinere uidebat: nec se à Pisanis admittendum esse, ne Magno minus obtemperasse uideretur, satis certus erat: quas ob caussas, & quia semper de se de nouo cōducendo inter ipsum & Hispaniæ regem, & quidem maiore spe quàm antea (neq; enim se centum cataphractis cōtentum fore iam negabat) agebatur, se respōsum postremum Neapoli expectare præferēs, Vineale Plumbini reguli oppidum concessit. Interea uero Pisanorum, de se in urbem admittendo, accepto consensu, Vineale, ubi decem dies confederat profectus, manē 17 Augusti die, ad Caldanas mille passus infra Campiliam, eo animo ut cum florētino exercitu, qui pridie eius diei in eum locum uenerat, prælio decertaret, acie instructa se ostendit: sed Florētini eius motu ab exploratorib. qui ex Aluiani castris uenerāt cognito, eadē nocte ad Campiliæ mœnia se receperāt: ubi cū se Aluianus absq; magno incōmodo pugnare nō posse animaduerteteret, uia quæ à Vicētij turri nomē habet, quæ quinq; miliarib. Cāpilia distat, Pisas uersus cōtendit. At Floren. copiæ, quib. Hercules Bentiuolus præerat, qui ut erat regionis peritissimus, propter loci oportunitatem, aliud nihil quàm eo in loco prælium committere cupiebat, uia quæ Cāpilia ad eandem Vicentij turrim ducit, expeditis equitibus in duas partes distributis, quarū una nouissimū eius agmē

perpe-

perpetuò carpens, Aluiani exercitum sequebatur: altera eodem itinere quo reliquus Florentinus exercitus sequebatur, ut hostibus obuiam iret præcedebat, eò contenderunt: & hi cū ad turrin ante Aluiani copias peruenissent, cum primis congressi ab ijsq; facile repulsi, paulatim ad exercitum, qui iam non longius quingentis passibus inde aberat, retrocedentes, maximam hostiū partem turrin iam præterijisse retulerunt: quare Hercules lentè incedens, ad nouissimum illorum agmen in Vicentinis ruinis, ubi illorum cataphracti & pedites globum fecerant peruenit: utq; in transitu planitie fuit cum dimidia copiarum parte in eorum latus ualidam impressionem fecit: ubi cū aliquandiu strenuè pugnasset, Aluiani acies cœpit inclinare: ac mox eius pedatus ita fusus, atq; ad mare usque pulsus fuit, ut post nullo modo pugnam redintegrare ausus sit: sed equitatus qui ad arcus iactum, ultra Vicentij fossam Vibonem uersus retrocesserat cum se acie redintegrata conglobasset, Florentinorum exercitum magno impetu adortus est, ferociterq; ad fossam usque repulit: tunc Hercules reliquis copijs productis, & toto exercitus robore utrinq; huc collecto, diu ancipiti atrociq; Marte pugnatum est, Aluiano, qui dum non minus militis quàm ducis munere fungitur, equestri grauiq; gladio duo uulnera in facie acceperat, hostes ex eo loco deturbare conāte: quod si successisset, uictoria potitus esset: Hercules autem, qui ante multos dies, si prælium eo in loco committeretur, se industria, & sine periculo uicturum prædixerat, in fossæ quæ circa turrin erat margine, sex minora tormenta, falconetos uocant, quæ secum uehebat

collocari iussit: quibus in hostes displodi coeptis, cum eos iam tormentorum impetu dissipari atque perturbari cerneret, huic occasione ex qua sibi semper uictoriam desponderat intentus, totius exercitus uiribus, id est expeditis equitibus à maritima ora, cataphractis regia uia, & peditatu à superiore latere per siluam, magno se in eos impetu intulit: quo illos facile fudit fugauitq; Aluiano cum paucissimis equitibus ad cursum expeditis uix euadente: cum quibus Monterotundum Senensis agri confugit: reliquæ eius copiæ ferè omnes à Vicentij turri ad Cecinæ fluuium signis omnibus amissis & ualdè paucis equitibus saluis captæ & spoliatæ fuerunt. Hunc exitum habuit Aluiani motus diuturnis deliberationibus, uerborum iactantia, & ferocitate minarum in hominum oculis, quàm uiribus aut expeditio nis stabili firmamento, maior. Hac uictoria etati Hercules Bentiuolus, & Antonius Iacominus Florentinorum legatus, uehementibus literis & crebris nuncijs, Florentinos hortati sunt, ut uictor exercitus, rebus antea ad expugnationem necessarijs, quàm maxima celeritate fieri posset comparatis, ad Pisana mœnia admoueretur: se sperare eam urbem, quòd ad multas angustias reducta esset, & Aluiani aduentus spes sublata, & ut omnia uictoriæ nomini cedere uidentur, haud difficulter obtineri posse: quã spem uehementer fouebant nonnulla cum aliquibus Pisis occulta consilia. Sed Florentiæ Decemuiris qui bellicis rebus præsunt, illorum ciuium, cum quibus de rebus grauibus deliberare consuèrant, ea de re sententiam rogantibus, ab omnibus uno ore hæc sententia reiecta fuit: existimabant enim in Pisanis eandem pertinaciam esse: cumq; tot annos bellis assueti essent,

essent, uictoriae aduersus alios partæ qua illorum uires nulla ex parte essent imminutæ, nomen existimationeq; ad illos superandos minimè satis esse: sed nunc quoq; ut alias semper uiribus, quas solas militares uiri metuunt, uincendos: id uerò plurimis difficultatibus plenum uideri: cum enim Pifarum urbs firmissimis mœnibus, si qua alia Italiæ urbs septa sit, nouisq; operibus probe munita, fortibus item atque obstinatis uiris defensa, eam expugnari nisi magnis copijs & militibus qui uirtute & fortitudine illis minimè cedant posse, sperandum nõ esse: ac ne sic quidem, impressione aut breui oppugnatione capi posse, sed multos dies quo tutius accedatur, oppugnando, & occasiones arripiendo, potius eos defatigare quam impetu cogere necessarium fore: his autem rebus anni tempus obstare: neque enim tam repente aliud, quam tumultuarium & collectitium peditatum cogi posse, neque propter cœli maritimis uentis, qui stagnis & paludibus exhalantibus pestiferi fiunt, inclementiam, exercitibus, ut Paulo Vitellio obsidenti accidit, perniciosam: tum quia pisanus ager, mense septembri iam pluuijs obnoxius esse incipit: quibus ob situs humilitatem inundatur, eo tempore citra perniciẽ obsideri posse: neque in tanta omnium pertinacia priuatorum occultis cõsilijs coniurationibusue nitendum: aut enim res fictas insidiosasq; futuras, aut ab eiusmodi hominibus tractari, qui quod promississent, perficere non possint: huc accedere, quòd etsi Magno Consaluo fides publica data non esset, tamen Prosperum Columnam, quamuis uelut suo iure, quasi tacito ipsorum consensu, hoc anno cum tormentis ipsos Pifarum mœnia non accessuros ei spem dedisse: quare certò credendum,

illum cum hac re indignatum, tum propter ea que sepius Pisanis promiserat, tum quia hic Florentinorum successus rebus suis parum conduceret, eam rem impediturum: ad id uerò facultatem ei non deesse, qui paucarum horarum spacio eos pedites Hispanos qui Plumbini essent, quemadmodum se, si eius urbis expugnatio tentaretur, facturum sepe asseruerat, Pisas mittere posset: prestare uictoriæ occasione eo loco uti, ubi etsi fructus minor esset, facilitas tamen nec ea sine insigni emolumento, longè maior appareret; neminem magis ipsorum consilijs unquam obstiisse, atque etiamnum obstare, neminem magis Pisanorum recuperationem impediuisse: neminem denique magis quam Pandulfus Petrucius presentis status mutationem procurasse: illum Valentinum ut armatus Florentini imperij fines ingrederetur hortatum esse: illum Vitellotij irruptionis & Aretinæ defectionis præcipuum autorem ducemq; fuisse: eius consilio Genuenses atque Lucenses cum Senensibus ad Pisanorum defensionem conspirasse: ab eodem Consaluum ut Plumbini patrocinium susciperet, & Pisanis se atque Hetruriæ rebus immisceret impulsum fuisse: quem uerò alium huius Aluiani motus autorem, impulsorem, adiutoremq; fuisse: itaque exercitum in eum conuertendum: senensem agrum ubi nullum inueniretur impedimentum, totum percurrendum, atque diripiendum: horum existimatione armorum aliquem motum in ciuitate, in qua multos inimicos haberet, aduersus illum exoriri posse: saltem alicuius utilis castelli, quem pro Montepolitiano permutationis aut pignoris loco tenerent, in eo tractu occupandi occasionem non defuturam: & quod beneficijs non erant affecti, ut uidelicet

delicet eum in posterum ad se laceffendos cautiorem redderēt, id hac ratione effici posse sperandum esse. eodemq; postea modo Lucensium, quibus tot res condonare perniciosum fuisset, agros percurrendos: sic ex parta uictoria honorem & fructum sperari posse: ex pisana uerò oppugnatione sese ostendere aliud nihil, quam sumptum cum ignominia coniunctum. Hæ rationes omnium consensu allatæ, populi, qui sæpe magis cupiditatem quàm rationem ducem sequitur, illa quoque inueterata opinione occæcati, nimirū multis ciuitatis principibus ambitiosa spectantibus, Pisas recuperari non placere, ardorem quo minus decerneret, ut exercitus eò duceretur, non restrinxerunt: qua in sententia Petrus Soderinus uexillifer non minus ceteris omnibus uehemens, populi comitijs ad quæ huiusmodi deliberationes referri non solebant cōuocatis, iuberētne exercitum Pisas duci rogauit: ubi cum penè omnium suffragia duci iussissent, temeritate prudentiam superante, melioris partis autoritatem, maioris cupiditati cedere necesse fuit: itaq; cum non minus Magni auxilia, quàm imbrium pericula anteuertere cuperent, incredibili celeritate rebus necessarijs comparandis incubuerunt: quapropter sexta septembris die, exercitus in quo erāt sexcenti grauis armaturæ equites, septem peditū millia, sexdecim maiora, & multa minora alia tormenta, Pifarum mœnibus appropinquauit: & castra inter Crucis & Michaelis, eodem quo olim Galli loco, collocarunt: tormentisq; sequenti nocte celerrimè dispositis, proximo die, ab Calcia porta ad Francisci turrim, ubi mœnia in angulū intus flectūtur, magno impetu cōcussērunt: cumq; ab ortu solis, quo tēpore tormenta dispo-

aere cœperāt, ad tertiam ante eiusdem occasum horam
 supra triginta muri ulnis dirutis, in eam partem grauis
 impressio facta est, sed fructu perexiguo, quia non tan-
 tum muri spacium, quantum ad ciuitatem in qua homi-
 nes consueto animo & uirtute sese obiecerant, expu-
 gnandam necessarium fuisset, disiectum erat: idcirco,
 postridie eius diei mane, quo maiorem sibi ad irrum-
 pendum aditum patefacere alium locum parum ab
 eo distantem, eamœnium parte, quam Galli uerbera-
 bant interiecta, tormentorum globis quaterere cœperūt:
 uoi cum tantum muri quantum satis esse uidebatur, di-
 ruisent, Hercules peditatum qui acie instructa stabat,
 ad utranque diruti muri partem ubi Pisani mulieribus
 de more non minore, quam uiri animo operam nauan-
 tibus dum quateretur aggerem cum fossa duxerant, for-
 uiter oppugnandam impellere uoluit. At in Italico pe-
 ditatu raptim collecto, non is animus eaq; uirtus erat,
 quæ ad tantam rem esset idonea: quare cum ea peditum
 legio, cui sorte prima impressio obuenerat, propter ani-
 mi imbecillitatem mœnia accedere recusaret, neque im-
 peratoris & Florentini legati autoritas & preces, neq;
 proprij uel communis italicæ militiæ honoris ratio, ut
 progredi uellent, efficere p̄tuerunt: quorum exemplū
 quibus secundus locus obtigerat sequentis, copiæ, nulla
 re gesta, nisi quod Itali pedites maxima infamia per u-
 niuersam Europam parta, uictoriæ in Aluianum felici-
 tate corrupta, imperatoris legatiq; existimatione con-
 culcata: quæ apud Florentinos, siquidem parta gloria
 contenti propriæ fortunæ moderari nouissent maxima
 erat, in castra redierunt: quo facto, quin uasa colligen-
 da essent, præsertim cum eodem die Magni Consalui
 iussu

iussu sexcenti Hispani pedites ex his qui Plumbini erant Pisas uenissent, minime dubitatum fuit: quare postero die, Florentinus exercitus, magno cum dedecore Cascinā concessit, post paucos uero dies mille præterea & quingenti Hispani pedites Pisas ingressi sunt: qui cum illorum præsidium necessariū non esset, Eicntinæ Pisano- rum hortatu oppugnatione frustra tentata, in Hispaniā quò à Magno mittebantur, nauigarunt: iam enim inter Gallie regem & Ferdinandū Hispaniæ pax erat facta, ad quā difficultatib. quæ prius impedimento fuerant, id est Gallie regis honoris ratione, et Archiducis ab se alienādi metu remotis, Hispaniæ reginæ obitus facilem uiam aperuerat: nā & Gallie rex nimiam eius potentiā egerimè ferens, eius consilia refringere cupiebat: & Hispaniæ rex, eū Archiducem, socrus contempto testamento, de se Castellæ regno pellendo cogitare compertum haberet, nouarum societatum fundamenta iacere cogebatur: idcirco connubium inter ipsum & Germanam Foisseiam Gallie regis sororis filiam, ea lege, ut illi rex Gallie, regni neapolitani partem quæ ad se spectabat dotis nomine daret: & Hispaniæ rex uicissim illi decem annorum spacio, septies centena aurcorum nummum millia, pro sumptibus sarcieudis persolueret: & nouæ nuptæ tria millia auri pondo dotis nomine constitueret, contractum est: cui matrimonio ctm pax coniuncta esset, conuentum est ut Andiouinis regulis, illisq; omnibus qui Gallicam factionem sequuti erant, gratis libertas, patria, imperia, dignitates, & bona, eodem statu, quo ea die qua bellum inter Gallos atque Hispanos primum coeptum fuit erant, restituerentur: quam diem eam esse, quo Galli ad Tripaldam excurrerunt, declaratum fuit: omnes bonorum publicationes ab Hispaniæ rege

& Federico factæ tollerentur: Ruffanus princeps, Bitontinus & Gesualdus Marchiones, Alphonfus & Honoratus Sañseuerinates, omnesq; reliqui proceres Hispanorum in regno neapolitano captiui liberi dimitterentur: Gallie rex, Hierosolymorum & Neapolitanorum rex deinceps ne appellaretur: panagia procerum & recognitiones conditionibus supra dictis responderent: eodemq; modo diploma à Pontifice peteretur: si regina Germana marito uiuente sine liberis decederet, eius dotalis pars Ferdinando cederet: quod si illa eo mortuo superstes esset, ad Gallie regnum rediret. Ferdinandus rex, Gastonem Foiffici comitem, nouæ coniugis fratrem, ad regnum Nauarre, cuius cum Catherina Foifficia, & Ioannes Aliòretti filius eius maritus reges appellarentur, ad se spectare asserbat, recipiendum iuuare teneretur: Gallie rex, Federici regis uiduam coniugem cum duobus liberis quos apud se habebat, in Hispaniam, ubi facultates quibus honestè possent uiuere eis assignarentur, proficisci cogeret: quæ si renueret, nulla ipsi eiusue liberis amplius pensione subsidioue dato, eã Gallie regno excedere iuberet: neutri quidquã contra eos qui ab utrouis illorum nominati essent moliri liceret: nominarunt autem ambo in Italia Pontificem, & Gallie rex Florentinos: ad pacis autem firmitermentum æternum inter eos foedus ad regnorum defensionem istum esse intelligeretur: Gallie rex Hispanum mille cataphractis & sex peditum millibus, uicissim Ferdinandus Gallie regem trecentis cataphractis, duobus leuis armaturæ equitum, quos Lannettarios uocant, & sex peditum millibus iuuare teneretur. Hac pace hunc in modum, confecta, cuius, utriusque partis nomine

sponfor

spōsor fuit Angliæ rex, Andiouini proceres qui in Gal-
 lia erant, abeundi facultate ab rege, qui pro sua innata
 tenacitate perquam exigua illis in discessu grati animi
 signa ostendit impetrata, ferè omnes cum Germana Re-
 gina in Hispaniam cōtenderunt, & Isabella Federici o-
 lim uxor, quia filios suos Catholici regis fidei committe-
 re noluit, ab Galliæ rege regno excedere iussa, se Ferra-
 riã contulit: qua in urbe Hercule Estensi paulo antè de-
 functo, Alfonsoq; eius filio succedente, sub anni finè tra-
 gicum quiddam ueterum Thebanorum casibus, sed le-
 uiori de causa (si modò effrænatus amoris impetus, ar-
 denti regnandi ambitione leuior est) simile accidit: nam
 cum Hippolytus Estensis cardinalis uehementi iuuentu-
 læ sibi sanguine coniunctæ arderet amore, quæ nõ mi-
 nori ardore Iulium Hippolyti ex concubina genitū fra-
 trem amabat: cumq; ipsamet se ad tantum amorē præ-
 cipuè Iulij oculorum pulchritudine accendi Hippolyto
 fassa esset, Cardinalis cœco furore percitus, tēporis o-
 portunitate captata, cum Iulius in uenatione esset, in a-
 gris eum sepsit, eiq; equo descendere iussō, per aliquos
 suos à pedibus seruos, ipse tanti sceleris immanitatē spē-
 ctare ausus, oculos uelut amoris sui æmulos erui iussit:
 ex quo postea inter fratres grauißima odia sunt conse-
 cuta. Hunc finem annus quintus supra mil-
 lesimum quingentesimum
 habuit.

SEXTI LIBRI FINIS.

R

FRANCISCI GVIC-
CIARDINI HISTORIA.
RVM SVI TEMPORIS
LIBER SEPTIMVS.

C. S. C. interprete

Multorum Christianorum principum cōtra Venetos apparatus: Philippi regis classis naufragiū: Castellæ regis Neapolim aduentus: Pontificis cum Galliæ rege fœdus: Ioānis Bentiuoli Bononia fuga: Genuense bellum: Galliæ regis in Italiam ob Genuensium res aduentus, & eiusdem contra Genuenses victoria: Aragoniæ regis cum Galliæ rege congressus Saouonæ: conuentus Imperij Constantiæ habitus: Maximiliani Cæsaris in Italiam aduersus Venetos aduentus: eius in Foroiulij progressus, ac eorundem induciæ.



M AEC anno millesimo quingentesimo quinto gesta fuerant, qui annus, etsi Italiæ pacem, bellis quæ de regno neapolitano erant exorta extinctis stabilem futuram, spem reliquissent, tamen ab alia parte minimè parua imminentium incēdiorum semina apparebant: quoniam Philippus qui se iam Castellæ regem nuncupabat, id regnum à socero administrari nō cōtentus, & à multis procerib. incitatus, leges ad regni administrationē post mortē suā seruandas præscribere in defunctæ reginæ potestate nō fuisse (ut uerissimū erat)

erat) afferens, iter in Hispaniã illo inuito adornabat: et Romanorum rex filij potentia elatus, in Italiam transcãdere cogitabat: Gallie uerò rex, quamuis superiore anno Pontifici, quòd se ne appellato quidem, sacra beneficia, quæ Ascanij Cardinalis & aliorum morte in Insubria possessoribus uacua fuerant relicta, alijs contulerat: quodq; cum multos sacræ purpuræ dignitate donasset, Ausensem & Baiucensem episcopos, hunc Trammollie, illum Rotomagensis cardinalis nepotem, quorũ nomine ipse uehemētissimè flagitarat: unã cum alijs cooptare noluerat, iratus fuisset, eamq; ob causam sacrorum beneficiorum quæ Sancti Petri in Vincula Cardinalis, aliq; pontifici grati Antistites in Insubria possidebãt fructus retineri imperasset, tamen cum sibi à Casare & filio metuere inciperet, ideoq; Pontificis amicitiam cuperet, fructibus dari permisisset, huius anni initio Sistoronensem episcopum pontificium apud se nuncium, qui ei uaria consilia proponeret, & multa aduersus Venetos, in quos eius uehemens odium propter Aemiliæ locorũ recuperandorum cupiditatem, permanere sciebat, polliceretur misit, quamuis pontifex ad eam usq; diem omnibus in rebus tam moderatè se gessisset, ut admirationè minimè medioerem in hominum mentibus excitasset, quòd is qui Cardinalis cum esset, semper uastis immoderatisq; cogitationibus turgidus extitisset: Xysti quoq;, Innocentij, & demum Alexandri Põtificis temporibus, sæpius Italie turbandæ instrumentum fuerat, nunc ad pontificatum qui plerumque ambitione, & malè pacatis cõsilijs administratur, promotus, hos tã arduos spiritus posuisset: et animi magnitudinis q̄ semper ambitio se ostentarat oblitus, nullũ ne iniuriarũ quidẽ ulciscẽda

rum, seq̄; sui similem esse signum ederet. At in Iulio longè alia mens erat, & in hominum de se expectatione superanda animo fixus, contra pristinam magnanimitatis suæ consuetudinem, ut ingentem pecuniæ uim cumularet omni studio operam dederat, dabatq̄; quo belli accendendi cupiditati qua flagrabat, eius sustinendi facultas & neruus accederet: cumq̄ue hoc tempore iam auro non parum abundaret, consilia sua res maximas spectantia, aperire incipiebat: quare Sistrionensem episcopum hilari fronte acceptum & auditum, magna celeritate ad nouam inter ipsos necessitudinem contrahendam remiserat: ad quod ut Regis ac Rotomagensis animos propensiores haberet, breui epistola quam idem Sistrionensis ferebat, Ausensi & Baiucensi episcopis, sacram purpuram promisit: & tamen in tanto ardore eius animus in uarios scrupulos difficultatesq̄; distrahebatur, quoniam siue odio occulto in regem eo tempore, quo Alexandri insidias fugiens, in Galliam egerat cõcepto: siue quòd se regis potentia atque importunitate Rotomagensi Galliæ legationem relinquere penè cogi summopere ei displiceret: siue quòd uereretur ne idem Cardinalis, cuius consilia manifestè ad pontificatum dirigebantur, mortis suæ expectandæ impatiens, uijs extra ordinarijs cū adipisci conaretur, Galliæ regi, sine cuius coniunctione sibi tunc tēporis nullã alicuius momenti rem succedere ex sententia posse animaduvertebat, adherere nõ penitus statuerat: idcirco alia uia Balassarem Biasciam Genuensem suæ classis præfectum, Pisas ad duas triremes quas Alexander Põtifex ibi fieri mandarat instruendas, ut si fortè rex Galliæ, quemadmodum credebatur, morbi reliquijs nõ parum grauatus ex-

tus expirasset, ad Genuam Gallorum dominatu liberandam paratior esset, miserat. In hoc igitur statu, tantaq; rerum ambiguitate, primus anni MDVI motus fuit, 1506. Philippi regis, ut magna classe in Hispaniam transfret, ex Flandria profectio: quam ut sibi faciliorem redderet ne socer Galliae regis auxilijs fretus impediret ueritus, Hispanis artibus usus, se maximam rerum omnium partem ex eius uoluntate administraturum promittens, cum illo conuenerat: Hispaniae regni appellatio quemadmodum regi cum defuncta regina fuerat, sic & ipsis communis esset, regni uectigalia certa ratione diuiderentur: qua pactioe fretus socer, quamuis illum ea seruaturum non satis certum haberet, multas naues quibus ueretur ad eum in Flandriam miserat: itaq; cum uxore & Ferdinando secundo filio suo, nauib. conscensis prosperis uentis Hispaniam uersus cursum tenuit: quibus post bidui nauigationem in aduersissimos conuersis, eius classis ingenti tempestate iactata, ubi diu maris furori restitisset, per uarias Angliae atq; citerioris Britanniae oras dissipata est, ipse quoq; cum duabus uel tribus nauibus maximo periculo, in Angliae portum, qui Antona dicitur, eiectus est. Qua re cognita Henricus VII. eius Insulae rex, qui Londini erat, multis statim principibus uiris, qui eum maximo honore acciperent missis, ut Londinum ueniret petijt: quod quidem negare, in Philippi, qui penes solus esset, & nauib. careret, potestate minimè erat: haesit autem apud illum tamdiu, donec classis iterum colligeretur, instruereturque: interea uerò nouum inter illos foedus ictum est: quo in loco Philippus cetera in re honore habitus, una tantum in re ueluti captiuus fuit: uidelicet quod Suffolciae ducem, quem ipse in Na-

murij arce habebat, tradere fuit coactus: eū enim quòd in Angliæ regnum ius aliquod sibi arrogabat, Henricus summopere in sua potestate habere cupiebat: se tamen eum uita non priuaturum fidē dedit: quare in carcere dum Henricus uixit custoditus, postea filij iussu securi percussus fuit. Philippus deinde secundioribus uentis in Hispaniam nauigauit: ubi cum proceres ferè omnes ad eum accederent, socer, qui quòd proprijs uiribus ei resistere non posset, & Gallorum promissis niti non satis tutum existimaret, penè ab omnibus desertus, quiq; generum nisi magna molestia ac difficultate uidere potuit, nihil unquam aliud quàm de pace cogitauit, eas leges quæ priori pactione contempta, ipsi proponebantur, accipere coactus fuit: quamuis hac in re propter Philippi naturæ insitam benignitatem, & multo magis propter eorum, qui se acerbissimos Ferdinandi inimicos declarauerant, suasiones, nihil durius actum sit: illi namque, ne Ferdinandus sua prudentia & autoritate fidem apud generum inueniret metuetes, semper quantum poterant eius ex Castellæ regno discessum urgebant. In hunc igitur modum conuentum est: ut Ferdinandus regni Castellæ administratione coniugis testamento sibi relicta, omniq; iure quod in id regnum habere posset cederet, statimq; ab eo regno discederet, seq; non amplius reuersurum promitteret: neapolitanum regnum idem Ferdinandus sibi proprium haberet: quamuis non deessent qui eodem iure, quo ipse Ferdinandus sibi uendicare solebat, nimirum id regnū Aragoniæ armis uiribusq; partum esse, ac fortasse æquius cum Castellæ armis atq; potentia partū fuisset, ad Philippum spectare dicerent: eidem Indiæ insularum uectigalia dum uiue-

uiueret, tres itē sacri equitum magistratus, uidelicet D-
 Iacobi, Alicantatæ, & Calatrauæ. sunt attributi: ac deni
 que ex Castellano regno, uiginti quinque aureorū numū
 millia quotannis haberet. Quo facto Ferdinandus, quē
 deinceps uel Catholicum, uel Aragoniæ regem appella-
 bimus, statim in Aragoniam eo animo, ut quamprimum
 Neapolim traiceret, concessit, non tam eius regni uidē-
 di atque componendi cupiditate, quā ut Magnum Con-
 saluum quē de eo regno sibi uendicando, uel potius Phi-
 lippo tradendo, cogitare sepius post reginæ obitū suspi-
 catus erat, cumque cum in Hispaniam frustra reuocasset,
 ipse uarijs excusationibus impedimentisque profectiōne
 protraheret, inde amoueret: uerebatur enim ne nisi ip-
 semet eō proficisceretur, quamuis pace facta, Philip-
 pus debere illum prorsus Aragoniæ Regi parere, eisi
 gnificasset, difficulter eum posse ab eius regni admi-
 nistratione remoueri. Interea in Galliæ regis ex morbo
 conualescentis pectore, uariæ, imō inter se cōtrariæ co-
 gitationes uersabantur. Hinc enim in Venetos, propter
 tum odium bello neapolitano conceptū, tum corū quæ
 in ueteri mediolanēsis imperij iure sunt, recuperādorū
 cupiditatē: tum quæ illorum potentiā uarijs casibus sibi pe-
 riculū creare posse censeret, mouebatur: quæ res eū scē-
 dus cum Rom. rege & Philippo eius filio ineundū potis-
 simum impulerat: illinc eiusdē regis in Italiam, quo iam
 ut magnis uiribus transfiret se cōparare audiebatur, pro-
 fectio, illi minimē erat grata: ob Philippi namque poten-
 tiā quæ tot regnorū successione crescebat: et quia illū cū
 in Anglia fuit nouo fœderis necessitudinisque uinculo sibi
 eū regē coniūxisse suspicabatur: quodque pace cū Hispa-
 no rege, qua regni neap. cogitationes deposuerat facta,

una ex præcipuis cauſſis, quarum gratia cum illis foedus inierat ſublata eſſet, plus cõſueto ſibi metuebat. Dũ igitur in hac cogitationum conſiliorumq; uarietate & fluctuatione uerſatur, Maximiliani legati, qui eum in Italiam exercitum traducere ſtatuiſſe ſignificarent, & ut quingentos cataphractos quos ſe illi auxilio miſſurũ promiſerat compararet, Inſubriæq; exules prout pollicitus fuerat, in patriam reſtitui peterent: atq; ut pecuniam quæ intra paucos menſes ei debebatur, nũc numerare uellet rogarent, mittebantur ad eum uenerũt: quæ etſi rex minimè præſtare in animo haberet, ſecus tamẽ præ ſe tulit: de ijs dico quæ tunc nihil aliud quàm uerba exigebant: ſe namq; conuenta perfici uehementer cupere oſtendit, & ad ea omnia ad quæ obſtrictus erat, ſuo tempore perficienda paratum eſſe, confirmauit: ſed de pecunia ante tempus numeranda uarijs excuſationibus allatis denegauit. At uiciſſim Romanorum rex, qui nõ melius de Galliæ regis animo quàm ille de ſuo ſperaret, & Romam proficiſci præfertim ut Imperij coronam caperet, quo poſtea filium Rom. regem eligi procuraret, uehementer cuperet, eodem tempore alijs quoq; inſtrumentis finem ſuum adipiſci tentabat: ideo & Heluctios ſibi adiungere nitebatur: qui poſt multas ultro citroque diſputationes, foedus quod cum Galliæ rege in biennium proximum habebant, conſeruare ſtatuerant: & à Venetis per eorum fines itineris faciendi facultatem petierat; quibus quum eius cum tam potenti exercitu in Italiam aduentus moleſtiſſimus eſſet; Galliæ regis qui eos ut ſe illi unã ſecum opponeret hortatus eſt, promiſſa, ad ambiguum reſpõſum dandum, animum addiderunt: iamq; rex à foedere cum illo & cum Philippo facta

facto se aperte alienum ostendēs, *Claudiā* Filiam suam *Francisco Angolismensium* principi, ad quem post suū absque liberis masculis obitum regnum spectabat, respondit: se tamen id suorum precibus facere simulans, cum hanc ob causam antea ab omnibus *Galliæ* concilijs et præcipuis ciuitatibus legatos, qui id ad se uelut regno utilissimum, postquam in illo indies masculæ prolis spes magis deficeret, supplices peterent, mitti curasset: quod statim per proprios legatos, se tam uehementi totius regni & omnium populorum suorum desiderio repugnare non potuisse, *Philippo* regi significauit: *Gheldrensi* quoque duci aduersus *Philippum* auxilia, ut *Maximilianum* qui iam per se hæc consilia deposuerat, Italia auerteret, misit: nam cum *Maximilianus Vladislaum* *Vngariæ* regem grauissimo morbo laborare cognouisset, antequam patris suamq; eius regni, propter iura quæ se habere aiebant, adipiscendi cupiditatem sequutus, ad eius fines accesserat. *Vladislao* enim *Vngariæ* atque *Bohemiæ* rege, *Alberti* qui *Federici* imperatoris frater fuerat filio, absque liberis ante multos annos defuncto, *Vngari* rege suo sine liberis mortuo, cognatione proximorum successionem locum non habere, sed noui regis eligendi ius in sua potestate esse rati, paternæ uirtutis memoria ducti, *Matthiam* illum, qui post tanta cum tam parui regni gloria potentissimum *Turcarum* imperium toties afflixit, sibi regem crearāt: qui ut regni sui initio bellum cum *Federico* uitarct, se ut post suū obitum id regnum ad *Federicum* eiusue filios perueniret, uxorem nō ducturum promisit: quod etsi minus seruarit, nihilominus sine liberis ex hac uita migravit: nec tamen *Federicus* uoti compos fuit, quia

Vngari Vladislaum Poloniæ regem assumpserunt: ex quo nouis bellis ab Federico & Maximiliano cum illis geri cœptis, tandem conuenerant, idq; regni procercs solenni iureiurando confirmarant, ut quando cunque Vladislaus sine liberis moreretur, Maximilianum sibi regem asciscerent: itaque is ad eam successione[m] aspirans, Vladislai cognita ægritudine, in Italiam profectiõis cogitatione ad tempus deposita, Vngariæ finibus appropinquauit: quæ dum tanta uarietate inter principes transalpinos agitantur, Pontifex cum se ad Venetos absque Galliæ regis ope inuadendos non satis potentem animaduertet, nec pontificatus sui annos diutius inglorius terere posset, ab rege petiuit, ut se ad Bononiam atq; Perusiam pontificio imperio subiiciendas iuuaret: quæ cum ueteri iure ad pontificatum pertinerent, altera Ioannis pauli Ballionis, Ioannis Bentiuoli tyrannide altera premebatur: quorum maiores ex priuatis ciuibus, in ciuilibus dissensionibus factionis unius duces facti, aduersarijsq; partim pulsis, partim cæsis suarum ciuitatum prorsus domini euaserant: nec ab legitimi principis nomine assumendo, aliud quàm pontificum reuerentia eos cohibuerat: pontifices enim in utraque ciuitate paulò plus quàm nudum imperij nomen obtinebant: certamq; portionem eamq; per exigua uectigalium accipiebant: & pontificatus nomine præfectos in eis habebant: qui, cū potentia, omniumq; grauium rerum deliberatio penes ipsos essent, ferè potius ad umbram & ostentationem, quam ad aliquod munus obeundum ibi erant. Perusia uerò siue propter Urbis propinquitatem, siue alias ob causas, longè diutius pōtificio imperio paruerat: quoniam Bononienses pon-

tificum

tificum aduersis temporibus crebras mutationes fecerant, modò libertatis nomine rep. gerentes, modò ciuium suorum tyrannidem patientes, modò externis principib. parentes, modò ad unam pontificum obedientiam reuocati, ac demum, Nicolai V. pontificis tempestate sub pontificum imperium huiusmodi tamen additis limitibus autoritatisq; inter pontifices & ipsos communionem redierant: ita ut progressu temporis, nomine & inanibus signis pontificibus relictis, rerum summa in Bentiuolorum potestatem peruenerit: ex quibus qui tum temporis regnabat Ioannes, rebus omnibus paulatim sibi attributis, ijsq; familijs potentioribus, quæ maioribus suis & sibi in tyrannide fundanda atq; firmanda aduersæ fuerant depressis, quatuor quoque liberis, quorum petulantia & sumptus ferri iam non possèt grauis, ideoq; ferè omnibus inuisus, exiguo mansuetudini atq; clementiæ loco relicto, potentiam suã magis crudelitate & armis, quàm mansuetudine & benignitate tuebatur. Pontificem ad has res gerendas præcipuè gloriæ desiderium incitabat: cuius gratia, ambitione sua pietatis colore & religionis amore tecta, pontificum imperio ea omnia, quæ quouis modo ei adempta fuisse dicerentur, restituere in animo habebat: ad Bononiam uerò recuperandam magis etiam recenti in Ioannem Bentiuolum odio mouebatur: nam cum eo tempore quo Romæ uersari non audebat, Centij, quòd in Bononiensi ditone sui episcopatus oppidum est hæssisset, nuncio seu uero seu falso accepto, Ioannem Alexandri pontificis mandato eum capere imperasse, fugæ se noctu tradere fuit coactus. Hæc pontificis petitio regi grata fuit, quòd sibi eius beneuolentiæ

conseruandæ occasionem nactus uideretur: quum enim suam cum Venetis societatem ei ualde molestant esse sciret, ne quid ille in se breui moliretur, non parum metuere incipiebat, iamq; quandam conspirationem de se Genuensi imperio deturbando ab Octauiano Fregosio pontificis consensu factam, suspitione minimè carebat: Bentiuolum præterea quamuis in fide sua esset, magis Cæsari quàm sibi fauere existimabat. Huc accedebat in Ioannempaulum Ballionem odium, qui quatuordecim aureorum nummum millibus acceptis, suis se ad Garilianum fluuium coniungere noluisse: & Pandulfi Petrucij offendendi, exercitus qui in Hetruriam mitteretur occasione, desiderium, quòd toties promissam pecuniã nunquam representarat, seq; Hispanorum fortunæ prorsus coniunxerat: has igitur ob causas pontifici auxilia alacriter obtulit: & Pontifex uicissim purpureum galerum Ausensi ac Baiucensi, atque unà sacra beneficia per totam Insubriam conferendi regi potestatem qualem olim habuerat Franciscus Sfortia, breuibus de more literis concessit: quibus rebus per Sisteronensem episcopum qui recens ad Aquarum festiarum Archiepiscopatum promotus erat, quiq; hanc ob causam utrumq; illorum sæpius adierat confectis, earum rerum effectus tardiores extiterunt: nam cum Pontifex expeditionem aliquot menses distulisset, accidit ut Maximilianus, qui bello Vngariæ regi illato, suæ in Italiã profæctionis cogitationem intermiserat, successionis compositione redintegrata, denuò cum illo reconciliaretur, in Austriamq; rediret: unde se in Italiam uelle transire signis & apparatu demonstrabat: sed cū Venetos infestos habere minimè cuperet, quatuor oratores,

qui

qui suæ Romam ad imperij coronam accipiendam profectionis uoluntatem indicarent misit, postularentq; sibi & exercitui suo iter liberum per suos fines permetterent, se sine maleficio iter facturum, eiusq; rei idoneam cautionem daturum: se cum ea rep. societatis, cuius facile ratio, non modo utriq; parti tuta, uerum etiam utilis & gloriosa esset futura, inueniri posset, in eundem cupidum esse ostenderent: illud tacite innuens, utrisq; utile fore, si aduersus Gallie regem coniungerentur. Huic orationi post multam deliberationem gratissimis uerbis responsum est: ostensumq; quantum Veneti senatus, uoluntati ipsius obsequendi, atque in omnibus quæ quidem citra suum insigne aliquod detrimentum possent, satisfaciendi desiderium esset: nullum autem maius manifestiusq; periculum hoc quod ab illo proponeretur imminere posse: cum Italia uniuersa tot calamitatibus uehementer exacerbata, atque ad eius cum potenti exercitu aduentus famam admodum suspensa, ne uiam nouissimo lestijs aperiri pateretur, arma capere cogitaret: quod & rex Gallie ut Insubriae imperium tueretur facturum esset. Itaque cum armatum, copijsq; munitum in Italiã uenire, nihil aliud esse quam magno ipsorum periculo aduersus quos si ei iter concederent, uniuersa Italia una cum illo rege, ueluti in eos qui propria commoda communi utilitati anteposuisissent, concitaretur, potentissima sibi obstacula comparare: rem longè cum omnibus tutiorem, tum ipsi quoque honestiorem fore, si cum ad pacificam rem omnibusq; gratiosam ueniret, in Italiam pacatus transiret, ubi imperij maiestate non minus benigna quam potenti demonstrata, maximam gratiam sibi apud omnes conciliaret, italicæq; tranquillitatis

conseruator summa cum gloria esset, si eodem modo ad coronam capiendam quo ante eum ipsius pater, multiq; ex eius maioribus, descenderet: quod si faceret, senatum Venetum omnibus eum officijs atque honoribus, quæ ipsemet exoptare posset, prosequuturum. Hi bellici apparatus & hæc negocia quæ à Cæsare tractabantur, in causa fuerunt, ut Pontifex qui tunc Bononiensem expeditionem suscipere decreuerat, ab rege promissa auxilia postularet: ipse uerò cum tempus ad huiusmodi motus minimè oportunum uideretur, eum amicè ut ad tempus differret hortabatur, ne ob eam causam tota Italia concitaretur: ad quod quidem etiam suspitione mouebatur, ne Veneti qui se ad Bononiæ defensionem, nisi prius Pontifex ipsis iura quæ pontifices in Fauentiam haberent concederet, arma sumpturos ei significarant, irritarentur: sed pontificis impatiens præcepitq; natura contra omnes difficultates omniaq; pericula magno impetu uoti sui cõpos fieri conata est: quare, collegio pontificum conuocato, ibiq; causa qua ut Bononiam atque Perusiam tanta tamq; nobilia eius sedis mēbra à tyrannorum iugo liberare cuperet mouebatur allata, semet ad eas urbes uenturum significauit: seq; præter suas copias ab Galliæ rege, Florentinis, multisq; alijs Italia potentatibus auxilia habiturum, neque Deum iustum uindicem, eum qui ecclesiam suam iuuaret, deserturū affirmavit: qua re in Gallia nunciata, Põtificem absq; regis certo responso sibi copiarum suarum opem polliceri, regi tam ridiculum est uisum, ut cum risu in mensa eius ebrietatem omnibus iam notam taxare uolens, Pontificem priore nocte uino nimium incauuisse diceret: nondum enim se hac præcipiti deliberatione, ut uel cum eo

in

in apertam contentionem ueniret, uel etiam inuitus illi suas copias concederet, cogi animaduvertebat. Et Pontifex nullo alio responso expectato, cum quingentis grauis armaturæ equitibus Roma egressus erat: & Antonio Montano, qui Bononienſibus ſuum aduentum ſignificaret miſſo, & uti ſe ad eum accipiendum, & quingentas gallicas lanceas in agrum admittendas pararent imperaret, ipſe lentè procedebat: nam niſi prius de gallicis auxilijs aduentatibus certior eſſet factus, ultra Peruſiã progredi in animo non habebat: cuius aduentũ metuens Ioannes paulus Ballio, Vrbinatium ducis & aliorum amicorum hortatu, & fide ab illis accepta Oruietum ei obuiam proceſſit, ubi cum ſe penitus eius uoluntati comiſiſſet, & eum cum centum & quinquaginta grauis armaturæ equitibus comitari, Peruſiæ eiusq; agri arces munitioneſq; & urbis cuſtodiam eius poteſtati tradere promiſiſſet, duosq; filios Vrbinati obſides dediſſet, in gratiam redijt: quo factò, Pontifex Peruſiam incernis ingreſſus eſt, adeò ut in Ioannis pauli poteſtate fuerit, ſi eam perſidiam quæ eius nomen in tanto minoribus rebus fœdauerat, in tanta re per uniuerſum orbem celebrem facere noxiſſet, eum cum tota aula captiuum facere. Peruſiæ Narbonenſem Cardinalem ab Galliæ re-re, ut ei rem in aliud tempus differri ſuaderet, & regem quamuis auxilia mittere cuperet, tamen ob Cæſaris metum Inſubriam ſpoliare non poſſe excuſaret, miſſum audiuit: qua legatione mirum in modum commotus, nec tamen ſe ſententiam uelle mutare oſtendens, novos pedites conſcribere, omneſq; apparatus augere cœpit: & nihilominus multorum opinio fuit, ſi Bentiuolus, qui per legatos ſe omnes filios ſuos,

qui quatuor erant missurum obtulerat, ipsemet quem-
 admodum Ioannes paulus fecerat ad eum uenisset, ali-
 quam rebus suis tolerabilem rationem inuenturū fuisse: in quo dum nihil certi per se statuit, aut, ut aliqui
 aiunt, dum coniuge repugnante, dubius hæret, Gallie
 regem Ciamontto ut cum quingentis cataphractis ad
 pontificem iuuandum contenderet mandasse, certior
 fit: nam & si rex Rotomagensi Cardinale tunc ab-
 sente, non concedere in animo habuerit, tamen Roto-
 magensi postea secus suadente, & quantum Pontifex
 molestè laturus esset, si id quod ei non modò ab initio
 promiserat, uerumetiam ut eo uti uellet incitaret, nunc
 denegaret cogitans, sententiam mutauit: ad id etiam fa-
 cilis impulsus, quia Maximiliani res pro eius consue-
 tudine iam deseruescere incipiebant: & Pontifex ut re-
 gi aliqua ex parte satisfacere, non quidem scripto, sed
 puris uerbis, se nunquam Aemilia oppidorum caussa
 Venetis molestum fore promiserat: tamè cum intimum
 animi sui sensum dissimulare nollet, Perusia Cesenam
 proficiscens, qui si per planitiem iuisset, ariminensem
 agrum quem Veneti occupabant uitare non potuisset,
 per montes iter tenuit. Cesenæ Bentiuolum, grauissimis
 dirarum minis pœnisq; diuinis & huminis propositis,
 Bononia discederet admonuit: quam etiam pœnam in
 eos qui illi adhærent, uel cum eo uersarentur exten-
 dit: quo in loco cum Ciamontium cum sexcentis cata-
 phractis, & tribus peditum millibus, quibus à Pontifi-
 ce stipendia numerabantur, in itinere esse accepisset,
 maiore animo absque mora iter suum sequutus est: &
 eandem ob caussam propter quam Ariminum uitarat,
 Faentino agro euitato, montano itinere quamuis dif-
 ficili

ficili & incōmodo, per Florentinorum trans Apenninię
 posita oppida, Imolam ubi ipsius exercitus colligeba-
 tur uenit: in quo præter multos pedites quos conscripse-
 rat, ipsius stipendijs quadringēti grauis armaturæ equi-
 tes militabant: Io. Paulus Ballio cum centū & quinquaginta,
 centum à Florētinis sub M. Antonio Columna, to-
 tidem à Ferrariensium duce mutuò accepti: multi præte-
 rea Græci in regno neapolitano conscripti, & ducenti
 expediti equites à Mantuano marchione copiarum ui-
 cario destinato adducti. Bononię uerò Bentiuoli multos
 apparatus facere nō cessarant, à Gallis si nō defenderē-
 tur, saltem nullum incommodum sperantes: nam cū opē
 ab rege suscepti patrocinijs iure implorassent, is se Pōti-
 ficis negocium armis impedire nō posse, sed nec copias,
 nec auxilia aduersus ipsos daturū responderat, ex quo
 se faciē pontificiū exercitū sustinere posse sperabant:
 sed Ciamentij aduentu omni spe frustrati sunt: qui & si
 in itinere hominibus illorum uaria responsa dedisset, ni-
 hilominus eo die quo Castel francum in Bononięsi agro
 peruenit, quod fuit eodem die quo Mantuanus Pontifi-
 cius copijs Castellum S. Petri occupauit, Ioanni Bentiuo-
 lo, regem qui ei in ijs ad quæ patrocinijs suscepti iure te-
 nebatur deesse nollet, bona ipsi sua conseruari uelle: &
 ut ciuitatis administratione pontificio imperio relicta,
 suis bonis retentis unā cum liberis Bononię tutò habita-
 re posset, dummodo intra triduum pontificis iussa fecis-
 set, curare uelle significauit. Hoc nuncio accepto Benti-
 uolus & filij qui antea pleno ore minitantes, se suam di-
 gnitatem fortissimē propugnatos passim iactauerāt,
 pent. us animo fracti, oblitq; quo pacto Petrum Medicē
 qui nullo sanguine effuso Florentia aufugerat increpas

sent, uelle sese prorsus eius arbitrio committere, id unū saltem ut tolerabiles leges sibi imponi curaret supplices rogantes, responderunt: ipse igitur qui iā ad Rheni pōtem, ad tertium à Bononia lapidem uenerat, cum Pontifice ut Ioanni Bentiuolo cum liberis & uxore Geneura Sfortia tutò Bononia abire, & in quouis mediolanēsis imperij loco manere liceret, omnem suam suppellectilē uendere aut abducere: neq; ob reliqua bona quæ iusto titulo possidebant, molestia ulla afficerētur egit: quib. tractatis, statim fide publica eaq; amplissima à Ciamōtio accepta, cui duodecim aureorum numūm millia dederūt, quiq; etiam scripto se omnia ad quæ rex eorum patrocinij causa tenebatur, prestare curaturū promisit, atq; in mediolanensi imperio liberè degendi facultatem dedit, Bononia discesserunt. Bentiuolis Bononia profectis populus Bononiēsis statim oratores qui ciuitatem Pontifici dederent misit: illud modò petentes, dirarum decreta tolleret: & ne Galli Bononiam ingrederētur rogarent, qui discipline impatientes cum ad muros accessisset, ingredi sunt conati, sed à populo repulsi, prope moenia inter Elicis & Saragotiae portas, iuxta riuum qui ab Rheno flumine deductus Bononiā perfluens, naues Ferrariam uersus ducit, castra posuerunt, ignari in Bononiēsum potestate esse eo in loco ubi riuus urbem ingreditur, ferrea cataracta demissa, totam circumiectam regionem inūdare: quod cum fecissent, riuus auctus ac tumefactus, depressum locum in quo Galli castra habebāt inundauit: illi uerò tormentis plurimisq; impedimentis in luto relictis, tumultuantes se ad Rheni pontem contulerunt, ubi donec Pontifex Bononiam ingrederetur hæserunt, qui maxima pompa, omnibusq; pōtificialibus

ceremo-

ceremonijs D. Martino sacro die insignem ingressum fecit: sic maxima Bononiensium felicitate Bononia in Pōtificum potestatem uenit: quæ ciuitas populi frequentia, agri ubertate, & situs oportunitate, meritò inter nobilissimas Italiæ urbes numeratur: in qua etsi Pontifex nouis magistratibus ueterum exemplo constitutis, multis in rebus libertatis signa atq; imaginem reliquerit, re tamen ipsa eam prorsus pōtificio imperio subiecit: in hoc autem liberalissimus extitit, quòd multis immunitatibus concessis, ut & alijs ciuitatibus fecit, populum Pōtificij dominatus amantem reddere conatus est. Ciamōtto qui illico in Insubriã redijt, Pontifex octo aureorum millia decem item millia eius militi donauit: ac de Albiensi episcopo eius fratre in pontificum collegium cooptando prius factam promissionem scripto confirmauit: & nihilominus toto animo ad Venetos instandos conuersus quo plures aculeos regi & Rotomagensi ad se iuuandū relinqueret, Auisensem atq; Baiucensem, quemadmodum rogabatur, & ipse literis promiserat, tunc Cardinales nuncupare noluit. Hoc tempore Aragoniæ rex mari in Italiam traiecit: ad quem antequam Barcellonaæ naues conscenderet, à Magno Consaluo nuncius qui eum ad ipsum accipiendum, & eius dicto parendum præstò esse polliceretur uenit: cui rex nõ modò S. Angeli ducatum, quem iam illi dono dederat Federicus rex, sed & omnia unde supra uiginti aureorum numùm millia perciperet quæ in regno neapolitano possidebat, & eiusdem regni Magistri equitum munus confirmauit: scripto itè propria confecto manu, D. Iacobi equestris. ordinis magistratum (Maestralgum uocant) ei promisit: ideoq; maiori spe nauibus Barcellonaæ cõscensis, & Galliæ regis mæ-

dato unâ cum uxore in omnibus Prouinciæ portub. honorificè acceptus, eodem honore in Genuensi portu, ubi eum Magnus Consalius nō sine multorum admiratione obuiam profectus expectabat, affectus fuit: neq; enim plebei homines tantum, sed & Pontifex ipse, illū præteritæ contumaciæ & suspitionum ab rege fortasse nō leuibus de causis de se conceptarum conscium metu, eius conspectum uitantem in Hispaniam traiecturum existimant. Genua profectus, quia triremibus ab litore recedere nollet, quòd prosperos uentos non haberet, multos dies in Delphimo portu hæsit, ubi dum moram trahit, ecce tibi rex Philippus eius gener, iuuenis, firmissimo corpore, optimeq; affecto, in ætatis flore, in tanta felicitate constitutus, ut fortunæ uicissitudinem inconstantiamq; & hîc mireris, paucorum dierum febris, Burgij ex hac uita migrasse nunciatur: nihilominus rex, quem multi Castellæ administrationis arripiendæ cupiditate illico proras Barcelloam uersus directurum credebāt, coeptum iter sequutus, eodem die quo Pontifex Bononiam proficiscens Imolam peruenit, Caietæ portum est inuectus: unde Neapolim prouectus, in ea urbe Aragonijs regib. conspiciendis assueta, regali apparatu atq; honore, longeq; maiore quàm alij omnes, desiderio & expectatione acceptus fuit: omnibus enim regis tot uictorijs aduersus sacrosactæ religionis hostes, necnō aduersus Christianos partis celebris, prudentiæ opinione suspiciendi, & quem regna sua singulari iustitia & tranquillitate moderatum esse fama clarissima personabat, opera & manu regnum neapolitanum ex tantis molestijs & oppressionibus instaurandum, & in pacatū felicemq; statū redigendum esse, & portus quos Veneti mi-
nime

nimè paruo totius regni dolore possidebāt recuperādos persuasum erat. Neapolim mox totius Italiæ oratores, nō modò ut tanto principi gratularentur, eumq; honore afficerēt, uerumetiam ob uaria negocia & caussas, accurrerunt: quia omnes illum sua autoritate atq; prudentia multas res in ordinem aequalitatemq; redacturū existimabant. Nam & Pontifex quamuis sibi malè ab illo, quia nunquam, ut moris est, legatos ad obedientiam præstandā miserat, esset satisfactū, eum ut Apuliæ portus recuperaret ipsorum depressionis cupidum ratus, in Venetos concitare nitebatur: contra Veneti eum sibi amicū conseruare conabantur: Florētini uerò, ac reliqui Hetruriæ populi propter pisanas res hoc anno à Florentinorum armis consueto minus afflicta, uaria scum illo agitabant: Florentini enim illorum messem minimè impediuerāt, siue sumptibus exhausti, siue quòd superiorum annorum usu docti eam rem uanam ducerēt, cum præsertim Genuenses atq; Lucēses unā ad eam urbē in annum certo ac determinato sumptu tuēdam cōuenisse scirent, ad quod eos Pandulfus Petrucius Senenses idem facturos pollicitus, primū hortatus fuerat: sed ab alia parte illorum consilijs consuetis artibus usus Florētinis quæ agerentur, patefaciendo, ab illis, ut ab alijs disiungerētur, induciæ quæ inter Florētinos & Senenses erāt in triennium ea lege prorogarentur, ut Senensibus Pandulfōq; Pisanos nulla re iuuare fas esset, impetrauit: qua excusatione à sumptibus pro illis faciendis abstinebat: nec tamen eos alijs in rebus consilio & fauore pro sua uirili iuuare desinebat. Hoc ipso anno ex tragœdia superiore anno Ferrariæ inchoata, nouus & grauis extitit casus: Ferdinandus enim Alfonsi ducis frater, & Iulius

cui ab cardinale oculi eruti, sed celeri & diligentissime dicorum cura, absq; luminis iactura in locum suum repositi fuerant, in ducis necem conspirarant: & Ferdinandus quidem natus secundus, eius imperij occupandi cupiditate: Iulius autē, tum quod Alfonso iniurias suas minimē ultus erat, tum quia nulla alia ratione se iniuriā ab Cardinale illatam ulcisci posse sperabat, mouebatur: quorum consiliorum particeps erat Comes Albertinus Buschettus Mutinensis: cumq; nonnullos abiectionis sortis homines qui uoluptatum causa cum Alfonso erat associi, corrupissent, sepius maximam eius interficiendi oportunitatem habuerant: sed fatali quodam metu retenti, semper occasiones elabi permiserant: adeo ut quemadmodum plerumq; ubi res in coniuratione constituta protrahuntur, accidere solet, re in lucem prolata, Ferdinandus cum reliquis sceleris conscijs in carcerem coiecti fuerunt: & Iulius qui re cognita Mantuam ad sororem confugerat, Marchionis iussu, eius uitae conseruanda fide ab illo accepta, captiuus ad Alfonso missus est: & paulo post Albertino & reliquis coniuratis in partes quatuor discriptis, fratres ambo eternis uinculis in arce noua Ferrariensi custodiaq; mandati sunt. Nec uerò Valentini audacia atq; industria silentio est prætereunda, qui his ipsis temporibus subtili artificio è Medina campestris arce sine delapsus, in Nauarræ regnum ad Ioannem regem coniugis suæ fratrem confugit: ubi (ne eius ulla deinceps mentio facienda sit) aliquot annos in sorte satis humili, quia Galliae rex, qui prius Valentiæ ducatum fisco suo addixerat, eumq; uiginti millium Francicorum pensione quam ei ad promissæ pensionis supplementum destinauerat, priuarat: ne Aragoniæ regem

gi rem ingrati faceret, in Galliam ire non est passus; commoratus, tandem dum cum regis Nauarræ copijs, quæ ad Vianam, eius regni ignobile castellum, castra habebant, esset, cum hostibusque ex insidijs prodierat pugnans, hastæ iclu occisus fuit. Sub huius anni finem, ne nouus annus absque nouorum bellorum causa initum haberet, sequuta est Genuensium ab Galliæ regis fide defectio, non ab alijs quàm ab ipsismet concitata: nec ex defectionis studio orta, sed ex ciuilibus discordijs, quæ homines ultra quàm primò constituisent traxerunt. Genua urbs equidem eo in loco ad maris imperium obtinendum, nisi tanta oportunitas pestilenti ciuiliu discordiarum ueneno impediretur, ædificata, non ut multæ aliæ Italiæ urbes. uni tantum partium generi est obnoxia, sed in plures factiones diuisa: in ea enim adhuc ueterum in Guelfos atque Gibellinos factionum reliquæ supersunt: uiget inter patricos & populares dissensio, quæ multas iam urbes in Italia, & præcipuè in Hetruria concussit: populares etenim, cum patriciorum arrogantiã ferre nollent, multis seuerissimis asperrimisq; legibus illorum potentiam refranarunt: atq; inter cetera serè in omnium reliquorum magistratuum, atque honorum certa portione eis relicta, ab ducis dignitate, qui magistratus omnium supremis cuiusque obtigerat, cum eius uita (quamuis ob eius ciuitatis uarietatem nemini fortasse, uel admodum paucis, in tanto honore ad extremum usque perseuerare datum fuerit) unà terminabatur, eos expressè excluderunt. Nec Adurniorum Fregosiorumq; factio minus est potens, qui ex plebe ad patriciorum ordinem (tales Genuæ qui ad magnam potentiam perueniunt, Capellaccij appellatur)

transierūt, de principatu, qui per multos annos semper in alterutra harum fuit simul contendunt: quoniā Guel-
 sæ atque Gibellinæ factionis nobiles cum legibus ab eo
 honore arcerentur, ad suæ utrique factionis populares
 deferri procurabāt: dumq; Gibellini Adurnijs, & Guel-
 fi Fregosijs fauent, temporis progressu hæ duæ familiæ,
 illis quorum nomen autoritatemq; prius sequi solebant
 illustriores ac potentiores euaserunt: hæ autem factio-
 nes ita permiscentur atq; perturbantur, ut sepe qui al-
 teri contrariam factionem sequūtur, in uarias & ipsi fa-
 ctiones abierint: & contra in unam factionem cum ijs
 qui alteram sequuntur coierint. Hoc autem anno inter
 nobiles & plebeios altercatio accēdi cœpit, quæ ex nō-
 nullorum nobilium insolentia orta, cum utriusq; partis
 animos ut consueuerant malè affectos reperisset, mox
 ex priuata contentione in publicas dissensiones, quæ hu-
 iusmodi in urbibus, qualis tunc erat Genua, diuitijs ual-
 dè affluentibus, facillimè gignuntur, est cōuersa: quæ eo
 usque progressæ sunt, ut populus per tumultum ad ar-
 ma concitatus, & uno ex Auria familia interfecto, ali-
 quotq; nobilibus uulneratis, ui potius quàm libero ci-
 uium consensu obtinuerit, ut in publicis consilijs in qui-
 bus pauci ex nobilitate interfuerunt, sequenti die consti-
 tueretur, ut ex magistratib. qui antea inter nobiles ple-
 beiosq; æquè diuidebantur, deinceps plebi duæ portio-
 nes cederent, nobilitati una relinqueretur: cui sententiæ
 Roccalbertinus qui pro Philippo Rauestenio regio præ-
 fecto tunc absente, urbi præerat, ne maior tumultus ori-
 retur ueritus assensus est: nihilominus plebei, hoc mini-
 mè cōtenti, nouo tumultu intra paucos dies excitato, no-
 bilium domos diripuerunt: quare maxima nobilium
 pars

pars quòd sibi non amplius in patria uitam degere tu-
 tum esse duceret, discessit. Præfectus his rebus cogitis
 selerrimè ex Gallia cum centum & quinquaginta e-
 quitibus ac septingentis peditibus Genuam redijt: sed
 neque auto i ac, neque suasion. bus, neque uiribus, res
 ulla ex parte ad meliorem statum reuocari potuit: imò
 sæpe plebis uoluntatem sequi coactus, nonnullas alias
 copias quæ illum sequebantur regredi iussit. Ex quibus
 inijs cum multitudo indies insolentior fieret, & ut ple-
 rumq; in seditiosis ciuitatibus solet, administratio, con-
 tra multorum è populo honestiorum uoluntatem, frè
 tota in plebis fecem cecidisset, ac per se ipsa ut furoris
 sui caput haberet, nouum octo plebeiorum hominum
 magistratum amplissima cum autoritate creauerat,
 quos, ut ipso nomine ad maiorem insaniam concitaren-
 tur, tribunos plebis appellabant, Spediam, & reliquis
 orientalis litoris oppida, quibus regis nomine Ioannes
 ludouicus Eliscus præerat occuparunt. His de rebus &
 torius patricij ordinis nomine, & propria de caussa,
 Ioannes ludouicus apud regem manifesto, Genuensis im-
 perij amittendi, quandoquidem multitudo eo usque te-
 meritatis deuenerat, ut præter tot alia delicta aduersus
 regiam maiestatem maritima oppida occupare ausa es-
 set, periculo demonstrato quæstus est: cui furiori si apta
 remedia citò adhiberentur, facile dum nullum adhuc
 ab ullo auxilium opemue haberent, occurri posse: sin
 prolatando cunctandoq; occasiones corrumpent,
 malum maiores indies radices acturum: Genuæ namq;
 terra mariq; oportunitatem eam esse, ut facile aliquem
 principem ad id incendium eius imperio tam pernicio-
 sum fouendum alleectura sit, et plebem ubi eam quæ for-

tasse ab initio seditio fuerat, in rebellionem commutata esse animaduertisset, cuius qui modò defendendè spem faceret adhæsuram. Ab alia uerò parte oratores ab Genuensi populo ad regem missi, causam suam æquam ostendere studebant: aciebant enim sola nobilium superbia populum fuisse commotum, qui honoribus nobilitati conuenientibus non contenti, tanquam urbis domini haberi uellent: populum diu illorum insolentiam pertulisse: sed tandem non modò in fortunis, uerè etiam in proprijs corporibus iniurijs affectos, sese continere diutius non potuisse: Et tamen nihil aliud quàm id quod in fecissent, libertas ipsis tuta non fuisset, egisse: dū enim nobiles in magistratibus æquam portionem habuissent, illorum tyrannidi magistratum & iudiciorum ope obsisti non potuisse: Et Ioannem douico maritima loca, sine quorum commercio Genua ueluti obfessa erat, obtinente, quonam pacto plebei tuto ibi uersari, & agere possent? Populum semper regie maiestati obsequentissimum fidelissimumq; fuisse, & Genuæ mutationes omni tempore magis a nobilitate quàm à plebe ortas esse: supplices regem obsecrare, ut ijs delictis quæ contra communem uoluntatem, in contentionum ardore ab aliquibus priuatis commissa erant condonatis, legem de magistratuum distributione latam confirmaret: Et maritima oppida publico nomine gubernari permetteret: hac ratione patricijs honorificè gradus & dignitates suas obtinentibus, populum decenti libertate securitateq; qua nulli fraus fieret fruiturum esse: eiusq; autoritate hanc tranquillitatem adeptos, regis clementiam, bonitatem atq; iusticiam in perpetuum obseruaturos. Regi hi tumultus, siue quòd ei multitudinis licitia esset

susse

Suspecta, siue ob communem Gallorum in nobilitatis nomen propensionem, ualde molesti fuerant: ideoq; libenter harum rerum autores puniuisset, resq; in pristinum statum redegisset: sed ueritus ne si aspera remedia adhiberet, Genuenses ab Cæsare quem filio nõdum defuncto, magnopere metuebat, auxilium implorarent, humaniter eos tractare statuit: quocirca dummodo maritima oppida quæ occuparant, suæ potestati traderent, omnia delicta condonabat: & nouam de magistratibus legem confirmabat: ac quo populo facilius hæc persuaderet, Michaelen Riccium iurisperitum neapolitanum exulem, qui eos ut benignitatis suæ occasione uti potius quàm contumacia erroribusq; multiplicatis, se ad imperij seueritatem adhibendam cogere uellent, hortaretur, Genuam misit: sed in animis, immoderatis cupiditatibus occæcatis, prudentia à temeritate oppressa locum nullum habebat: itaq; plebs & tribuni, quamuis legitimi magistratus secus sentirent, non modò regis mansuetudine neglecta, oppida restituere recusarunt: sed insuper ad deteriora assiduè ruentes, Monæcum castellum ab Luciano Grimaldo possessum, siue communi in omnes Genuenses patricos odio, siue quòd maritimis rebus admodum oportuno loco situm, magni ad res Genuenses momenti sit, siue priuato odio, quia qui eo loco potitur, loci oportunitate maximè allectus, uix à maritimis rapinis abstinere solet: siue quòd, ut aiebant, iure ad rēpublicam spectaret, expugnare decreuerunt: ideoq; præfecto frustra repugnante, multas copias terra mariq; ad id obsidendum miserunt: quare Philippus Rauestenius se inutiliter & propter casus qui exoriri poterant, non sine periculo, ibi morari animaduertēs,

Roccalbertino suo in loco relicto, discessit: rex autem rerum in meliorem formam redigendarum spe amissa, eas uerò ita relinquere, nec dignitatis nec securitatis suæ, & si ulterius excurrere permetterentur maius periculum fore ratus, terrestres ac maritimas uires ut Genuenses iterum imperio suo subijceret palàm apparare cœpit: quæ res consilia quæ inter pontificem & ipsum aduersus Venetos agitabantur, ualde ab rege Philippi morte armorum Maximiliani suspitione liberato expetita, sed multo magis à Pontifice, tum ob Aemiliæ oppida ab illis occupata, tum quia nulla Pontificiæ auctoritatis habita ratione Veneti imperij episcopatus distribuebant, multaq; ad pontificium ius spectantia usurpabant, uehementer irato, impediuit: eas enim ob causas Pontifex prorsus ad regis anticitiam conuersus, præter id quod Ausensem, & Baiucensium episcopos, cardinales, ut antea uehementer postulatum fuerat pronunciauit, ab rege ut in Italiam secumq; ad colloquium ueniret petierat, idq; rex se facturum annuerat: sed postea Pontifex regem, pro patricijs aduersus populum Genuensem arma sumere statuisse certior factus, cum ueteri propensione contra patricos populo faueret, maximam inde molestiam sensit: egitq; cum rege ut populari statu non immutato eius urbis imperio contentus esset: utq; ab armis, cum multas alias ob causas, tum præcipuè, ne aliquo incendio in Italia hoc motu excitato, constitutum in Venetos bellum impediretur, abstineret magnopere est eum hortatus: quibus rationibus cum regem non assentiri animaduerteteret, seu indignatione ac dolore superatus, seu antiqua Rotomagensis cupiditatis suspitione, siue per se, siue subtili aliorum artificio excitata,

excitata, ideoq; ne fortè si in congressum uenissent, ab rege captiuus retineretur ueritus, & fortasse utraque causa concurrente, repente initio anni M D VII cōtra omnium expectationem, nulla alia de causa, nisi Bononiensis cœli cōstitutionem saluti suæ perniciosam esse, seq; ab urbe abesse, minimè paruum suis emolumētis detrimentum asserre, se Romam redire uelle diuulgauit. Hac res omnibus atque in primis regi ipsi, quòd sine ulla causa negocia quæ tantoperè expetiuerat, colloquio cuius ipsemet hortator & flagitator fuerat declinato inchoata relinqueret, multum admirationis attulit: eaq; uehemēter commotus rex, nihil ut eum ab hac noua cogitatione reuocaret prætermisit: uerùm eius ea in re opera noxia potius quàm uana erat: quoniam Pontifex in maiorem ex regis solitudine suspicionem coniectus, eo magis in sententia sua confirmabatur: in qua pertinaciter insistens, cum odiū in regem conceptum dissimulare minimè posset, sub Februarij finem Bononia discessit. Sed antequam ex ea urbe abiret, prima arcis quæ eius iussu infelicibus auspicijs prope Galeriæ portam qua Ferrariam itur, eodem in loco ubi olim ipsdem auspicijs alia arx à Philppomaria Vicecomite Mediolanensium duce extructa fuerat erigebatur, fundamenta iecit: & antiquo in Venetos odio, recenti in Galliæ regem indignatione nonnihil mitigato, cum ab recto itinere deflectere nollet, Fauentia iter fecit, nouis subinde altercationibus inter ipsum & Galliæ regē gliscentibus: nam etsi Bentiuolis ipsius consensu, in Insabria degendi facultas concessa fuerat, eos tamen inde pelli postulauerat: neque Protonotario Ioannis filio, suorum sacrorum beneficiorum possessionem eadem

pactione atq; consensu promissam restituere uoluerat: tam sepe plus in eo animi impotentia quam ratio poterat: quam Gallie rex nulla arte diligentiaue mitigare tentabat, sed tanta uarietate indignatus, & illum, ut res erat, clam Genuensem populum concitare suspitione concepta, ei generis obscuritatem qua pontificem obscurissimo loco natū per multos annos in abiectissimo statu educatum fuisse nemini dubium erat, contumeliosè obijciens, ab apertis minis minimè abstinebat: imò tanto magis in priore, quod ad Genuenses res attinebat sententia confirmatus, quantum interesset utrum ipsemet bellum præsens gereret, an ducibus committeret, rerum neapolitanarum experientia edoctus, summa diligentia exercitum quem ipsemet duceret comparabat. Hi apparatus tamen Genuenses Monœci oppugnationi intentos, ubi multas naues, legionemq; unam ex plebe & ex agro raptim collectam habebant, quibus Tartarinus Pisanarum copiarum quæ ab illis unà cum Petro Gambacurta, & nonnullis alijs militibus, Genuensibus auxilio missi fuerant, minimè mouebant: et Genuæ dum in erroribus persistunt, eosq; subinde augēt, arcis quæ Castelletū dicitur præfectus, qui ad eam usque horam pacatissimus fuerat, neque ullam molestiam à populo acceperat, siue regis iussu, siue prædæ cupiditate, repente multos ex populo captiuos fecit, atque fulmineis tormentis portum & urbem infestare coepit: quare Roccalbertinus sibi metuens abiit: qui in prætorij præsidio erant, in Castelletum confugerunt: paulo post obsidio quæ multos menses Monœcum cinxerat, finem habuit: nam cum qui obsidebant, Iuonem Allegriū, præcipuos patricos, cum tribus peditum millibus ab ipsis conferti

ptis,

ptis, & alijs copijs à Sabaudia duce missis oppidanis auxilio aduentare cognouissent, eos expectare minimè ausi, abierunt: & iam fama erat ubiq; diuulgata, exercitum ab rege destinatum subinde in Insubriam traduci: quare illorum qui meliorum consiliorum causa esse debebant furore accenso, multitudo quæ ad eum usque diem uerbis eam defectionem quæ re ipsa moliebatur, Gallie regis nomine inuocato, eiusq; signis à publicis locis non amotis dissimulauerat, Paulum Nouium, serici filii tinctorum infimæ plebis hominem, Ducem creauit: hac re manifestissimam defectionem ostendens: duce namq; creato, ciuitas nullum se alium principem agnoscere declarabat: quibus rebus regis animo ad maiorem indignationem incitato: tum etiam quia à Patricijs, ei fuit significatum, à plebe gallica insignia deiecta esse, ac pro his Cesariana reposita: his accessit quòd Cæsar ab Genuensibus & fortasse etiam clam à Pontifice impulsus, ne Genuæ utpote imperij ciuitati molestus esset, eum erat hortatus, se cum populo ut ad æquas condiciones deueniret acturum: quibus rebus commotus rex, prius constitutos apparatus adauxit. Noui ducis & Tribunorum audaciam, prosperi successus in orientali litore aliquandiu fouerunt: nam cum Hieronymus Ioannisludouici Elisci filius, cum bis mille peditibus & aliquot equitibus Rapalle recuperasset, & noctu ad Reccum oppugnandum duceret, militibus qui Genua ad eum locum tuendum mittebatur obuiam factus, nulla pugna commissa eius milites absque ordine in fugam se coniecerunt: quorum fuga ad Orlandinum Ioannisludouici nepotem, qui cum alijs copijs Reccum descenderat, per-

lata, & ipse fugæ se dedit: quare dux & Tribuni audaciores facti, Castellatium antiquam arcem, à Mediolanensibus principibus in Genuæ imminentibus iugis, quum ea urbe potiebantur, ut cum necesse esset copiæ quas ex Insubria mitterent, Genuæ appropinquare, & Castelletto opem ferre possent ædificatam, oppugnarunt: eaq; quia infirmū inerat præsidium facile potiti sunt: nam pauci illi Galli qui in ea erant, uitæ & fortunarum incolumitatem pacti, deditioem fecerunt: sed qui fidem dederant eis cæsis, quanti apud eos ea fieret declararunt: nam qui eiusmodi scelus perpetrarant gloriantes, cruentasq; manus ostentantes cum incredibile letitia Genuam redierunt: eodemq; tempore Castelletum & Francisci fanum illi coniunctum tormentis uerberare cœperunt. Sed iam rex in Italiam uenerat, & exercitus subinde ut sine mora Genuam oppugnet colligebatur: & nihilominus Genuenses, quoniam rex Catholicus, quamuis illorum salutis cupidus esset, ab Galliæ rege alienari nolens, cum nauibus longis qua tuor iuuarat: & Pontifex nulla alia re quàm occultis hortationibus & promissis animum suum ostendere audebat: ipsi uerò cum modò trecentos auxiliosos pedites haberent, bellicarum rerū peritis ducibus carerent, & tormentarij pulueris penuria laborarent, omni ope spoliati, itinerum angustijs, & regionis difficultate, asperitateq; sc. facile hostes, quo minus Genuæ appropinquarent prohibuitos sperantes, eaq; uana spe freti, multorum & præsertim finariensis cardinalis, qui regem sequutus, crebris eos nuncijs atque literis ut se eius uoluntati committerent, ueniæ & æquarum legum facile adipiscendarum spem faciens hortabatur consilijs

negle

neglectis, pertinaciter in sententia perseverabant: exercitu uerò ià Burgifornariorū, & Ferrauallensi itinere aduentante, Genuensium consilia non à uiris rei bellicæ peritis, sed abiectæ atque imperitæ multitudinis clamoribus iactantiâque leui excogitata & ponderata, uana apparere cœperunt: itaque hominum animis in præfenti periculo, ijs quæ periculo procul posito sibi temerè promiserant, minimè respondentibus, sexcenti pedites qui primas angustias custodiebant, Gallis appropinquantibus turpiter aufugerunt: ex quo reliqui omnes itinerum custodes consternati, itineribus in Gallorum potestate relictis, Genuam recesserunt: gallicus uerò exercitus, montium iugo iam sine impedimento superato, in Pociferam uallem ad septimum ab Genua lapidem, maxima Genuensium, quòd contra quam illis ineptè persuasum fuerat, in ea ualle asperrimis saltibus & hostili regione undique circumsepta, castra locare auderent, admiratione descenderat. Quo tempore regia classis, quæ octo triremes, totidem longas naues magnas, quas Galeones uocant, multas liburnicas, leuesq; biremes, quas hodie, ni fallor, fustas & brigantinos appellant, habebat, ubi se ante Genuam ostendisset, cursu uentis portum uersus Spediamq; directo, Genuensium classem septem triremium, & sex aliarum nauium, quæ cū in Genuensi portu hærere nō auderet, in ea loca se recepërät, persecuta est. Ex Pocifera ualle exercitus ad Riuaroliū uicū ad alterum à Genua lapidē, & proptè Petri Arenarij sanū, quòd mari alluitur, castra promouit. & quāuis in itinere multis in locis Genuensium pedites offenderint, illi tamen omnes minimè maiorem, quàm alij fecissent, uirtutem ostēdentes regressi sunt: eodemq;

die rex ipse in castra peruenit, qui maxima Gallicæ nobilitatis parte, innumerisq; Insubriæ proceribus, atque Mūtano marchione comitatus, quem rex ante paucos dies D. Michaelis. equestris ordinis ducem pronūciarat eiq; uexillum quod post Ludouici XI obitum nemini unquam traditum fuerat, dedit, in Boschetti cœnobio è regione Riuarolij suburbij tentorium fixit. Erant in regione exercitu octingenti cataphracti, quia rex asperæ regionis habitatione, reliquos in Insubria reliquerat: mille & octingenti leuis armaturæ equites, sena Heluetiorum millia, & totidem aliarum gentium pedites. Genuenses, ne iter quo per montes, breuiori uia, quàm Petri Arenarij mari proxima, ad Castellacium, deinde Genuam itur, liberum relinquerēt, in montis qui Promōtorij mons nūcupatur iugo, Riuarolium inter & Petri Arenarij sanum, uallū ex quo per collis dorsum ad Castellacium ibatur, construxerant. Ad hoc propugnaculum exercitus eodē die quo Riuarolij castra metatus erat, contēdit: ab alia parte Genua egressa sunt octo peditem millia, quos Iacobus Corsus Tarlatini uicarius dicebat: quoniam Tarlatinus & Pisanorum milites cum exercitu Monæco discessit, Albintimilij subsistentes, cū à Genuensibus, qui Demetrii Iustiniani nauim qua ueherentur miserūt, reuocati sunt: neq; terrestri itinere propter Gallorum impedimentum, neq; maritimo propter aduersos uentos redire potuerāt: sed cum Galli iam ascēdere inciperēt, Genuensium pedites, qui ubi per collem per quem ad propugnaculum ibatur, montem cōscendissent, post cum bona eorum pars alia ex parte descendisset, in quodam tumulo medio in mōte conglobati cōstiterant, conspexerunt, in quos Ciamontius multos nobiles

biles uiros, & magnū peditū numerum misit, quos Genuēses ob multitudinem, & situs oportunitatē strenuē, nec paruo cum Gallorum detrimēto sustinebant: Galli etenim in hostēs ueluti ferē omnes ex opificibus & colonis collectos, loci natura minimē expēsa cupidē impressionem faciebāt: iamq; Palitia, quāuis nō graue, in gutture uulnus acceperat. Ciamontius autem eo loco illos pellere cupiens, duo tormēta in altum trahi iussit, quib. cum ab latere peterēt, mōtem uersus, in quo reliquæ illorum copiæ remanserāt, pedem referre sunt compulsi: ubi Gallis eos instructa acie persequētibus, qui ad ualli custodiam erant, quamuis loci natura & munitione tuti, tormētorum fulmina possent contemnere, tamē ne inter se & copias quæ in colle erant, aliqua Gallorum pars se immitteret ueriti, summo cum dedecore id deseruerunt: quocirca qui ex colle ad uallum iam se recipiebant, cum iter sibi interclusum animaduertērēt, per deuia & tramites, perq; rupes ac præcipitia, circiter trecentis dum retrocedunt ab hostibus cæsis, Genuam contenderūt. Quo successu ciuitas uniuersa, quæ ex infimæ plebis uoluntate pendens, neq; militari consilio, neq; ciuili prudentia gubernabatur, incredibilem terrōre cōsternata, duos oratores qui de deditōne æquis legibus agerent, in castra misit: qui ad regis conspectum nō admisi, ab Rotomagensi auditi fuerunt: & ab illo regem eos alia lege, nisi ut se suasq; sōrtunas omneis liberē absque ulla pactione eius arbitrio permittērēt, nō accipere statuisse, respōsum reuulerūt: sed dum hæc cum illo tractāt plebis una pars quæ deditōni nō consentiebat, per tumultū Genua egressa, cum multis peditibus, in tumultis & colle à Castellatio ueniēs cōspecti: est: quæ ad duo sta

dia propugnaculo, ut eū recuperaret appropinquauit: ubi cum Gallis qui eis obuiā ierāt, per tres horas dimicassent, neutra parte alteram superante, ad Castellaciū regressi sunt. Interea uerò rex maiorem motū ueritus, semper cum multis copijs armatus, & in equo, in planicie inter Pocifstrum amnem & castra stetit: sed nihilominus sequenti nocte Genuenses tum rerum suarum desperatione, tum quòd populi præcipuos clam cum rege cum Astæ erat conuenisse, fama esset, plebe se deceptā fuisse conquerēte, dux cum multis ex ijs qui ob res perperatas ueniam desperabant, & cum ea Pisanorū parte quæ aderat, Pisas uersus est profectus: manè uerò quā primū illuxit, ijdem legati in castra reuersi, cum bellum nō plus quā octo dies sustinuisissent, maximo populorum qui leui spe & uanis consilijs nixi, cum periculū procul est feroces sunt, sed mox periculo imminēte animo fracti, nullam moderationem retinēt, imperitiæ cōfusionisq; exemplo, urbem regis arbitrio permisierunt. Quo factō, rex cum exercitu urbi appropinquauit, & peditibus, in quibus præsertim Heluetijs quominus ciuitatem direpturi ingrederentur retinēdis, nō parum fuit laboris in suburbijs collocatis, Ciamontius deinde cum maxima reliquarum copiarum parte, præsidio prius Castellatio imposito, Genuam est ingressus: cui Genuenses omnia publica & priuata arma, quæ in Castellatum lata fuerūt, & tria tormēta à Pisanis aduecta, quæ post Mediolanum missa sunt, tradiderunt: & proximo die, qui fuit 29 Aprilis, rex ipse cum omni equitatu, & hypotoxotis stipatoribus suis Genuam est ingressus: ipse quidem pedes sub Umbella cādidas armis totus obtectus nudum manibus gladium tenens: cui obuiam facti sunt

urbis

urbis regionum præfecti (Antianos uocāt) cum magna ciuium honestissimorum multitudine, quibus cum multis lachrymis ad pedes eius prostratis, ubi nō nihil silentij factū est, unus ex illis omnium nomine sic est locutus:

Quantquam, Christianissime & Clementissime Rex, contentionibus cum patribus nostris initio maior ferē populi pars interfuit, tamen earum insolentem persecutionem, & multo magis in regia mandata cōtumaciam ex infimæ plebis face profectam esse, affirmare possumus: cuius temeritatem, neq; nos, neq; alij ciues, mercatores, artificesq; honesti, unquam cohibere potuimus: ideoq; si pœna ciuitati uel nobis imponeretur, eā absq; ullo eorum qui tantorum delictorum autores participesq; fuerunt detrimento, quiq; omnium rerum egētes, & uagi, apud nos ne in hominum quidem, nedum ciuium numero habentur, neq; hanc miseram ciuitatē ipsi propria habent, innocentes affligeret: sed nō id est nobis propositū, uerū omnibus excusationibus omisis, tantummodo ad tantī regis magnanimitatem, misericordiāq; confugere: maximam in ea spem collocare, illam supplices orare, ut eo animo quo longē maiora delicta Mediolanensibus condonauit, clementibus illis oculis, Genuēs paulo antē felicissimos, nunc omnium miseriarum exemplum, intueri dignetur: recordare quāta cum noministui gloria clementia tua per uniuersum terrarum orbem tunc celebrata fuerit, quamq; præstantius sit, simili pietate eam confirmare, quā acerbitate obscurare: recordare etiam à Christo totius humani generis Seruatore, te Christianissimi cognomentum habere, idcirco eius exemplo, tibi clementiam atque misericordiam, quæ Dei propriæ sunt, colendas esse. Sint

delicta perpetrata quantumuis magna, sunt immensa, nunquam tamen clementiam bonitatēque tuam superabunt: tu noster rex dignitate atque potentia nobis inftar summi Dei es (quid enim aliud quam dii sunt reges apud suos?) quocirca tanto magis cum etiam uoluntatis & factorum similitudine referre debes, in quibus nihil gloriosius, nihil gratius, nihil denique admirabilius misericordia est: hac si nos complexus fueris, te unum in terris regem Deo immortali simillimum iudicabimus. Hæc uerba sequutæ sunt omnium claræ uoces, Misericordiam implorantium: rex autem quamuis eos surgere iusserit, & gladio quem strictum manu tenebat deposito, animi potius ad placabilitatem propensi signa daret, nullo reddito responso progressus est. Deinde ad totius urbis augustissimum templum peruenit, ubi mulierum atque infantium ingens numerus, se ad eius pedes abiecit: qui omnes candidis uestibus induti, maximis clamoribus & miserandis eiulatibus eius clementiam misericordiamq; implorabant. Hic aspectus, ut ferebant, regis animum non mediocriter commouit, qui etsi Genuensibus omnem administrationem auctoritatemq; eripere, eosq; pecuniam, quæ diui Georgij nomine ad priuatos pertinet, in regium ærarium inferre, & omni libertatis imagine spoliatos, ad eam seruitutem in qua mediolanensis imperij oppida sunt, redigere statuisset; tamen post paucos dies, quòd ea ratione non modò multos innocentes plecti, uerumetiam omnium nobilium animos alienari, faciliusq; esse, eam aliqua mansuetudine, quã desperatione in officio posse retineri cogitasset, pristinũ statũ qualis ante hæc postremã seditionem erat, restituit: sed ne prorsus scueritatis in tan-

in tantis delictis obliuisceretur, remp. mille auri libris mulctauit, quibus nō multo post bis mille libras certis temporibus soluēdas, ad sumptus sarcinendos, & munitionē apud Codisēssem turrin, quæ parū à Genua distat & ad mare supra suburbium, per quod in Pociferā uallem, & ad Petri Arenarij itur sita est, edificandam: quæ quia totum portū, & partē ciuitatis uerberare potest, nō immeritō Briglia, hoc est Frænū nūcupatur, adiecit: uoluit etiam ut præsidium maius cōsuetō alet, & semper in portu tres instructas triremes sibi obsequentes haberent: Castellctum & Castellatium munirent, omnes pactiōnes ante id tempus inter se & illos factas aboleuit: iisdem tamen ferè rebus iterum, sed ut tanquam priuilegia, non pacta, essent, concessis, quo eos ad libitum suum ijs priuare possēt: à Genuensibus monetis antiqua signa remouit, & suum in posterum imprimi iussit, quo absolutum in eos se imperium habere declararet: quibus rebus addita est Demetrii Iustiniani condemnatio qua est capite mulctatus: qui in quæstionibus omnia Pontificis cum illis consilia & spes detexit, in quod supplicium post paucos mēses incidit Paulus Nouius paulo antè Genuensium dux, qui dum Pisis Romam nauigaret, à quodam Corso qui eius miles fuerat deceptus, Gallis uenditus fuit: his rebus peractis, & fidelitatis solemnī sacramento ab Genuensibus accepto, omnibusquē exceptis circiter sexaginta, quos iudicio tradidit, uenia concessa, Rex exercitu quamprimum Genua potitus est, dimisso, Mediolanum contendit: quo exercitu, quum reliqui omnes imparati essent, facile ei fuisset uictoriæ cursu continuo, quoscunque uoluisset in Italia opprimere: sed idcir-

co cum tam citò dimisit, ut Pontifici, Romanorum regi, & Venetis, qui in maxima suspicione uersabantur, se nullam aliam ob causam, quàm Genue recuperandæ gratia in Italiam uenisse ostenderet: sed nulla res ad Pontificis animum mitigandum erat idonea, qui omnibus rebus in deteriore partem acceptis, de nouo non mediocriter de Rege conquerebatur: quasi eius opera factum esset, ut Annibal Bentiuolus cum sexcentis peditibus in mediolanensi imperio conscriptis, illis diebus Bononiam ingredi conatus esset: quod si successisset, illum in pontificium imperium ulterius progressurum fuisse affirmabat: qua re indignatus, quamuis antea difficillimè Ausensem & Baiuensem Episcopos in pontificum collegium, cooptasset, Albiensem episcopum ab Ciamontio eius fratre, Bentiuolos in Insubria habitare permitti questus, Cardinalem pronuciare recusabat; quod uerò maioris erat momenti, non minus odio, quàm suspicione, incitatus, quum rex se Genuenses armis ad obedientiam reuocare uelle divulgauit, Romanorum Regi, atque Septemuiris Augustalibus per nuncios, & literas, Gallie regem cum potentissimo exercitu, Genuensium tumultuum, quos sola autoritate compescere posset, sedandorum specie, re autem uera pontificij imperij opprimendi, & Cesareæ dignitatis usurpandæ gratia, iter in Italiam adornare significauit: & præter Pontificem, idem & Veneti eiusdem Gallie Regis cum tantis copijs in Italiam aduentus, timore impulsu nunciarunt: quibus rebus auditis, Maximilianus suapte natura rerum nouarum studiosissimus, eo tempore ex Flandria ubi frustra nepotis administrationem as-

sumer:

assumere tentauit reuersus, Germaniæ principum & liberarum ciuitatum conuentum Constantiæ indixerat (liberas ciuitates eas appellant, quæ certo ac definito censu imperij autoritatem agnoscentes, in reliquis omnibus suis legibus, non imperio suo augendo, sed propriæ libertati conseruandæ operam dantes uiuunt) quò totius Germaniæ nobilium primores, & principes, atq; populi, fortasse promptiores ac frequentiores, quam diu antea ad aliquem conuentum conuenissent, confluerant: omnes enim Septemuiiri ipsimet conuenerunt: omnes Germaniæ sacri atque profani principes, ijs exceptis qui aliquod iustum impedimentum habuerant, eorum tamen nomine aut filij aut fratres, alijue ipsis coniunctissimi interfuerunt: omnes quoque liberæ ciuitates legatos miserunt: quibus congregatis, Cæsar Pontificis epistolam, alias item literas quibus uarijs ex locis idem ei nunciabatur legi iussit: erat autem in nonnullis expressum, Galliæ regis mentem esse, Rotomagensem in pontificia sede locare, & ab illo imperij coronam accipere, quibus nuncijs omnium animis iam ad maximam indignationem concitatis, Cæsar ubi streptus desijt, in hanc sententiam uerba fecit:

Iam cernitis, Septemuiiri & principes nobilissimi, uosq; clari oratores, quid nostra patientia, qua hætenus usi sumus effecerit: quem fructum meæ tot conuentibus contemptæ querelæ tulerint, iam inquam, cernitis Galliæ regem, qui antea res ad Sacrum imperium spectantes, nisi magnis occasionibus & conspicuis coloribus tentare non audebat, apertè se non ad perduelles nostros, ut aliàs fecit, tuendos, non ad Imperij iura aliquo in loco occupanda, sed ad Germaniam imperij di-

gnitate, à maioribus nostris tanta uirtute tantoq; labore parta & conseruata spoliandā, comparare: ad tantā uerò audaciam, non eum uires auclæ, non nostræ imminuta, nō quòd quāto Germania citra cōtrouersiam Gallia potentior sit ignoret incitant, sed quòd nobis ipsis nos similes futuros, dissensiones aut ignauiam nostram, maiorem in nobis quā gloria, imò uerò salutis aculeos uim habitura sperat: nos iisdem de causis, ob quas tanta cum ignominia Insubriæ imperium ab illo occupari, ab illo discordias inter nos foueri, ab eodem deniq; imperij rebelles defendi passi sumus, imperij etiam maiestatem ab illo nobis eripi, & nostræ gentis ornamentum atque splendorem in Galliam transferri permissuros. Quanto minus esset nominis nostri dedecus, quanto minore animus meus dolore afficeretur, si Germanorum potentiam Gallica inferiorem esse uniuerso terrarum orbi constaret: minus enim me excruciet detrimentum quā infamia: quoniam saltem id quod uel ex temporum statu, uel ex fortunæ iniquitate maneret, nostræ ignauie imprudentiæ uel non ascriberetur. Et quēnā maior infelicitas, quæ calamitas inueniri potest, quā ad eum statum redigi, in quo nobis ut non finis potentes optandum sit: quā ad æternum nominis nostri dedecus ignominiamq; uitandam, maximum detrimentum (quando secus fieri nequit) nobis sit eligendum? quamuis uestra singulorum animi magnitudo noties in priuatis rebus explorata: quamuis ferocitas huius gentis propria atque præcipua, quamuis antiquæ uirtutis, & à patribus nostris, qui quondam omnibus reliquis gentibus terrori pauoriq; fuerunt, actorū triumphorū memoria, bellicos atq; inuictos uestros spiritus in tam

graui caussa excitatum iri mihi spem faciunt penè certissimam. non hìc igitur de mediolanensis imperij iactura, non de Heluetiorum rebellione: quibus in rebus tantis tamq; grauibus fuerit mea autoritas leuis propter affinitatem quæ mihi cum Ludouico Sfortia intercedebat, et propter peculiare Austriae familiae caussas: nunc autem quæ excusatio fingi? quo uelo ignominia nostra tegi possit? agitur nunc, num Germani, quorum arma olim ferè uniuersum orbem domuerunt, quorum nomen etiam nunc omnibus Christiani orbis regnis formidabile est, Romani imperij non fortuna, sed uirtute possessores, tanta dignitate se turpiter spoliari permittere, infamiae exemplum esse, qui primi & clarissimi omnium gentium sunt, ij inter omnes infimi, ridiculi, contemptissimi fieri debeant: & quæ caussæ, quæ detrimenta, quæ iræ uos unquam mouebunt, si hæc uos non mouent? quæ erant illa quæ maiorum uestrorum, fortitudinis, & magnanimitatis igniculos in uobis excitabunt, si hæc non excitant? quanto cum mœrore futuris temporibus filij atq; nepotes uestri, nominum uestrorum memoriam audient, nisi illis Germanicum nomen ea in amplitudine atque autoritate, in qua uobis à patribus uestris conseruatum fuit conseruaueritis? Sed hortationes atque suasiones omittamus: neque enim me à uobis in tanto honore collocatum, uerbis copiosum esse decet, sed potius facta exempla q; proponere. Ego, Cæsareæ coronæ accipiendæ prætextu (quæ pompa magis quàm re, ut uobis notum est, continetur: Cæsareæ namq; dignitas atque autoritas prorsus ex uoluntate uestra pendet) sed re uera ut hæc Gallorum nefanda consilia infringam, & ut quando alia ratione nos ab il-

eorum insolentia tutos reddere non possumus, eos mediolanensi imperio pellam, in Italiam exercitum traducere statui. Neminem uestrum, ijs subsidijs quæ imperatoribus uestris ad coronam accipiendam euntibus dari solent, mihi exhibendis difficilem fore certò scio: quibus uiribus meis adiunctis, quin omnia sim uictor peruagaturus, & quin maxima Italiæ pars, alij priuilegiorum confirmandorum gratia, alij ut à tyrannide qua opprimuntur, iusticiæ nostræ ope liberentur: alij uictoris iræ deuota submissione placandæ causâ, mihi supplex obuiam sit uentura minimè dubito: rex Galliæ solo armorum nostrorum nomine territus, cedit, cum à me adolescentulo ac penè puero, Guinegasti Ludouici regis exercitum, uera uirtute magnanimitateq; fusum ac debellatum recordabitur: ex quo tempore, arma nostra experiri recusantes, nunquam Galliæ reges, nisi insidijs & fraude mecùm pugnarunt. Sed quæso uos cogitate ea generositate, animiq; magnitudine, quæ Germanorum est propria, num famæ existimationisq; uestræ sit in communi tamq; graui periculo, tam lentè excitari: neque in tam nouo & inaudito casu, nouos etiam & inauditos apparatus facere. Nonne nominis uestri gloria & magnitudo, cuius semper proprium fuit, Romanorum pontificum dignitatem, ac sacrosanctæ potestatis autoritatem, quæ nunc pari ambitione ac scelere ab Galliæ rege scelestè uiolantur postulat, ut communi totius Germaniæ decreto, arma ad id potentissimè capiuntur? Hæc causâ prorsus ad uos pertinet: equidem, cum uos promptè ut de communi periculo commonefacerem conuocarim, & uoluntatis meæ exemplo concitauerim, satis me munere meo functum arbitror: mihi

non.

non animi ad quæuis pericula subeunda fortitudo, non corpus assidua exercitatione ad quosuis labores ferendos habile deerit: neque etiam meum in rebus bellicis consilium, ob ætatem & rerum usum, huiusmodi est, ut uobis ad hanc expeditionem omni ratione idoneus imperator deesse possit: sed quo maiori autoritate regem uestrum ornabitis, maiori potentia, copijs eum se pietis, tanto facilius summa cum uestra laude Romane ecclesie communis matris libertas defendetur: Cæsarea dignitas, amplitudo, splendor, uobis omnibus atque huic potētissimæ ac ferocissimæ nationi communis, unâ cum germanici nominis gloria, efferetur in cœlum.

Hæc oratio omnium auditorum animos mirum in modum commouit, prouitq; eos illius querelas alijs cõuentibus auscultatas non fuisse: nec difficile fuit iam concitatis animis novos iracundiæ aculeos addere: itaque cum in omnibus idem ardor esset, imperij maiestatem sua negligentia ad alias gentes transferri minimè pati, magna omnium consensione de ijs quæ necessaria uiderentur, coeptum est agi: omnibus, potentiſſimum exercitum, quiq; etiam si rex Gallie cum uniuersa Italia opponerentur, ad pristina Imperij in Italia iura, superiorum Cæsarum uel impotentia uel culpa usurpata, redintegrandâ atque recuperanda idoneus esset, comparari debere asserentibus: id Germanici nominis gloriam, id tot principum, omniumq; liberarum ciuitatum concursum postulare: semel esse cunctis mortalibus ostendendum, Germaniam etsi per multos annos animorum studiorumq; dissensione laborasset, non tamen idcirco non eandem potentiam animiq; magnitudinem, quæ maiores suos cunctis gentibus formidabiles fecerat, un-

de nomini ipsorū communi maxima gloria & imperij
 Maiestas, priuatim uerò multis nobilibus dominatus et
 potentia parta erant, habuisse: nam quot illustres fami-
 liae diu in Italia in ijs quæ propria uirtute occupant,
 regnarunt: quæ res tanto seruore tractari sunt cœptæ,
 ut manifestum sit iam à multis annis nullos conuentus
 ex quibus maiores motus expectarētur, peractos fuis-
 se: omnibus præter alias rationes sibi persuadentibus,
 ea spe quam ob Philippi regis filiorum teneram ætatē,
 Cæsarea dignitas quæ in Alberto, Federico, et Ma-
 ximiliano, qui tres ex Austria familia erāt, ordine pro-
 ducta, tandem ad aliam aliquam familiam transfiret, ha-
 bebant, Septemuiros ceterosq; principes promptiores
 futuros. Hæc igitur ad Gallie regis aures perlata, effe-
 cerunt ut statim Genua capta, quo huiusmodi suspicio-
 nem tolleret, exercitum dimitteret: & ipse quoque ea-
 dem celeritate transalpes rediisset, nisi cum Arago-
 niæ rege colloquendi desiderio retentus fuisset: qui
 totus ad Castellæ administrationem iterum assumen-
 dam intentus, reditum in Hispaniam adornabat: quo-
 niam Ioanna eius filia, non tam ob sexus imbecillitatem
 quàm quia melancholia in mariti morte patefacta, men-
 tis compos non erat, ad tantam administrationem mi-
 nimè erat idonea: neque etiam Philippi regis ac Ioannæ
 communes filij, quorum natus maximus nondum deci-
 mum attingebat annum, ad id erant apti: mouebatur
 præterea etiã quòd ob regni iustè administrati, quodq;
 regna sub illius imperio diuturna pace florissent me-
 moriam, à multis expetebatur atque uocabatur, hoc
 desiderium augebant iam inter regni proceres orta
 dissidia, & futurarum perturbationum ex multis par-
 tibus

ribus manifestis, et apparentia signa: sed non minus à filia expetebatur, quæ cum in alijs rebus sui ipsius nominè compars esset, in patris reditu exoptando semper constans fuit, nec unquam etsi à multis importunè instigaretur, adduci potuit, ut ulli negotio nomē suum propria manu subscriberet, sine qua subscriptione ex illorum consuetudine regnorum negocia perfici non poterant. His de causis Aragoniæ rex è regno neapolitano discessit: ubi non plus quàm septem menses moratus erat, neque maximæ de se conceptæ expectationi, non modò ob temporis breuitatem, et quia hominum uotis plerumque non satis consideratis, suaq; proportione dimensis, difficulter responderi potest: uerum etiam, quia multæ difficultates impedimenta q; intcruenerunt, satisfecit: quorum causa neque ad commune Italiæ commo dum quidquam laude memoriæ dignum fecit: neque regnum neapolitanum aliqua utilitate beneficioue affectit: nam de Italiæ rebus eum cogitare, ad Castellæ administrationem quod eius potentiæ præcipuū erat fundamentum, redeundi desiderium, non permisit: eius enim rei gratia, Romanorum et Galliæ regis amicitiam omni ratione conseruare cogebatur: ne alter quòd paruulorum defuncti regis filiorum auus esset, autoritate, alter uicina potentia, ijs qui animo ab se essent alieni, sese opponendi audaciam accendendo reditum suum impedirent: in regno autem neapolitano bene constituendo sibi q; desinciendo, impedimento fuit quòd pacis cum Galliæ rege factæ capitibus, Andiouina factionis proceribus suas fortunas ablatas restituere tenebatur: quæ aut pactiōe, aut remunerationis gratia in eos distributæ fuerant, qui eius partes erat sequuti: hos

uerò, nisi suosmet ab se alienare uellet, uel alia eiusdem emolumentum bona, quæ ab alijs erant emenda, ipsis condonando: uel pecunias numerando remunerari oportebat: quam ad rem cum opes eius tenuissimæ essent, nõ modò regia uectigalia quauis ratione excitare, & contra nouorum regum consuetudinem, nihil gratiæ condonare, nullas immunitates concedere, nullum denique liberalitatis genus ostendere cogebatur: uerumetiam incredibili omnium querela populos, qui ut à tantis malis leuarentur & recrearentur expectabant aggrauare: nec minores utriusque partis procerum querelæ exaudiebantur: ijs enim qui possidebant, præterquam quòd non libenter possessiones relinquebant, compensationes necessario parçæ ac definitæ fuerunt: alijs uerò in omnibus rebus in quibus controuersia oriebatur, restitutionis beneficium, quantum fieri poterat, coarctabatur: quoniam quanto minus illis restituebatur, tãto minus alijs compensandum relinquebatur. Cum eo discessit Magnus Consalius: sed incredibili beneuolentiæ & fama relicta, cuius præter aliorum temporum laudes, ualde celebrabatur liberalitas, maximis muneribus ante suum discessum declarata: cuius rei gratia cū alioqui non satis esset opulentus, ne hoc honore careret, fortunarum suarum haud paruam partem uendit. Nec uerò Neapoli discedente rege inter ipsum & pontificem magna fuit beneuolentia: nam cum ab eo regni diploma petiisset, Pontifex id nisi eo censu quo ucteribus regibus datum fuerat concedere recusabat: rex uerò censum eadem diminutione qua Ferdinando patrueli suo, & filijs atque nepotibus concessum fuerat, sibi concedi postulabat: & totius regni uelut Alfonso

senioris successor, quemadmodū Neapoli pangium, et iusiurandum acceperat, quāvis pacis cum Gallia rege legibus constitutū esset, ut quod ad Leborios campos et Aprutium attineret, reginae quoq; nomē agnosceretur, proprio nomine diploma postulabat. Opinio fuit ea re factum fuisse, ut rex cum Pontifice, qui eodem tempore plures dies in Ostiensi arce, quemadmodum se rebatur, quō eum transeuntem praestolaretur, haeserat, ad colloquium uenire noluerit. Quaecunq; autem caussa fuerit, Aragoniae rex nauigationē suam Saouā, ubi cum Galliae rege colloquium erat cōstitutum, direxit: Galliae uerō rex qui hanc ob caussam in Italia haeserat, quamprimum illum Neapoli soluisse cognouit, se Mediolano eō contulit. In hoc cōgressu omnia utrinq; libera, et rarae fiduciae plena fuerunt: et talia, ut post hominum memoriam nullo in congressu similia fuerint: quoniam ceteri principes inter quos aut aemulatio, aut ueteris iniuriae, aut suspitionis caussae erant, huiusmodi ordine cōueniebāt, ut neuter in alterius potestatem ueniret: hic autem omnia secūs: nam quāprimum Aragonia classis ad Saouensem portum appulsa est, Galliae rex qui ea cōspecta in portus molem descenderat, per lignum pontem ad id extructum, cum paucis è suis, et absq; custodia, in regiae triremis puppim transijt: ubi incredibili letitia ab rege et regina nepte sua acceptus, cum aliquandiu iocundissimis uerbis inter se confabulati essent, per eundem pontem egressi, pedibus, non mediocri per ingentē uirorum ac mulierum qui ex omnibus uicinis locis cōcurrerant, multitudinem transcundi difficultate urbem sunt ingressi, Regina mirum in modum gemmis, alijsq; preciosissimis ornamentis splendidissima, maritum ad

dexteram habebat, & auunculum ad sinistra: duos Reges Rotomagensis cardinalis & Magnus Consalvus sequebantur: post hos, multæ nobiles puellæ & adolescentes ex reginæ comitatu, omnes sumptuosissimè ornata: antè & post duorum regum comites, ac ministri, preciosissimarum uestium, & aliorum exquisitissimorū ornamentorum incredibili magnificentia & pompa incedebāt: hoc comitatu Aragoniæ rex & Regina à Gallie rege, ad arcem quæ illis excipiendis erat destinata, & exitum ad mare habet, deducti sunt: reliquis media ciuitatis pars arci uicina attributa: & Gallie rex in Episcopi ædes quæ è regione arcis sunt, diuertit: spectaculum profectò memorabile, duos omnium Christianorū principum potentissimos reges, qui paulò antè acerbissimi hostes fuerant, non modò reconciliata gratia & affinitate coniunctos uidere, sed odij & offensionum memoriæ signis penitus depositis, simul utrumque propriam salutem alterius arbitrio non minori fiducia ac si semper concordissimi fratres fuissent, committere: quæ res spectatoribus, uter ex duobus regibus maiorem fiduciã præ se tulisset, differendi occasionem dabat: à multis magis Gallie regis animus commendabatur, qui primus se nullo alio quàm fidei munimento tutus, alterius potestati credidisset: alter uerò pudoris maiorem occasionem quòd ipsi prius seruata fides fuisset, habebat: & erat uerisimilius Ferdmandum, quo melius regnum neapolitanum sibi stabiliret, in regem Gallie aliquid meditatum: ab alijs uerò magis Ferdmandi fiducia predicabatur, qui non ad breuissimum tempus ut rex Gallie, sed per plures dies se eius potestati tradidisset: cum enim illum tali regno, tanta cum eius copiarum clade, tantaq; eius

nominis

nominis ignominia spoliasset, odium & ulciscendi desiderium, magnum esse uereri debebat: huc accedit, quòd ubi maius erat perfidiæ præmium, ibi maior erat suspicandi causa: si Ferdinandus Gallia regem captiuum abduxisset, cum regnum illud legibus & moribus suis ita sit constitutum, ut non ideo multum regni uiribus autoritatique detraberetur, minimè magnum inde fructum retulisset: at Ferdinando capto, cum hæredes penè infantes haberet, & regnum neapolitanum ei nuper accessisset, & Castellæ regnum unà cum cæteris uarijs de causis conturbati fuissent, minimè dubium erat Gallia regem per multos annos ab Hispanorum potentia & armis nullum impedimentum habiturum. Verum enim uero haud minorem hominum sermonibus ansam præbebat. Magnus Consalius, nec minus in eum hominum oculi erant conuersi, ob uirtutis famam, & tot uictoriarum memoriã, quæ efficiebat, ut Galli etsi toties ab illo uicti, cuiusque nomen summopere odisse atque horrere solerent, nunquam eo intuendo atque colendo explerentur: & ijs qui in regno neapolitano non fuerant commemorare, alius incredibilem eius celeritatẽ, atque astum cum in Calabria proceres qui ad Lainum castra habebant, repente adortus est: alius cum Barlettæ in pestilentia & fame obsidebatur, in tantis difficultatibus atque incõmodis perferendis animi constantiam, & tolerantiam: alius in hominum animis sibi deuinciendis diligentiam & efficaciam, qua milites tam diu absque pecunia retinuisset: quàm fortiter ad Cirioliã pugnasset, quanta uirtute atque animi constantia tanto uiribus inferior, exercitu nullo stipendio affecto, inter innumeras difficultates ab Gariliano flumine nusquam recedere statuisset: qua militari industria,

quibus stratagematis eam uictoriam adeptus esset: quã
semper ad commoda ex hostium erroribus capienda uigilans extitisset: hominum autẽ admirationẽ, augebat
eius aspectus excellens maiestas, uerborum magnificẽtia, gestus & actio grauitate plena, mira quadam suauitate condita: præsertim uerò Gallie rex, qui illum eadẽ
mensa in qua Ferdinandus, regina, & ipse cœnarunt, eum quoq; unã cœnam sumere uoluit, atq; ut Ferdinandus cum asidere iuberet obtinuerat, ueluti attonitus eũ
intuebatur, alloquebaturq; adeo ut omnium iudicio is dies Magno nõ minus gloriosus fuerit, quàm quo uictor
& penẽ triumphans, cum uniuerso exercitu Neapolim est ingressus. Fuit is dies Magno celebrium dierum postremus: post enim nunquã amplius Hispania est egressus, neq; uirtutis suæ uel in bello, uel rebus in pace memoria dignis exercendæ facultatem habuit: hi duo Reges triduum unã fuerũt: quo tempore occultissima longissimaq; colloquia, ad quæ nemo præter Cardinalẽ S. Praxedis pontificium legatum, qui ad cõmunia quædã adhibebatur, nec admissus, nec honore affectus fuit, habuerũt: in eo colloquio ex ijs quæ partim tunc cognita sunt, partim postea in lucẽ prodierunt, præcipuẽ de perpetuæ amicitie consiliorumq; communicatione conseruanda, mutuæ promissiones fuerunt: & ut Ferdinãdus Cæsarem Gallie regi conciliaret: ut omnes deinde coniunctis uiribus Venetos adorirentur: atq; ut se non minus communia quàm propria curare ostenderet, de Ecclesie statu corrigendo, & concilio ad id conuocando egerunt: qua in re nõ satis candidus erat Ferdinãdus, sed Rotomagensẽ pontificatus cupidissimum hac spe fouere nitebatur: quib. artibus ita sibi eius animũ deuinxit,
ut for-

ut fortasse nō paruo regis sui detrimento serò, ac post multa in cōtrarium signa, quàm in illo principe uerba à factis discrepauit, & quæ essent eius cōsilia tecta animaduuerit. Actum est etiam inter illos de Pisanorū caussa ab Florentinis per totum eum annum cum utroque rege agitata: quoniam rex Gallie, dum se aduersus Genuenses comparabat, illis ob auxilia quæ Genuensibus dabat iratus, & Florentinos ea urbe potiri rebus suis oportu- num ratus, exercitus Genua capta eò mittendi spem fecerat: quo in exercitu, atque in tota aula eandem ob causam antiqua in Pisanos beneuolentia in odium erat cōuersa. Genuensi autem bello cōfecto, easdem ob causas ob quas exercitum dimisit, ac ne Aragonie regis, qui se ut Pisani spontè sub Florentinorum imperium redirent effecturum pollicebatur, qua ex re Gallie rex magnam pecunie summam à Florentinis sperabat, animū offenderet, sententiam mutauit. Ad eundem hunc scopum, etsi diuersas ob causas tēdebat Aragonie regis animus, cui Florētinis Pisas nō recipere gratius quidem fuisset: sed quum ea urbs sine sumptu & difficultate amplius defendi nō posset, ne Gallie regis opera ea potirentur uertus, cum Neapoli esset, se Pisanis sua autoritate ut Florentinorum imperium honestis legibus admitteret per suasurum sperauerat: quod si faceret, Florentini se cum illo foedus inituros, & certis temporum interuallis centum & uiginti aureorū nummū millia ei pollicebantur: sed cum in Pisanis eam propensionem, cuius antea spem fecerant, nō inuenisset, ut ne eius rei præmium totū Gallie regis esset impediret, Florentinorum oratoribus se, quouis modo absque sua ope Pisas recuperare niteretur, manifestè obstiturū apertè denunciabat: & Gallie regi

(quo illum ab armorū cōsilijs remoueret) nunc illos ad aliquam pactionē flecti posse sperare se ostendebat: nūc Pisanos in fide sua esse aiebat, quamuis id falsum esset: Pisanos quidē id sēpius petiisse, & liberū eius urbis dominatum ei obtulisse negari nō potest: uerūm is semper quasi eos esset recepturus, in spē erigens, & ab Magno idem liberalius fieri curans, nunquam acceperat. Sauonæ autem hac caussa diligentius expensa, Pisas sub Florentinorum imperium redire melius esse, sed ita ut uterque ipsorum præmium acciperet, statuerunt. Quæ res in caussa fuerunt, ut Florentini ne Aragoniæ regis animum offenderēt, eo anno Pisanorum agros minimè uastarint: qua in re magnam eius urbis obtinēda spem collocarāt: erat enim ea ciuitas commeatu ualde exhausta, & uiribus ita fracta, ut Florentini milites per totum agrum ad portas usq; excurrerent: & rustici Pisis numero ciuibus potētiores, cum totius anni laborum fructus amittere illis molestissimū esset, de solita pertinacia plurimum remittere incipiebant. Neq; ad Pisanos iam cōsueti uicinorum auxilia cōcurrerant, quia in Genuensibus tot calamitatibus afflictis nō amplius eadem erāt cogitationes: Pandulfus Petrucius sumptus facere recusabat: & Lucēses, quamuis semper clam illos aliqua re iuuarent, soli tantos sumptus sustinere minimè poterāt. Sauona hi duo reges iisdem cōcordiæ atq; amoris significationibus quarto die discesserunt: alter quidem mari Barcellonam uersus, alter uerò terrestri itinere, Italiæ rebus in eodem statu relictis in Galliam redijt: sed Pontificis animo minus placato, qui ex Annibalis Bentiuoli motu, denuo arrepta occasione, per S. Praxedis Cardinalem Sauonæ ab Galliæ rege Ioannem Bentiuolum

et Ale-

& Alexandrum eius filium, qui in Insubria erant, sibi captiuos tradi postularat: nam quoniam illi pactionem per Ciamontium Bononiæ factam uiolassent, regem ad fidem illis seruandam nõ amplius teneri: quod si concederetur, purpureum galerum Albienſi episcopo se missurum repromittebat. Rex horum culpam constare negabat: quam quia punire decreuerat, Ioannem per multos dies in mediolanensi arce detineri curauerat: sed cū nullum delicti ipsorum indicium appareret, fidem qua se obstrictus existimabat, frangere nolle: sed ut Pontifici gratificaretur, ipsum cęsuris atq; pœnis in eos uelut in pontificij imperij perduelles, agere passurum dixit: ut etiam Bononiæ in huiusce motus seruore illorū ædes funditus demolitas fuisse questus non erat. Interea uerò comitia Constantiæ conuocata, eadem hominum expectatione qua initium habuerant: quam expectationem Cæsar uarijs artibus & magnificis uerbis fœuebat, seq; tantas copias in Italiam traducturum diuulgabat, ut lōgè maiores quàm Galliæ regis & Itolorum coniunctæ uires sibi impedimentum nõ essent allaturæ: & quo maiorem caussæ suæ dignitatem autoritatemq; conciliaret Pontificatus patrociniū sibi in animo fixum ostendens, literis suis Pontifici & pontificū collegio, se Galliæ regem, quòd ut pontificatum in Rotomagensem, & imperium in se transferret, omnemq; Italiam in acerbam seruitutem redigeret, in Italiã uenisset, sacri Imperij perduellem hostemq; declarasse: iter Romam ad Imperij coronam accipiendam, & communem securitatem libertatemq; firmãdam: sibi uerò pro Cæsarea dignitate Põtificij imperij patrono, & propria pietate sacrosanctæ sedis extollendæ cupidissimo (cū Pontificẽ tantorum pe-

ricularum metu Bononia aufugisse, eūdemq; timorem
 ne ipse eiusq; collegium pericula sua indicaret, opemq;
 implorarent in caussa esse sciret) donec ea de re flagita-
 retur rogareturue minime expectandum fuisse, signifi-
 cavit. Rebus igitur quæ in Germania agitabatur uarijs
 internuncijs in Italia auditis, & fama quoq; supra ueri-
 tatem auctis, & maximis Gallie regis qui nō sine caus-
 sa metuere cēsebatur, apparatus, ijs quæ scirebatur fi-
 dem addentibus, omnium animi, aut rerum nouarū cu-
 piditate, aut spe, aut timore uehementer cōmoti sunt, ita
 ut pontifex Cruceium Cardinalē legatum ad Cæsarem
 miserit: ad quem & Veneti, & Florentini, & Mantua-
 no marchione excepto, quotquot in Italia sui iuris erāt
 aut legatos, aut alio nomine proprios homines miserūt
 Quæ res Gallie regis de Venetorum uoluntate incerti
 & de Pontificis, cum ob alias ueteres caussas, tum maxi-
 mē quōd Cruceiū Cardinalem ueteri studio Cæsaris po-
 tentiæ cupidissimum legatum ad eum destinasset, incer-
 tissimi, animum uehementer angebāt: & certē Pontifi-
 cis uoluntas ipsimet nota nō erat, nedum alijs: nam cum
 animum malē erga Gallie regem affectum, & suspicio-
 nibus plenū gereret, interdum ut se eo metu liberaret,
 Cæsaris aduentum exoptabat: interdum autem ueterū
 inter Pontifices & Cæsares controuersiarum, cū easdē
 caussas adhuc perseverare animaduerteret, memoria
 terrebatur: qua in dubitatione, quid in Germaniæ con-
 uentibus decerneretur expectans, deliberationem disse-
 rebat: ideoq; communibus uerbis usus, legato Cæsarem
 suo nomine, ut in Italiam absq; exercitu ueniret horta-
 retur mandauerat: quod si faceret, maiores illi honores
 quā ab ullo unquā pontifice in Cæsaribus inaugurādis
 præstiti fuisset, pollicebatur. Sed nō multo post, quid illa

Comitia paritura essent, expectatio minui cœpit: quam primum enim Gallie regem statim post Genuenses subactos exercitum dimisisset, transq; alpes rediisset in Germania cognitum est, timoreq; de pontificatu atque imperio inuadendo sublato, cumq; reliquæ publicæ causæ non tanti fierent, quin, ut plerumque accidit, priuatis commodis post haberentur, principum ac populorum ardor magnopere deferbuit: nam præter ceteras causas per uniuersam Germaniam erat inueteratum studium, ne Cæsarum potentia tanta esset, ut reliqui eis parere cogerentur. Nec uerò Gallie rex causæ suæ ulla in parte defuerat: Constantiam enim clam proprios homines miserat, qui ibi latitantes atque quam occultissimè agentes, clandestino principum amicorum fauore, infamie notas quibus grauabatur, factorum demonstratione purgatis, quòd statim Genua demita tam citò exercitum dimisisset: quòd etsi Italia inermis esset, tamen quamprimum transalpes rediisset, quòd non modò semper factis ab Romano imperio uiolàdo abstinuisset, sed in omnibus etiam fœderibus, pactiõibus, obligationibus quas fecisset, semper se nulli rei aduersus sacri imperij iura obstringi uelè expressisset, reliquorum animos mitigare nitebantur: nec tamen tantum his purgationibus freti quiescebant, quin summo studio, liberalissimaq; manu, ut Germanorum ferocitatem armorum auro cuius tantopere splendor adamatur, temperare niterentur. Tandem uigesima Augusti die conuentus finem habuerunt, quibus post multas altercationes decretum fuit, ut Romanorum regi octo equitum, & uigintiduo peditum millia, quæ ipsum in Italiam deducerent cum semestri stipendio, & in tormentorum a-

liosq; qui extra ordinem fiunt sumptus, centum & uiginti Rhenensium aureorum millia, penderentur: quæ copię ut proximo diui Galli die, qui circa medium Octobrem est, prope Constantiam congregatę essent, est constitutum: tuncq; fama fuit illos, si Maximilianus bellum quamuis ipsius administratione atque consilijs, prorsus imperij nomine geri, atque duces imperij iussu eligi, eiusdemq; nomine milites conscribi, & parta loca ex comitiorum præscripto distribui uoluisse, fortasse maiora auxilia decreturos fuisse: sed cum Maximilianus nullum sociorum, aliudue quàm suum nomen admittere, uictorię pręmia aliorum quàm suorum, quamuis imperij nomine, esse nollet: magisq; hoc auxilio, hac quàm alia ratione maiori, contentus esset, nihil aliud decretum fuit: quæ expeditio etsi hominum prius conceptę expectationi non responderet, non tamen eius aduentus timeri in Italia desinebat: cogitabatur enim illum popularium suorum auxilijs, & ijs quæ ipse per se colligere poterat ijs copijs quæ in comitijs ei decretę erant adiunctis, militum qui omnes feroces belloq; experti essent, ualidissimum exercitum cum innumeris bellicis tormentis habiturum: quæ omnia magis formidanda faciebat, quòd ipse natura & diuturna armorum exercitatione, militaris disciplinę apertissimus & ad quamuis rem magnam corporis laboribus, animiq; solertia gerendam idoneus, eamq; ob causam maioris, quàm ullus Imperator iam à centum annis extitisset, nominis erat. Huc accedebat, quòd continenter de duodecim Heluetiorũ millibus ad stipendia sua pertrahendais agebat: cui rei etsi Diuionensis præfectus alijq; ab Gallię rege missi, in eius gentis comitijs, tot an-

norum

norum cum Gallia regibus foedus, cumq; hoc ipso rege paulò antè confirmatum, utilitatem quam ipsorum homines inde percipiebant: contra uerò inueteratam cū Austria familia similitatem, & graue bellum cum Maximiliano gestū: quamq; ipsis imperij magnitudo perniciosa esset commemorantes, se uehementer opponerent: tamen minimè paruam Cæsaris postulatis satisfaciendi, uel saltem arma aduersus illum non sumendi, atque hoc quidem, ut credebatur, ne communis Germaniæ nomine, quòd huic motui affine uidebatur, offenderent, propensionem ostendebant: quare multi Gallia regem, si ab Heluetijs desereretur, aut Veneti se illi non coniungerent, cum peditatum qui hostium peditatui opponi posset non haberet, & germanicum furorem torrentis instar in Italiam ingressum, pecuniæ inopia citò dissoluendum speraret, copias suas ad oppidorum praesidia reuocaturum suspicabantur: iamq; Mediolani suburbia, aliaq; eius imperij maioris momenti loca, summa celeritate muniri cernebantur. Quibus in negotijs apparatusq; in ueneti senatus minimè minor quam in aliorum mentibus dubitatio erat: cumq; illorum deliberatio maximi momenti esset, maximam omnes diligentiam operamq;, ut illos sibi adiungerent adhibebāt: quocirca Cæsar ab initio tres oratores magnæ auctoritatis uiros, qui per ipsorum fines iter sibi concedi postularent miserat: nec hac petitione contentus, ad foedus secum ineundum uictoriae præmiorum parte oblata, eos inuitabat: & è contrario, cum Gallia rege ijs in ipsorum detrimentum legibus quæ toties diuersis temporibus propositæ fuerant pacisci in sua potestate esse ostendebat: & uicissim Gallia rex per suos apud illum

senatum legatos et per uenetū legatum qui apud ipsum agebat, nullam operam, ut illos ad Cæsaris aduentum tanquā sibi æquē ac ipsis perniciosum armis impediendum flecteret, uiribus suis omnibus & perpetuo foedere ad idē oblati prætermittebat. At senatui ueneto, Italiæ quietem hoc tempore perturbari non placebat: neque imperij augendi spes proposita, quum Cremonæ adeptæ lucrum suspiciones atque pericula, in quibus postquam regem Galliæ tam uicinum habuerant uersati erant, mimè æquare, experientia didicissent, eos ad uos tumultus exoptandos mouebant: quare libenter neutri parti adherentes quieuisent: uerum Cæsare urgente atq; infestante, aut ei itimeris facultatem negare, aut concedere cogebantur: si negarent, ne primi molestias sentirent metuebant: si concederent, Galliæ regē offendeant: uoniam in foedere utrisq; ne alterius hostibus iter concederent expressè cauebatur: si illum offendere cœpissent, ubi Maximilianus uenisset, in ocio belli exitum spectare, & illorum quorum alter ueneto nomini inimicissimus, alter nullo alio quàm itineris cōcessi beneficio accepto, non ualde amicus esset futurus, uictoriam expectare, imprudentiæ fore animaduertebant: quas ob causas omnes in eo senatu alterutri parti apertè adherendum esse censebatur: utri autem adherendum esset, admodum diuersæ erant in tam graui causa sententiæ: ubi autem huius rei deliberationem quantum potuere distulissent, nec iam eos qui urgere non cessabant ferre possent, cum in Rogatorum senatu tandem certum aliquid esset decernendum, Nicolaus Fuscarenus huiuscemodi orationem habuit:

Si in nostra esset potestate, præstantissimi Senatores,
huius

huiusmodi deliberationem, qua in motibus atque molestijs quæ nunc parantur, nostra respub. in pace conseruaretur facere, certò scio nullam inter nos nunc sententiarum uarietatem fore, nullamq; spem propositam ad tanti sumptus atque periculi bellum, quale hoc quod nunc agitur futurum uidetur, nos inducturum: uerum, quoniam ob eas causas quæ hisce diebus toties in hoc loco allatæ fuerunt, nos in hac quiete conseruari posse sperandum non est, præcipua ratio qua deliberatio nostra niti debet, mihi esse uidetur, ut aliquando nobiscum statuamus, utrum inter Galliæ & Romanorum regē, ubi ab amicitia nostra exclusus fuerit, cõcordiam orituram, an uerò simultatem quæ inter ipsos est, tam potentem atque firmam esse, ut illorum reconciliationem sit impeditura, credendū sit: si enim ab hoc periculo tuti essemus, ego proculdubio ab Galliæ regis amicitia recedendum minimè censerem: nostris enim cum illius uiribus bona fide ad communem defensionem coniunctis, facilè imperium nostrum tueremur, essetq; honestius in foedere quod cum illo habemus permanere, quàm sine conspicua causa ab eo discedere, & bellum quod pacis in Italia conseruandæ speciem haberet suscipientes, maiorem apud cunctos mortales laudem gratiamq; promereremur, quàm ijs armis quæ apertè ad maximas perturbationes in Italia excitandas sumuntur adherentes: sin uerò huius reconciliationis aliquis metus esse censeretur, neminem credo esse qui anteuertendum negaret: longè enim utilius esset, cum Romanorū rege aduersus Galliæ regem facere, quàm dum uterq; in nos conspiret expectare: utrum autem horum sit futurum, certò iudicare difficile est: propterea quòd ea res

non solum ex aliorum uoluntate, sed ex multis euentis & causis, pendet, quæ hanc deliberationem uix in eius qui consilium capit potestate relinquunt, tamen quantum coniecturis assequi possumus, quantumq; ex præteritis futura colligere, mihi hæc res admodum periculosa, atque admodum timenda uidetur: nã quòd ad Romanorũ regem attinet, haud uerisimile est, eum cum uehementer in Italiam uenire cupiat, idq; nisi aut Gallie regem, aut nos sibi coniunctos habeat difficulter facere possit, diu suspensum futurum: & quamuis nostram magis amicitiam, quis potest dubitare cum alia ratione cogitata sua perficere non possit, quin à nobis exclusus, necessario se cum Gallie rege sit coniuncturus? Quòd uerò ad Gallie regis animum attinet, maiores ad hanc concordiam difficultates existunt, sed tamen meo iudicio non huiusmodi, ut nobis aliquid firmi polliceri possimus, quoniam suspicio ambitioq; potentissimi aculei atque singuli per se longè maiores motus facere soliti, illum in hanc sententiam fortassis impellunt: Romanorum regem nostram amicitiam flagitare ipsi compertum est, atque ex seipso mentem cupiditatesq; nostras, etsi falsò æstimans, uereri potest, ne suspicio nostra quo minus ille anteuertat, ut nos illum anteuertere uelimus efficiat, cum præsertim quid tandiu unà contra nos deliberauerint nobis notum esse sciat: fieri etiam potest ut ne ambitione moueamur pertimescat: neque enim amplissimas conditiones nobis offerri ignorabit, cum nihil natura magis suspicionibus obnoxium sit, quàm regna: quæ res, quæ securitas ei hunc scrupulum eximat? ac præter suspicionem, potest & Cremonæ adipiscendæ cupiditate, qua illum flagrare scimus, moueri Mediolanen-sibus

nensibus nec minus totius ueritis Vicecomitum imperij occupandi libidine, ad quod, ut & ad reliquum totius Insubriæ dominatum, ius hæreditarium prætexit, illum incitantibus: id autem nisi cum Romanorum rege consentiat, quoniam nostra respublica per se potens est, se adepturum esse sperare non potest: quod si rex Gallie solus nos adoriretur, Maximiliano adherere semper in potestate nostra esset: has autem cogitationes existere posse, imò semper in illo fuisse, manifestam fidem facit, quod nunquam nisi cum eo coniunctus nos opprimere conari est ausus: cum igitur hæc sit recta uia quæ illum ad optatum finem potest perducere, cur nos illum tandem non eò deflexurum credimus? Nec nos hoc metu liberet, cogitantes illi duarum uel trium ciuitatum adipiscendarum gratia, Romanorum regem suum naturalem hostem, & à quo semper ad extremum molestias & bella, neque unquam amicitiam nisi incertam, quamq; ingenti pecuniæ ui emere ac fouere cogatur, sit habiturus, in Italiam introducere inutile cõsiliũ fore: si enim ueretur ne nos cum Romanorum rege faciamus, præoccupando, se non in periculum conijcere, sed potius eo se eximere existimabit: quin etsi de hoc fœdere nihil timeret, fortasse ut se à molestijs atque periculis quæ sibi ab illo, uel Germaniæ auxilio, uel aliorum coniunctione, & occasionibus imminere possent, liberet, cum eò fœdus inire necessariũ censebit: & quãuis in maiora pericula, si Romanorũ rex pedem in Italia figere inciperet, rucere possit, tamen illud est in cõmuni hominum natura insitum, ut prius propinquiora pericula timeãt, & præsentia pluris quàm decet faciant, futurarũ uerò rerum atq; remotarum minorẽ habeant, quàm par est.

rationem: quoniam ad ea multa remedia & casibus & temporibus sperari possunt. Deinde etsi hoc fœdus Gallie regi utile non esset, nemo tamen illum id non facturum præstare nobis potest. Nõnne nos quantum aut metus, aut cupiditas hominum mentes oculosq; obtundant scimus? Nõnne naturam Gallorum nouimus? ad res nouas leues, quiq; nunquam spem cupiditate minorem habent? An hortationes, pollicitationesq; ad quẽuis tranquillum animum accendendum potentes, quibus à Mediolanensibus, à Pontifice, à Florentinis, à Ferrariensim duce, & Mantuano marchione aduersus nos incitatur, nobis sunt ignotæ? Non omnes homines sunt sapientes, imò paucissimi sunt qui sapiant: & qui uult de alienis consilijs conijcere, nisi falli uelit, nõ tam quid sapientem facturum uerisimilè sit, quàm quòd sit consilium capientis, ingenium, ac natura, cogitare debet. Idcirco, qui quid Gallie rex factururus sit iudicare uelit, nõ tam quid prudentia suadeat, quàm Gallos leues & minime quietos esse, magisq; impetu quàm consilio ferri consuèsse, considerabit: & magnorum principum mores indagabit, qui nostris minime similes sunt, nec tam facile cupiditatibus suis ac homines priuati imperant: quoniam in suis regnis coli, & ad nutum intelligi atq; obediri assueti, non modò tumidi & insolentes sunt, sed ut ea quæ ipsis iusta uidentur non obtineant, ferre non possunt: iusta autem illis uidentur quæcunque cupiunt: se uno uerbo omnia impedimenta tollere, & rerum naturam superare posse existimant: imò ab suis cupiditatibus, difficultate remoueri sibi dedecori ducunt, & plerumq; res maiores eodem pede quo in minoribus uti consueuerunt metiuntur, non ex prudentia & ratione,

sed

sed ex libidine atq; arrogantia consiliū capientes: quibus
 uitijs omnibus qui alijs imperant, cōmunibus, nemo Gal-
 los uacare affirmarit. Nōne recenter regni neapolita-
 ni exemplum uidimus? cuius dimidium ab Gallie rege,
 ambitione inconsiderantiaq; ducto, ut ipse altera parte
 potiretur, quantum potentia sua antea inter Italos om-
 nes unica, altero rege sibi potētia autoritateq; æquato,
 in Italiam minuēretur, minimē animaduertente, Hispa-
 niæ regi concessa fuit? sed quid nos in ijs rebus, quarum
 certam noticiam habemus, cōiecturas quarimus? Nō-
 ne ea quæ Rotomagensis cum hoc ipso Maximiliano de
 imperio nostro inter ipsos diuidendo Tridenti egit, no-
 tissima sunt? Nōne idem negocium postea Blesij inter
 ipsos transactum fuisse constat? eundemq; purpuratum
 eam ob caussam in Germaniam profectum, Cesaris cō-
 firmationem iusq; iurandum retulisse? Atqui hæc fœde-
 ra exitum nō habuerunt (fateor) aliqua re quæ impedi-
 ret intercedēte: sed cū præcipuus scopus idē fuerit, quin
 ad difficultates quæ commune desiderium impediuerūt
 tollendas aliqua ratio inueniri possit, quis præstabit?
 Quocirca, dignissimi Senatores, ingruentia pericula,
 reprehensiones, & infamiam, quæ apud cunctos morta-
 les, si præsentium rerum statum malè æstimantes, a-
 lios ijs armis, quæ nobis ad imperij nostri securitatem
 atq; incrementum offeruntur, nobis formidabiles fieri
 permiserimus, clarissimum huius senatus prudentiæ no-
 men obscurabit, diligenter expendite, & ad patriæ ue-
 stræ commodum, quantum alijs bellum inferre, & do-
 miid ab alijs expectare: de aliorum imperio diuidendo
 agere, & sui diuisionem metuere: aduersus unū, socium
 habere, & solū aduersus multos relinqui, inter se distēt

cogitate: si enim hi duo reges foedus contra nos percuss-
 erint, illos pontifex propter Aemiliæ oppida, Arago-
 niæ rex propter regni neapolitani portus: ac deniq; u-
 niuersa Italia, aut recuperandi, aut rerum suarū in tu-
 to collocandarū gratia sequentur. Quid tot annos Gal-
 lia rex contra nos cum Casare agitarit, nemo homo ne-
 scit: quare si arma aduersus eum qui nos decipere uoluit
 sumpserimus, nemo nos perfidos appellabit, nemo mira-
 bitur, sed ab omnibus prudentes existimabimur, & sum-
 ma cum nostra laude in periculo cernetur is, quem om-
 nes norunt nos fraude in id conijcere conatum esse. Sed
 in contrariam sententiam Andreas Grietus uir multis
 nominibus suspiciendus, sic est exorsus: Si in eadem
 causa semper, in eorum de quibus non liquet urnā suf-
 fragium inferre liceret, equidem, clarissimi senatores, id
 ipsum hoc tempore proculdubio facerem: hæc enim de
 liberatio undequaq; tot difficultatibus est inuoluta, ut
 ego sepe ijs me explicare uix possim: tamen cum senten-
 tia dicenda sit, neq; id certis rationibus atq; argumentis
 fieri possit, rationibus quæ inter se pugnant ponderatis
 probabilia magis ac firma sunt sequenda momenta re-
 rum: quæ dum diligentius expendo, regem Gallie, siue
 ne à nobis anteuertatur metuens, siue eorum locorum
 quæ olim ad mediolanense imperium spectabant cupi-
 ditate, cum Rom. Rege ut contra nos in Italiam exerci-
 tum ducat foedus initurum, nullo modo mihi persuaderi
 potest: quoniam pericula ac detrimeta quæ inde ad illū
 peruenirent, proculdubio nostræ cum Casare societatis
 periculo, aut premijs quæ ex ea re sperare posset, lon-
 gè sunt maiora atque apertiora, cum præter inimici-
 tias grauissimasq; iniurias quæ inter illos uigent, inter-
 cedat

cedat etiam dignitatis atque imperiorum emulatio, quæ uel inter amicissimos gignere odium solet. Quocirca à Gallie rege, Romanorum regem in Italiam euocari, nihil aliud est, quam reip. pacatæ, et cū qua semper pacem habuit, quæquæ nullam cum ipso controuersie causam habet loco, regem iniuria affectum, immitem, milleq; autoritatis imperij, & ultionis gratia cum ipso controuersiarum causas habentem, uicinum habere uelle. Nec mihi aliquis dicat, Romanorum regis pecunia egentis, dissoluti, & non satis in rebus gerendis felicitis uicinitatem, Gallie regi timori esse non posse: nam ob ueterum Italiae factionum studiorumq; quæ multis in locis, & præsertim in Insubria etiamnum uigent memoriam, nullus unquam Romanorum Imperator tam paruum nidum in Italia habebit, quin id graui cum aliorum periculo sit coniunctum: præsertim uerò Cæsartum ob ditonem quam habet Italiae finitimam, tū quod magni animi, magnæ in re militari scientiæ atque usus princeps existimetur, tum quia Ludouici Sfortiæ filios secum habere potest, qui ad multorum animos concitandos plurimum ualent, præterquam quod quotiescūque bellum cum Gallie rege gereret, Hispanum regem si non alia de causa, saltem quia uterque eosdem habet hæredes, secum facturum sperare possit. Nouit rex Gallie quàm Germania potens sit, quamq; facilius futurum ut tota uel pars eius coniungatur, cum aditus patebit, & prædæ spes aderit: nonne quantum is semper Germanorum, & huius tani inopis atque inordinati regis motus formidauit, uidimus? qui si in Italia esset, se nihil aliud cum illo quàm aut periculosum bellum, aut dubiã & sumptuosissimam pacem habere posse certò sciret?

fieri quidem potest, ut Cremonam recuperare cupiat, & fortasse etiam alia oppida, sed tamen minoris lucri cupiditate, longè maioris detrimenti periculum subire uelle minimè est uerisimile: & prudentia illum potius, quàm temeritate hac in re usurum credibilius est: nam si errata quæ hic rex commississe dicitur percurreremus, ea haud aliunde quàm ex nimio rerum securè gerendarum studio originè habuisse cernemus: quid enim aliud ad regnum neapolitanum diuidendum impulit? quid aliud ad Cremonam nobis condonandam, nisi quòd illorum uictoriam bellorum faciliorem reddere studebat? credibilius igitur est illum nunc quoq; prudentiora cõsilia, consuetudinemq; suam potius, quàm temeraria sequuturum: præsertim cum uoti sui alio tempore maiori securitate occasioneq; meliori compos fieri, spe prorsus excludatur: hæc enim homines ideo sibi faciliè polliceri solent, quia minus errat qui rerum humanarum uicissitudinem, quàm qui constantiam sibi pollicetur. Nec uerò ijs, quæ inter hos reges, aliàs agitata fuisse dicuntur, terreor: est enim hoc in nostræ ætatis principum more positum, ut alter alterum uana spe & fictis consilijs foueat: quæ cum tot annis exitum non habuerint, fatendum est, aut ea uel ficta fuisse, uel aliquam difficultatem quæ explicari non possit habere: nam ut hæc inter ipsos suspicio dissidentiaq; tollatur, repugnat ipsa natura: sine quo fundamento hæc societas inter ipsos coire non potest: non igitur uereor, ut rex Gallie, oppidorum nostrorum cupiditate in tam præceptis tamq; imprudens consilium ruat: neq; etiam, meo quidem iudicio, suspitione de nobis concepta, in eam sententiam cadet: nam præter longam animorum nostrorum experientiã, cū nobis

nobis multi stimuli, multæq; ab eius fœdere discedendi occasiones non defuerint, eædem rationes quæ nos de illo suspicari uetant, ipsius uicissim de nobis suspicionem extinguunt. nihil enim nobis, tum ob imperij autoritatem, cuius incrementum semper nobis suspectũ esse debet: tum Austriæ familiæ causâ, quæ in aliquot nostrâ loca ius se habere existimat: tum ob Germaniæ, cuius inundationes imperio nostro nimium periculosæ sunt, propinquitatem, perniciosius foret, quàm si Romanorum rex aliquod imperiũ in Italia haberet: & nos quidem deliberationes nostras maturare, ac tarditate potius quàm celeritate peccare, dicimur. Hæc ego contra hominum opinionem contingere posse, ideo quæ si quis se in tutum collocare possit, id operæ præcillum fore, minime inficior: sed cum id absq; grauissimis periculis difficultatibusq; fieri non possit, sæpe uanos timores non minus quàm nimiam confidentiam nocere, est cogitandum: si enim cum Romanorum rege aduersus Galliæ regem societatem inierimus, bellum nostro ære ineipiendum ac sustinendum erit: eodem omnes eius largitiones atque errores erunt sarcindi: alioqui uel cū hostibus pacifcetur, uel nobis solis omnibus oneribus atq; periculis relictis, in Germaniam se recipiet. Bellum erit nobis cum Galliæ rege potentissimo, Mediolanensium duce, Genuæ principe, equitatu, bellicisq; tormentis supra omnes alios principes ualido & copioso, & ad cuius pecuniarum nomen omnium gentium milites concurrunt, gerendum. Qua ratione igitur consilia nostra in eum felicem successum habitura sperari potest? cum etiã nõ leuibus de causis uereri possimus, ne omnes qui in Italia, uel sua à nobis occupatum iri metuunt, uel po-

tentiam nostram suspectam habent, contra nos sint cōspiraturi: ac pontifex præsertim, cui præter odium quo in nos flagrat ob insitum à natura dissidium inter Pontifices Rom. & Imperium, cuius caussa illi nō minus in profanis reb. Casares metuunt, quàm in sacris Turcas, nunquam Caesaris in Italia potentia placebit; hæc autē societas fortasse nobis periculosior esset, quàm quæ inter Galliæ atq; Rom. regē timetur: nam ubi plures principes qui se pares existimant cōiunguntur, faciliè inter ipsos suspiciones controuersiaq; existunt: ex quo sepe fit, ut res magna spe inchoatæ, in multas difficultates incidant, ac tandem euanescāt. Neq; illud in postremis habendum est, quod quamuis rex Galliæ, consilia fœderi nostro contraria agitarit, non tamen facta, quibus nos fessellisse dici possit, extiterunt: quocirca bellum aduersus illum susceptum absq; fidei nostræ macula esse nō poterit: cuius hic senatus honoris & negociorū quæ quotidie cum alijs principibus habemus gratia, summā rationem habere debet: neq; nos semper de omnibus uicinis opprimendis cogitare, nos ad Italiæ regnum aspirare, opinionem augere nobis utile est: utinam antea maiore huius rei rationē habuissemus: etenim omnes ferè suspiciones quibus nunc laboramus, ex eo quòd nimis multos antehac læscimus, manant: neq; nos ad nouum bellum aduersus Galliæ regem nobiscum fœderatū metu, sed mediolanēsis imperij partem, cum Rom. rege cōtra ipsum, quemadmodum ei contra Ludouicum Sfortiam coniuncti fecimus, adipiscendi cupiditate trahi crederemur: quo tempore si maiorem rebus nostris moderationem adhibuissemus, neq; leues suspiciones nimium timuissemus, Italiæ res in his motibus nō essent, & nos

maioris modestiæ grauitatisq; fama conseruata, nūc bel-
 lo nos cum hoc aut illo nobis potentiore principe immi-
 scere nequaquam cogeremur: qua in necessitate quoniā
 uersamur, maioris prudentiæ esse censeo, ab Galliæ re-
 gis fœdere non discedere, quàm si uano timore, aut in-
 certi ac detrimentosi quæstus spe ducti, bellum ample-
 ctamur, quod soli sustinere non possumus, & socij quos
 haberemus, nobis deniq; grauiores quàm utiliores esbēt
 futuri. Variæ fuerunt in tanta rationum uarietate in
 senatu sententiæ: sed tandem Rom. regis eas ciuitates &
 loca, quibus ipsi potiebantur, & ille uel ad imperiū, uel
 ad Austriam familiā spectare opinabatur, quamprimū
 occasio daretur recuperandæ cupiditatis memoria, qua
 illum semper exarsisse sciebant, superauit: quocirca se-
 natu, consultum in eam sententiam factū est, ut si absq;
 exercitu uenisset, ei liber in Italiam aditus permittere-
 tur: sin armatus, negaretur: quam sententiā, in respon-
 so quod eius oratoribus dederūt, potius ob fœdus quod
 cum Galliæ rege habebant, & præsentium temporum
 statum necessitate expressum esse, quàm quòd nulla in
 re illum offendere cuperent, quantū potuerunt eis per-
 suadere sunt conati: illud addentes, se eodem fœdere il-
 lum ad mediolanensis imperij defensionem certo militū
 numero qui in fœdere expressus esset, iuuare cogi: se ue-
 rò in hoc summa moderatione usuros, neq; ulla ex par-
 te ea ad quæ tenerentur excessuros: ijs autem quæ hac
 ratione pro Insubriæ defensione facere cogerentur ex-
 ceptis, nullum alium ipsius progressum impedituros: ut
 qui quantū in ipsorū potestate esset, ea officia, eamq; ob-
 seruantia quæ senatum uenetum tāto principi, & cum
 quo nunquā nisi amicitiam, cōiunctionemq; habuisset,

præstare deceret, minimè essent prætermisuri. Nec tamen ideo nouum cum Gallia rege foedus percusserunt, aut se nouis conditionibus obstrinxerunt: quæ minimum fieri posset se bello inter ipsos immiscere cupientes: & Maximilianum ne sibi impedimenta augeret, fortasse finibus ipsorum in pace relictis, arma sua aut in Burgundiam, aut in Insubriam conuersurum sperantes. At Rom. regi cocundæ cum Venetis societatis spe destituto, alia impedimenta obuersari cœperunt: quæ etsi cogitationum mole superare, maiores semper quam ipsa esset impedimenta sibi fingere consuetus studeret, tamen eius consiliorum exitus magnoperè tardabantur: quia neque per se tantam pecuniæ uim quæ ad Heluetios mouendos, & tot alios sumptus qui ad tantum bellum erant necessarij ferendos satis esset, habebat: neque pecuniarum subsidium in comitijs decretum huiusmodi erat, ut uel minimam bellicæ uoraginis partem explere posset: & fundamentum illud in quo ab initio plurimum spei collocarat, uidelicet Italiae ciuitates atque principes, eius nominis aduentusque terrore secum pacturos, sequi pecunia iuuaturos, indies magis minuebatur: nam etsi ab initio multi ad id propensi fuerant, tamen cum decreta constantiensis conuentus expectationi bellum potius imperij & totius ferè Germaniæ, quam proprio nomine gerendum minimè respondisset, & potentes Gallia regis apparatus cernerentur, & noua Venetorum declaratio cognita esset, suspensi hærebant: nec ea re qua maximè indigebat illum iuuantes, Gallia regem tam grauiter ledere audebant: neque Maximiliani petitiones eo tempore quo maximè timebatur, tales fuerant, ut facilitate sua homines alliceret: nam & ab omnibus pro ratione facultatum multum petebat:

petebat: & ab Alfonso Ferrariae duce, quem Blanca uxori suae, Annae eius sororis, ante multos annos in Alfonso matrimonio defunctae dotem debere aiebat, immensa petebat: & à Florentinis non ferenda, à quibus Brixienfis cardinalis qui Romae eius negotia procurabat, cui id negotium à Caesare demandatum erat, auri pondo quinquies mille petierat: quae immoderata petitio effecit, ut tandiu donec eius progressus melius cererentur, cunctandum decernerent: & tamen cum eius offensionem uitare cuperent, se apud regem qui auxilia ipsorum petebat, dare non posse responderunt, quod cum copijs suis ad Pisani agri depopulationem, quae eo anno magno apparatu fiebat, uterentur: & quia cum Genuenses & reliqui uicini illos denuò iuuare coepissent, semper contra ipsos parati esse cogerentur. Cum igitur Caesar non quemadmodum existimauerat Itolorum pecunijs iuaretur (nam à Senensibus tantum sexaginta auri libras accepit) à Pontifice saltem mille pondo ex ea pecunia quae in Germania belli aduersus Turcas nomine collecta, & in hunc finem ibidem custodita, absque Pontificis consensu in alium usum minimè conuerti poterat, sibi concedi postulauit: se quamuis eius petitioni, ut sine exercitu in Italiam ueniret, satisfacere non posset, tamen quamprimùm Ludouici Sfortiae filios, quorum patrocinium, ut sibi Insubres magis beneuolos, atque iter suum minus odiosum redderet, praeseferbat, in mediolanense imperium reduxisset, omnibus copijs ibi relictis, sine militaribus copijs Romam ad Caesarem coronam accipiendam iturum pollicitus: sed & id illi à Pontifice, qui nullam in partem inclinare cernebatur, & se Galliae regis arma in hoc rerum statu si-

ne graui periculo in se prouocare non posse ostendebat: nihilominus Maximilianus in his difficultatibus constitutus, ut erat uigilans, confidens, quiq; incredibili labore per se res gerere uellet, nihil quod ad expeditionis suæ famam retinendam faceret prætermittere: tormenta pluribus in locis ad Italia fines mittere: duodecim Heluetiorum millia conscribendorum, qui uarijs postulatis interpositis, multisq; propositis immunitatibus, nihil dùm certi respondebant, negocium urgere, promissas copias accelerari iubere: ipse quotidie huc atque illuc diuersarum expeditionum gratia se transferre: adeò ut hominibus in magna ambiguitate uersantibus, si in ulla unquam re, in hac certè uaria erant in Italia iudicia: in alijs enim huius motus opinio maximè augebatur: alijs potius res deseruescere quàm augeri censebant: quam dubitationem ipse augebat, quoniam natura occultissimus nemini cogitationes suas aperiebat: & quo minus in Italia notæ essent, Pontificium legatum & ceteros Italos ne se sequerentur, certo in loco extra aulam separatos esse iusserat. Iam diuo Gallo sacer dies militum delectui destinatus aderat: sed exigua tantum pars Constantiam conuenerat, & uix alijs quàm tormentorum apparatus, ipseq; summo studio pecunijs diuersis rationibus colligendis incumbere, cernebatur: quo circa, quum quibus uiribus, quo tempore, qua ex parte impetum factururus esset, an Forumiulij ingressurus, an uerò Tridento in Veronensium fines irrupturus, alijs illi per Allobroges, aut Comensi itinere Insu-briam, cum multi ex ea regione exules eum sequerentur inuasurum censerentibus, incertum esset: nec non alijs ne in Burgundia aliquem motum faceret uerentibus,

qui

qui sibi ab illo metuebant magnos diuersis in locis apparatus faciebāt. Idcirco rex Galliaē magnum equitum ac numerum peditum in Insubriam miserat, & præter reliqua ad eius imperij defensionem comparata, rege Catholico, de quo Cæsar hac de caussa grauissimè questus est, permittente, duo millia et quingentos Hispanos pedites in regno neapolitano conscripserat: & Ciamontius eodem tempore de Borromeorum fide dubitans, Aronam eius familiae castellum ad Verbanum Lacū situm repente occupauit. In Burgundiam quingentos cataphractos Tramolia eius prouinciæ præfecto duce miserat: atque ut Cæsaris cogitationes & uires plures in partes distraheret, perpetuò Gheldrensiū ducem qui Caroli Cæsaris nepotis, regionem infestabat, iuuabat atque fouebat: præterea Ioannemiacobum Triultium cum quadringentis cataphractis & quatuor peditum millibus Veronam ut Venetis auxilio esset miserat: Veneti autem Roueretum uersus, ut motus qui ab Tridento fierent impedirent, Pitiliani comitem cum quadringentis grauis armaturæ equitibus, & multis peditibus, & in Foroiulij octingentos graues equites Bartholomeo Aluiano, qui iam dudū ad ipsorum stipendia redierat, duce, constituerunt: at primum periculū ex ea parte ex qua nemo cogitarat apparuit: quoniā Paulus baptista Iustinianus, et Fregosinus Genuēses exules, mille Germanos pedites Gatiolum, quod oppidū Ludouici Gonzagæ Cæsaris beneficiarij est, duxerunt: qui inopinatō, summaq; celeritate per montes atque asperrima Veneti imperij loca, eo consilio ut Pado flumine trāsmissi per iuga Parmensia Genuam uersus contenderent iter fecerunt: sed Ciamontius id suspicatus statim multos

equites ac pedites qui illos itinere prohiberēt Parmam misit: quorum aduentu Germani Genue aliquid gerī posse spe amissa, eodem itinere, sed non eadem celeritate, nec sine periculo in Germaniam redierunt: Veneti enim publici commodi gratia, tacito consensu eos regredi passi sunt. Erant eodem tempore Bononiæ multi Genuenses exules, eamq; ob causam rex id Pontificis consensu agitatum fuisse nō mediocriter est suspicatus: de cuius uoluntate multa alia eum suspicari cogebant: quoniam Cruceius Cardinalis, quamuis potius proprio studio quàm alia de causa Cæsarem ut in Italiam ueniret hortabatur, & cum accidisset ut Foroliuienses exules, Fauentia egressi quadam nocte Forumliuij occupare essent conati, Pontifex id Gallie regis & Venetorum consilio factum querebatur. Huc accedebat quòd quidam monachus Mantuæ in carcerem coniectus, se cum Bentiuolis de Pontifice ueneno tollendo egisse, & Ciamontij nomine, se ut quod Bentiuolis pollicitus erat præstaret, stimulum fuisse confessus erat: quare Pontifex questione habita, & re in iuris formam redacta, cum ea Achillem Crassum Bononicensem, Pisaurensem episcopum qui post fuit Cardinalis, ad regem misit, qui rei ueritatem inquiri, & tanti sceleris conscios puniri postularet: cuius rei cum Alexander Bentiuolus præceteris reus censeretur, regis iussu in Galliam ad causam dicendam uocatus est. In his actionibus atque ambiguitate finem habuit annus M D VII. Anni autem

1508.

M D VIII initio, cum Bononiensium mobilia ingenia quiescere nō possent, Annibal et Hermes Bentiuoli, cum nonnullis iuuentibus Pepulæ familie, alijsq; nobilibus adolescentibus conspiratione facta, repente Bono-

nie

niæ appropinquarunt: qui motus periculo minimè caruit, quoniam conuerti ut illos introducerent, iam Mammoli portam occuparant: sed populo pro pontificio imperio ad arma cōcitato, iuuenes territi portam deseruerunt, & Bentiuoli recesserunt: hic autem motus pontificis in Galliæ regem animum potius mitigauit, quàm accenderit: rex etenim eam rem sibi molestissimã esse ostendēs, Ciamontio, ut quotiescunque opus foret, cum omni equitatu Bononiensibus rebus opem ferret, nec Bentiuolos Mediolanensis imperij ulla in parte uersari permetteret, imperauit: ex quibus tunc Ioannes animi mœrore obierat: antequam Bononia pelleretur, fortunæ acerbiter ferre minimè assuetus, cum prius diu omnium Italiæ tyrannorum felicissimus ac secundo aspirantis fortunæ flatu exemplum extitisset, quoniam quadraginta annorum spacio quo Bononiæ ad arbitriũ suum regnauit, nunquam alicuius ex suis obitum, nedum aliud, senserat: semper tum ipse, tum filij militiæ gradibus, stipendijs, & maximis honoribus ab omnibus Italiæ principibus affectus: semperq; se omnibus rebus à quibus periculum sibi imminere uidebatur facillimè liberauerat: quàm felicitatem, præter eius urbis situs & oportunitatem, fortunæ præcipuè accipiam ferre debere uidebatur: communi enim hominum iudicio, nec ingenij, nec prudentiæ, nec præstantis fortitudinis ei laus tribuebatur. Eiusdem anni initio Cæsar cum armorum motum differre iam nollet, fecialem qui ipsum ad Cæsaream coronam accipiendam in Italiam transire uelle significaret, & quatuor equitum millia recipi postularet Veronam misit: cui Veronæ magistratus, ea re prius Venetijs discussa, responderunt: si eius aduentus

nulla esset alia quàm coronæ accipiendæ causâ, se illum
 maximo cum honore accepturos: sed cum tormenta a-
 liosq; bellicos apparatus ad ipsorum fines duxisset, fa-
 cta ab eius oratione diuersa apparere. Maximilianus
 igitur Tridentum profectus ut belli initium faceret,
 tertio Februarij die supplicationes tota urbe indixit:
 quibus ipsemet imperij faciales & Cæsareum ensen
 uagina uacuum ante se habens interfuit: in quarū fine,
 Matthæus Langius, qui illi ab epistolis erat, & postea
 Gurcensis Pontifex fuit, eminenti suggestio conscenso,
 Cæsaris nomine, illum non amplius Romanorum regē,
 sed quemadmodum reges Romanorum, quum ad coro-
 nam accipiendam ueniunt appellari consueuerunt, Im-
 peratorem designatum nuncupans, eius in Italiam ho-
 stiliter exercitum traducendi decretum promulgauit:
 eodemq; die ut nemo Tridento exiret cauit: & magna
 panis copia, multisq; ad belli usum ligneis machinis
 comparatis, plurimisq; lintribus rebus necessarijs onu-
 stis Athesi flumine præmissis, sequenti nocte paulo ante
 lucem, cum mille & quingentis equitibus, & peditum
 quatuor millibus, quas copias non ex conuentus decre-
 to, sed ex proprijs regnis habebat, Tridento est egres-
 sus: idq; iter cepit quod per eos montes Vicētiā ducit:
 eodemq; tempore Brādeburgensis marchio, cum quin-
 gentis equitibus & duobus peditum millibus ex iisdem
 regionibus Roueretum uersus contendit: Brandebur-
 gensis sequenti die nulla alia re, nisi quod ante Rouere-
 tum se ostenderat, & frustra intromitti petierat, confe-
 cta redijt. Cæsar autem Siagium montem, cuius radices,
 ad duodecim ab Vicentia passuum millia distant ingres-
 sus, & Septem communiū oppidis, qui populi sic nun-
 cupati,

cupati, montis summum iugum malis ab Veneto senatu immunitatibus atque priuilegijs donati incolunt captis, ac multis iterum aggeribus & fossis, quas ut se defenderent eumq; timere prohiberent fecerant, complanatis, aliquot tormenta conuexit: ex quo cum indices feliciores successus expectarentur, quarto postquam Tridento discesserat die, omnium animis ob tantam uel inconsiderantiam, uel inconstantiam summa admiratione repletis, repente Bolgianum, quod oppidum ab Italiae finibus longius quam Tridentum distat, regressus est. hoc tam debile initium Venetorum animos excitauit, quare cum multos pedites conscripsissent, gallicas copias quae cum Triultio Veronae erant, Roueretum euocarunt, maioribusq; apparatus coeptis, Galliae regem ad idem faciendum incitabant: qui Italiam petens quinque Helueticorum millia suis, & tria millia Venetorum stipendijs praemittebat: quoniam ea gens, cum Maximilianus pecuniam numerare non potuisset, tandem prorsus ad regis stipendia erat conuersa: qui nihilominus ubi acceptis stipendijs conuenissent, Venetorum imperium ingredi, se nulla alia in re quam ad Mediolanensis imperij defensionem, aduersus Caesarem militare uelle profertentes, noluerunt. Maior, sed infeliciori & ad longè maiorum rerum causam destinato euentu, motus in Foro iulij excitatus est: quo Caesaris iussu quadringenti equites et quinq; peditum millia omnes in Tirolensi tractu conscripti uenerunt: qui Cadorensis uallem ingressi, castellum cum arce, ubi paruum inerat praesidium, & uenetum magistratum ceperunt: qua re Venetijs audita, Aluianum, & Georgium Cornelium legatum qui in Vicentino agro erant, statim ei prouinciae opem ferre

iusserunt: Et ipsi quoq; hostes uicissim ab ea parte infestarent, quatuor triremes aliaq; nauigia Tergeste uersus miserunt: eodemq; tempore Maximilianus, qui Bologniano Brunecium se contulerat, cum sex millibus peditum in ea regione collectorum, ob itinerum & latioris regionis oportunitatem in Carnos conuersus, per quasdam ualles supra quadraginta millia passuum iter in Venetorum fines irrupit: & Cadorensi ualle qua Taurisum uersus iter est occupata, ac Bostaurensi castello, quod olim in Aquileiensis patriarchæ iure erat, à tergo relicto, Sammartini, & Plebis castella, & uallem quam Sauiniani comites custodiebant, cum alijs uicinis locis cepit: hocq; progressu potius centurione aliquo quam rege digno, eas copias in Taurisanum agrum duci iussis, ipse ut gemmas pignori daret, alijsq; rationibus nummos quos cum effunderet potius, quam insumeret, nullus numerus ei satis esse uidebatur, compararet, ad Februarij finem Oenipontem redijt: sed quum Heluetios Galliae regis stipendia accepisse in itinere certior factus esset, in eos indignatus, Vlmam Sueuiae urbem, ut Sueuicum foedus ad se, quemadmodum alias fecerant in bello contra Heluetios iuuandum incitaret petijt: & apud Septemuiros auxilia constantiensibus comitijs promissa in sex alios menses sibi prorogari instabat: & simul, suas proprias copias quæ numero ad nouem millia, partim pedites, partim equites, Baioccum castellum è regione Rouereti in regia uia qua Tridento in Italia itur ad dexteram Athesi flumine inter illud & Roueretum quod ad sinistram est labente situm, tormentis prius uerberatum deditioe ad arbitrium facta, in potestatem suam redegerant. Aluianus autem summa celeritate

heritate ad opem Carnis ferendam duxit, montibus, qui
 niue obtekti erant superatis, biduo prope Cadore per-
 uenit, ubi militibus qui suam celeritatem equare non po-
 tuerant, expectatis angustias quasdam, quibus in cadorensi
 ualle iter patet a Germanis non custoditas occupauit: cui
 ius aduentu regionis incolae qui libenter sub ueneto impe-
 rio erant, audaciores facti, alias uallis angustias quibus
 Germani recedendi facultatem habuissent, occuparunt:
 qui cum se clausos ac circumuentos esse, neque aliam salu-
 tis spem quam in armis superesse animaduertent, Al-
 uianumque copias suas indies aucturum existimarent, ma-
 ximo animo illum sunt adorti: cumque ab eo certamen non
 recusaretur, atrocissima pugna est coepta, in qua Ger-
 mani qui potius cum gloria intereundi cupiditate, quam
 salutis spe, ferociter pugnabant, magno agmine in cuius
 medio mulieres collocarant facto, aliquot horis magna
 ui dimicarunt: sed cum tandem hostium numerum atque
 uirtutem sustinere non possent, supra mille caesis, et re-
 liquis captis, prorsus uicti fuerunt: post quam uictoriam
 Aluianus cadorensi arcem a duabus partibus adortam
 expugnauit: ubi Carolus Malatesta e ueteribus Arimi-
 nensium dominis unus, lapide ex turri proiecto ictus in-
 terijt, mox uictoriae occasione secutus, Portumnaonis,
 deinde Cremonsani in edito colle sitam cepit: ea capta,
 ad Goritiam ad Iuliarum alpium radices sitam, loci na-
 tura, et arte bene munitam, quaeque arcem ascensu ardua
 habet, exercitum duxit: et ponte prius occupato, dein-
 de tormentis contra oppidum collocatis, quia armorum
 aquae et commeatus penuria laborabant, quadriduo
 deditione ea potitus est. oppido capto, arcis praefectus
 et milites qui in arce erant, quadraginta auri libris

acceptis, arcē dediderunt: quā Veneti statim ut uelut propugnaculum & frænū ad Turcas ab L. fontio flumine transeundo deterrendos esset, diligenter muni-
 runt: quoniam eius loci oportunitate facile sis receden-
 di facultas adimi posset: Goritia occupata, Aluianus
 Tergesi castra admouit, quæ ciuitas eodem tempore et
 à mari classe premebatur, nec absq; Galliæ regis qui ne
 Romanorum regem tam grauius irritarent suadebat,
 molestia, facile ea potiti sunt: uerū cum ob Veneti sinus
 usum eorum commercijs ualde esset oportuna, nec non
 fortunæ felicitate elati, uictoriæ curam sequi decreue-
 rant: quare Tergeste cum arce potiti, Portum Naonis,
 deinde Flumen Illyriorum oppidum, quod è regione
 Anconæ est, occuparunt: & quia naues quæ uectigali-
 bus ab ipsis impositis non solutis per Adrianum sinum
 nauigare uolebant recipiebant, incenderunt: alpibus de-
 inde superatis, Possonium in Pannoniæ finibus expu-
 gnarunt. Hæc in Iulij foro gerebantur. At Tridentum
 uersus Germanicus exercitus, qui ad Callianum uicū
 Venetorum clade, quia prope cum antè paulò plus quā
 uiginti annos Robertus Sanseuerinas ipsorum exerci-
 tus celeberrimus imperator debellatus & cæsus fuerat,
 celebrem uenerat: in tria millia Venetorum peditum,
 qui Iacobo Corso, Dionysio Naldio, & Vitellio Tifer-
 nate ducibus in Montisbretonici præsidio erant, impe-
 tum fecerunt: qui & si satis bene muniti, illico tamen in
 uicinum montem aufugerunt: & Germani Italorū pe-
 ditum ignauiam merito deridentes, multis ædibus com-
 bustis, & aggeribus qui ad montem facti erant corru-
 ptis, Callianum redierunt: quo successu allectus Tri-
 dentinus episcopus, duobus peditum millibus coactis,

& cum

Et cum copiarum quæ Calliani erant parte, ad Tridentinam ripam castellum ad Benaci ripam positum, quo Triulivus iam idoneum præsidium miserat duxit: cumque Francisci templum biduum tormentis verberasset, et interea aliquot excursions in vicos, qui prope Londronium sunt fecisset, duo Rhetorum millia quæ in Germanicis castris erant, parvi momenti dissensione in stipendiorum solutione orta concitati, castrorum comæ tum diripuerunt: quo facto, cum omnia in perturbatio ne essent, et Rheti fere omnes discessissent, reliquæ copię septem militum millia continentes, retrocedere coactæ fuerunt: quorum discessu, Venetorum copijs in proximos vicos excurrentibus, cum tria illorum millia peditum ad quasdam Agresini comitis villas incendendas uaderent, ab incolis in fugam coniecti sunt, et circiter trecenti cæsi. Sed cum Germanorum ab Ripa discessu fere omnis exercitus esset dissolutus, et equites qui erant mille ducenti, ab Callianensibus castris Tridentinum se recepissent, Venetorum copię ob Seruatoris nostri ab inferis excitati memoriam sacro die mane, Petram, qui locus ad sextum ab Tridento lapidem situs est, oppugnarunt: sed copijs quæ Tridenti erant ad eum locum defendendum exeuntibus, regressi sunt, indeque in Crentensem arcem locum magni momenti impetu fecerunt: quæ antequam auxilia Tridento missa aduenissent, deditionem fecit: quare Germani qui iterum peditatum erant instructi, cum mille equitibus, et sex peditum millibus ad Calliani castra, quæ balistæ iactu à Petra distabant, redierunt: cumque ducenti Virtembergensium ducis equites ab illis discessisset, Veneti cum quatuor equitum et sexdecim peditum millibus, ad Petram castra posue-

runt: & sexdecim tormenta collocarunt. Petra arx est ad montis radicem, Rouereto Tridentum eunti ad dexteram sita, & ab ea murus satis munitus, per balistæ iactum ad Athesim usque deducitur: in cuius mûri medio porta est, & qui hunc aditum non habet, uix Petræ infestus esse potest: distabant inter se ambo exercitus mille passus, & utriq; arcem ac murum à fronte, & ab uno latere Athesim fluuium, ab altero montes, à tergo uerò tutos recessus habebant: & quia arx & murus in Germanorum erat potestate, uenetum exercitû quotiescûque uellent, ad pugnam capeffendam cogere, ipsi uerò minimè cogi poterant: sed quia numero longè inferiores erant, fortunæ se committere nõ audebant, modò ut arcem ab hostium qui eam sollicitè uerberabant, impressionibus tuerentur operam dabant: uerum cum aliquãdo tormenta non bene custodirentur, inde occasionem nacti, maximo furore in ea impetu facto, & militibus, qui ea custodiebãt, suis, magna ferocitate duo in castra sua pertraxerunt: quare Veneti animo deiecti, & oppugnationem in qua multi erant desiderati, inanem rati, hi Roueretum, Germani uerò Tridentum se receperunt: ac paulo post Germanorum maxima pars dissipata est: & Comitiorum copiæ, ex quibus quòd alij citius, serius alij uenissent, nunquã quatuor millia unà fuerant: quoniam qui Tridentum & Cadorum conuenerant, ij frè è uicinis erant regionibus, sex mensibus exactis, domos quisq; suas reuertebantur: & pleriq; ex imperatis pedibus idem faciebant: neq; Maximilianus ob uaria consilia & apparatus huc atq; illuc eundo occupatus, his rebus unquã interfuerat: imò Vlmensi conuentu in magis oportunũ tempus dilato perturbatus, & difficultatum

pudo-

pudorisq; plenus, Coloniã Agrippinã uersus profectus per multos dies ubinam esset ignoratum fuit: cumq; proprijs uiribus hunc impetum sustinere non posset, omnibus quæ in Iulijforo possidebat, & reliquis uicinis oppidis amissis, ab omnibus desertus, & Tridentinis rebus si gallicæ copię cum Veneto exercitu ad eum offendendum coire uoluissent, in periculo relictis: sed Triultius, regis cui potius eum placare quàm prouocare animus erat iussu, ulterius quàm ad Venetorum defensionē necesse esset, progredi noluit. Cæsar igitur cū se omni auxilio destitutum cerneret, sui aliqua ratione à periculo liberandi cupidus, iam cum eius copię ad Cadorum debellatæ fuerant, Prelucam hominem suum, qui triū mēsiū inducias peteret, Venetias miserat: quæ petitio à senatu qui breuiore quàm unius anni inducias, neque eas ulla ratione, nisi & rex Gallię ijs comprehendere-tur, admittere minimè statuerat, contempta fuit: sed periculis suis crescentibus, Tergeste iã amisso, rebusq; omnibus in peius ruentibus, Tridentinus episcopus ueluti per se id faceret, Venetos ad inducias, hoc fundamento pacem sperari posse proponens, inuitauit: cui Veneti, quando negotium non iam ipsis solis, sed ita ut etiã rex Gallię includi posset proponeretur, se animo minimè alieno esse responderunt: ex quo initio, colloquio intro ducto, Tridentinus episcopus, & Serentanus Maximiliani ab epistolis, & pro Gallię rege Triultius & Carolus Iufredus mediolanensis senatus princeps à Ciamontio ad hoc negotium missus, & pro Venetis Zacharias Contarenus orator, hanc ob causam peculiariter destinatus, conuenerunt: in reliquis faciliè inter illos conueniebat: nam ut in trienniū essent induciæ consentiebāt,

ut ea quæ quisq; in præsens possidebat, cum edificandi, & capta loca muniendi facultate possideret: in hoc autem erat controuersia, q; Galli inducias generales, ita ut etiã fœderati quos quisq; extra Italiam haberet, præsertim Gheldrensiũ dux comprehenderetur, fieri uolebant: huic rei Maximiliani, cuius animus ad eius ducis excidium prorsus erat conuersus, procuratores pertinaciter repugnabant: & cum bellum totum in Italia esset, de alijs quàm de italicis rebus agi nec æquũ, nec necessariũ esse aiebant: qua in re Veneti, ut Gallia regis desiderio satisfaceret, omnem operam ponebant: sed cum Germanos ad id flecti posse non amplius sperarent, ad inducias ea ratione in quam ipsi consenserant, accipiendas erant propensi, ad id belli quod totum in ipsorum finibus gereretur ab se amouendi, & hoc motu partorũ oppidorum, trium annorũ inducijs sub imperio suo cõfirmatorum cupiditate allecti: & Gallis uerissimã excusationis rationem afferrebant, nempe cum neuter ipsorũ ad aliud q̃ ad rerum quæ in Italia obtinebãt defensionẽ alteri esset obstrictus, hocq; fundamento fœdus ipsorum niteretur, transalpinarum rerũ cogitationem ad ipsos nõ spectare: quas si armis defendere nõ tenebãtur, neq; etiam de illis induciarum beneficio confirmandis cogitandum ipsis erat: ob quam controuersiam cũ Triultius in Galliam, & Veneti oratores ad Senatum scripsisset, ab Senatu responsum est allatum, si secus fieri nõ posset, induciæ de Italia rebus loco & tempore Gallia regis, si ijs comprehendi uellet ad deliberandum relicto, paciscerentur: cui rei, quamuis nec Triultius, nec Iuffredus assentiri uellent, imò quod ne regis quidem responsum expectare uellent grauiter exposularent, & Ca-

rolus Iuffredus rem comunem nisi cōmuni consensu
 terminandam nō esse, & parvam amicitiae atq; coniu-
 ctionis rationem haberi attestaretur: Veneti tamen Ma-
 ximiliano & ipsis proprio tantum nomine simpliciter
 stipulantibus, eaq; lege, ut à Maximiliano, Pontifex, Hi-
 spaniae, Angliae, Pannoniaeq; reges omnes sacri Imperij
 principes atq; subiecti quocunq; in loco essent, omnesq;
 Maximiliani & nominatorum principū, atq; Imperij
 statuum fœderati, intra tres menses nominandi: à Vene-
 tis uerò Galliae & Hispaniae reges, & omnes Venetorū
 Galliae atq; Hispaniae regū amici & socij in Italia dun-
 taxat constituti, trium mensium intervallo nominandi
 comprehenderentur, transegerunt. Quibus inducijs ut
 gesima Aprilis die stipulatis, ac fere statim ab Rom. rege
 & Venetis confirmatis, arma inter illos cum multorū
 spe, Italiam aliquandiu hac tranquillitate fruituram,
 sunt posita. Quo facto, rex Galliae Florentinorum ani-
 mos erga se minimè candidos, sed potius erga Caesarem
 si eius res felices successus initium habuissent, propēsos
 fuisse ratus; cumq; id nulla alia ex causa, quam Pisarū
 quouis modo recuperandarum desiderio, & quòd ipse
 neq; illorum fidei, neq; officiorum praesitorum habita-
 ratione, non modò illos uel autoritate uel armis nō iu-
 uisset, uerum etiam Pisanos ab Genuensibus suis iuuari
 passus esset, ex indignatiōe manare sciret, ut aliqua ho-
 nesti ratione uoti compotes fierēt, cogitare statuit: sed
 cum ei rei ex primo consilio propriam utilitatem con-
 iunctam esse uellet, ad maiorem pecuniae uim eliciendam
 metum, spe meliorem fore ratus, Michaellem Riccium,
 qui quòd proprios homines ut cum Caesare eius hoste
 fœdus inirent misissent, quod nulla temporum status,

suspicionum periculorumq; ipsius habita ratione, Pisan-
ni agri uastandi colore, ualido exercitu conscripto, ne-
que unquam in tam graui motu qui parabatur, animis
integre declaratis, ipsi ad quem finem hi apparatus spe-
ctarent non mediocre dubitandi caussam praeuissent:
quod ipsi in tam grauibus periculis suarum copiarum
auxilium petenti id praeter omnem eius expectationem
denegassent, quereretur: & nihilominus beneuolentiae
qua semper eam rempub. prosecutus erat, gratia, &
ob rerum quas ante id tempus pro se gesserant memo-
riam, ipsum ad has recentes iniurias, dummodo ad caus-
sas quibus Italiae tranquillitas turbari potuisset tollendas
in posterum Pisanos non amplius absque eius consensu
molestijs afficerent, condonandas paratum esse diceret
misit. Ad quae Florentini, se ad Caesarem non sponte, sed
coactos, neque id ut cum illo aduersus regem societate
coirent, sed ut si forte in Italiam uenisset, res suas, quas
rex ipse in foederis quod cum ipsis haberet capitibus,
aduersus Caesarem defendendas suscipere noluerat: sed
ea uerba expresserat, saluis Imperij iuribus, in tuto col-
locarent misisse: nec tamen pactionem ulla cum illo fe-
cisse: exercitus in Pisanos misit, querelam aequam non
esse: cum enim pro ipsorum consuetudine mediocres co-
pie haud alium in finem, quam, ut quemadmodum a-
lias sepe fecerant, messes impedirent fuissent, nemi-
nem iustam suspicandi caussam habuisse: eam rem u-
na cum auxilijs a Genuensibus, alijsque uicinis, ad
Pisanos misit, in caussa fuisse, ut copias suas Galliae
Regi auxilio mittere nequiuerint: ad quod & si mi-
nime obstricti erant, tamen ob perpetuam eius no-
minis obseruantiam, etiam si non petisset, id officij
pre-

prætermiffuri non fuiffent: fe quòd res Pifanos, quos fi cum Florentinis compararet, & quid in Genuenfium defectiõne contra ipfum feciffent recordaretur, nihil facere & prorfus odiffe deberet, moleftia non affici optaret, fupra modum mirari: neque regem quo minus Pifanos infeftarent ipsis poffe uetare, quòd id in ipforum cū illo fœdere, ne faceret effet expreffum, refponderunt. Ex his initijs ut Pifæ fub Florentinorum imperium redirent agi cœptum eft, ad quod, fi efficeretur ut Genuenfes atque Lucenfes nullam illis opem ferrêt, fatis effe uidebatur: cum ad eam commeatus & uirium inopiam effent redacti, ut urbe amplius egredi non auderêt: præfertim uerò agricolarum ob meffis iacturam malè affectis animis accedentibus, quorum maior quàm ciuium numerus erat, adeò ut nifi ab Genuenfibus atq; Lucenfibus aliquam pecuniam, qua qui rem publicam adminiftrabant, aliquot externos milites Pifis alentes, & reliquum in ciuium & agricolarum iuuentutem distribuentes, horumquæ armis eos qui cum Florentinis pacifci cupiebant, deterrentes, eam urbem pacatam conseruabant, accepiffent, ipsi fe tueri non poffe cenferêtur. Huic negotio à Chriftianiffimo rege cœpto, Catholici regis, qui fine fua opera rem perfici nolebat, acceffit autoritas: quare quamprimum Michaelis Riccij Florentiam profectiõnem cognouit, & ipfe legatum mifit: qui primùm Pifas ingreffus, eos hortatus eft, & fui regis nomine ad fe tuendos incitauit: idq; non aliam ob cauffam, nifi ut dum pertinaciores in fua fententia effent, maiore precio uendi poffent. Hæc colloquia paulo pòft duorum regum confenfu ad Gallie regis aulam translata funt: ubi Hifpanus patrocinijs toties

promissi nulla habita ratione, cum eos nisi defenderentur in Florentinorum potestatem necessario venturos animaduerneret, tuncq; à nouis rebus præsertim contra Gallie regis uoluntatem aggrediendis animo esset alienus, id summoperè urgebat: nam etsi quamprimum in Hispaniam redijt, Castellæ administrationem assumpserat, tamen cum ob uaria procerum studia, tum quia Romanorum rex nepotis nomine non erat assensus, eam non prorsus firmauerat: sed ubi Pisanorum res in Gallia diu agitatae fuissent, ob multas difficultates quæ inciderunt, cum uterque rex sibi uenditionis precium deposceret, tandem cum nulla pactionis ratio inueniretur, re infecta negotium tractari desijt.

SEPTIMI LIBRI FINIS.

FRANC

FRANCISCI GUI-
CIARDINI HISTORIA-
RVM SVI TEMPORIS
LIBER OCTAVVS,

C. S. C. interprete

Cameracensis conuentus: omniũ ferè Chri-
ftianorum principum aduerfus Venetos bel-
lum: Giaradaddæ pugna: Veneti toto cõtinen-
tis imperio hoc bello ſpoliati: eorundem erga
Cæſarem reliqui imperij amittendi metu ſub-
miſſio: Patauium ab iſdem Andree Gritti ope-
ra recuperatum: poſtremus Florentinorũ con-
tra Piſanos conatus: Piſæ captæ: Galliæ regis
tranſalpes reditus: Carnicum bellum: Pataui-
num bellum à Maximiliano Cæſare illatum:
eiufdem belli progressus: Pitiliani comitis obi-
tus: Venetorum contra Ferrarienſes bellum:
eorundem claſſis ad Polifellam fracta: ijdem
interdicto à pontifice liberati.



TALIAE morbi non huiusmodi
erant, neque eius vires tam parum
debilitatæ, ut leuibus medicamentis
curari poſſent: imò ut ſæpe in corpo-
ribus prauis humoribus repletis ac-
cidit, ut medicamentum uni parti ſanandæ accommo-
datum, pernicioſiores maiorisq; periculi morbos affe-
rat: ſic induciæ inter Romanorum regem ac Venetos

facta, Italiam pro ea quiete tranquillitateq; quam multi sequuturam sperauerant, innumeras calamitates, & bella superioribus longè atrociora & cruenta magis pepererunt: nam etsi in Italia iam à quatuordecim annis tot bella totq; rerum mutationes fuerant, tamen rebus sepe uel sine sanguine transactis, uel cædibus potius inter ipsosmet factis, populi minora quàm principes mala passi erant: sed nouis in posterum disidijs aditu patefacto per uniuersam Italiam, & contra ipsosmet Italos crudelissimi casus, innumera cædes, diruptiones, urbium oppidorumq; euersiones, militaris licentia nõ minus amicis, quàm hostibus perniciosa sequuta sunt: uiolata religio, res sacræ minori reuerentia ac religione quàm profanæ cõculcatæ: tantorum malorum causa, si generatim inspicias, fuit eadem quæ serè semper est principum ambitio atque cupiditas: si uerò diligentius animaduertas, ex Veneti senatus temeritate, nimiaq; insolentia originem habuerunt: qua difficultates quæ ad id tempus usque Romanorum & Gallie reges, quo minus contra ipsos fœdus inirèt impediuerāt, sublatae sunt: quorum regum alterum immodicè exacerbatum in maximam desperationem coniecerunt: alterum eodem tempore ad summam indignationem concitarunt, uel saltem ei id quod diu exoptauerat honesto colore aperiendi occasionem dederunt: quoniam Cæsar tanta ignominia, tantaq; clade accepta irritatus: cumq; dū aliena occupare in animo habet, sua se & quidem hæreditaria amisisse cernit, nihil quod ad tantam infamiam notam, tantumq; detrimentum sarcendum faceret, prætermisurus uidebatur: quam uoluntatem denuò post factas inducias Veneti imprudenter auxerunt: etenim

non

non minus inanibus signis, quàm factis ab eo prouocando minimè abstinentes, Aluianum Venetijs maxima pompa & penè triumphantem exceperunt: & Galliae rex quamuis ab initio se inducias cōprobaturum sperare fecisset, postea tamen se, ijs mirum in modū cominotum ostendens, Venetos ipsum uelut socium nominare ac foedere comprehendere ausos fuisse, & propria tranquillitate procurata, se in belli molestijs reliquisse quebatur: sed non diu quid uterq; animo agitare, declarare distulit: Cæsar enim, ut qui proprijs uiribus minimè fideret, neq; Germaniæ principes ciuitatésue iniurias suas ultra persecuturos speraret, ad foedus cum Galliae rege aduersus Venetos uelut ad unicum honoris & rerum amissarum recuperandarum instrumentum, in eundem propensus erat: in rege autem offensionū quas se neapolitano bello ab illis accepisse existimabat, memoria hac recenti indignatione renouata, & ueteri Cremonæ aliorumq; oppidorum quibus Mediolanensium duces diu potiti fuerant, adipiscendorum cupiditate incitato, idem planè desiderium erat: idcirco ut minorum rerum impedimentis remotis, grauioribus rebus simul incumbere possent, de controuersijs inter Archiducem, & Gheldrensiū ducem, cuius salus ob antiquum foedus & commoda accepta ab Galliae rege magni fiebat, componendis inter eos agi cœptum est. Galliae regis animum eodem quoque tempore aduersus Venetos concitabat Pontifex, qui præter ueteres causas nouo odio accensus erat: illorum enim opera Foroliuenses exules, qui Fauentiae receptum habebant, eam ciuitatem ingredi tentasse existimabat: & quia Bentiuoli ab rege Insubria pulsī, in Venetorum terris reci-

perentur: huc accedebat, quòd Romanæ curiæ autoritatis multis in rebus minorem quàm unquam antea rationem haberent: quibus in rebus notissimè id Pontificis animum uehementer pupugerat, quòd cum ipse Vicentinum episcopatum, Sancti Petri in uincula Cardinalis nepotis sui morte uacantem, Xysto itidem nepoti suo, in demortui locum & dignitatis & sacrorum beneficiorum ab eo surrogato contulisset, senatus uenetus ea collatione contempta, Venetum patricium episcopũ legerat: qui tametsi Pontifex eum confirmare recusaret, se episcopum ab excellentissimo Rogatorum Senatu electum temerè nuncupare audebat. Quibus rebus accensus primo Maximum narbonensis cardinalis ab epistolis ministrum, deinde ipsum et Cardinalem, qui recenter Ausensis morte eius episcopatum adeptus, Ausensis Cardinalis uocabatur, ad regem misit: qui hilari fronte ab rege auditi, uaria & sine Cæsare, & coniunctim cum Cæsare, perficienda ad eum retulerunt. Sed Pontifex ad conquièrendum quàm ad sententiam suam profièndam, erat promptior: hinc enim ut arma in Venetos mouerentur ardens desiderium in eius mente pugrabat: illinc ne ex aliorum potentia immodicè pendere cogereetur metus ac longè magis antiqua Rotomagensis æmulatio eum suspensum habebant: qua re fiebat ut magnos regis exercitus in Italiam traduci illi molestissimum esset: res quoque maiores aliqua ex parte illud turbabat, quòd Pontifex paulo antè in scio rege, Astæ atque Placentiæ episcopatus contulerat: & quòd rex nouum Sancti Petri in uincula Cardinalem, in quem ob alterius mortem, Claræuallis cœnobij opulentissimum sacerdotium prope Mediolanum situm, collatum fuerat.

rat, eo frui nolebat. Quibus in difficultatibus, id in quo Pontifex dubius hærebat, tandem à Cæsare & Gallie rege constitutum fuit: qui consilijs inter se contra Venetos occultissime agitatis, ut tractata perficerent, Cameraci conuenerunt, pro Cæsare Margarita eius filia, cuius autoritate tunc Flandria & reliqua imperia quæ materna hereditate ad Philippum regem peruenierant, gubernabantur: cui ad hoc ipsum negotium designatus, aderat Mathæus Langius, Cæsari acceptissimus scriba: pro Gallie rege Rotomagensis: uerùm ut sua consilia Venetos celarent, & ne uera huius conuentus causa ad eorum aures perueniret, se de Archiducis & Gbeldrësis inter quos quadraginta dierum induciæ pactæ erant conuenire diuulgarunt: itaque Veneto oratori Rotomagensis, regem in fœdere cum illis perseuerare uelle, grauissimò iureiurando confirmabat. Cardinalem potius non repugnantem quàm consentientem Aragoniæ regis legatus sequutus est: nam etsi rex ille primus horum inter Cæsarem & Gallie regem colloquiorum autor fuerat, tamen sine illo postea erant persecuti, quòd uterq; sibi persuaderet, ei regi Gallie regis felicitatem molestam esse: & ob Castellæ administrationem omne Cæsaris incrementum suspectum: eamq; ob causam eius consilia uerbis non respondere. Cameraci paucissimorùm dierum interuallo res confecta est, nulla re nisi omnibus peractis, cum Catholici regis oratore communicata, quæ postro die qui fuit Decembris decimus, in maiori templo, Margaritæ, Rotomagensis, & Hispani legati solenni sacramento sancita fuit, nulla alia re tunc in uulgum prolata, nisi inter pontificem & hos principes singulos perpetuam pacem fœdusq; cōtractum: uerùm

occultioribus monumentis res maxime graues comprehendebatur, quae ambitiosa atque in multis, quae Caesar & Galliae rex cum Venetis habebant pactioibus contraria, quasi uerborum diuersitas rerum naturam immutare posset, exordio admodum ad pietatem composito tegebantur: quo aduersus Christiani nominis hostes belli inchoandi commune desiderium, & impedimenta quae ex pontificij imperij ciuitatibus ab Venetis ambitiose occupatis in hoc negocium redundabant, exponebantur: quae cum remouere cuperent, ut ad tam sanctam tamque necessariam expeditionem progredi coniunctius possent, pontificis quoque cohortationibus atque consilijs, Rotomagensem, uelut pontificis & Galliae regis procuratorem, Margaritam item Archiducis & Flandriae gubernatricem, Romanorum regis nomine, & Aragoniae regis oratorem, omnes cum eorum quorum agerent nomine mandatis de bello Venetis inferendo, ut quisque res suas ab illis occupatas reciperet, conuenisse: numerabantur autem haec a Pontifice, Fauentia, Ariminum, Rauenna, Ceruia: a Romanorum rege Patruium, Vicentia, Verona imperij nomine: Foruuiulij & Taurisum ad Austriam domum spectantes: ab Galliae rege Cremona, Giaradadda, Brixia, Bergomum, & Crema: ab Aragoniae rege portus & oppida ab Ferdinando Neapol. rege oppignorata: Galliae rex ipsemet in bellum proficisceretur, idque proximis calendis Aprilis auspicaretur: quo tempore simul & Pontifex & Hispanus arma mouerent: ut autem Caesar inducias non seruandi iustam causam haberet, Pontifex ab illo uelut pontificatus patrono opem imploraret: quo facto, Caesar saltem unum belli ducem ei mitteret, & quadraginta dies

ta dies postquam Gallie rex bellum inchoasset, ipsemet ad Venetorum imperium oppugnandum duceret: quicunq; illorum res suas recuperasset, ceteris donec sua prorsus recepissent, auxilium ferret: omnes ad uniuscuiusq; ipsorum cui Veneti ob recuperata oppida molestias afferrent, defensionem tenerentur: nec cuiquam cum Venetis absq; communi consensu pacem inire liceret: intra tres menses Ferrariensium dux, Mantuanus Marchio, et quicumq; suum aliquid a Venetis occupari censeret, huic foederi nomina sua dare possent: quo facto perinde atque ipsi foederis principes commodorum participes fierent, & singuli amissa per se recuperandi facultate haberent: Pontifex grauissimis interpositis poenis atq; censuris, Venetos ut res ad Pontificatum spectantes restituerent moneret: & controuersia quae inter Blancamariam Rom. Regis coniugem, & Ferrariensium ducem, ob Annæ eius sororis, quæ ducis uxor fuerat, hereditatem orta erat, iudex esset: Cæsar Gallie regi suo & Francisci Angolismensis, eorumq; masculæ proles nomine medianensis imperij diploma concederet: cuius rei gratia rex ei mille auri pondo persolueret: nec Cæsar, nec Archidux toto belli tempore, & sex menses post, in Aragoniæ regem, ob Castellæ administrationem, regniq; nomen aliquid noui molirentur: Pontifex Pannoniæ regem ad idem foedus hortaretur: singuli quadrimestri spacio socios ac foederatos suos, modò ne Venetos, uel foederatorum imperio subiectos beneficiarios uel nominaret: singuli foederis principes intra sexagesimum diem foedus ipsi confirmarent. Huic foederi addita est inter Archiducem & Gheldrensiū ducem pax: qua conuentum est, ut oppida eo bello Archiduci adempta restituerentur: Gheldres

autem quæ essent adempta minimè redderentur. Nouo fœdere hac ratione firmato, sed ijs quæ ad Venetos spectabant, quantũ fieri poterat celatis, Rotamagensis cardinalis, Lutetiano episcopo, & Alberto Pio Carpensis comite prius ad Cæsarem, ut Gallie regis nomine ab eo fœderis approbationẽ acciperet missis, sequenti die discessit: Cæsar autẽ id statim iurciurãdo eodem ritu, quo in cameracense templo promulgatum fuerat, cõprobauit. Hoc fœdus, etsi in scripto cum Põtificis & Arag. regis mandato atq; cõsensu factum esse expressũ fuerit, tamen sine illorum mandato uel cõsensu factum fuisse certum est: q; Cæsar & Gallie rex illos partim propriæ utilitatis ratione, partim quia ob præsentium rerũ status ipsorum autoritati neuter illorum repugnare esset ausurus, consensuros minimè dubitarent: præsertim uerò Aragonie regem, cui etsi hoc fœdus molestũ esset, quia Gallie regis potentiam nimium augeri metuehs, totius regni neapolitani securitatem, eorum quæ Veneti possidebant recuperationi anteponebat, tamen quæ in animo habebat tegens, & contra quàm sentiret præ se ferens, statim eodem modo comprobauit. Maior in Pontifice erat hæsitatio, cum pro eius consuetudine, hinc Aemilie oppidorum recuperandorum cupiditas, & in Venetos odium, illinc Gallie regis metus: præterquam quòd Cæsaris potentiam in Italiam extendi, sibi pontificioq; imperio periculosum censebat, in eo pugnaret: quare eius quod optabat partem pace quàm totũ bello consequi uilius ratus, senatum uenetum, ut sibi Ariminum atq; Fauentiã restitueret flectere conatus est: pericula quæ ex tot principum coniunctione imminebant, Pontifice in fœdus coeunte, longè maiora fore ostendens,

denis, quòd illos sacris atq; profanis armis persequi cogere-
 tur: sin uerò oppida pontificio imperio ipso regnã
 te adempta resituerent, se cum oppidis honore recupera-
 rato, ea quæ suo nomine, sed absq; suo consensu transa-
 cta fuerant, non comprobandi iustam causam habitu-
 rum: idq; foedus quod per se multa impedimenta ha-
 buerat, pontificia autoritate remota, faciliè uantum eua-
 surum: quòd ipsum quantum autoritate atq; industria
 posset, si non aliam ob causam, saltem ne in Italia Bar-
 barorum potentia, non minus pontificatui quàm alijs
 periculosa augetur, curaturum, certò sibi persuadere
 possent. qua de re uariæ erant in Senatu ueneto senten-
 tiæ: alij enim Pontificem ab alijs seiungi rem magni mo-
 menti fore existimabant: alij eam rem indignam, neque
 ad bellum arcendum idoneam ducebant: tandem illorũ
 qui ad meliorem tutioremq; partem hortabantur, sen-
 tentia superasset, nisi Dominicus Truifanus magnæ au-
 toritatis senator, & ex Marcia opulentissimæ ædis pro-
 curatoribus unus, qui honos in ueneta rep. post princi-
 pem summus est, surgens contrarium suafisset: qui mul-
 tis rationibus, magnaq; dicendi ui, Pontifici cuius cum
 ceteris foederatis cõiunctione uel alienatione, ipsorum
 pericula parum augerentur minuerenturue, repetita
 restituere, ab eius clarissimæ amplissimæq; reipub. di-
 gnitate & utilitate ualde alienum esse, persuadere co-
 natus est: nam quamuis ipsi, quo ipsorum causa minus
 turpis uideretur, pontificis in foedere percutiundo no-
 mine essent usi, re ipsa sine illo conuenissè, eamque ob
 causam ad res constitutas perficiendæ nihilo lentiores
 remissioresue futuros: è contrario autè Pontificis arma
 non eius uirtutis esse, ut tanto precio ea sistere deberets

nam etsi eodem tempore ab alijs oppugnarentur, eas ciuitates mediocri præsidio defendi posse: quas pontificiæ copiæ, quæ trito uulgi prouerbio militiæ dedecus esset, per se neq; expugnare, neq; ullum ad belli summam momentum asserre possent: nec in profanorum armorum motu atq; feruore, sacrorum telorum reuerentiam, minasue percipi, quæ nõ magis hoc bello ipsis nocere possent, quàm in multis alijs, & præsertim Ferrariensi nocuissent: quo, quin pacem ipsis honestam, & uniuersæ reliquæ Italiae, quæ tanto consensu eo tempore quo maxime opibus, armis, & uirtute florebat, aduersus ipsos conspirauerat, ignominiosam adipiscerentur, efficere nõ potuerant: & iure quidem: neq; enim uerisimile esse Deum opt. max. seueritatis & clementiæ, iræ atq; pacis suæ effectus, ambitiosissimi superbissimiq; hominis, uino, multisq; alijs turpibus uoluptatibus obsequētis, qui ijs ad cupiditatum suarum arbitrium, non ad iustitiæ, Christianæue reip. commodi rationem uteretur, potestati uelle permittere: nisi fortè in hoc Põtifice sacerdotalis fides cõstantior quàm ferè semper in alijs fuerat, existeret, quominus Fauentia Ariminoq; adeptis, se Rauennæ & Ceruiæ recuperandæ gratia reliquis copularet, quæ cautio haberi posset se minime cernere, nihilo maiore fidei datæ ratione habita, quàm propriũ ferè pontificum fuerit, qui ut morem suum legibus tueretur, inter ceteras leges Ecclesiam etsi omnes contractus, omnia promissa, omnia commoda percepta intercederèt, suorummet Antistitum rite factas obligationes reuocare, & ijs prorsus contraria facere posse sanxerunt: fœdus inter Maximilianum & Galliæ regem magno ardo re factum, sed reliquorũ animos minime similes esse: Ca
tholi-

tholicum namq; regem inuitum adhaerere: in Pontifice uerò cōsuetā inconstantia atq; suspicionum signa appa-
 rere: ideo nō magis Cameracēse fœdus, q̄ Tridentinum
 deinde Blesiacum eodem ardore ab eodē Maximiliano
 eodemq; Ludouico ic̄ta erant, metuendum esse: quòd cō-
 stitutis rebus perficiendis, multæ difficultates, quæ sua-
 pte natura uix explicari possent, repugnēt: idcirco præ-
 cipuum senatus studium, summamq; diligentiam in eo
 esse ponendam, ut Cæsarem ab eo fœdere disiungant:
 quod ob eius naturam, inopiam, & antiquum in Gallos
 odium facillè sperari possit: eoq; alienato, nullum belli
 periculum esse, quòd rex Gallia ab eo desertus, nō plus
 quàm hactenus fecisset, ipsis bellū inferre esset ausurus:
 in omnibus publicis rebus principia diligenter confide-
 randa, quod postea sine summo probro & periculo ab
 iam constitutis, diuq; retentis, discedere in hominū po-
 testate nō sit: patres ipsorum, ipsosq; semper apertè se
 ad maiora aspirare profitendo, omnibus occasionibus
 imperio augēdo operam dedisse: hinc omnibus partim
 timore, partim amissarum rerum dolore inuisos cuasiss-
 se: quod odium etsi magnam quampiam turbam gigne-
 re posse, multo antè sit animaduersum, tamen neq; tūc
 ipsos occasiones oblatas neglexisse, neq; nunc imminē-
 tibus periculis, etsi partem eorum quæ tenebant, cede-
 rent, occurri posse: quòd eorum quibus essent inuisi ani-
 mi hac ratione minimè, sed potius audacia ex ipsorum
 metu sumpta accenderentur: cum enim ueneti senatus
 per uniuersam Italiam, quod semel arripuisset nunquā
 dimittere, inueteratum esset, quis si nunc tam timidè
 contrarium fieret, id ex suprema sui ab ingruentibus
 periculis defendendi desperatione manare nō uideret?

si rem quantumuis minimam cedere inciperet, antiqua
 eius reip. existimationem atq; splendorem minui, & pe-
 ricula uehementer augeri: longè difficilius esse, ei qui
 inclinare coeperit, ea quæ relinquuntur uel à minimis
 periculis cōseruare, quàm ei qui dignitatem gradumq;
 suum tueri satagens, nullo cedendi indicio dato, prom-
 ptè se in eos qui se opprimere conantur conuertit: aut
 igitur audacter prima postulata reijcienda, aut ijs con-
 cēsis, alia multa concedenda esse: ex quibus breuissimo
 tempore imperij euersio, & propriè libertatis iactura
 sequerentur. Remp. uenetam, & patrum & ipsorumet
 memoria grauissima cum Christianis principibus bella
 gessisse, & ob constantiam animiq; magnitudinē semper
 retentam, gloriam ex eis retulisse. Debere ipsos ex præ-
 sentibus laboribus, etiamsi fortasse maiores uideretur,
 eundem successum sperare: quòd & potentia & autori-
 tas ipsorum maior esset: bellorum quæ à multis princi-
 pibus contra unum geruntur, terrorem periculo maio-
 rem esse solere: citò primos impetus deseruere: citò sen-
 tentiarum uarietate inter eos exorta, fidem debilitari:
 præterea debere eum senatum sperare, præter defensio-
 nem & apparatus quos ipsi per se facturi essent, Deum
 iudicem iustissimum, rempub. in perpetua libertate na-
 tam, atq; altam, totius Europæ ornamentum atq; splen-
 dorem minimè deserturum: neq; eam ciuitatem quæ tã-
 ta pietate, tantaq; religione tot annos Christianæ reip.
 agger ac propugnaculum fuit, falso belli aduersus Chri-
 stianæ religionis hostes adornandi colore, à principum
 ambitione conculcari passurum. Dominici Triuisani
 uerba ita maximæ partis animos commouerūt, ut quæ-
 dammodum iam ab aliquot annis ferè fatale in eo senatu
 erat.

erat, contra multorum prudentia autoritateq; insigniū patrum sententiam deterius consilium comprobatum fuerit. Idcirco Pontifex, qui fœderis probationem ad ultimum usq; præscripti temporis diē distulerat, tandem comprobauit: sed cum expressa declaratione, se nihil hostile in Venetos, nisi post bellum à Gallie rege cœptum, gerere uelle. Cum his grauissimorum bellorū seminibus finem habuit annus millesimus quingentesimus octauus: quo tempore Pisanorum res ad maximas angustias redactæ erant, indiesq; magis redigebatur, quoniā Florentini, præterquam quòd superiore astate agros illorum demessuerāt: & præterquam quòd eorum milites ex uicinis oppidis ad pisanas portas usq; excurrere nō intermittebant, ut comœatum mari importari prohiberēt, Bardellæ ex Portu Veneris filium cum aliquot nauibus ad stipendia sua acciuerant: quare Pisani terra mariq; obsessi, cum ob inopiam peregrinas naues militesue accersendi facultatem nō haberent, & lentè à uicinis iuuarentur, uix ullam amplius sui tuendi spem habebant: quibus rebus permoti Genuenses atq; Lucenses, ut magnam frumenti copiam Pisas importaret, tentare statuerunt: quod multis nauibus minoribus impositum, & duab. Genuensibus onerarijs, & binis alijs magnis, comitatum Spediam, deinde Viaregium uectum fuerat, ut inde Pisanorum mandato quatuordecim biremibus, quos Brigantinos uocant, alijsq; cōpluribus nauigijs Pisas ferretur. At Florentini, quia in eo frumēto importādo uel excludendo, Pisanū eo anno adipiscendarū spes desperatiōne omnis posita erat, id prohibere uolentes, classi quā prius habebāt, nauē unam Anglicā quæ forte fortuna in Ligurni portu erat, atq; aliquot myoparones

1509.

celocesq; è biremium genere addiderunt: & ut classem
 quantũ poterant terrestri apparatu iuuarent, omnem
 equitatũ, & magnũ peditum numerum è suis hominib.
 raptim collectum, ad omnia ea loca quibus hostilis clas-
 sis, siue per Arni, siue per Mortui fluminis ostium Arnũ
 ingressa Pisas peruenire posset miserunt: ad Arni ostium
 hostes uenerunt: cumq; florentina classis inter id ostium
 & Mortuum fluuiũ esset, & terrestres copiæ o-
 mnia oportuna loca occupassent, & tormenta in utra-
 que fluminis ripa qua transituri erant collocassent, se
 ulterius progredi nõ posse rati, tribus celocibus frumẽ-
 to oneratis amissis, in Genuẽsium oram redierunt. Quo
 successu, cũ uictoria ob comæatus penuriã certa pro-
 pmodum uideretur, Florentini quo facilius comæatum
 fluuio inuehi prohiberent, pontẽ ligneum Arno impo-
 suerunt, eumq; utrinq; propugnaculis munierũt: & ut
 eodem tempore uicimorũ auxilia remouerent, copiarũ
 parte prius quo Lucensium audaciã reprimerẽt Casci-
 a, ad Viaregiensem portum & tabernas, in quibus ma-
 gna erat Lucensium mercatorũ serici panni copia diri-
 piendas missa, cum Lucensibus, qui ea re territi, legatos
 Florentiã miserant, tandẽ cõposuerunt, ut inter utrãq;
 remp. fœdus ad mutuã defensionẽ per tres annos esset:
 Pisanos quouis modo iuuãdi facultate Lucẽsib. nomina-
 tim adẽpta: quod fœdus, si Florẽtini intra annũ Pisis po-
 tirẽtur, in annos xij. prorogatũ intelligeretur: hocq; fœ-
 dere urgente à Florẽtinis (quod tamen ipsis fraudi nõ es-
 set) Lucenses ob Pteræ sanctæ atq; Mutronis possessionẽ
 nulla molestia afficerentur. Sed longẽ maioris ad Pisas
 facilius adipiscendas momenti fuit, fœdus ab illis cum
 Galliæ atq; Hispaniæ regibus ietũ, quod multos men es

tractatum, uarijs erat difficultatibus impeditum: nam Florentini præteritarum rerum memoria cautioreſ facti, ne id ad magnam pecuniæ uim ab ipsis emigenda: in instrumentum eſſet, & Pisanæ res nihilominus in eodẽ statu manerent, uehementer metuebant: contra uero Gallia rex, moram ea ſpe ut Pifani, quorum anguſtiæ noſſimæ erant, ſua ſponte cederent artificioſe trahi exiſtimans, nolletq; Florentinos ullo modo, ni ſibi mercedem ſoluerent, ea urbe potiri, Bardellam ſuũ inſperij hominem ab eorum ſtipendijs diſcedere iuſſit: & Ciãmontio ut ſexcentos cataphractos Mediolano Piſaniſ auxiliõ mitteret imperauit, quare omnibus difficultatibus impedimentisq; remotis, in hanc formã pacti ſunt: Gallia Aragoniæ reges, nullã Piſanis opẽ auxiliũ mitterunt: ne quis ex ditione eorum, aut ex fœderatib; patrocinioũe ipſorum commendatis locis commeatu, pecunia, militæ, ullãue alia re iuuanto: Florentini ſi intra annum unum proximum Piſas recuperauerint, ſingulis quinquaginta aureorum numũm milliã certis temporibus numerãto: ex eo die quo Piſas receperint, in triennium fœdus inter ipſos eſto: quo tempore Florentini ad ea quæ illi in Italia habent tuenda trecentos grauis armaturæ equites dare tenentor: & ab utroq; illorum ad ſuam deſenſionem totidem, ut minimum accipiũto. His publicè conſtitutis, Hiſpano rege inſcio, noua capita, quibus ſe Gallia regi, iſdem temporibus, iſdemq; legibus, alia quinquaginta aureorum numũm milliã daturõs promiſerunt, addere neceſſe fuit: præterea duorum regum miniſtris aureorum numũm quicq; & uiginti milliã, quorum maxima pars ex Rotomagensis cardinalis arbitrio diſtribuenda erat, promittere coacti ſunt: quæ

pacta etsi cum grauiſſimo Florentinorum ſumptu eſſent, maiorem nihilominus apud omnes mortales illis regibus infamiae notam inuſit: quorum alter pecuniae gratia eam ciuitatem quam ſepius in fide ſua eſſe dixerat, & cuius (ut poſtea cognitum fuit) ſponte deditae Magnus Conſaluuſ eius nomine imperium acceperat, deſerendam ſtatuit: alter eorum quae ſepius Florentinis promiſerat immemor, uel iuſtam Piſanorum libertatem turpi precio uendidit, uel Florentinos, ut propriarum rerum iuſtè recuperandarum facultatem ab ſe emerent coegit: tantum hodie paſſim plus auri uis, quam honeſti ratio poteſt. Sed Piſanorum res in quas antea totius Italiae oculi conuerſi eſſe ſolebant, hoc tempore hominum animis ex maiorum rerum expectatione ſuſpenſis parui fiebant. Cameraceniſ namque foedere ab omnibus ſocijs comprobato, Galliae rex ſtatim maximos apparatus moliri coepit: & quamuis nondum ad minas & bellum indicendum deueniſſet, tamen cum res ultra diſſimulari non poſſet, Rotomagenſis coram uniuerſo regio ſenatu, cum Venetorum oratore, quod is ſenatus regio foedere amicitiaq; contempta, Cereſti coenobium in Cremeniſi agro muniret: in qua cum olim arx fuiſſet, pacis anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo quarto, inter Venetos & Franciſcum Sfortiam nouum Mediolanenſium ducem factae capitibus, ea lege ne Venetis ullo tempore eum locum munire liceret, diruta fuerat: ad cuius pacis capita, foedus inter regem & ipſos factum, in hoc atque in pleriſq; alijs referebatur, uehementiſſimis uerbis queſtus eſt: cumq; poſt paucos dies rex Lugdunum uentiſſet,

uenisset, iam eius copiae ad alpes superandas excedebant: & sex Heluetiorum millia eius nomine conscripta eodem tempore in Italiam descensum adornabant: ac praeter proprias aliorum quoque uiribus usus, à Genuensibus quatuor onerarias naues, à Florentinis quinquaginta aureorum nummum millia, ex illa summa quae Pisis adeptis debebatur, obtinuerat: à Mediolanensibus uerò oppidorum quae Veneti occupauerant recuperandorum auidissimis, mille auri librae ei dono datae: multi praeterea à Mediolanensi nobilitate, atque beneficiarij equos & arma ut regem ornatisimo comitatu sequerentur adornabant. At Veneti ingenti animo ad tantum bellum sustinendum se comparabant, pecunijs, autoritate, & totis imperij sui uiribus, tanta republica dignos apparatus facere conati: idq; eo alacrioribus animis, quòd admodum uerisimile uidebatur, si primum impetum sustinerent, horum principum malè concinnatam societatem facile ardorem remissuram, uel dissolutum iri: quibus in rebus summa cum senatus gloria, idem ardor, in ijs qui prius frustra, ut secunda fortuna moderatè uterentur suaserant, quàm in contrariae sententiae autoribus cernebatur: publicam enim salutem priuatae ambitioni anteponentes, autoritatem suam, alijs perniciosa consilia exprobrando, remediaue quae periculis ex illorum imprudentia natis adhibebantur impediendo, minimè augere nitebantur. Sed nihilominus cum penè uniuersum Christianum orbem, in se concitatum arma sumere animaduertent, Pontificis ab alijs separandi, praesertim cum illum si modò Fauentiam ei restituerent, contentum fore sperarent, occasionis

neglectæ iam poenitentes, quo ad eius fieri posset, tantum consensum infringere sunt conati: idcirco cum illo prima colloquia renouarunt, & noua cum Cesare & rege Catholico introduxerunt: cum Gallia uerò regē, siue odio, siue quòd nullam eius flectendi spem haberent, nihil tentarunt. Sed Pontifici quæ prius exoptauerat iam admittere non erat integrum: & Catholico regi; etsi fortè uoluntas non deesset, deerat tamen aliorum remouendorum facultas: Caesar uerò acerbissimo in Venetum nomen odio inflammatus non modo non est assensus, sed ne illorum quidem postulata audire uoluit, quoniam Ioannempetrum Stellam senatus scribam cum amplissimis mandatis missum, in suum conspectum admittere recusauit. Quare omnibus cogitationibus ad arma conuersis, undique ingentem equitum ac peditum numerum conscribebant, & multas nauces ad Aemiliae Flaminiaeq; oram, & Apuliae oppida tuenda, & ut in Benadum lacum, Padumq;, et alia uicina loca, è quibus Ferrariensium ducis, & Mantuani marchionis iniurias metuebant, miterent, instruebant. Sed præter hominū minas multi illos uel fatales, uel fortuiti casus terrebat: Brixienfis arx de cælo tacta, nauis à Senatu cum cætum auri libris Rauennam missa, in mari submersa: tabularium rei publicæ scriptis ac monumentis refertum, totū repente corruit: illud autem ingenti eos terrore compleuit, quòd eo die eademq; hora qua comitia habebantur, siue casu, siue occulta alicuius fraude, ignis in armentario, inq; eo loco in quo nitrum seruatur accensus quamuis ingens hominum multitudo ad eū extinguendum accurreret, uenti ui & fomento ad eum nutriendū augendumq; apto adiutus, duodecim tricemium corpo-

ta, & maximā tormentarij pulueris copiam absumpsit. His accessit quòd cum Iulium & Rentiū Vrsinos, Troilumq; Sabellum cum quingentis grauis armaturæ equitibus, & tribus peditum millibus ad stipendia sua acciuisent, Pontifex acerbissimis edictis, uelut Pontificij imperij beneficiarios atq; subiectos eos è Latio ne discederent coegit: & ad quindecim aureorum nummum millia stipendij nomine accepta retinenda, se ea Venetis ex eo quod de Aemiliæ uestigalibus perceptis pontificatui debebant, satisfacturum promittens, hortatus est. Senatus apparatus ad Gallie regis imperij fines præcipuè conuertebantur, cuius armis magis celerem ac ualidam impressionem expectabant, quoniam ab Aragoniæ rege, etsi reliquis socijs multa pollicitus esset, ut eius erat mos, signa tantum & rumores sine ullo magni momèti apparatu conspiciabantur: nec Cæsar in Flandria, ut à populis nepotis sui imperio subiectis uoluntariam pecuniam cogeret occupatus, bellum constituto tempore incepturus credebatur: Pontifex uerò magis aliorum uictoria, quàm proprijs armis fretus, ex sociorum progressu consilium capturus existimabatur: quin primus Gallie regis impetus in Giradadda, Abdua fluuio prope Castianum traiecto esset futurus, dubium non erat: idcirco ad Ponteicum ad Ollium amnem uenetus exercitus colligebatur: cuius imperator erat Pitiliani comes & Barptolomæus Aluianus castrorum magister, & Senatus nomine legati Georgius Cornelius, & Andreas Grittus patricij ambo clari, & cum ob ceteras uirtutes tum ob gloriam superiore anno ab altero Carnicis uictorijs ab altero Germanis Rouereto pulsus partam, insignes: qui de belli gerendi ratione deliberantes, non

modò inter se, sed & Imperator & Magister castrorum, sententijs dissidebant. Aluianus ingenio ferox, superioris anni felici successu elatus, ad persequendas speratas occasiones promptus, & tam in consilio capiendò, quàm in eo exequendo incredibili celeritate præditus, ut belli sedes potius in hostili regione poneretur, quàm in propria ditione expectaretur, in mediolanense imperium ante quàm rex Gallia in Italiam descenderet, irruptionem fieri suadebat. Sed Pitilianus siue (ut aiebat Aluianus) animi uigore senio hebetato, siue periculis longo usu, maiori prudentia ponderatis, & à fortuna sine maxima spe periclitanda alienus suadebat, ut Giaradaddæ oppidorum quæ nullius ad belli summæ momenti erant, iactura neglecta, exercitus prope Vreos, quemadmodùm olim in bellis inter Venetos & Mediolanenses, Franciscus Carmagnola, & post Iacobus Picininus suorum temporum clari nominis duces fecerant, castra metarentur: quæ castra quòd inter Olliam & Serium amnes sita sint, ualde sunt munita: atque ad omnia Veneti imperij oppida tutanda maximè oportuna: si enim Galli ipsos in illis castris oppugnare tentarent, ob loci naturam tuti certam ferè uictoriam sperari posse: si Cremonam, Cremam, Bergomũ, Brixiam uerpeterent, ad illarum urbium defensionem exercitum tutum in locum ad mouere: tanto quòque leuis armaturæ & Epirotarum equitum, commeatu ceteris quòque commodis interceptis, ullius momenti, oppidi capiendi facultatem illis adimere, hac quòque ratione se fortunæ minimè permitiendo, imperium uenetum facile à tam ualido tam quòque feroci regis impetu posse defendi. Quæ sententiæ ambæ à Senatu reiectæ fuerunt: Aluiani quidem consilium ut

nimis

nimis audax, Imperatoris autē ut nimis timidū, quodq; presentium periculorum naturam non ponderaret: senatui enim ex inueterata eius reipublicæ consuetudine, cautē progredi, & quamminimum fieri posset ex suamet potestate egredi magis placuisset: sed ab alia parte cogitabatur, si dum penē omnes ipsorum uires, in Galliæ rege repellendo essent occupatæ, & Romanorum rex ualido exercitu in ipsorum fines irrumperet, quæ arma, qui duces, quæ uires illi opponi possent: quam ob causam eam rationem quæ per se cautior tutiorq; uidebatur, incertam magis, magisq; periculosam fieri. Quare ut sæpe in contrarijs sententijs fit, mediam sequuti, ut exercitus Abduæ appropinquaret decretum fuit: ne Giaradaddam hostibus prædæ relinquerent, sed cum expresso senatus Veneti mandato atque iussu, ne sine magna spe uel necessitate cum hostibus prælio decertarent. Longè alia erat Galliæ regis pugne desiderio ardentis mens, qui Lotaringiæ duce & uniuersa gallici regni nobilitate comitatus, ut primū alpes superauit, Monioiam feciālem suam ad bellum Senatui Veneto indicendum misit: & quo citius bellum indictū dici posset, Cremona iter faciens, idem cum Venetis magistratibus faceret mandauit: & quamuis nondum omni exercitu collecto, donec ipsemet Casianū uenisset, nihil tentandū esse statuisset, nihilominus uel Pontificis qui tempus foedere constitutum elapsum querebatur stimulis, siue ut quadraginta dierū tēpus, quo Galliæ rex bellū mouisset, Cæsari ad inferendū præscriptū elabi inciperet, priore sententia mutata, Venetorū copijs, quia non omnes collectæ erāt, nondū Ponteuico profectis, Ciamontio ut belli initiū faceret imperauit. Primus tātū

incēdij motus fuit xv. Aprilis die, quo Ciamōtius Abdua fluuio ad Casianum cū tribus equitū millibus uado traiecto, et sex peditū millibus quos tormenta sequebātur, nauibus trāsuectis, Treuiū quod tribus Casiano passuū millibus distat, iter direxit: in quo oppido erat Iustinianus Mauroccnus uetus equitū Græcorū quos stratiotas uocant, legatus, & cum eo Vitellius Tiferinus, & Vincentius Naldius, qui militum quos in uicina oppida distributuri erant delectum habebant: hi Gallos in plures partes per agros dissipatos, nō ad oppidū inuadendū, sed ad excursiones in agris faciendas instructos rati, ducentos pedites & nōnullos Græcos equites in eos miserunt, cum quibus cōgressa Gallicarum copiarū pars, leui certamine eos usque ad portæ propugnaculū persequuta est: & paulo post reliquis aduenientibus, tormentisq; collocatis, cum minoribus tormentis propugnatores peterent, siue ducibus tam repentino impetu territis, siue oppidanorum defectione coacti, Ciamōtij arbitrio se dederunt: sic Iustinianus legatus, Vitellius, Vincentius & multi alij, & cum illis centum leuis armaturæ equites, & circiter mille pedites, qui ferè omnes, ex Lamonis ualle erant, ducentis modò Stratiotis fuga elapsis capti fuerunt: deinde Ciamontius cui nōnulla uicinia oppida deditioem fecerāt, cum omnibus copijs trans Abdnam redijt: eodemq; die Mantuanus marchio, uelut regius miles, à quo cētum cataphractis præfectus erat, ad Casalemaius, quod Castellum sine defensione ab oppidanis unā cum Ludouico Bono Veneto Magistratus ei traditum fuit, excurrit. Eodem quoq; die Roccalbertinus cum centum quinquaginta cataphractis & tribus pedicū millibus, nauali ponte Abdua fluuio ubi in

Padum

Padum influit traiecto, Placentia in cremonensem agrum excursionem fecit: in cuius agri alteram partem, milites qui in Laudensi presidio erant, Abduæ ponte imposito & omnes Briantiæ montis incolæ Bergomum usq; irruptionem fecerunt: quæ impressio eodē die quinq; ex locis facta, hostibus nullo in loco conspectis, maiore strepitum quàm facinora edidit: quoniam Ciamotius statim ut regis qui iam appropinquabat aduentum præstolaretur, Mediolanum reuersus est: & Mantuanus marchio qui Casale maiore capto, Asulam frustra tentauerat, Aluianum cum multis copijs ad Molarium pontem Ollium traiecisse certior factus, Casale maius deseruit. Hoc belli initio facto, Pontifex statim admonitionis nomine horrendum edictum diulgauit, in quo omnes oppidorum ad pontificium imperium spectantium, ueneti senatus occupationes, & in episcopatibus, multisq; alijs sacerdotijs distribuendis, & in sacris alijsq; ad sacrosanctæ sedis iudicium spectantibus causis apud profanos iudices tractandis, in eiusdem sedis libertatis, eiusq; autoritatis fraudem, autoritas usurpata, omniaq; præterita pontificiæ maiestatis læsæ, imperijq; contēpti crimina enumerabantur: præterea illos ante paucos dies, ut Bononiæ res contra eandem sedem turbaret, Bentiuolos perduelles, quibus unà cum illis qui eos acciperent, sacris interdictum esset, Fauentiam accersuisse: & ut intra uiginti quatuor proximos dies oppida occupata cum omnibus uectigalibus ab ipsis perceptis restituerent monebatur: quod ni facerent, nō modò uenetam urbem, uerumetiā omnes qui imperium illorum agnoscerent, quiue nō agnoscerent, uenetum aliquem admitterent, sacro interdicto subiectos fore: eosq; læsæ sacrosanctæ maiestatis

reos, atq; ab omnibus Christianis pro sempiternis hostibus habendos declarauit: illorum bona ubiq; terrarum occupandi, hominesq; in seruitutem abducendi, facultate concessa. contra quod edictum, fuit ab ignotis hominibus post paucos dies scriptum quoddam principis & magistratum Venetorum nomine Romam allatum, in quo post longam acerbissimamq; in Pontificem & Gallie regem orationem, ab edicto ad futurum concilium: & humana iustitia deficiente, ad Christi iustissimi iudicis & omnium supremi principis pedes, appellabant. Quo tempore, ut profanae minae sacro interdico adiungeretur, Monzioia fecialis, Venetias peruenit: & ad ducem atque patrum collegium introductus, bellum iam coeptum, potius uehementibus quam ueris iustisq; causis id exaggerans, Gallie regis nomine denunciavit: cuius orationi ubi nonnihil deliberassent, ab duce breuissimis uerbis responsum fuit: Postquam Rex Gallie ipsis eo tempore quo ob foedus quod ipsi nunquam uiolauerant, & quia ne ab eius amicitia discederent, Romanorum regem contra se prouocarant, maximam spem in eo habebant, bellum inferre statuisset, ut si tuerentur operam daturos, sperantes id se uiribus suis cum caussa equitate coniunctis prestare posse. Hoc responsum magis ex reipublicae dignitate uisum est, quam multis rationibus & uanis querelis contra eos qui se iam armis inuaserant usi essent. Sed quamprimum uenctus exercitus, in quo erant duo grauis, & tria partim leuis armaturae, partim Illyricorum equitum millia, peditum ex omni Italia selectorum quindecim millia, quae uere non minus ob militum fortitudinem, quam ob ducum peritiam atque uirtutem Italicae militiae flos erant, &

totidem

totidem ex proprijs agrestium delectibus, cum maxima tormentorum copia ad Ponteucicum conuenit, ad Fontanellam ad sextum ab Laudepompeia lapidem, sedem, ad Cremonam, Cremam, Carauagium & Bergamum, tutanda oportuna, posuit: ubi Ciamontij trans Abduam regressu, quodq; regius exercitus nondum totus esset coniunctus, Treuij recuperandi se occasionem natos rati, ex senatus uoluntate, sed contra Aluiani, ut ipse post aiebat, sententiam: qui hæc inter se pugnare dicebat, ne prælium cum hostili exercitu committeretur cauere: & ab alia parte eò in eos usque progredi, unde pedem referre in ipsorũ fortè potestate non foret: quod & si maximè possent, cum tanta ex eius exercitus estimationis diminutione fore, ut nimis magnũ ad totius belli summam detrimentum ea res esset allatura: eamq; ob causam, cum proprij, tum maximè totius Italicæ militiæ communis honoris gratia, se potius quàm tantæ ignominie assentiretur, mortem subiturum. Exercitus Ripaltam, ubi Galli nullum præsidium reliquerant, prius occupauit, ibique quinquaginta equitibus, & trecentis peditibus positis, Treuium oppidum parum ab Abduaremotum, & nonnihil in edito loco situm, in quo Ciamontius quinquaginta cataphractos, & mille pedites, Imbaltio, Frontalia Vascone, & Blanco equite ducibus reliquerat, accessit: & tormentis ab ea parte, quæ ad Cassianum uergit, ubi murus minus munitus erat, collocatis, quum tormenta magnum progressum facerent, qui intus erant sequenti die, saluis militibus, sed inermibus, ac ducibus captiuis, & ut oppidum libero uictoris arbitrio permitteretur, quod statim maiori eorũ qui uicerat, quàm eorũ

qui uicti erant clade direptum fuit, deditiōē fecerunt: quoniam rex Galliae ut hostilem exercitum circa Treuiū esse cognouit, eius loci penē ante oculos suos iactura, multum de existimatione sua detrabi ratus, statim ut oppidanis opem ferret, Mediolano castra mouit: & cū sequenti post Treuium captum die qui fuit Maij nonus ad fluuium prope Cassianū, ubi prius ob Cassiani oportunitatē absq; difficultate tres nauales pontes facti fuerant, peruenisset, totum exercitū traduxit: hostibus nullum impediēti signum facientibus, cum summa omnium admiratione, illos ociosē tātā primae partis quae fluuium traiecisset inuadendae occasionem amittere: & Triultio ubi copias sine impediēto traduci uidit, exclamante, Hodie, ô Rex Christianissime, uictoriam adepti sumus: quam occasionem Venetos quoque duces cognouisse, & arripere uoluisse manifestum est: sed neq; autoritate, neq; precibus, neq; minis unquam milites in direptione, & praeda occupatos educere potuerunt: cui rei cum nulla alia ratione prospici posset, Aluianus ut illos ad exeundum cogeret, oppidum incendi iussit, id autem remediū tam seruum fuit, ut Galli iam hostium ignauiam imprudentiamq; deridentes, summa letitia penitus traiecissent. Rex cū exercitu paulò plus mille passibus ab Venetorum castris, quae loco nonnihil edito, et loci natura atq; arte ita munito, ut sine manifesto periculo oppugnari non possent sita erant, castra locauit: ubi cū de progressus ratione inter duces deliberaretur, multi ex ijs qui regijs consilijs intererant, Caesaris arma mox sonitum editura rati, ut cunctanter progredetur suadebant: nam cum in praelijs melior sit eius qui oppugnationem expectat, quam oppugnātis conditio,

necessi-

necessitatem uenetos duces, cum se id imperium ex tot partibus tueri non posse animaduertent, ad prælium ineundum, impulsuram. Rex autem, siue quòd Rom. regis motus seros fore metueret: siue quòd cum ipsemet cū omnibus regni sui uiribus adesset, nō modò magnam de uictoria spem conciperet, uerum etiam nominis sui gloriam, nisi per se absq; aliorum ope bellum cōficeret, uehementer minui: & contrà, sua potentia atq; uirtute reliquos socios nō minus se uictoriæ præmijs frui, sibi maximæ laudi fore cēseret, dummodo pugnae locum cuius situs pugnantium uirtutem superare non posset, nanciscerentur, secus sentiebat: ab alia parte senatus atq; Venetorum duces, consilia sua Cæsaris metu minimè accelerantes, locis tam sibi quàm hostibus æquis, nunquam sed semper in tutis ac munitis castra metantes, eodè tempore prælij necessitatē uitare, & Gallos ab alicuius momenti progressu faciendo impedire statuerant. His consilijs uterq; exercitus per integrū diem immotus stetit: & quamuis crebræ inter expeditos equites concursiones fierent, & Galli tormentis ulterius promotis, pugnae occasionem quærent, maior tamen motus nō est factus. Postero die rex Ripaltam uersus, ut num eius oppidi tuendi desiderio Itali mouerentur, periculum faceret, castra mouit: quos cum non moueri cerneret, ut saltem eos ad pugnam uenire non audere tacitam confessionem exprimeret, cum omni exercitu ad pugnam instructo, per quatuor horas ante illorum castra, illis nullum alium motum, nisi quòd munitis castris minimè desertis, instructam aciem ad Gallorum frontem conuerterunt, facientibus constitit: interea uerò tormentis ab regiarum copiarum parte ad Ripaltæ muros cōuectis,

paucarum horarum spacio expugnata fuit: in eaque Rex, non parum ob hostium belli gerendi rationem, quorum consilium quanto magis displicebat, tanto laudabat magis, animi anxius eadem nocte cum omni exercitu statiuā habuit: sed ut eos ad id quod sponte facere nolebant, trahere tentaret, ubi unū diem Ripaltæ moratus esset, ea in discessu incēsa, ut ad Vailam uel Pandinū proxima nocte metaretur, se ex quouis horum duorum locorum facile hostibus comteatum qui Cremona & Crema uehebatur impedire posse: sicq; ad castra in quibus hactenus fuerant, deserenda cogere posse sperans, castra mouit. Quenam essent regis consilia Veneti duces agnoscebant: nec quin castra munita hostibus uicina, ut in iisdem laboribus impedimentisq; detinerētur, habere necesse esset, dubitabant: sed Pitiliani comes castra ante sequentem diem non mouenda esse suadebat; tamen Aluianus tam uehementer in contrariam sententiam omnino præoccupandum esse afferens institit, ut confestim castra mouere statuerint. Duo erant itinera, quibus ad suprascripta loca perueniri poterat: unum depressius Abduæ fluuio uicinum, sed cum flexuosum esset longius erat: alterum ab fluuio remotius, sed breuius, quoniam rectum erat, & (ut dici solet) hoc quasi per arcus funem, illud per ipsum arcum, inferius iter regius exercitus tenebat: in quo supra duo cataphractorū, sex Heluetiorum peditum, & duodecim partim Vasconū, partim Italorum, millia esse dicebantur: tormentis optimè instructus, & cum magna fabrorum copia. Superiori itinere & ad dexteram hostem uersus progrediebatur uenetus exercitus, in quo duo grauis armaturæ equitū, supra uiginti peditum millia, & magnus partim

Italorum, partim ab Venetis, & Græcia expeditorum equitum numerus esse ferebatur: equites Græci præcurrebant, sed non quantum solent extendebantur: uepretis enim arbusculisq; quibus inter utrumq; exercitum regio erat referta, impediabantur: quod etiam in causa erat, ut duo exercitus se inuicem non uiderent: quo modo dum progrediuntur, & uenetus exercitus semper maiorem itineris progressum facit, eodem tempore gallici exercitus primum agmen, cui Carolus Ambosius, et Io. Iacobus Triultius præerant, in quo erant quingenti cataphracti, & Heluetiorum cohortes, & Venetorum nouissimum, cui Bartholomæus Aluianus imperabat, in quo erant octingenti grauis armaturæ equites, & fere totius exercitus peditum selectissimi, sed qui non satis seruatis ordinibus Aluiano eo die pugnandum fore nõ opinante incedebant, ualde inuicem appropinquarent: quod ubi Aluianus animaduertit, siue consueto ardore incitatus, siue quòd se eo loci redactum, ut prælium committendum necessario cerneret, statim sua uel necessitate, uel consilio, Pitiliano qui cum altera copiarum parte præcedebat, significato, ut ad se iuuandum ueniret petijt: cui Comes, ut incederet, & præliũ uitaret, sic enim belli rationem postulare, & hanc ueneti senatus mentẽ esse, respondit. Aluianus autem interea peditibus suis cum sex tormentis, in paruulo quodam aggere ad tormentis cuiusdam, qui tunc aqua carens inter utrumq; exercitum erat, cursum impediendum facto, collocatis, tanta uirtute, tantoq; impetu impressionem in hostes fecit, ut eos perturbarit: hac in re adiutus, quòd pugna in uenetis quibusdam cœpta erat, ubi Galli propter uites equis suis expedite uti non poterant: sed Gallici e-

xercitus robore, in quo erat rex ipse, huius periculi causa progresso, duo prima agmina in Aluiani milites impetum fecerunt: qui maxima uictoriæ spe ex felici principio concepta, huc atq; illuc uolitans, milites suos uehementissimis uerbis accendebat & incitabat: utrinque Gallis suorum ope uires animumq; resumentibus, & prælio in apertū locum ubi equis quibus longè superiores erant liberè uti poterant pertracto, ualde ferociter pugnabatur: regis quoq; qui non maiore ac si priuatus miles fuisset, sui habita ratione, tormentorum periculo expositus, suis, ut opus erat, imperare, hortari, ac minari non desinebat, præsentia non parum incensi: ab alia parte, Itali pedites primo successu audaciores facti, incredibili uirtute dimicabant: neq; Aluianus in ullo præstantissimi militis atq; imperatoris munere obeūdo deerat: tandem ubi circiter tres horas summa uirtute pugnatum esset, Venetorum copiæ ingenti aperto in loco ab hostium equitatu clade accepta, præterea solum copioso imbri dum pugnabatur incumbente ita lubricum factum, ut milites pedem figere non possent, minime paruum impedimentum afferebat: præsertim uerò suorum auxilio destituti, magno cum incommodo pugnare cœperunt: nihilominus eximia uirtute, sed iā uincendi spe amissa, potius pro gloria quàm pro salute pugnantes, Gallis uictoriam cruentam, & aliquo temporis spacio dubiam, fecerunt: & ad extremum amissis potius uiribus, quàm animi uirtute, tergo hostibus nunquā obuerso, omnes serè eodem in uestigio cæsi occubuerunt: inter quos ualde celebratum fuit Petri nomen, qui erat è Montis sanctæ Mariæ in Hetruria, marchionum familia unus, Pisanis bellis Florentinorum merens stipen-

stipendia exercitatus, peditū dux: & tunc in Veneto peditatu uni legioni praefectus: ob hanc igitur tam fortem unius tantummodo exercitus partis uirtutem, tunc multorum constans opinio fuit, si totus Venetorum exercitus praelium inisset, uictorem futurum: sed Pitilianus cum maxima copiarum parte, siue quod, ut ipse aiebat, cū pugnam initurus se conuertisset, ab agmine fugiente fuisset impeditus: siue, ut fama fuit, quod cum uincendi spem non haberet, & Aluianum contra autoritatem suam pugnare ausum fuisse aegretulisset, eam copiarum partem conseruari, quàm totum exercitum alterius temeritate amitti melius duxisset, praelio abstinuit. In hac pugna pauci equites perierunt: maxima enim strages in Venetorū peditatu fuit: ex quibus nonnulli octo millia, alij utrumq; tantum sex millia aiunt cecidisse. Aluianus captiuus altero oculo, & facie tota contusa & liuida, ad regis tentorium perductus est: uiginti magna tormenta capta, reliquus exercitus nemine persequente euasit. Hæc fuit celebris illa Giaradaddæ, siue ut alij appellant Vaile pugna, quartodecimo Maij die commissæ: in cuius memoriam, rex eo in loco in quo pugnatū fuerat, Sacellum, cui Sanctæ Mariæ Victoriæ nomen indidit, ædificari iussit. Tantam uictoriam adeptus rex, ne occasionem uirtute atq; fortuna partâ negligentia corrumperet, sequenti die Carauagium exercitum duxit: & oppido statim deditione capto, tormentis arcem uerberauit, quæ unius diei spacio ad eius arbitrium dedita est. Proximo die Bergomates exercitus aduētum minime expectato sese illi dediderunt: ubi quinquaginta cataphractis & mille peditibus ad arcis oppugnationem relictis, Brixiam iter direxit: quò antequam peruenisset,

Bergomensis arx unum diem tormentis petita, ea lege deditiōē fecit, ut Marinus Georgius & reliqui Veneti magistratus captiui essent: quoniam rex non tam odio, quam multæ pecuniæ eliciendæ spē ductus, in locorum deditiōibus nullam legem qua patricij Veneti seruarentur admittere statuerat. In Brixianis uctus illa propensio, qua auorum suorum temporibus in Philippinaria Vicecomitis bellis, grauissimam obsidiōē, ut se sub ueneto imperio conseruarent sustinuerant, non amplius uigebat: sed partim gallicorum armorum terrore, partim Ioannis francisci Gābaræ comitis, Gibellinæ factiōnis principis suasionibus, ad sese Gallis dedendos propensio, die quæ pugnam sequuta est, urbis portas occupauerāt, Georgio Cornelio, qui summa celeritate eō profectus, præsidium imponere uolebat, apertè repugnantes: deinde eum Venetus exercitus numero non tam obcladem in pugna acceptam, quàm quia ut in huiusmodi temporibus accidere solet, multi spōte discedebant, plurimū imminutus, ubi appropinquasset, Andrea Gritti, qui Brixiam, ut eos ad præsidium admittendum flecteret ingressus erat, autoritatē & preces contempserunt: quare exercitus cū se eō in loco minimè tutū existimaret, Pischeriam uersus contendit: & Brixiani Gambaræ familiæ hominibus huius cōsiliij autoribus, Gallia regi urbem dederunt: & idem similiter de arce biduo, omnibus ijs qui intus erant, præter patricos Venetos, liberè abire permissis, factū est. Vbi uerò tantæ cladis nuncijs Venetias allatus est, quantus fuerit omnium communis moeror atque terror, quamq; omnium animi, tam aduersis reb. minimè assueti, imò sc̄rè semper ex omnib. bellis uictoriam reportare soliti, perturbati obstupuerint,

rint, ne cogitari quidem, nedum monumentis mandari possit: & pro tanta gloria amplitudineq;, qua ante paucos menses totius Italiae imperium animo præcipiebāt, imperij iactura atque extremae patriæ ipsorum cucursiones periculo ob oculos uersante, ab omnibus ciuitatis partibus, cū maximis clamoribus & miserādis lamentationibus ad Martianam ædem concursus fiebat: ubi senatoribus quid in tam graui casu faciendum esset deliberantibus, post multam consultationem rerum desperatione consilium uincebatur: tam imbecilla atque incerta erant remedia: tã exigua & frè nulla salutis spes: se alios duces aliásue copias ad defensionē præter illas, quæ ex pugna animo & uiribus exute supererant, nullas habere: populos ditioni ipsorū subiectos, uel ad defensionem propensos, uel incommodis periculisq; ipsorum caussa ferendis alienos esse: Gallia regem cum potentissimo exercitu uictoria elatum, cuius solo nomini omnes cessuri essent, ad secundæ fortunæ cursum sequendum paratum esse cogitantibus: quòd si illum solum sustinere non potuerant, quid Romanorum rege, qui iam finibus ipsorum appropinquare audiebatur, & nunc tanta occasione allectus, iter acceleraturus esset, arma infesta inferente fieret? undiq; pericula & desperationem cum paucissimis salutis indicijs apparere: & quis præstare possit, quo minus in ingenti hominum multitudine referta ciuitate, partim prædæ cupiditate, partim plebis in patricios odio, perniciosus aliquis tumultus excitaretur? Iam quod extremi terroris est, omnia aduersa quæ sibi euenire posse proposuerāt, certissima existimabant: & tamen animis in tanto pauore ut poterant resumptis, summam ut quauis ratione cum Ponti-

fice, Romanorum rege, atq; Hispano in gratiam redirent, diligentiam adhibere statuerunt, de Gallia regis animo mitigando nihil cogitantes: quoniam non minus eius in se odio diffidebant, quàm eius arma metuebant: & tamen interea defensionis consilijs minimè abiectis, pecunijs comparandis operam dare, nouas copias terrestres conscribere, & classem quæ Genue parari dicebatur metuentes, classem suam cui Angelus Treuisanus præerat, ut triremes numero quinquaginta essent, augere. Verùm enimuero Gallia regis celeritas omnia ipsorum consilia præuertebat: cui post Brixiam captam Cremona (arce excepta) dedita fuerat: quæ arx etsi munitissima erat, aliarum tamen exemplum sequuta esset, cum præsertim iisdem diebus Picighitonensis arx idem fecisset, si rex omnes liberos incolumesq; abire permisisset: sed cum multi Veneti patricij in eam sese conclusissent, & inter ceteros Zacharias Contarenus homo ditissimus, nisi isti in suam potestatem uenirent, deditiōem admittere nolebat: idcirco militibus ad eam obsidendam missis, cum Venetorum copiæ, quæ quotidie minuebantur, in campo Martio prope Veronam, quod eas Veronenses introumittere noluisissent, castra haberent, rex Pischeriam quæ iam deditiōem fecerat, ad arcem oppugnandam progressus est: quam ubi tormentis uerberare coepisset, Heluetij atq; Vascones, per angustas muri ruinas maximo impetu in eam irruerunt: & militibus qui circiter quadringenti in ea erant cæsis, arcis qui & oppido præerat præfectum, patricium Venetum, ceperunt: qui regis iussu unà cum filio ad muri pinnas suspensus fuit, quod usque ad eò immane facinus ab rege id eò factum est, ut qui in cremonensi arce erant, hoc

exem

exemplo territi, se non ad extremum usque tuerentur. Sic rex Gallie quindecim post uictoriam diebus, praeter cremonensem arcem, quae ex diuisione cameracensi ad se spectabat adeptus erat, ad mediolanensem quidem imperium ualde oportuna, & quibus regijs uectigalibus singulis annis ultra mille auri pondo accedebant. Quo tempore, cum Romanorum regis arma nullo adhuc in loco audirentur, Pontifex cum quadringentis grauis, totidem leuis armaturæ equitibus, et octo peditum milibus, cumq; Ferrariensium ducis tormētis, quem Pontificij imperij Vexilliferum nuncuparat, qui honos ex temporum nostrorum consuetudine plus habet dignitatis quàm potestatis, Aemiliae oppida inuaserat: huic exercitui praerant Franciscus ex Castello riuui, Papiensis cardinalis cum Pontificij legati honore, & Franciscus maria Ruereus, Ioannis Pötificis fratris nepos, qui Guidobaldo Vrbinatum duce auūculo adoptatus, eaq; adoptione pontificia autoritate in pontificio Senatu confirmata, superiore anno, illi sine alijs liberis defuncto successerat. Cum hoc exercitu Cesena Ceruiam uersus progressi, inde inter Imolam Fauentiamq; uenissent, Solariolum oppidum ceperunt: & aliquot dies ad Bastiam, quae ad tertium à Fauentia lapidem est, commorati, Bersigellam, uallis Lamonis præcipuam oppidum contenderunt, quo ingressus erat Ioannes paulus Mansfronus cum octingentis peditibus & equitibus aliquot, qui ad certamen egressi, in insidias perducti, tã atrociter ab Ioannepaulo Ballione, & Ludouico Mirandulano, qui in Pontificio exercitu ordines ducebant, petiti sunt, ut in oppidum fugientibus hostes eis permixti unà ingrederentur: idq; tanto impetu, ut Mansfronus ex equo

delapsus, uix tantum haberet temporis ut in arcem posset confugere: contra quam cum tormenta essent collocata, primo ictu tormentarius puluis qui in ea erat conflauit: quo casu territi defensores, absq; ulla pacatione uictoris se arbitrio permiserunt. Valle tota occupata, exercitus in planitiem descendit: & Granariolo omnibusq; alijs Fauentini agri oppidis captis, ad Rusium castellum inter Fauentiam & Rauennam positum, expugnatum uerò minimè facile, quoniam amplis atque altis fossis circumdatum, à sexcentis praesidiarijs militibus defendebatur, castra locauit: expugnationem uerò difficiliorem reddebat, quòd in Pontificio exercitu id consilium eaq; concordia quae necessaria fuisset, quamuis uires abundarent, non erat: recenter enim tria Heluetiorum millia pontificio stipendio conducta uenerant: eam ob causam etsi Veneti in Aemilia minimè potentes essent, haud magni progressus aduersus eos fiebant: cumq; Ioannes Graecus, cum sua Stratiotarum turma Rauenna egressus esset, ab Ioanne Vitellio uno ex Pontificij exercitus ducibus suis captusq; est: nihilominus cum decem dies circa Rusium fuissent, deditioe eo potiti sunt: & uictoria hoc ipso tempore ab Galliae rege parata, Fauentini qui, quòd pauci Venetorum milites adessent, sui iuris erant, nisi intra quindecim dies auxilium acciperent, se pontificium magistratum admissuros pacti sunt: quo facto, quingenti Venetorum pedites, sub Pontificij legati fide egressi, Urbinate iussu spoliati fuerunt. Idem & Rauennates quamprimum exercitus appropinquauit, fecerunt. Sic Pontifex potius uictoriae ab Galliae rege parte existimatione, quam proprijs armis, tantopere exoptata Aemiliae oppida adeptus est:

qua

qua in prouincia Veneti nihil amplius præter Rauennæ arcem obtinebant: aduersus quos quotidie noui hostes exoriebantur: quoniam Ferrariensium dux, qui se ad eam usq; diem declarare noluerat, repente Vicedominum (sic enim appellant magistratum quem Veneti ueteri fœdere Ferrariam, ut suis ibi ius diceret, mittere solebant) Ferraria eiecit: & sumptis armis absq; ullo impedimento Rodiginam Polinesum recuperauit: atque Venetorum classem, quæ in Athesi erat, tormentis submersit: & Asula atq; Lunatum, quæ oppida Veneti olim in bellis quæ cum Philippomaria Vicecomite gesserunt, Ioannifranisco Gonzagæ Mantuani marchionis proauo ademerāt, marchioni se dediderūt. In Isiria Christophorus Frangipanis, Pisinium, Duiniumq; occupauit: & Bransuicensium dux Cæsaris iussu Foruuiulij cum duobus coactorum militum millibus ingressus, Feltrium atq; Bellunium cepit: cuius aduentu & ad Gallorum uictoriæ famam, Tergeste, ceteraq; oppida quorū causa tot mala aduersus Venetos originem habuerant, sub Cæsaris imperium redierunt: Lodronij quoque comites nonnulla ipsis uicina castella, & Tridentinus episcopus, simili motu Ripam Tridentinam & Agresium occuparunt. Ceterum nulla res Venetos post Vaile cladem ita terruerat, ut Pischeriæ arcis expugnatio, circa quam, quod esset munitissima, uictoris impetum sistendū esse sibi persuaserant: quare tot rebus aduersis perterriti, & ne Galliæ rex ulterius progredieretur summo opere metuentes, rerum suarum desperatione, ac metu potius quam consilio ducti, copijs suis, quæ absq; disciplina ullōue ordine ad ualde exiguum numerum reductæ erant, Mestriū contractis, ne tot hostes haberent,

atq; etiam ut Gallie regi Venetias appropinquandi occasione adimerent, fortè nimis præcipiti consilio, continentis imperio cedere statuerūt: neq; enim extra metum erant, quin aliquis in ea urbe tumultus, uel à populo, uel ab innumera peregrinorum qui ibi agunt multitudine concitatus oriretur, his quidē prædæ cupiditate tractis, illis uerò quòd cum ciues sint, longa successione in eadem ciuitate nati, imò multi eiusdem sanguinis, ex iisdemq; familijs ab honoribus excludantur, ac penè omnibus in rebus patricijs parère cogantur, ferre nolentibus: cuius etiam rei hæc in Senatu ratio adducta fuit, si sponte præsentium periculorum uitandorum gratia de imperio cederent, secunda fortuna si id aliquando contingeret redeunte, facilius recuperaturos: quoniam populi sponte ab ipsis sacramento soluti, nō tam inuiti sub pristinum imperium redirent, ac si apertè rebellassent: quibus rationibus permoti, Venetæ uirtutis & tam illustris reipub. splendoris obliti, salsarum aquarum imperio contenti, magistratibus, qui Patauij, Veronæ alijsq; Maximiliano destinatis in oppidis erant, ut ijs in ciuium potestate relictis inde discederent, mandarunt. Et præterea ut illum aliqua ratione ad pacem flecterèt, summa celcritate Antonium Iustinianum legatum ad eum miserunt: qui ad Cæsaris conspectum in publico confesso admissus, miserè & submissè, admodum sed frustra, quia Cæsar nulla de re absq; Gallie rege pacisci uolebat, loquutus est. Nec ab instituto nostro alienum uidetur, si, ut quàm animo consternata esset ea ciuitas quæ iam ab ducentis uel pluribus annis huic parem aduersam fortunam nō senserat, melius perspiciatur, eam ipsam orationem quam ille latinis uerbis coram Cæsare habuit,

habuit, hinc inferuero, quæ huiusmodi fuit: Veteres Philosophos, atq; summos illis temporibus uiros, Inuictiss. Cæsar, cum eam gloriam, quæ ex suis ipsius uictoria comparatur, ueram, firmam, eternam, immortalamq; esse affirmarunt, eamq; supra omnia regna, trophæa atq; triumphos extulerunt, minime errasse manifestum certumq; est: hæc Scipioni maiori tot uictorijs claro, maiorem splendorem quam Africa deuicta & Cartago domita dedit. Nonne hæc eadem res magnum illum Macedonem immortalitate donauit? cum Darius maximo prælio ab illo uictus, deos immortales ut regnum suum stabiliret precatus est: quod si secus statuissent, se non alium successorem quam tam benignum hostem, tam mansuetum uictorem ab illis petere. Cæsar ille dictator, à quo Cæsaris cognomen habes, & cuius fortunam, liberalitatem, magnificentiam, aliasq; uirtutes obtines, nonne concedendo, remittendo, condonando, qui in deorum numerum referretur dignus est iudicatus? Denique Senatus populusq; Rom. ille mundi domitor, cuius imperium in terris in te solo est, cuiusq; amplitudo & maiestas in te conspicitur nonne plures populos atq; prouincias, clementia, æquitate, & mansuetudine, quam bello armisq; imperio suo subiecit? Quæ cum ita sint, minime inter postremas laudes id tibi adscribetur, Cæsar, si cum uictoria aduersus Venetos in potestate tua habeas, quæ humane res caducæ sint memor, ea moderatè uti noueris, magis ad pacis studia, quam ad dubios belli euentus propensus: quanta enim rerum humanarum inconstantia sit, quæ incerti casus quàm dubius, uarius, fallax, obnoxiusq; periculis sit mortalium status, externis priscisq; exemplis ostendere non est opus: satis superq; ueneta respub. docet: quæ paulo

antè florens, splendens, clara, atq; ita potens erat, ut eius nomen & fama non iam Europæ finibus contiueretur, sed egregia pompa Africam, Asiamq; percurreret: atq; in extremis orbis terræ terminis magno cum plausu resonaret: hæc eadem nunc unico eoq; leui aduerso prælior rerum gestarum gloria orbata, opibits spoliata, lacerata, conculcata, atque euerfa, omnium rerum ac præsertim consilij egens, ita corruit, ut omnis pristina uirtutis imago consenuerit, omnisq; armorum ardor defuerit. Sed falluntur proculdubio, falluntur Galli, si hæc propriæ uirtuti tribuunt: antehac enim Veneti grauioribus incommodis agitati, maximis detrimentis claudibusq; percussi atque attriti, nunquam animum abiecerunt, ne tum quidem quum ingenti periculo cum sæuissimo Turcarum tyranno multos annos bella gesserunt: imò semper ex uictis uictores facti sunt: idem & nunc sperassent, nisi maiestatis tuæ tremendo nomine, copiarumq; tuarum uiuida inuictaq; uirtute audita, ita omnium animi concidissent, ut nulla non modò uincendi, sed ne obsistendi quidem nobis spes relicta fuerit: quocirca armis abiectis, in maiestatis tuæ incredibili clementia, uel potius diuina pietate spem omnem locauimus, quam nos rebus nostris perditis inuenturos minimè diffidimus. Itaque principis, senatus, populiq; ueneti nomine, humili deuotione supplices oramus, obtestamur atque obsecramus, ut clementiæ tuæ oculis res nostras afflictas respicere digneris, ijsque salutarem medicinam asferre: omnes pacis leges quas tu nobis imposueris amplectemur: omnes iustas, honestas, & ab æquitate rationeq; minimè alienas ducemus: sed fortasse qui nobis ipsis multā imponamus digni sumus. Ad te uerum
& le-

& legitimum principem omnia quæcunq; maiores nô-
 stri sacro Imperio et Austriæ ducatu ademerūt redeāt:
 quibus ut decentius ueniant, omnia quæcunq; in conti-
 nenti possidemus adiungimus, quarum rerum iuribus
 quocunq; modo partis cedimus: præterea quotânis tuæ
 maiestati, & legitimis imperij successoribus in perpe-
 tuum quingenta auri pondo tributî nomine pendemus:
 imperijs, decretis, legibus, præceptisq; tuis libenter ob-
 temperabimus: defende nos quæso ab illorum, cum qui-
 bus paulò antè arma nostra coniunximus, insolentia:
 quos nunc seuißimos hostes experimur: qui nihil aliud
 expetunt quàm Veneti nominis interitum. tua ista cle-
 mentia conseruati, te urbis nostræ parentem, genitorē;
 conditorēq; appellabimus: ingentia beneficia tua in an-
 nales referemus: liberis nostris perpetuò memòrabi-
 mus: nec uerò parua hæc erit ad tuas laudes accessio, te
 primum esse ad cuius pedes ueneta resp. suplex se humi
 prosternat, cui ceruices supponat, quem uelut deum cœ-
 lo delapsum colat, reuereatur, obseruet. Si Deus opt.
 max. eam mentem maioribus nostris dedisset, ut res a-
 liorum attingere non studuissent, iam nôstra republi-
 ca gloriæ plena, reliquas Europæ ciuitates longè supe-
 raret: quæ nunc in squaliore, sordibus & fæctore languē-
 scens, ignominia, probroq; deformis, ludibriò atq; cō-
 tumelia referta unico momento omnium uictoriarum
 laudem amisit. Sed ut unde inœpit, eò mea reuertatur
 oratio, in tua potestate est Cæsar, Venetis tuis ignoscē-
 do & condonando nomen laudemq; comparare, quæ
 nemo unquã uincendo maiorem splendidiorēq; ade-
 ptus est: hoc monumentū nulla uetustas, nulla antiqui-
 tas, nullum temporum cursus ex mortaliū mentibus de-

lebit: sed omnia secula te pium, clementem, omnium principum gloriosissimum appellabunt, prædicabunt, confitebuntur: nos tui Veneti quod uiuemus, quod auras celestes carpemus, quod hominum commercio fruemur, id omne tue uirtuti, felicitati, elementisq; tribuemus.

Veneti eodem consilio proprium hominem in Apuliam miserunt, ut eius prouinciæ portus Aragoniæ regi traderet: qui cum alienorum laborum fructu sine sumptu & sine periculo frui noscet, exiguam classem ex Hispania miserat, quæ nonnulla parui momenti oppida in illarum urbium agris occupauerat. In Aemiliam quoq; publicum scribam cum mandatis, ut Pontifici, si Io. Paulus Manfronus & ceteri captiui dimitteretur, si tormenta abducere liceret, & milites qui in Rauennati arcæ erant incolumes exirent, quæ adhuc possidebant traderet miserunt: in quibus dum Pontifex ne socios offendat se difficilem præbet, Rauennatum arx deditionem fecit: quoniam milites qui in ea erant, Venetorum scribæ qui eam ingressus erat repugnante, eam ipsi dediderunt: nam qui ipsorum Romæ negocia procurabant, Pontificem tandem ijs conditionibus, quibus restitutionem obtulerant, consensurum spem faciebant: sed Pontifex interea ipsos magis in se, quam in Casarem Aragoniæ uel regem contumaces fuisse grauius exposulabat: ideoq; Grimo Cornelioq; Venetis cardinalibus senatus nomine, ut eos interdicto, quemadmodum iure deberet, cum intra præscriptum uigintiquatuor dierum tempus restitutionem obtulisset, liberaret petentibus: illos, quod non integre, sed præscriptis legibus obtulisset, & quia ut præter oppida, fructus quoque perceptos, & omnia bona ad templâ religiososue spectantia, quæ possiderent restitu-

tuerent, moniti fuerant, nō paruisse respondit. Hoc pacto Venetæ reipub. res maximo & penè stupendo impetu in præceps ruebāt, calamitatibus alijs super alias cōtinenter cumulatis: quauis spe proposita deficiente: neque ullo indicio, ex quo saltem se post tanti imperij iacturam, propriam libertatē retenturos sperare possēt, apparente. Hac tanta tamq; præcipiti ruina, Italarum animi uariè afficiebantur: pars enim summam uoluptatem capiebat: illos summa ambitione usos: iustitia fideq; postpositis, omnia quacunq; occasione occupare ausos: atq; ad totius Italiæ imperium manifestè aspirasse recordantes: quæ res illorum nomen inuisum passim faciebant: ac multo etiam magis, ob eius gentis natura insitæ animi elationis opinionem, quæ ubiq; terrarū perstrepebat. Alij uerò rerum statum & saniori mente, quam uniuersæ Italiæ prorsus externorū imperio subijci turpe & miserum esset perpendentes, tantam ciuitatē, tam inueteratam libertatis sedem, Italici nominis per uniuersum terrarum orbem gloriam, in tantam calamitatem cadere, ut nullum amplius frænum transalpino furori cohibendo reliquum esset, & nobilissimum membrum, quodq; supra omnia alia, communem famam nomenq; conseruaret, extingui, incredibili dolore afficiebantur. Sed præ ceteris omnibus tanta inclinatio, Pontifici, cui Romanorum & Galliæ regum potentia suspecta erat, quiq; illos ut à sui opprimendi cogitationibus remouerentur, alijs rebus implicatos esse cupiebat, molesta esse cœpit: quam ob causam, cum, ne eius reip. calamitates ulterius progredērētur, quantum posset (occultè tamen) impedire statuisset, literas Venetæ reip. duobus nomine ad se scriptas, quibus eū demississimè orabat

rex legatos ex præcipuis senatorib. delectos, qui supplices ueniam, atq; ut ius sacrorum ipsis restitueret peterent, admittere dignaretur, accepit: quibus perlectis & petitione in sacro senatu proposita, ueteri pontificatus qui se nunquam ergo eos quos commissorum errorum poeniteret ueniam petunt, durum ostendere cōsueuerit, in ore adducto, Cæsaris & Gallie regis oratoribus ualde repugnātib. & illum camēracensi fœdere, expresse ad eos sacris atq; profanis telis tamdiu persequēdos teneri, donec singuli fœderati quæ ad se spectarent recuperassent, in memoriam reuocantibus, eos admisit: oratoribus uero, se illos eo animo admisisse, ut interdīctō nō ante eximeret, quā Cæsar, qui solus non omnia recuperarat, quæ ad se spectarent consecutus esset, respōdebat. Hæc res Venetis aliquod spei atq; securitatis initium attulit: sed multo magis extremo eos terrore, quo premebantur, regis Gallie decretū liberauit: qui se bona fide fœdus quod cum Cæsare haberet seruaturum dixerat: atq; ijs quæ ad se pertinerent receptis, ultra fines suos exercitum nō ducturum: nam Gallie rex, cum nō modò Veronam, cuius ciuitatis legati, Pischeria ab illo capta, ut urbem dederent ad eum uenerant, capere, sed & Patauium aliq; oppida à Venetis deserta occupare in eius potestate esset, uoluit ut Veronensium oratores Cæsaris legatis, qui in ipsius castris erant, urbis clauces traderent: hancq; ob causam cū omnibus copijs Pischevie hæsit: quod oppidū loci oportunitate alleclus, quāuis ad Mantuanum spectaret, quod Veneti id unā cum Asula & Lunato ei ademerant, ipso, cui oppidi uectigalia permisit, & alia re se compensaturum promisit, repugnare non audente, sibi retinuit. Iisdemq; diebus

eremonensem arcem, ea lege, ut omnes milites, ijs exceptis, qui ex locis eius ditioni subiecti essent, cum suis rebus incolumes abirent, & Veneti patritij, quibus fuit iura seruaturum fidem dedit, eius captiui essent, deditio accepit. Verona exemplum, Vicentia, Patauium, aliaq; oppida sequuta sunt, præter Taurisum, quæ urbs iam à Venetorum magistratibus militibusq; derelicta, si Cæsaris uel minimè uires, aut saltem uir aliquis autoritate præditus conspectus fuisset, idem erat factura: sed cū ad eam eius nomine accipiendam, absq; uiribus, absq; armis, absq; ulla imperij maiestate, Leonardus Trissimus Vicentinus exiit, qui & Patauium eodem modo acceperat iuisset, iamq; intronissus esset, eius ciuitatis exules recenter à Venetis restituti, & huius beneficii causa ueneti nominis amâtes, tumultuari cœpere: quos plebe bene erga uenetum imperium affecta, quodam Marco sutores duce, qui immoderatis multitudinis clamoribus atque concursu Venetorum uexillum in nobilissimum urbis forum tulit, sequuta, se nullū aliud imperium aliūue principem agnoscere uelle asserētes, uno ore Marcium nomen inclamare cœperunt: quam propensionem quidam Ungariæ regis orator minimè parum auxit: qui cū Venetias proficisceretur, Tauriso iter faciens, cum casu in hunc tumultum incidisset, populum ut non deficeret hortatus est: idcirco Trissino eiecto, & septingentis Venetorum peditibus in urbem acceptis, paulo post exercitus, qui peditibus ex Illyrico accersitis, & ijs qui ex Æmilia redierant auctus, castra munita inter Margheriam & Mestrium locare uolebat, Taurisum ingressus est: ad quod muniendum diligentissimè incubuerunt: & equites totam uicinam regionem percur-

rebant, & quammaximam commeatus copiam poterāt cum ad eius ciuitatis, tum ad Venetiarum, in qua urbe pariter undique maxima annonæ copia cumulabatur, usum importabant. Huiusce rei speiq; Venetis se aliquam imperij partem retinere posse restituendæ, multorumq; grauissimorum casuum qui post sequuti sunt, potissima caussa fuit Cæsaris negligentia, & confusa rei bellicæ administratio: cuius ad eam usque diem, in tanto uictoriæ cursu, nihil præter nomen auditum fuerat: quamuis gallicorum armorum terrore, tot urbes, oppidæque se illi dedidissent, quæ conseruare illi facillimum fuisset: sed post cameracense fœdus, aliquot dies in Flandria, ut pecunias in id bellum (ut antè diximus) cogeret, moram traxerat: quas non antè accepit, quam pro more suo inutiliter consumpserit: & quamuis armatus, cumque omni Cæsarea pompa atque ceremonia Meclinia profectus, & Italiæ appropinquans, se ante tempus fœdere præscriptum, bellum illaturum diuulgasset, nihilominus consuetis suis impedimētis, cōfusioneq; oppressus, ulterius nō progrediebatur: neq; illum Pontificis stimuli mouere poterāt, qui gallicorū armorū metu in quo uersabatur, assidue ut in Italiā descēderet, urgebat: & quo melius id facere posset, Cōstantinum Macedonē cū quingētis auri libris ad eū miserat, eidēq; prius mille auri libras quæ ad bellū cōtra Turcas gerendū ante aliquot annos in Germania seruabātur, ei cōcesserat: quinetiā a Gall. rege mille auri pōdo in mediolanēsis imperij diploma acceperat: cū prope Oenipontē esset, de Vailana pugna nunciū accepit: & quāuis statim Bronsuicēsium ducem ad Forumiulij recuperandum misisset, tamen pecuniæ inopia, cum quas ex tot

locis

locis collegerat, eius effusionibus non sufficerent impeditus, quemadmodum in tanta occasione decuisset, non mouebatur: tandem Tridentum uenit, unde Gallie regi quod eius opera oppida sua recuperasset, gratias egit: atque ut ei maiorem beneuolentiam declararet, utq; ueterum iniuriarum memoria prorsus deleteretur, librum qui Spire conseruabatur, in quo omnes iniurie quas ante id tempus Gallie reges Imperio & Germanorum genti intulerant, perscripte continebantur, cremandū mandasse ferebatur: Tridentum tertiadecima Iunii Rotomagensis, ut de communibus rebus ageret, ad eum uenit: qui maximo honore acceptus, ei quingentorum cataphractorum auxilium regis nomine promisit: ac ceteris rebus feliciter transactis, ut Cesar & rex ad colloquium in apertos campos, prope Gardam oppidum, in utriusq; imperij finibus situm, uenirent, statuerūt: quocirca Gallie rex, ut ad constitutam diem adesset, castra mouit: & Cesar eandem ob causam ad Tridentinā Ripam se cōtulit, duas horas ibi impratus, repente Tridentum redijt: & simul Gallie regi, se nouis casibus in Foro Iulij exortis discedere coactum fuisse significauit: & ut Cremona hæreret, se enim citò ad constitutum colloquium rediturum, rogauit: quam uarietatem, si tamen in tanta inconstantia ueritas inueniri potest, multi suspicioni à quibsdam (ut natura credulus erat) iniecte tribuebant: alij illum, quod exiguum comitatum & paucas copias secum haberet, sese ea dignitate & existimatione, quæ Gallie regis pompā magnitudinemq; æquaret, ostendere non posse, congressum illum detrectasse interpretabantur: rex autem ut se tāto sumptu leuaret, exercitus citò dimittendi, nec non in Galliam redeundi

cupidus, quamuis à Matthæo Langio iam Gurcensi èpi-
 scopo, & à Maximiliano ad id missò Cremonam usque
 eum secuto, & Cæsarem proculdubio reuersurum con-
 firmante, ut expectaret uehementer rogaretur, eo non
 expectato Mediolanum uersus contendit. Gallie regis
 cum suo exercitu ab Cæsaris finibus discessus plurimū
 existimationis eius rebus detraxit: tamen quamuis tan-
 tas copias secum haberet, ut facillè Patruium ceteraq;
 oppida munire posset, siue ob naturæ suæ uarietate, si-
 ue aliarum rerum prius gerendarum consilio, siue quòd
 cum in Italiam descenderet, maiorem exercitum secum
 habere sibi honestius duceret, nullum in ea præsidium
 misit: imò quasi reliqua omnino confecta essent, ut con-
 iunctis sociorum uiribus, Veneta urbs oppugnaretur
 proponebat: quæ res à Gallie rege libenter audita, sed
 Pontifici molesta fuit: Aragonie uerò rex aperte repu-
 gnauit. Ea tempestate Florentini bello Pisano supremam
 manum imposuerunt: cū enim frumentarium subsidiū
 Pisas importare prohibuissent, nouis copijs conscriptis
 omnem industriam omnemq; conatum, ut ne terra neue
 mari cōmeatus importarentur adhibuerunt: quòd qui-
 dem ob Lucensium, qui quacunq; in re clam poterant,
 fœdus postremò cum Florentinis ictum minimè integra
 fide seruabant, propinquat: æm, non sine difficultate fie-
 bat. Pisis autem quotidie annonæ penuria crescebat:
 quam quum agricolæ iam ferre nolēt, illi ciuitatis prin-
 cipes in quorum potestate erāt publicæ deliberationes,
 quosq; Pisanorum iuuenum maxima pars sequebatur,
 ut agricolas consuetis artibus consopirent, Plumbina-
 tium reguli opera usi, pacis cum Florentinis colloquia
 introduxerunt: in quibus multos dies artificiosè con-
 sumpse

sumpserunt, Nicolao Macchiauello Florentinæ Reip. sci. iba, multisq; Pisanorum legatis ex ciuium & agrerum numero delectis, hâc ob caussam Plumbinū profectis. Sed Pisas obsidere, quia latos campos ac mōtosos sabis & paludibus plenos habet, quibus fit ut præsertim noctu ob Lucensium ex suo agro subministrandi prompti suaia, & Pisanorum, qui eius rei caussa se omnibus laboribus omnibusq; periculis exponebant, ferocitatē uix cōmatus prohiberi potest, ualde difficile erat: quas difficultates, ut superarent Florentinorum duces, exercitum in tres partes partiri constituerunt, ut in plura loca distributus, commodius Pisas commeatum inferri prohibere possent. Vnam igitur partem ad Metianam extra Plagariam portam collocarunt, alteram ad diui Petri ad Rhenum, & ad Iacobi, Lucensi portæ oppositam: tertiam prope uetustissimum diui Petri in Gradu templum, quod Pisas inter & Arni ostium est: & in singulis castris bene munitis, præter satis magnum equitum numerum, mille pedites posuerunt: atque ut montanum iter, per Osolensis uallis uiam, quæ ad Sancti uuliani montem ducit, melius custodirent, Magnam hospitalem domum uersus uallum ducentorum & quinquaginta peditum capax construxerunt: ex quo quotidie Pisanorum penuria augebatur: qui dolis id consequi conantes, quòd iam se uiribus adipisci posse diffidebāt, effecerūt ut Alfonsus Mutolus Pisanus, obscuri generis iuuenis, qui non multo antè à Florentinis militibus captus, maximis beneficijs ab eo cuius captiuus erat affectus fuerat, sese illis portam qua Lucam itur furtiue traditurum polliceretur, eo consilio, ut eodem tēpore quo exercitus qui ad Iacobi erat, noctu ad eam capiendam

ire non modo partem unam intromissam opprimeret, sed simul etiam in unam aliam partem quæ urbem propius accedere, ut erat constitutum, debebat, impetum facerent: qui cum non temerè nec perturbatè accessissent, Pisani ex hoc consilio nihil aliud quàm paucorum, qui ut dato signo urbem ingrederentur, intra primam portam uenerant, cædem consequuti sunt: inter quos occubuit Canacius à Pratueteri (id illi cuius captiuus fuerat Alfonso Mutolus nomen erat: cuius fiducia ea proditio composita fuerat) cecidit etiam tormenti glande Paulus Parrana, expeditorum equitum turmæ præfectus: qua spæ sublata, & exigua admodum frumenti copia, eaq; clam, & maximo eorum qui id tentabant periculo importaretur, neque Florentini inutilem multitudinem Pisis egredi paterentur (uarijs enim supplicijs eos qui exiuisent afficiebant) res ad humanum uictum necessariae immenso precio emebantur: cumq; tanta earum non esset copia, ut omnibus satis esset, multi iam fame peribant: & nihilominus illorum ciuium qui rempublicam administrabant pertinacia, tantam necessitatem superabat: qui cum potius patriæ extremum exitiũ cernere, quàm tam horrendæ necessitati cedere statuisserent, quotidie, multitudinẽ modò hac, modò illa re proposita in spem erigere conãtes, præsertim uerò cū Cæsaris in Italiam aduentus singulis horis expectaretur, qui Florentinos ab ipsorum mœnibus arceret, deditio nem differebant: sed agriculturalum pars, & præcipuè ij qui cum Plumbini fuissent, quænam esset illorum sententia cognouerant, tumultu concitato, ut denuò cum Florentinis id negotiũ tractarent coegerunt: quæ res cum Alamano Saluiato, illorum castrorum, quæ ad Sancti

Petri

Petri in gradu erant legato agitata, post uarias disceptationes, iisdem illis semper omni studio ut impedirent adnitentibus, concordia & quidem legibus Pisanis ualde lenibus, & amicis, transacta est: non solum enim omnia publica & priuata delicta illis condonata fuerunt, uerumetiam multæ immunitates concessæ, & bonorum mobilium quæ Florentinis in defectione rapuerant restitutione exempti, usq; adeo Florentini ea urbe potiri cupiebant: tantus erat metus, ne à Maximiliano, qui in Cameracensi foedere Pisanos, quamuis Gallie rege minime comprobante, nominauerat, aut alicunde aliquod inexpectatum impedimentum existeret, & quamuis Pisanos intra paucos dies fame coactos, cessuros certo scient, potius iniquis legibus sibi cautum, quam ut ea libere absq; ulla lege potirentur, ulla securitatis partem fortunæ arbitrio committere uoluerunt: hæc autem concordia in castris quidem tractari coepta est, sed deinde à Pisanis legatis Florentiæ confecta: & in ea insignis fuit Florentinorum fides, qui tanto odio pleni, & tot iniurijs irritati, non minus in promissis seruandis constantes, quam in concedendis faciles atq; clementes fuerunt. Et certè Romanorum rex Pisanos Florentinis se subiecisse non parum moleste tulit: sibi enim persuaserat, uel eius ciuitatis imperium ad multas occasiones optimum instrumentum fore: uel ea urbe Florentinis concessa, se minime mediocrem pecuniæ uim ab eis accepturum: cuius inopia amplissimas occasiones quæ sine ullo eius labore industriæ se se illi offerebāt, è manibus elabi patiebatur: quas dum tam leuiter adiuuat, ut Vicentiæ atque Patauij uix sit aliquis eius miles, & ipse cunctatione sua oppidanorum ardorem deferuescere permittit,

ac se penumero cum paucis copijs repente se huc atq̃
 illuc transfert, Veneti Patauij recuperandi oblatam oc-
 casionem minimè neglexerunt, ad id multis rationibus
 impulsī: quoniam Taurisum retentum, quàm inutile cō-
 silium fuerit, tam præcipiti consilio de continentis im-
 perio desperare, eos docuerat: & quia ob Maximiliani
 apparatus tarditatem quotidie minus timebatur: eo
 etiam nō nihil incitati, quod cum prædiorum quæ multi
 priuati Veneti in Patauino agro possidebant fructus,
 Venetias ferre uellent, id Patauini prohibuerant: adeo
 ut priuatorum indignatione cum publica utilitate con-
 iuncta, ad hæc cum Patauij exiguum præsidium esse sci-
 rent, & ob Patauinorum nobilium erga plebem insol-
 entiam, multos Venetorum in gubernādo lenitatis me-
 mōres, iam priorem dominatum exoptare, & uirum
 eam urbem recuperare possent experiri statuerunt: ad
 id autem non paruam illis occasionem præbebat, quod
 Patauini agri colonorum maxima pars Venetis stude-
 bat: quare constitutum fuit, ut Andreas Grittus è legatis
 Castrensibus unus, copijs quæ quadringētorum grauis,
 supra duo millia leuis armaturæ equitum, partim Græ-
 corum, partim Italarum, & quinque millia peditū erant,
 à tergo relictis, Nouale Patauini agri castellum se trās-
 ferret, ac peditum parte, quæ cum multis rusticis ad Mi-
 rani uillam missa fuerat, sibi in itinere adiūcta, Patauim
 uersus contēderet, et Codalungæ portam oppugnaret:
 eodemq̃ tempore duo agrestium millia, cum trecentis
 militibus, & nonnullis equitibus, quo magis eorum qui
 intus erant animos perturbarent, Portellum in oppo-
 sita ciuitatis parte adorirentur. ut autem hæc consilia
 maxime occulta essent, Christophorus Maurus alter le-
 gatus

gatus se ad Citadellam exercitū ducere fingeret: quod consiliū bene meditatū, felicitate magis quā ordine ad exitum perductū est: quoniam pedites quū ad multam diem uenissent, Codalungæ portam semiaper- tam inuenerunt: casu enim paulò antè nonnulli rustici cum carris foeno onustis per eam ingressi erant: ea igitur citra negotiū occupata, & reliquarum copiarum quæ propè erant, aduentu absq; strepitu expectato, eā urbem ambitu maximam, & incolis uacuam, antequam rumor perciperetur, non modò sunt ingressi, sed Vulpio equite, cum expeditis equitibus, et Citolo Perusino, atq; Lactantio Bergomate cum peditum parte præcun- tibus, serè in forum usque peruenerunt: sed rumore ad Citadellam perlato, Trissinus qui Patauij pro Maximi- liano erat, cum trecentis Germanis peditibus (neq; enim plures in eius urbis præsidio erant) in forum prodijt: idem & Brunorus Seregianus cum quinquaginta equi- tibus fecit, ut si fortè interea dum ipsi hostilem ibi impe- tum sustinebant, qui Patauij Germanicum imperium a- mabant, arma cepissent, expectarent: sed hæc & omnis alia illorum spes erat inanis: quoniam in urbe tam re- pentino tumultu oppressa, & in quam multæ iam co- piæ sese muniserant, nemo se commouebat: itaq; ab o- mnibus deserti, citò magna clade accepta, in arcem, Ci- tadellamq; confugere compulsi sunt: quæ cū non satis munitæ essent, intra paucas horas uictoris arbitrio se dediderunt: sicq; Veneti tota urbe potiti, ut tumultum sedarent & urbem conseruarent operam dederunt: cuius maxima pars aliorum imprudentia insolentiaq; illis amica facta erat: nec quisquam præter Ebræorum, & nonnullorum Patauinorum, qui se primi Veneti nomi-

nis hostes declararant domos, detrimentum accepit: qui dies Marinæ sacer, Venetijs publica lege quotannis uelut auspiciatissimus impcrij; ipsorum recuperandi initium, festus habetur, solemnij; ritu celebratur. Tota uicina regio huius uictoriæ fama commota est: & maximum erat periculum, ne Vicentini per se idem facerēt, nisi Constantinus Macedo qui fortè fortuna non procul aberat, cum paucis quibusdam militibus eò uenisset. Patauio recepto Veneti statim, quòd plebeiorem in oppidais hominum, & agricolarum animos sibi fauentes haberent, toto agro potiti sunt: eodemq; impetu Lineacū oppidum cum arce, ad ueronensem, patauinum & uicentinum agros turbandos locum ualde oportunum, expugnarunt. Prætera Marchesanam turrin, quæ octo passuum millibus Patauio distat, ad Rhodigiam polinesum inuadendam, & in Mantuani marchionis regionē irrumpendum aditum oportunum, expugnare conati sunt: sed quia Estensis cardinalis statim copias ad eam defendendam misit, ea potiri non potuerunt. Patauinus casus Galliæ regis trans alpes reditum, non, ut multi opinabantur, remoratus est: qui in discessu, Abiate cum Papiensi cardinale Pontificio legato nouū fœdus percussit, quo Pontifex atq; rex, mutua sibi defensione, ut quilibet ipsorum cum quouis alio principe, dummodo in huius fœderis fraudem nō fieret, fœdus inire posset, pacti sunt. Rex se nulli, qui Pontificij imperij subiectus, beneficiarius, quiue quouis modo ex Pontificatu pendere, patrocinatorum, uel deinceps in fidem suam, cunctis quæ ad eam usque diem suscepisset oblitteratis, quæquam accepit promisit: quæ res tanti regis dignitatem parum decebat: quoniam nō multo antè, cum

Ferrariensium dux ad eum uenisset, quamuis primum quod pontificatus uexillū se inscio accepisset iratus fuerit, tamen deinde illi placatus, triginta aureorum nummū milibus acceptis, eum in fidem suam tutelamq; acceperat. Illud quoq; inter eos conuenit, ut episcopatus, qui tunc per omne regis imperium uacabant, ad Pontificis arbitrium tribuerentur: qui uerò intra certum tempus uacaret, ijs quos rex nominasset traderentur: cui ut magis satisfaceret Pontifex per eundem Papiensem cardinalem Albienſi episcopo sacre purpuree priuilegiū misit: seq; illum quamprimum Romam uenisset, eius dignitatis insignibus ornaturum promisit. His in hunc peractis modum, rex sine mora ex Italia magnam ex tam plena celeriq; aduersus Venetos uictoria gloriam secū in Galliam referens, profectus est: & tamen ut in rebus diu expetitis homines ferè nunquam ijs adeptis, eam incupiditatem felicitatemq; quam sibi prius proposuerāt, inuenire solent, neq; maiorem animi tranquillitatē retulit, neq; res suas magis in tuto collocauit: quin maiorū sibi periculorum ac turbarum mensem paratā uidebat: & quid sibi in recenter exortis motibus statuerendum esset, magis animo dubius erat, si res Cæsari feliciter succederent, multo magis illum metuebat, quam prius Venetos timuisset: sin Venetorum potentia resurgere inciperet, in perpetuo metu, perpetuisq; sumptibus, ut res illis ademptas conseruaret, uersari cōgebatur: neq; hoc solum, sed & Cæsarem militibus & pecunia iuuare oportebat: quē si deseruisset, ne cum Venetis in se scēdus iniret, atq; Hispanus, & fortasse etiā Pontifex ad idem concurrerēt, metuendū erat: neq; ad Cæsaris amicitiam conseruandā mediocria auxilia requirerantur, sed ea

eiusmodi esse oportebat, quibus uictoria in Venetos po-
 tiretur: ea uerò præterquã quòd magno cum detrimen-
 to suppeditabantur, ipsam in eadem Cæsaris potentie
 pericula conijciebāt: quæ dum cogitaret, primùm utrū
 Pataunarum rerum mutatio sibi molesta an grata esse
 deberet dubitauerat: sed postea, securitate qua si Vene-
 ti cōtinentis imperio spoliarentur frui posset, cum mo-
 lestijs atq; periculis, quæ ex Rom. regis potentia metue-
 bat, & cum Veronæ, quam utpote ad Germaniæ motus
 reprimendos oportunam summopere exoptabat, ab il-
 lo egestate coacto, precio adipiscende spe comparata,
 tandem res eo statu esse, ut bello, quemadmodum fu-
 turum uerisimile erat, diu inter Cæsarem & Venetos ni-
 gente, utraq; pars assiduis sumptibus defatigata uires
 amitteret, sibi tutius utiliusq; ducebat: qua in sententia
 fœdere cum Pontifice isto multo magis cōfirmabatur,
 quia nullum secum fœdus amicitiamq; firmam seruatis-
 rum sperabat: tamen in Veronensium finibus septingē-
 tos cataphractos Paticia duce, ut Cæsaris tam in rebus
 partis tuendis, quàm in ijs quæ Veneti possidebant, in-
 uadendis uoluntatem sequerentur reliquit: quorum Vi-
 centiã ex Cæsaris iussu profectioe, ueronenses res quæ
 ob paruum præsidium in periculo non mediocri uersa-
 bantur, in tuto sunt collocatæ: & Venetus exercitus,
 qui ad Citadellam castra locarat, inde discessit. Ante
 regis discessum alius casus Venetis propitijs contigit:
 equitibus namque illorum qui Lineaci erant, assidue to-
 tam regionem ad Veronæ portas usque percurrētibus,
 & maxima illis incommoda afferentibus, quos milites,
 qui Veronæ erant, cum non plus quàm ducenti equites
 & septingenti pedites essent, impedire non poterant,

Triden-

Tridentinus episcopus qui pro Cesare ei urbi præerat, cum Lineaci castra admouere statuisset, Mantuanum accersiuit: qui ut apparatus expectaret, cum equitum turma quam ab rege habebat, castris ad Scalam insulam Veronensis agri uicum satis magnum, neque muris neque ullo munitiois genere septum positus, dum ibi nihil suspicans moratur, omnibus belli ducibus, quando in omni tempore & loco sic uigilantes ac parati esse debeant, ut proprijs uiribus freti, nec longinquitate, nec debilitate hostium se tutos esse prætent, in signe exemplū dedit: nam quum Mantuanus cum nonnullis ueneti exercitus Græcis equitibus egisset, ut cum in locum ad se uenirent, quo ad sua stipendia transirent, ipsi uerò statim eam rem ducibus suis patefecissent, hacq; occasione illum repente adoriri statuissent, Lucius Maluetius cum ducentis expeditis equitibus, & Citolus Perusinus cum peditibus octingentis, clam Patauo Lineacum profecti, & copijs quæ Lineaci erant, mille & quingentis agricolis sibi adiunctis, & aliquot equitibus qui crebris uocibus Turcum (id erat Mantuani cognomen) ut expectatos Græcos aduentare opinaretur inclamarēt præmissis, ad constitutam diem matutino tempore sub auroram, ad Scalæ insulam nemine quicquam suspicante peruenerunt: & sine impedimento ingressi, cum omnes milites, & reliquos Marchionis famulos ac domesticos sine excubijs dormientes inuenissent eos diripuerunt: ubi inter ceteros captus fuit Boisiuus Marchionis uicarius, Rotomagensis nepos, & Marchio tumultu percepto, cum sive nudus per fenestram euasisset, seque in saginæ agro (granis uel milij cuiusdam rusti proceriq; admodum culmi genus est) occultasset, ab eiusdem

loci agricola, qui pro communi incolarum ardore Venetorum commodum propriae utilitati præferens, dum simulanter ingentibus marchionis promissis auditis, se ut illum seruaret operam dare fingit, contrarium facit, hostibus proditus fuit, unde Patauiū, inde Venetias perductus, maxima totius ciuitatis letitia in Marciae ædis turriculam coniectus fuit. Cæsar Venetorum progressus nulla adhuc ex parte impediuerat, impediēbatūc, quod nondum tantas copias haberet ut in campis castrametari auderet, & multos dies in Vicentinis saltibus occupatus fuerat, ubi montani homines ueneti nominis studiosi, locorum angustijs freti, manifestè ab eo defecerant: deinde cum in planitiem descēderet, Patauina defectione iam secuta, non sine suo periculo in innumerā aggressium multitudinem, qui illum munito in loco qua ei iter erat expectabant, incidit, unde cum eos expulisset, ad Scalam Vicentini agri, cuius uenetus exercitus magnam partē recuperauerat, & Serraualle alicuius momenti loco expugnato, magna in Germanos crudelitate usus fuerat, peruenit Maximilianus, & intra paucos dies Serraualle recuperato, eadem in Italos milites, & regionis incolas immanitate usus est: sic cum nondum eius uires auctæ essent, paruis rebus gerendis sese exigua cum Cæsarei nominis dignitate existimationeq; implicabat, modò hoc castellum, modò illud oppugnans, et (ut semper eius cogitationes uiribus & occasione maiores erant) ceteris fœderatis, ut omnium coniunctis uiribus, maritimis etiam Gallia atq; Aragonia regū classibus cum pontificijs triremibus, quæ tunc simul erant, præter terrestres apparatus adhibitis, Veneta urbs oppugnaretur, proponebat. Quod etsi in cameracēsi fœdere

dere tractatum nõ fuisset, Gallie rex, dummodo huiusmodi conditiones proponerentur, ut eius expugnationis commoda in omnes socios redundarēt annuisset, sed Pontifici id molestum erat: Hispanus uerò & tunc & aliàs cum diutius id negocium agitatũ fuit, semper quia Gallie regi utile fore censebat, rem quasi ab æquitate, honestateq; uehementer alienam detestatus reiecit. Sed dum Patauinus, Vicentinus, & Veronensis ager Germanorum atq; Italorum armis ita uexantur, miserius etiã Carni atq; Istri qui Venetorum imperio parebant lacerabantur: quoniam Analtensis princeps Cæsaris iussu, cum decem militum millibus ex ijs qui in prouincijs Cæsaris imperabantur, Iulijforũ ingressus, ubi frustra Mōtisfalconis expugnationem tentasset, Cadorum oppidũ cum arce magna cum defensorum cæde expugnauit: & uicissim aliquot expediti Venetorum equites, multis regionis incolis ipsos sequentibus, Valdiseriam oppidum uicuperunt, & Bellana, ubi nullum erat Germanicum præsidũ, deditioe potiti sunt: ab alia uerò parte Bronsuisensium dux & ipse à Cæsare missus, cum Vtinã, nobilissimo Forijulij oppido potiri nõ potuisset, ad Ciuitale Austrium oppidum edito loco, ad Natisonẽ fluuiũ situm exercitum duxit: cuius custodia Federicus Cõtarenus paruo cum præsidio, sed populi ad defensionem promptissimi uiribus fretus præerat: cui cum Io. Paulus Gradinicus Forijulij præfectus, cum octingentis equitibus & quingentis peditibus auxilio ueniret, ab Germanis militibus fugatus est: & tamen quãuis Ciuitale tormentis concussissent, neq; feroci oppugnatione, neq; eorum qui ipsis auxilio ueniebant in fugam coniectorum fama expugnare potuerunt: & in Istria Christophorus

Frangipanis ad Vermincum castellū uenetos magistra-
tus quos regionis incole sequebātur fregit: cuius secun-
di successus occasione totam regionem cladibus incen-
dijsq; cōpleuit: & Castellonouū cum Raspruchio oppi-
dō occupauit: quare Veneti Angelum Triuisanū classis
præfectum cum sexdecim nauibus longis eō miserunt;
qui Flumine oppido primo aduentu expugnato, Terge-
sīs expugnationem tentauit: quod eum nō succederet,
Raspruchiū ui recuperauit: deinde Carnorū atq; Istriæ
statu flebili relicto, cum triremibus Venetias uersus se re-
cepit: nam cum modò Veneti, modò Germani in ijs pro-
uincijs superiores essent, quæ oppida prius hi ceperāt,
atq; diripuerant, mox illi rursus recuperabant diripie-
bantq;, quæ calamitas subinde recurrebat: itaq; cum ho-
minum fortunæ & corpora semper his aut illis prædæ
essēt, uniuersa regio miserè absumebatur uastabaturq;.
Quibus in profanorum armorū motibus Romæ de sa-
cris armis disputabatur: quo iam ante Patauium recu-
peratū, sex ueneti senatus oratores, uestitu, modisq; ad
miserationem cōpositis, uenerant: qui cum maximo fa-
stu & pompa, uniuersaq; ipsi s obuiam accurrente cu-
ria, eam urbem ingredi consueffent, tunc nō modò neq;
honorificè accepti, neq; ullo comitatu fuerāt, sed noctu
(sic enim Pontifex uoluit) ingressi, neq; ad eius conspe-
ctum admissi sunt: sed in neapolitani cardinalis adibus,
cū ipso & alijs cardinalibus, antistitibusq; quibus id ne-
gocium commissum erat, colloquebātur: Romanorum,
Galliæ ac Hispaniæ regum legatis, ne sacris interdictis
eximerentur, uehementer adnitentibus: & contrà Ebo-
racensi Archiepiscopo, ab Henrico VIII, qui ante pau-
cos menses patri suo Henrico VII defuncto successer-
rat,

erat, hanc præcipuè ob causam missa, palam pro ipsis agente. Sed longè maiorum rerum expectatio hoc tempore omnium mortalium animos occupabat: quoniam Cæsar omnibus uiribus suisq; quæq; à multis concedebantur collectis, potentissimū exercitum quo Patauiū oppugnaret præparabat: at uenetus senatus, ut qui salutē suam prorsus in eius urbis defensione sitā existimaret summa diligentia rebus ad eam defendendā necessarijs apparandis incumbebat: ac præter eos milites qui ad Taurisi præsidium iam destinati erant, exercitum suum cum omnibus ijs copijs quas undiq; cogi potuere, in eā urbem immisit: ingentem præterea uariarūq; tormentorum uim, omnis generis comæatum in multos menses comportarāt, & agrorum fabrorūq; innumeram multitudinē in eam adduxerant: quorū opera, præterquam quòd aggeribus & magna lignorum ferramentorumq; copia, ne ijs aquis quæ prope Limum oppidum Patauium deducuntur, priuarētur, prospexerant, urbis moenia mirum in modum munierant, quotidieq; muniebāt: & quamuis tales essent apparatus, ut uix maiores exoptari possent, nihilominus in tam graui re illius senatus sollicitudo anxietasq; incredibilis erat, senatoribus neq; interdix neq; noctu, de ijs quæ oportuna fore ducebāt cogitare, admonere, referre, intermittētib; quibus de rebus cum singulis propè momētis in senatu ageretur, Leonardus Lauredanus dux, uir etate, & tāti gradus, in quo iam multos annos sederat, dignitate uenerandus, stans in hanc sententiam uerba fecit:

Si (ut omnibus notissimum est) præstantissimi senatores, in patauinae urbis conseruatione, nō modò imperij recuperandi, uerum etiam libertatis nostræ conseruan-

*de spes omnis sita est: & contrà, si eius iacturam huius
 nostræ patriæ certissimum, extremumq; exitium sequi-
 tur, apparatus ad hunc usq; diem factos, quamuis maxi-
 mi & admirandi sint, neq; ad eius urbis securitatē, neq;
 ad nostræ reipub. dignitatem idoneos esse necessariò fa-
 tendum est: quoniam in tanti momenti, tantiq; periculi
 re, apparatus tales esse, ut Patauium defensum iri maxi-
 ma spes haberi possit, nequaquam est satis: sed huiusmo-
 di apparatus esse oportet, ut quatenus humana diligen-
 tia atq; industria prouideri potest, eam ab omnibus casti-
 bus quos aduersa fortuna, quæ cum in omnibus huma-
 nis rebus, tum maximè in bello dominatur, ex tempore
 parère possit, tutã atq; incolumē præstatueros, certò no-
 bis persuadere possimus: nec uerò prisca Veneti nomi-
 nis fama & gloria dignũ consilium est, publicam salutē
 hõnorem, nostramq; & coniugum ac liberorũ nostro-
 rum uitã, peregrinorũ hominum & mercenariorũ mi-
 litum uirtuti prorsus à nobis cõmitti, nosq; ipsos nõ ad
 eam pectoribus lacertisq; nostris defendendam sponte
 omnes accurrere. nã si nunc urbs illa non sustinetur; nul-
 lus nobis deinceps pro nobisipsis laborãdi, nõ uirtutis
 nostræ declarandæ, non opum nostrarum pro salute no-
 stra exponendarum locus relinquitur. quocirca dũ pa-
 triæ nostræ iuuãdæ nundũ tempus effluxit, nulla opera,
 nullus conatus prætermittendus est: nec tam diu expectã-
 dũ, donec ijs qui fortunas nostras diripere, summaq; im-
 manitate sanguinē nostrũ haurire cupiũt prædæ simus:
 neq; enim patriæ salus publicũ modò bonũ cõprehedit,
 sed cũ reip. salute, simul & priuatorum omnium cõmo-
 da salusq; agitur: quæ ita inter se apta cõnexaq; sunt, ut
 alterũ sine altero stare nõ possit: cadēte enim rep. & in
 seruitu-*

uitatem ruente, quis priuatorum fortunas, honorem, uitam, hostium auaritiæ, libidini, crudelitati, prædæ relinquere ignorat? Verùm etsi in reipublicæ defensione nihil aliud præter patriæ salutem contineretur, nõnne id generosis ciuibus dignum præmium apud homines gloria splendoreq; plenum, ac Deo gratum? est enim uel philosophorum sententia, omnibus qui patriam iuuerint, conseruarint, auxerint, certus in cælo ac definitus locus ubi beati æuo sempiterno fruuntur: & quæ nam patria inquam fuit, quæ à suis filijs magis iuuari conseruariq; digna fuerit quàm hæc nostra? quæ inter omnes uniuersi terrarum orbis ciuitates principatû obtinet, & per multa secula obtinuit: ex qua eius ciues maxima innumerâq; commoda, emolumenta, honoresq; percipiunt: quæ siue naturæ dotes, siue ea quæ secundæ fortunæ ferè perpetuam amplitudinem ostendunt, siue ea ex quibus incolarum, animi uirtus, nobilitasq; elucet inspicias, admirabilis est: eius etenim situs maximum stuporem hominum mentibus affert: sola ex omnibus quas sol uidet, in falsis undis posita: cuius partes omnes ita coniunctæ sunt, ut eodem tempore, & aquæ commodis, & terræ amœnitate perfruatur: quodq; non in continenti sita sit, à terrestribus iniurijs tuta, & quia non in alto mari est, à maritimis incursionibus libera: quæ uerò sunt admiranda, tum publica, tum priuata ædificia incredibili sumptu magnificentiaq; extructa, ornatisimisque ac peregrinis marmoribus, alijsq; raris lapidibus, ex omnibus orbis terræ partibus in hanc urbem aduectis referta: mitto exiguas picturas, statuas, sculpturas, tessellata & uermiculata opera: taceo tot pulcher- rimas columnas, aliâq; huiusmodi innumera. Quæ ue-

rò ciuitas hodie reperitur, ubi maior peregrinarum gen-
 tium concursus: quorum alij ut in hac libera & serè di-
 uina patrie tuto uitam degant, alij ut sua commercia
 exerceant se conferunt: hinc Venetie uarijs mercibus
 negotiationibusq; redundant, hinc ciuium nostrorum
 opes, hinc reipublicæ ex solo huius urbis ambitu tanta
 necessitas, quâta multi reges ex suis integris regnis nõ
 habent: prætereo nunc in omni scientia ac disciplina e-
 ruditionum hominum copiam, ingeniorum bonitatem,
 uirtutum uirtutem: ex qua cum alijs dotibus coniuncta,
 uirtus ab hac rep. nostrisq; hominibus gestarum, quib-
 us nulla maiores post Romanos patria gessit, gloriæ
 nata est: nihil dico quàm admirandum sit eam urbem in
 qua nobis ad uictum oritur, quæq; habitatoribus sit fre-
 quentißima, omnium rerum copia circumfluere. Fue-
 runt huius nostræ ciuitatis auspicia in his sterilibus nu-
 disq; scopulis coarctata: nihilominus nostrorum homi-
 num uirtus, primum in proxima maria & circumiecta
 oppida protensa: deinde felicioribus successibus, in re-
 motiora loca provinciasq; dilatata, ad extremas usque
 orientis partes prouecta, tantum terra mariq; imperiis
 esse adeptæ, idq; tandiu obtinuit, suamq; potentiam ita
 auxit, ut quum diutissimè reliquis omnibus Italiae ciui-
 tatibus formidabilis esset, ad eam deprimendam omniis
 Christianorum principum fraudes uiresq; concurrere
 necesse fuerit: quæ proculdubio dei opt. max. ope facta
 sunt, quoniam iuris quod in hac ciuitate omnibus æquè
 administratur, institiæq; fama per terræ orbem uniuersa
 sunt celebratur: ad cuius solius nomen, multe se sponte
 gentes populiq; imperio nostro subiecerunt: & cui ci-
 uitati, cuius imperio patria nostra erga Deum opt.

*max. pietate, religioneq; cedit? ubi tot sunt sacra uiro-
rum ac uirginum collegia? tot magnificentissimis præ-
ciosissimisq; ornamentis, uasis tanta admiratione di-
gnis, apparatusq; diuino cultui dicatis referta tēpla?
ubi tot sunt pauperum gratuita hospicia, piaq; loca, in
quibus incredibili sumptu, incredibili egenorum com-
modo charitas exercetur? quas ob res patria nostra me-
ritò reliquis omnibus præfertur: sed est & præter has,
alia caussa, qua sola omnes suas laudes suamq; propriã
gloriam superat. Habuit patria nostra eodem tempore
& originem suam & libertatem: neq; unquam Venetijs
ciuis aliquis natus mortuusue est, qui non liber & natus
& mortuus sit: neq; eius libertas unquam turbata fuit,
tanta felicitate ex ciuili concordia manante: quæ sic in
hominum pectoribus radices egit, ut eodem tempore
senatum nostraq; consilia ingrediantur, et priuata dis-
sidia controuersiasq; deponant: huiusce rei caussa est
administrationis forma, quæ ex optima quaq; reip. ra-
tione temperata itaque composita, ut omnibus instar
suauissimi concentus, optima proportione sibi inuicem
respondentibus, tot iam seculis, sine ciuili seditione, sine
armis, sine suorum inter se ciuium sanguine inuiolata
immaculataq; persisterit: quæ laus nostræ reip. propria
est, quòd nec Roma, nec Cartago, nec Athenæ, nec Spar-
ta, nec ulla ex ijs rebusq. quæ apud ueteres clariores fue-
runt, maioremq; famam obtinuerunt, gloriari potest:
imò talis reipub. forma apud nos reipsa constituta cer-
nitur, qualem illi, qui ciuili sapientia ceteris præstite-
runt, neq; excogitare, neq; describere unquam potue-
runt. Huic igitur tanta, tamq; illustris patriæ, quæ diu-
tissimè religionis propugnaculum, & Christianæ reip.*

lumen extitit, filiorum ciuiumq; suorum uirtus defuisse prædicabitur? & erit aliquis qui suam liberorumq; suorum uitam pro eius salute periculis obijcere recuset? quæ quum in Patauij defensione sita sit, quis erit qui nõ ipsemet ad eam urbem tuendã uelit accurrere? & quãuis eas uires quæ ibi sunt ad eam tuendam idoneas esse certissimi effemus; nõnne ad decus nostrum pertinet, nõnne ad ueneti nominis splendorem spectat, ut ubique terrarum cognoscatur, nos ipsos ad eam urbem defendendam & conseruandam accurrisse? Voluit huius ciuitatis fatum, ut paucissimorum dierum spacio tantum imperium è manibus nostris elaberetur: qua quidem in re non tam Fortunæ malignitatem accusare debemus (sunt enim omnium rerum omniumq; regnorũ communes casus) quàm quòd nostræ ad eam usq; diem inuictæ constantiæ oblit, quòd tot à maioribus nostris relicta generose uirtutis documenta gloriosa minimè recolentes, nimis repentina desperatione fortunæ ictibus cesserimus: neq; eam uirtutẽ nos liberis nostris demonstrauerimus, quàm nobis patres nostri repræsentarũt. Nunè eius ornamentum, quòd si uiri esse uoluimus, non amissimus, sed dimissimus, recuperandi occasio ad nos redit: nam si nos ipsos sponte periculis obijcentes, aduersæ fortunæ obuiam iuerimus, acceptam infamiæ notam delebimus cumq; pristinam in nobis animi magnitudinẽ uirtutemq; minimè extinctam esse homines uiderint, is error potius fatali cuidam tempestati, cui nec humanũ cõsiliũ, nec constantiæ repugnare possit, quàm nostræ culpæ ignauiæ uel ascribetur. Quocirca si liceret ut omnes populariter Patauium iremus, ut absq; eius defensionis, ac reliquorum quæ grauißima urgent, negotio-

rum

rum publicorum detrimento hæc ciuitas per aliquot dies deferri possët, ego primus uestra sententia non expectata iter arriperem: equidẽ nescio qua in re postremos hosce senectutis meæ dies melius collocare possẽm, quàm præsens, & uidens tam præclaræ uictoriæ particeps fieri: ael (quod animus dicere horret) unã cū alijs mortem oppetendo, patriæ excidio superstes non esse: sed quia nec Venetiæ publico senatu, quo consulendo, prouidendo, & imperando non minus defenditur Patauium, quàm eorum qui ibi sunt armis, carere possunt: & inutilis senum turba ei ciuitati magis oneri quàm præsidio esset, nec ad quemuis euentum è re est, Venetias omni iuuentute nudare. Idcirco hortor atque suadeo, ut his omnibus de causis eligantur ducenti patricij, è nostræ iuuentutis præcipuis, quorum quisq; secum amicorum & clientum qui arma tractare possint numero quem cuiusq; facultates ferent, se Patauium conferant: ibi quandiu ad eius ciuitatis defensionem necesse fuerit mansuri: duo mei liberi cum magno comitatu, id quod ego pater illorum & princeps uester primus ad uos retuli, primi exequentur: quorum corpora in tam graui periculo libenter patriæ deuouco: sic eã ciuitas securior erit: sic qui illic sunt mercenarij milites, iuuenes nostros, ad uigilias, omniaq; militaria munia alacres conspicientes, incredibilem lætitiã alacritatẽq; concipient: certò persuasi, cum filij nostri ipsis coniuncti sint, nos nullum apparatus, nullũmue conatũ prætermisuros. Iuuenes & ceteri qui non ibunt, hoc exemplo ad omnes labores periculaq; ubi opus fuerit subeũda eo magis accendantur uos Senatores. quorum dicta factaq; toti ciuitati exemplo & in oculis sunt, quisquis

uestrum idoneas facultates habet, ut liberi uestri huic numero inferantur inter uos certate, quo tantæ gloriæ participes fiant: ex hoc enim non modò Patauij secura & certa defensio constabit, uerumetiam hanc apud omnes gentes gloriam nobis conciliabimus, nempe nos eos esse, qui cum propriæ uitæ periculo omnium totius terrarum orbis dignissimæ nobilissimæq; patriæ libertatem salutemq; defendimus.

Maxima attentione & approbatione principis cõsiliium, auditum et summa celeritate perfectum fuit: quo factum est, ut uenetæ iuuentutis patriciorum flos, singuli quâ plurimis amicis familiaribusq; rei bellicæ idoneis collectis, Patauium proficiscerentur, omnibus reliquis nobilibus, & innumera aliorum multitudine eos ad naues usque comitantibus: qui omnes tantam ad patriam iuuandam propensionem summis laudibus celebrabant, & pijs uotis prosequabantur: nec minore omnium letitia & plausu Patauij accepti fuerunt, ducibus atq; militibus, hos nobiles iuuenes, quòd quum nec laboribus nec militiæ periculis exercitati esset, patriæ charitatem propriæ saluti antepõneret, laudibus in cœlum usque ferentibus: atque ita mutuis cohortationibus accensi, letissimis animis Cæsaris aduentũ expectabant: qui copias ex multis partibus confluentes colligens, ad Brente pòtem ad tertium à Patauiò lapidem uenerat: & Limino expugnato, cursuq; aquarum impedito, tormenta ingentis magnitudinis & innumera ex Germania expectabat: ex quibus cum pars Vicentiam esset aduecta, & Philippus Rosius, Federicusq; Gonzaga Bozulus cum ducentis expeditis equitibus, ut ea comitantur ijs obuiam processissent, ab quingentis leuis armaturæ

maturæ equitibus, qui rusticis toto eo bello Venetis mi-
rum in modum studentibus, itineris ducibus, Patavio e-
gressi erant, ad quintum ab Vicentia lapidum fusi sunt,
et Philippus captus, Federicus uerò uix noctis benefi-
cio pedes, et lintea tantum tunica interiore indutus e-
uasit. A Brentæ ponte Maximilianus, ut sibi commocatus
oportunitatem magis patefaceret, duodecim passuum
millibus Rhodigiam Polinesum uersus ab urbe recessit,
atque Ateste castello expugnato atque direpto, ad Mon-
silicium exercitum duxit: ubi quem oppidum quod in
planitie est desertum reperisset, secundo die arcem in
edite rupis apice sitam expugnauit: deinde Montania-
na deditione potitus est: unde Patauium uersus regres-
sus, ad Bassanelli pontem prope Patauinam castra loca-
uit: ibique Brentam quæ inde Patauium fluit uertere fru-
stra conatus est: quo in loco quum omnia tormenta et
apparatus quos expectabat conuecta essent, omnibus
copijs, quæ in uaria loca erant distributæ, collectis, cum
omni exercitu urbi appropinquauit: et quatuor pedum
millibus in eo suburbio, qui sanctæ crucis dicitur, collo-
catis, oppugnationem ab ea parte aggredi in animo ha-
bebat: sed postea ciuitatem eo in loco sitam, muro, alijsque
operibus munitior em esse certior factus, et quia etiam
in illis castris magna à Patauinis tormentis elade affi-
ciebatur, ad portam quæ Portellam dicitur, et Venetias
respicit, quia urbem ab ea parte miras munitam esse
audiebat, et ut auxilia quæ nauibus uel terrestri itinere
Venetijs mitti possent impediret, omnes copias trans-
ferre statuit: sed quum ob loca palustria et aquas totam
regionem inundantes, nisi longo circuitu eò peruenire
non posset, ad Bonalente pontem septem passuum mil-

libus procul à Patauio nenit : ubi sunt paschua ad Babilionem annem, qua ad mare uergit, inter Patauium & Venetias sita : quem in locum, quia aquis circumdatus; & in tutissima Patauini agri parte est, tria rusticorum millia cum ingenti pecorum multitudine se contulerant: qui à primo Hispanorum atq; Italorum pedum agmine oppressi, omnes penè uel cæsi uel capti fuerunt: neq; per duos proximos dies aliud factum est, nisi quod totam regionem, pecorum infinita copia refertissimam, excursionibus percurrerunt: & in Brenta multas naues quæ comitatum Patauii uehebant ceperunt: tandem decimoquinto Septembris die, ubi tantum temporis inutiliter consumpsisset, & hostibus urbis muniendæ comitatuq; replendæ spaciū dedisset, Patauio ad Porteli portam copias admouit. Italia, nec ea etate, nec fortè multis superioribus ullam oppugnationem, quæ cum ob urbis nobilitatem, tum ob res grauissimas quæ eius uel uictoriam uel iacturam consequutura erant, maioris expectationis, & in quam magis mortalium oculi conuersi essent, tentari uiderat : Patauium enim nobilissima & antiquissima urbs, Gymnasij præstantia celebris, triplici muro circumdata, & quam Brenta atq; Bachilio annes alluunt, ambitu fortasse tanto, quanta alia uel è maximis Italie urbibus, in fertilissimo solo, salubri ac temperato cœlo sita: quæ quamuis iam supra centum annos Venetorum qui Carrariensibus exactis imperio premeretur, tamen superba atq; ampla ædificia, multaq; antiquitatis uestigia memoranda retinet, ex quibus pristina urbis amplitudo splendorq; cognoscitur: & ex tantæ urbis expugnatione uel defensione, non modo Germanici imperij in Italia firmamentum

inabcell

imbecillitasue, uerumetiam quid de ipsa Veneta urbe futurum esset pendebat. Patauio namq; defenso, illa respub. maximis diuitijs referta, & promptissimis animis in se ipsa coniuncta, neq; mutationibus quibus principum res subiectæ sunt obnoxia, facile se breui tempore magnam imperij sui partem recuperaturâ sperare poterat: idq; eo magis, quia maxima pars eorum qui res nouas exoptauerant, cum ea quæ sibi proposuerant, in ijs minime reperissent, & quantum moderata Venetorum administratio, à germanico imperio, ab Italarum moribus alieno ac perturbato differret, edocti, atq; eo etiam magis belli confusione ac detrimentis excitati, ad priorem dominatum oculos conuertere incipiebāt: & contra Patauio amisso, Veneti omnem suæ reip. splendori redintegrandi spem amittebant: quinetiam timendum erat uehemēter, ne ipsa ueneta urbs tanto imperio spoliata, & publicis uectigalibus imminutis, totq; bonis quæ priuati ciues in continenti possidebant amissis, multis opib. uacua, uel se ab hostibus sociorum principum armis defendere nō posset, uel saltem progressu temporis, nō minus Turcarū, quos tot in locis finitimos habēt & cum quibus continēter est illis aut bellum, aut infida & malè secura pax, quàm Christianorum principū præda fieret. Sed non minor erat hominum hæsitatio, quoniam ualidissimi apparatus qui utrinq; cernebatur omnium mentes oppugnatione, an propugnatio felicio rem euentum esset habitura incertas ancipitesq; detinebant. In Cæsaris namq; exercitu præter septingētos Gallicæ regis cataphractos, quibus Palicia præerat, erant ducenti grauis armaturæ equites à pontifice, totidem à Ferrariensium duce sub Estensi Cardinale, quamuis nō-

dum controuersia inter illos sedata essent, missi: & sexcenti Itali grauis armaturæ equites sub uarijs ducibus ab ipso conscripti. Nec minor erat peditatus quàm equitatus neruus: habebat enim decem & octo Germanorū, sex Hispanorum, sex item ex uarijs genibus uoluntariorū militum, & duo Italarum, quos Estensis Cardinalis eodem nomine proprijs sumptibus ducebat, millia: sequebatur incredibilis tormentorum apparatus, & reliquarum ad belli usum ingens rerum copia, cuius partem rex Gallia miserat: & quamuis proprij eius milites plerūque stipendia non acciperent, nihilominus ob tanti Imperatoris magnitudinem auctoritatemque, & ob Patauij expugnandi diripiendique, & ea omnia quæ adhuc Veneti possidebant, ipsis prædæ futura, spem, non idcirco illum deserebant: imò numerus quotidie augebatur, cum præsertim omnes scirent, illum natura largissimum, atque erga suos milites humanissimum, non auaritia seu uoluntate, sed inopia stipendia non persoluere. Tam potens erat Cæsareus exercitus, & si non modo ex proprijs uerum etiam ex aliorum uiribus auxilijsque collectus: uerum quatenus ad Patauij propugnationem necesse erat non minus potentem exercitum Veneti in ea urbe habebant: erant enim sexcenti grauis, mille & quingentileuis armaturæ, item mille & quingenti Græci equites, quibus Pitiliani comes omnibus præerat: Bernardinus uerò Montonius, Antonius Pius, Lucius Maluetius, Ioannes Græcus, clari peritijs duces, alijque minores suas singuli turmas ducebant. Huic equitauim accedebant quoddecim ex totius Italiae exercitatissimis optimisque peditum millia, Dionysio Naldio, Citolo Perusino, Lactantio Bergomate, Saccocio Spoletano, & multis alijs duci-

lijs ducibus: decem Illyricorum, Græcorum, & Epiro-
 tarum, quos Albanenses uocant, peditum millia, ex na-
 ualibus turmis educta: in quibus & si magna, inutilis,
 & serè collectitia turba esset, erat tamen aliqua pars u-
 tilis: præter hos erant Veneti adolescentes, cum ijs qui
 eos sequuti erant, qui & si ob nobilitatem, & erga pa-
 triam pietatem clariores quàm alias ob causas essent,
 nihilominus, quia promptè se periculis obijciebant, a-
 lijsq; exemplum præbebant, minimè parui erant mo-
 menti. Præter milites omnes quoque reliqui necessarij
 apparatus abundabant: ingens tormentorum numerus,
 mira omnis generis commeatus cõpia, quia non minus
 regionis incolæ in frugibus securitatis suæ gratia eò cõ-
 portandis, quàm Veneti magistratus in procurando &
 imperando, ut assiduè uenirent, solliciti fuerat: & penè
 innumera agrestium multitudo, qui precio conducti nũ-
 quam opera intermittebant: adeò ut ea urbs tanto pro-
 pugnatorum numero atq; uirtute munitissima, mirum
 etiam in modum omnibus in locis refecta atque munita
 esset: aquam enim quæ circum Patauina mœnia fluit, ad
 magnam altitudinem per totam fossam undèquaq; au-
 xerant: & ad omnes urbis portas, alijsq; in locis oportu-
 nis multa propugnacula extrinsecus, sed mœnib; con-
 iuncta, quæq; aditum ab interiori parte præberent, cõ-
 struxerant: unde tormentis innumeris, qui in fossam se
 demississent, petebantur: & ne propugnaculis sortè amissa
 ciuitas in periculo esset, omnibus subter cuniculos e-
 gerant: & multa uasa tormentario puluere referta, ut
 cum amplius defendi nõ possent, euerti, & in altum tol-
 li possent, immiserat: nec ueteris muri magnitudine fir-
 mitudineq; prorsus freti, etsi prius eum diligenter inspè-

xiſſent, atq; ubi opus erat reparaffent, pinnasq; deieciſſent, tamen ab interiori parte arboribus aliaq; materia per totius urbis ambitum ſepta quædam à muro quanta ipſius erat craſſitudo remota confecerant: idq; uacuum quod inter urbis muros ſeptaq; intererat, ad muri uſq; ſummitatem terra ingeſta, beneq; ſolidata expleuerat: cumq; hoc admirabile opus incredibilisq; laboris, quo ingens hominum multitudo ſe exercuerat, nondum ijs quibus urbis tutela fuerat demandata omnino ſatisfaceret, muro in hunc modum aucto ac duplicato, ſoſſam ſexdecim altam ulnas totidemq; latam duxerant: quæ cum in imo anguſtior eſſet, atq; in omni parte ſubterraneas caſas ac turriculas tormētis inſtructas haberet, urbem ſic muniebat, ut capi nullo poſſe modo uideretur. Hæc autem ædificia ualli inſtar erant, cuniculis ſubterranea, eo modo conſtructa, ut ignis impetu euerti facile poſſent: nihilominus ut ad omnia paratiores eſſent, poſt ſoſſam, eiufdem uel maioris amplitudinis aggerẽ, qui quantum urbs ipſa, paucis locis ad quæ tormenta nullo modo dirigi poſſe cernebatur, exceptis patebat, tantum extendebatur, erexerunt: ante quem aliud munimentum conſtruxerunt ſeptem ulnarum: quo qui aggerem tuebantur ab hoſtilibus tormentis tuti redderentur: & ut militum ciuiumq; animi tantis apparatibus munitio nibusq; promptè reſponderent: Pitilianus omnibus in D. Antonij campum conuocatis, & grauibus ac uirilibus uerbis ad ſalutem honoremq; ſuum tuendũ cohortatus, ſe ipſe cum omnibus ducibus exercituq; uniuerſo & Patauinis ad extremum uſq; ſpiritum eam urbẽ optima fide atq; conſtanter deſenſuros, inuiolabili ſacramento obſtrinxit. Cum tanto igitur apparatu, con-

tra tantum apparatus Cæsaris exercitus sub Patauij muros successit, & à Portelli porta ad eam quæ à sanctis omnibus nomen habet, qua Taurisum itur, castrametatus est: eaq; ad Codalungæ portam, quæ Citadellâ iter est, usq; protendit: ita ut tria passuum millia in longitudinem occuparent: ipse uerò ad Helenæ, duobus ab urbe stadijs, & serè in medio Germanici peditatus Prætorio suo posito, cum omnibus pro castrorû gentiumq; uarietate quid faciendum esset iniunxisset, tormèta collocari iussit: quæ, quia innumera erant, & nonnulla ingentis ac penè incredibilis magnitudinis, & quia tota castra, ac præsertim ea loca in quibus tormenta collocare nitebantur, ab urbis tormentis magnopere infestabatur, sine multo tempore, atq; indefesso labore, quamuis ille animo inuictus, & laborum patientissimus, dies noctesq; per omnia loca discurrens, omnibusq; rebus præsens, ut res perficerentur maxima cura urgeret, collocari non poterant: iam tormenta serè omnia erant collocata, eodemq; die Galli & Germani pedites ab ea parte cui Palicia præpositus erat, portæ propugnaculum, potius tentandi quam instructa acie pugnandi gratia, oppugnarunt: quod cum strenuè defendi animaduertissent, nec mora, in castra redierunt. postero die tormenta ubiq; muros ferociter quatiebant: quorum pleraque cum ob inusitatam magnitudinem, tum ob pulueris copiam, aggeribus munitiõibusq; transgressis, mœnibus proximas ædes diruebant: & iam multis in locis amplum muri spaciũ disiectum erat, & propugnaculum quod ad omnium sanctorum portam erat, serè funditus cõuulsũ: nec tamen aliquod in ijs qui intus erat metus indicium apparebat, qui tormentis omnè exercitũ infesta

bant: & Epirotæ qui forti animo castris in suburbijis positis, in urbe castra habere noluerant, atq; alij expediti equites, excursionibus assiduis omnia instantes, modò à fronte, modò à tergo ad hostilia castra usq; procurrebant: & nunc còmeatus impedimentorumq; præsidia inuadebant, nunc per totam regionem excurrentes atq; diripientes, omnia itinera præter id quo Patauius ad Aponis balnea itur, infesta reddebāt, & nihilominus castra commeatu abundabant: cuius ubiq; & domus & agri erant pleni: quia neq; incolarum metus, neq; Venetorum sollicita diligentia, neq; innumera à militibus utriusq; partis illata detrimenta, illius amœnissimi uberimiq; agri eximiam copiam exhaurire potuerant. Lucius quoq; Maluetius illis diebus cum multis equitibus ut quadraginta aureorum millia quæ Venetijs mittebantur introduceret, egressus est: qui etsi hostes in nouissimum eius agmen, dum redirent, impressionem fecerint, cui nonnullorum ex suis cataphractis iactura, pecuniã integram introduxit. Nono die tormenta tantum effecerant, ut illis ulterius procedere minimè necessariũ uideretur: idco sequenti die, exercitus acie instructa, ut in mœnia insiliret, prodijt: sed cum urbis propugnatores eadem nocte fossæ aquam quæ prius depressa fuerat iterum auxisse animaduertissent, neq; Cæsar milites in manifestissimum periculũ conijcere uellet, omnes in castra redierunt. Aqua rursus diminuta, postero die propugnaculum quod ad Codalungæ portæ angulum erat, paruo successu oppugnari cœptum est: quare Cæsar cū summam diligentia, ut id expugnaret, adhibere statuisset, tormenta quæ in parte Gallorum, qui inter omnium sanctorum, & Codalungæ portas castra habebant, collo-

locata

locata erant, contra id direxit: quibus cum partem eius diruisset, post biduum Hispanos Germanosq; pedites, cum nonnullis grauis armaturæ equitibus equis relictis oppugnationem tentare iussit: illi uerò ferociter pugnantibus in propugnaculum cōscenderunt, & duo signa ibi fixerunt: sed tam munita erat fossa, tanta propugnatorum uirtus, inter quos Citolus Perusinus, summa cū laude dimicans, graue uulnus accepit: talis non modò tormentorum, uerum etiam lapidum, artificiosarumq; faccum, aliarumq; machinarum erat copia, ut multis uulneratis, multisq; cæsis, celerrimè descendere coacti fuerint: quare exercitus qui ut propugnaculo, quemadmodum credebatur, capto, mœnia oppugnaret instructus erat, nulla re tentata arma deposuit. Cæsar hoc experimento facto, uictoriæ spem prorsus amisit: ideoq; cum discedere statuisset, ubi tormenta tutum in locum cōtutit, ad Liminum oppidum quod Taurisum uersus est, decimosexto obsidionis die se cum omnibus copijs contulit: deinde pluribus castris Vicetiam peruenit: ubi populo Vicentini o sacramento obligato, & penè omni exercitu dissoluto, quia eius consilia factaq; successu caruerant: & multo magis quia & in exercitu, & per omnem Italiam mirifici sermones de eo spargebantur cōtemptus, Veronam petijt: neq; enim quoniam ut Taurisum non potiretur, & Patauium amitteret eius culpa factū esset dubium erat: pari quoq; ratione eius aduentus tarditate Patauinam expugnationem difficilem factam: hinc enim Venetos ad militem comparandum, Patauū com meatu cumulandū, & admirabiles illos apparatus munitionesque faciendas tempus habuisse: neque ipse hanc causam quo minus ea urbs expugnari posset, fuisse ne-

gabatur: sed culpam à sua uarietate erroribusq; in Pontificem & Gallie regem transferebat: quod alter Venetis oratoribus Romam eundi potestate facta, alter uerò in auxilijs mittendis mora interposita, ipsos à se alienatos esse, omnibus credendi occasionem dedissent: ex quo montani agrestesque homines supra Vicentiam rebellandi animum sumpserunt: in quibus demandis, dum multos dies consumpsisset, post eandem ob causam eadem in planicie impedimenta inuenisse: & ut comitatus accipiendi facultatem sibi liberam tutamque redderet, sequè multis molestijs liberaret, omnia regionis oppida expugnare coactum fuisse: neque in hoc tantum sibi Gallorum tardum aduentum nocuisse, uerumetiam quia si idoneo tempore uenissent, Patauium nõ defecisset: & cum hoc, tum quòd classes ab Gallie Aragonieque Regibus essent demissa, Venetis alio tempore liberatis, Patauij diligentius, commodiusque omnibus rebus muniendi facultatem dedisse: præterea Aragonie regi suas difficultates quo facilius ad Castellæ regni administrationem ei concedendam flecteretur, gratas esse querebatur: quæ tamen querelæ eius statum nihilo meliorem reddebant: neque auctoritatem amissam, quòd tam raris occasionibus uti nesciuisset, augebant: imò hanc in hominum animis passim de illo opinionem esse, Gallie Regi gratissimum erat, nec Pontifici molestum: qui suspicax, & nemini fidens, quàm ille pecunie egens, quamque in ea petenda molestus esset considerans, eius nomen in Italia augeri, non libenter uidebat. Veronæ fidelitatis sacramentum accepit, & in ea ciuitate Florentinorum legati, inter quos fuit Petrus Guicciardinus

pater

pater meus reip. nomine, quæ præter alias cauffas, Gallie regis hortatu id fecit, se illi breui quadringentas auri libras duros promiserunt: quamobrem ampliffima priuilegia tam ad libertatis Florentinæ ciuitatis, quam ad imperij & iuris eorum quæ possidebant confirmationem, unâ cum omnium quæ illi ad eam usque diem debuissent absolute, obtinuerunt: cumq; Cæsar in Germaniam, ut quemadmodum aiebat, se ad bellum incunte Vere gerendum compararet, redire statuisset, Ciamontium ut de præsentibus rebus cum illo ageret ad se uocauit: cui quum in Arsiuum ueronensis agri uillâ uenisset, periculum ne Veneti Citadellam atque Bassianum, ad quæ maximi momenti loca, Patauij defensione elati, oppugnanda sese comparabant, recuperarent: idemq; ne postea Monsilicio, Montianæ, atq; Ateste fieret, ostendit: ac præter horum oppidorum conseruationem, de Lineaco etiam recuperando cogitandū esse: quum autem ipse ea quæ ad hæc conficienda necessaria erant comparare solus non posset, se ab rege iuuari oportere, cuius res, nisi suæ sustinerentur, in periculo essent futura: quibus postulatis quum Ciamontius certum responsum dare non posset, se ad regem relaturum dixit, & responsum ab eius desiderio non alienum fore spem fecit. Post hoc colloquium Maximilianus Brandenburgensi marchione ad Veronæ custodiam relicto, Clusiam se contulit, & paulo post Palicia, qui cum quingentis cataphractis in ueronensi agro manserat, castrorū difficultate multisq; incommodis adductis, cum importunius instaret, discedendi facultatem impetrauit: seq; in mediolanensis imperij fines recepit: quoniam regis uoluntas erat, ut si suis copijs ociose in præsijs uersan-

dum esset, in sui imperij finibus manerent: redirent autē ad nauandam Maximiliano operam, quacumq; in re illi usum fuisset: præsertim in Lineaco expugnando: quod cum ipse summopere cuperet atq; urgeret, ob coniecta eius impedimenta tandiu dilatatum est, ut quum maximè pluuiæ ob anni tempus uenissent, bellum in ea regione, quæ cum situ admodum sit depressa, ualde aquis inundatur, geri non amplius posset: quare Cæsar ad has angustias redactus, aliquot mensium inducias cum Venetis pacisci cupiuit: sed ipsi ex eius erroribus animū sumentes, quum illum tam frigidè à socijs uiuari cernerent, bello moram interponere è re non sua esse duxerunt. Tandem Cæsar rebus suis in graui periculo, & Italiæ statu in non parua ambiguitate relicto, Tridentum redijt: noua enim inter Pontificem & Galliæ regem controuersia orta erat, quæ etsi leuibus ex causis initium habere uideretur, grauiores causas latere suspicio erat: quòd tunc apparebat, id erat: quòd quum episcopatus quidam in Prouincia episcopo in Romana curia defuncto, uacaret, Pontifex ei alium contra Galliæ regis uoluntatē qui id pactioni per Papiensem Cardinalem inter ipsos initerepugnare aiebat, surrogarat: qua in pactione, etsi scripto, ut idem in ijs qui in Romana curia, quòd in ijs qui alibi morerentur expressum non esset, tamen Cardinalem id uoce promississe: quòd quum Cardinalis fortasse potius metu quàm alia de causa uerum esse negaret, & rex contra affirmaret, Pontifex se quid cl. in actum esset ignorare dicebat: sed quum in confirmatione sua, ad ea se quæ scripto apparebant retulisset, & singula capita nominatim inclusisset, neq; hæc causa quæ episcopi in Romana curia moriuntur ijs comprehende-

dere

deretur, ad alia non teneri: idcirco crescente indignatione, rex contra consuetudinem suam Rotomagensis, qui semper concordie cum Pontifice autor fuerat contempto consilio, omnium beneficiorum quibus in Romana curia agentes in mediolanensi ditioe fruebatur, fructus retineri iussit: & Pontifex uicissim Albiensi episcopo roseum Galerum dare recusabat: qui ut cum, quemadmodum regi Pontifex promiserat, acciperet, Romam se contulerat: & quamuis Pontifex multorum precibus uictus, tandem Prouinciæ episcopatum ex regis uoluntate dederit, & quomodo in beneficijs, qui in posterum in Romana curia uacarent, agendum esset, denudò cum illo transegit: ideoq; alter fructus sequestres liberaret: alter Albiensi sacram purpuram concederet: tamen hæc ad Pontificis animum mitigandum multis de causis irritatum, sed præcipuè, quia quum iam pontificatus sui initio Rotomagensi Galliæ légationem, uelut Romanæ curiæ perniciosam, seq; indignam inuitus concessisset, se, ni regis animum irritare uellet, ut in ea persueraret, ut assentiretur cogi, illi molestissimum erat: & quia quum illum Cardinalem omnia sua consilia et artes ad Pontificatum adipiscendum dirigere persuasum haberet, omnem Gallorum progressum motumq; metuebat minimè erant idonea. hæ erant eius indignationis quæ apparebant causæ. ex ijs uerò quæ postea eius cogitationes aperuerunt, quum maiores fines in animo propositos haberet, siue gloriæ cupiditate, siue oculto in Galliæ regem odio, siue Genuensium libertatis desiderio ductus, ut rex ea quæ in Italia possidebat amitteret, uehementissimè cupiebat: neque de illo ac de Cardinali Rotomagensi apertè conqueri desinebat: ita tamè,

ut hæc querelæ ex timore præcipuè manare uiderentur: & nihilominus, ut natura erat inuidtus & ferox, quiq; ad animi sui sensum plerunq; externas significationes adiungeret, quamuis tanti momenti, tamq; factu difficilem rem sibi proposuisset, sibi soli fidens, & reuerentia autoritateq; qua sacrosanctam sedem apud principes pollere uidebat, fretus, ex nullo pendens, neminiq; coniunctus, imò uerbis & facto se omnes parui facere præ se ferens, nec Cæsari adhærebat, nec cum rege Catholico coniungebatur: sed ab omnibus alienus erga neminem præter Venetos se propensum ostendebat: atque ut eos diris absolueret, indices magis ac magis in suo proposito confirmabatur: propterea quòd illos non perire, Italiæ saluti, & suæ securitati, amplitudiniq; ualde utile fore censebat: cui rei uehementer repugnabant Cæsaris & Galliæ regis oratores, Aragoniæ quoque regis oratore publicè quidem cum illis sentiente: quamuis quòd regni neapolitani caussa, Galliæ regis potentiam metueret, nec Cæsari ob eius inconstantiam fideret, occultissimè contrarium cum Pontifice procuraret. Afferebant autem non decere ut Pontifex in eos quos armis persequi teneretur, tantum beneficium conferret: quum cameracensi fœdere singuli fœderati alios tandiu iuuare tenerentur, donec quisq; omnia quæ nominatim esset expressa obtinuisset: quocirca quū Cæsar Taurisum nondum esset adeptus, neminem ex ipsis ea obligatione liberatum: præter quàm quod iure Venetis sacrorum restitutio denegari posset, quoniã nec sponte, nec intra præscriptum tempus Aemiliæ ciuitates Pontifici restituisent: imò nec ad eam usq; horam integrè eos paruisset: quia, præter oppida, fructus quoque per-

ceptos;

ceptos, ut eis erat iniūctum, minimè reddidissent: his autem Pontifex respondebat, quum illi ad frugem bonam rediisset, ac demissè admodum ueniam petiissent, Christi uicarij nō esse, eos amplius in tot animarum salutis detrimentum sacris armis persequi, quum præsertim oppida consequutus esset: ideoq; dirarum causam sublatam, fructuū autem restitutionem, potius ad crimen amplificandum, quàm alia de causa additam incertamq; fuisse: neq; eius tantam rationem habendam: diuersam esse ciuiliū armorum causam, ad quæ, quòd in cameracensi fœdere persistere in animo haberet, ut cum alijs cōcurreret paratus esset: quamuis ab eo possent omnes fœderati iure discedere, quod si rex Rom. Taurisum nō obtineret, per ipsum stetisse: qui primas Venetorum oblationes, per Antonium Iustinianum legatum ab ipsis, ut ei quæcunq; in continenti possidebant traderet missum, factas reieciisset: et postea sepius pro Tauriso, idoneam compensationem oblatam repudiasset: itaq; etsi cum legatorum aduersa uoluntas non retineret, sola animi elatio quædam illum retinebat: quæ fiebat ut quauis Venetos absoluere sibi utile & suis consilijs opportunum duceret, tamen id nisi cum magna sacræ sedis dignitate, & ita ut res ad pontificium imperium spectantes, omnino illorum dominatu liberarentur, non concedere statuerat: ideoq; quum Veneti duo capita quæ cum alijs proposuerat concedere recusarent, eos non liberabat: horum autem capitum unum erat, ut Pontificij imperij hominib. Adriani maris navigationem liberam permitterent, à qua omnes eos qui earum rerum quas uehebant ipsis uectigal nō soluissent, arcebant: alterum erat, ut Ferraria, quæ ciuitas ex Pontificio im-

perio p̄debat, Vicedomini magistratum deinceps non haberent. Veneti autem id ab Ferrariensibus, Clemente sexto Romano pontifice, qui ea tempestate cum curia sua Auenione agebat, minimè repugnante, permissum fuisse aiebant: Adriani uerò sinus imperium atq; custodiam ab Alexandro III. pontifice, quòd armis, uirtute, sumptibusq; maximis eam nauigationem ab Saracenis atq; prædonibus defendissent, securamq; reddidissent, amplissimis priuilegijs concessam ipsis fuisse: ad quæ pro pontifice respondebatur, non potuisse Ferrarienses in pontificij imperij fraudem assentiri, ut alij Ferrarie magistratum haberēt, iusue administrarent, neque id sponte concessisse, sed graui diuturnoq; bello coactos, & post pontificis, cuius fulmina Veneti contemnebāt, opem frustra imploratam, pacem ijs legibus quas illi qui plus armis q̄ iure poterāt imposuissent, accepisse: Alexādri uerò cōcessionis, neq; in historijs, neq; ullis alijs monumentis, ullam memoriam fidemue extare, præter Venetorum testimonium, quod in propria tanq; graui caussa, suspectum meritò esset: cuius rei & si aliqua memoria inueniretur, uerisimilius esse ab eo, quem Venetijs id concessisse dicebant, minis terrore q; extortum fuisse, quàm Romanum pontificem, ad quem præ ceteris iusticiæ patrociniū, & oppressorum cura pertineret, rem tam imperiosam & in omniū commune detrimentum concessisse. Hoc igitur rerum statu, hac principum uarietate, paruaq; Romanorum regis potentia existimationeq; Veneti exercitum cuius legatus erat Andreas Grittus Vicentiam, ubi imperium suum à populo expeti sciebant, miserunt: quò quum noctu uenissent, Pusterlensi suburbio tormentis uerberato

eo potiti sunt: & nihilominus quamuis pauci milites in urbe essent, de ea expugnanda non magnam spem habebant, sed oppidani, ut fama fuit, Fracassæ hortatu, legatis ad illos media nocte missis, eos introduxerunt: quo tempore Analtensis princeps cum Fracassa in arcem se receperunt. & constans opinio fuit, si Vicentia capta, Venetus exercitus statim Veronam petisset, Veronenses idem facturos fuisse: sed ducibus, antequam arcem expugnassent, Vicentia discedendum non est uisum: quæ etsi quarto die potiti sint, quoniam Analiensis princeps atq; Fracassa, quod non satis munita esset, eam deseruerunt, interea nouæ Cæsaris copiæ, & trecenti Galliæ regis cataphracti Aubignino duce Veronam uenerunt: adeo ut quum in ea essent circiter quingenti cataphracti, et quinque partim Hispanorum, partim Germanorum peditum millia, eius expugnatio non amplius facilis esset. Venetus deinde exercitus in duas partes, in quibus singulis erant trecenti grauis, quingenti leuis armaturæ equites, & tria peatum millia, diuisus, Veronæ appropinquauit, quamprimum uisi fuissent motum in ciuitate exoriturum sperantes: sed quum non eodē tempore utriq; copias admouissent, qui in urbe erant, primæ parti quæ trans Athesim fluuium ueniebat, & iam suburbium erat ingressa obuiam progressi, eam retrocedere coegerunt: & quum paulo post Lucius Maluetius cum altera parte ad alteram fluminis ripam aduenteret, & ipse retrocessit: quare utrique simul coniuncti in diui Martini uilla ad quintum à Verona lapidem castra posuerunt, ubi cum morantur, duo Germanorum peditum millia Bassiano Citadellam prædæ caussa petiisse certiores facti, ad eam partem profecti, in E. data

ualle illos incluserūt. sed Germani auxilijs Bassiano acceptis, ui, at ob angusta itinera non sine clade eruperūt: & Bassianum ab illis desertum Veneti occuparūt: Bassiano pars copiarum Feltrium & Ciuitale petijt: illisq; oppidis receptis, Scalæ arcem tormentis admotis expugnauit. Eodemq; tempore Antonius et Hieronymus Sa-uorniani nobiles uiri, qui Venetas partes in Foroiulij sequebantur, Castellonouum in aspero monte in Patriæ medio (sic enim Forumiulij trans Tiliauentum nuncupant) situm expugnarunt: nec interea de Cæsare qui Vicentina re commotus, statim ad Petram uenerat, quidquam præter uanos rumores, crebros celeresq; huc atque illuc sine fructu excursus audiebatur. Postea uentus exercitus Monsilicium, & Montanianam uersus ut Rhodigiam Polinesum recuperaret, & in Ferrarientem unâ cum classe quam senatus prudentiorum senatorum, qui nouis bellis implicari temerarium ducebant consilio neglecto Pado flumine mittere decreuerat, irrumperet, contendit: ad id autem non tã præsentium rerum utilitate, quàm odio incredibile in eum concepto mouebãtur: quòd de ijs quidem quæ sui ab Vicedomini iugo liberandi, & Polinesi recuperandæ gratia princeps ille fecerat, iure conqueri non debere satis animaduertent: sed quòd iam illud ferre non possent, quòd ijs quæ iure ad se spectare dicebat non contentus, quū Cæsar exercitum Patauio abduceret, Este siue Ateste Castellum, unde antiqua Estensis siue Atestinæ familiæ origo atque cognomen manauit, ab illo beneficij nomine, & Montanianam (pecunia mutuò data) pignori, in quæ duo loca nullum ius habebat, accepisset. huc accedebat quòd eius copiæ, quum Polinesum recuperarent, sum-

mo in uenetum nomen odio concitatae, patritiorum bonis maxima damna intulerant: etiam in aedificia incendijs excidijsq; saeuientes: itaq; constitutum fuit, ut classis ipsorum, Angelo Triuisano praefecto, in qua erant decem et septem triremes, cum maxima minorum nauigiorum copia, et uiris bellicosus bene instructa, Ferrariam uersus contenderet: quae Padum per Fornacium ostium ingressa, Corbula cum alijs Padanis uicis incensa, totam regionem ad Obscurum lacum usq; depredata est: quo ex loco expediti equites, qui eam terrestri itinere comitabantur, Ficariolum usq; magnificam domum potius quam arcem, Roberti Sanseuerinatis, Venetarum copiarum ducis, in bello quod contra Herculem Alfonso patrem gesserunt diuturna oppugnatione celebre, excurrerunt: huius classis aduentu, et terrestris exercitus aduentantis fama Ferrariensis est magnoperè consternatus: qui cum paucissimos milites haberet, nec Ferrariensis populus uel numero, uel belli peritia, qui tanto periculo occurreret par esse uideretur, dum auxilia quae a Pontifice et Galliae rege sperabat aduentarent, nullam aliam sui defendendi rationem habebat, quam creberis tormentorum in Padi ripa collocatorum ictibus, quo minus hostes ulterius progredirentur, impedire: quare Triuisanus frustra transire conatus, cum se absq; terrestribus auxilijs maiorem progressum facere non posse animaduertet, in Padi fluminis medio, post paruum insulam quae est regione Polisellae, hoc est paruae Polinesi, sitam, qui locus undecim passuum millibus Ferraria distat, et ad eam infestandam ualde opportunus, eum classe, ut ibi exercitum opperiretur, constitit: cui iam citra negocium tota Rhodigia Polinesus se dederat, prius

tamen Montaniana, pactione recepta, qua Ferrariensium magistratus, & peditum duces qui intus erant captiui, sunt eis permisi: ut autem classis ad exercitus aduentum usq; tutior esset, Triuisanus uallo utramque Padipam munire cœpit: quorum alterum in ea parte in qua Ferraria est, alterum in opposita erigebat: atq; ut ei uallo quod Ferrariam spectabat, opitulari classe posset, pontem nauibus imposuit: quod ut perfici prohiberet dux, consilio fortè magis audaci quàm prudèti, quàm plurimis iuuenibus ex ciuitate, & militibus qui frequèntes ad eius stipendia accurrebant collectis, repentè ad id oppugnandum misit: sed qui in uallo erant classe adiuti eruptione facta, eos in fugam uertere cœperunt: & quàmuis dux cum multis equitibus superueniens, eos hortatus reuocaret, & suorum militum, qui magna ex parte tyrones erant, ordines restitueret, is tamen hostis impetus fuit, pro quibus & locus, & multa parua tormenta pugnabant, ut tandem pedem referre fuerit compulsus, multis ex suis non tam ex imperita & obscura turba, quàm ex ferocissimis militibus, & Ferrariensi nobilitate partim cæsis, partim captis: inter quos Hercules Cantelmus eximie expectationis iuuenis, cuius maiores olim in regno neapolitano Soræ fuerât duces, à quibusdam Illyricis militibus in triremem captiuus perductus: ac dum cuius ipsorum esse deberet dissidium inter eos ortum esset, ab uno illorum inaudito barbaræ immanitatis exemplo ei miserè caput est truncatum: quare cum Ferraria minimè extra periculum esse omnibus uideretur, Ciamontius Castellionè cum centum & quinquaginta Gallis cataphractis illi auxilio misit: & Pontifex Venetos pontificij imperij in ea iuris posthabita

ratione

ratione eam oppugnare indignatus, suos ducentos grauis armaturæ equites, qui ad Cæsaris auxiliū missi erāt, ad Ferrariam tuendam conuerti mandauit: sed fortasse hi apparatus serò facti fuissent, nisi Veneti de propriarum rerum defensione cogitare fuissent coacti. Difficultates in quibus Maximilianus uersabatur, ut suprà dictū est, Gallie regi, cum ob eius felicitatis perpetuū metum, tum quia Veronæ adipiscendæ desiderio ardens, illum tandem egestate coactum, eam sibi uel uenditurum uel pignori daturum sperabat, minimè molestæ fuerāt: sed contrā, Venetorum potentiam, ex qua semper molestiæ perpetuāq; pericula in res suas redundatura essēt iterum erigi ægreferebat: quare cum ob pecuniæ inopiam Cæsaris uires Veronæ ualde tenues essent, rex aliā quā cataphractorum quæ submiserat auxilia, ne ea ciuitas in illorum potestatem rediret, procurare coactus fuit: huic rei initium dedit Ciamontius, post Vicentiæ idēturam in Veronensis agri fines profectus: nam cum bis mille Hispani pedites, qui Veronæ erant, ob stipendia non numerata tumultuari inciperent, ipse illos regis stipendijs retinuit: & insuper maioris securitatis gratiā alios pedites misit: hac in re Triultij consiliū sequutus qui Ciamontio ne regi hic sumptus molestus esset uerēti, respondit: minus metuendum esse ab rege ob impensam pecuniam, quā ob imperium uel amissum, uel cū periculo retentum, accusari. præterea octo aureorum numūm millia ad stipendia militibus qui Veronæ erant persoluenda, Cæsari mutuò dedit: Vallegio tamen oppido, quod quia Mincij fluminis traiectus unus est, imò qui eo oppido & Pischeria potitur, Mincij traiectū in potestate sua habet: & sex miliaribus Brixia distat, ob

Brixie securitatem magni ab rege fiebat: ob has atq; alias quas ad eius commodum expensurus esset pecunias, ab eo pignoris nomine accepto: Ciamontij quem maxima cataphractorum qui in Insubria erant pars sequebatur aduentus, copię Veronam missę, & illos ad Vicentie expugnationē se cōparare fama diuulgata, in causa fuerunt, ut uenetus exercitus quadringētis expeditis equitibus, & totidem peditibus ad Polinesi defensionē, & classis auxilium relictis, ex Ferrariensi agro discederet, & Lineacum, Soauium atq; Vicentiam distribuere-
 tur: cūq; Veneti Vicentiam & circumiectam regionem à copijs quę Veronę erant tutā præstare cuperēt, eam memorandi operis fossa, lata, & aquę plena munierūt: aggereq; & multis uallis diuersis in locis positis, circumdederunt: ea à montis quod supra Soauium est radicibus incipiens, per quinque millia passus ducta, per planiciem qua Rhodigio Monfortium itur, ad paludes quasdam Athesi fluuio proximas pertingebat: & Soauio atque Leonico munitis, totam regionem dum custodiretur præsertim hyeme, tutam reddiderant. Venetarū copiarum discessu, Ferrarię periculum nonnihil leuatum sed non prorsus sublatum fuit: nam & si expugnationis metus desierat, tamen suspicio ne grauissimis detrimentis, uel nimium uires eius frangerentur, uel populus in extremam desperationem adduceretur, minimè sublata erat: quoniam classarij milites, & qui classem comitabantur, quotidie ad urbis portas usq; procurrebant: & alię Venetorum nauales copię, Ferrarięsum ducis regionem ab alia parte aggressę, Comaclium ceperāt. Interea Pōtifis & Gallię regis auxilia superuenerūt: idcirco dux qui clade prius in ualli oppugnatione acce-
 pta do-

pta doctus, copias suas in munitis castris prope Ferrariã collocarat, crebrò ob equitando atq; excurrendo hostes ad pugnam allicere cœpit: illi uerò exercitum suum rediturum sperãtes, ante pugnam capeffere recusabãt: accidit autem ut cū aliquãdo Estensis cardinalis ad uallum usque procurrisset, in eius reditu tormenti globo è classe emisso, Ludouico Mirandulano comiti uni ex pōtifictorum militū præfectis, nemine uel illo uel alio ictu in tanta multitudine præter eum lesò, caput tolleretur: tandem regionis atq; fluminis naturæ oportunitatisq; peritia, quod ab initio periculosum atq; difficile usum fuerat, facillè reddidit: nam cū dux & cardinalis se classem, modò tormenta in fluminis ripa tutò collocari possent, facillè tormentis depressuros sperarent, cardinalis cum copiarũ parte ad uallum oppugnandũ redijt: & hostibus qui ad certamen prodierant, cum aliquorũ ex ipsis cæde repulsis, proximam aggeris partẽ occupauit atq; muniuit: adeò ut hostibus inscijs in principio noctis tormenta in ripam classi oppositã trahi curauerit: ijsq; maximo silentio collocatis, horribili cum fragore eam quaterere cœperit: & quamuis omnes naues ut fuga sibi consulerent mouerentur, nihilominus, quia multa inusitate magnitudinis tormenta longum ripæ tractũ disposita occupabãt, & à peritis tractabantur, procul admodum globos emittebãt: adeo ut hostes potius periculi locum mutarent, q̄ ipsum periculũ uitarent: cum præsertim dux ipse, tormentorum facièdorum, eorumq; usus peritissimus superuenisset, seq; mirum in modũ exerce-ret: quibus ictibus omnes hostium naues, quãuis & ipsi ab iaculando non desisterent, sed frustra, quoniã qui in ripa erant aggere tegebantur, uarijs horrèdisq; casibus

absumebantur: quarum aliæ cū huiusmodi fulmina iam
 sustinere nō possent, sese dedebant: aliæ igne tormento-
 rum pilis accenso, unā cum ijs qui in eis erant miserè cō
 flagrabant: alij ne in hostiū manus uenirēt, in aquis pe-
 rire malebant: classis uerò præfectus iam ferè ab initio
 pugnae scapha conscensa fuga euasit: eius uerò triremis
 per tria milliaria fugiens, semperq; iaculans, seq; defen-
 dens, ac nauigij detrimenta quo ad eius fieri poterat sar-
 ciens, tandem tota perforata submersa est: demum cum
 omnia sanguine, igni, cadaueribus plena essent, quindecim
 triremes, aliquot magnæ naues, biremes, aliæq; mi-
 nora nauigia ferè innumera in ducis potestatem uenerūt:
 circiter duo millia hominum tormentis, igne, & aquis
 perierunt: sexaginta signa capta, sed nō prætorium ue-
 xillum, quod cum ipso præfecto seruatum est: multi in
 terram fuga sibi consuluerunt, ex quibus aliqui ab Ve-
 netorū expeditis equitibus seruati, pars ab hostibus per-
 sequentibus capti, pars uaria incommoda fugientes ab
 colonis perpeffi: captæ naues Ferrariam perductæ sunt
 ubi ad uictoriæ partæ memoriam multos annos conser-
 uatæ fuerunt, donec Alfonsus Venetis gratificandi cupi-
 dus, illas senatui concessit. Hac classe debellata, Alfonsus
 illico trecentos equites, & quingentos pedites, ad alte-
 ram classem quæ Comacium occuparat, debellandam
 misit: qui Laureto quod Veneti munierant recuperato,
 classē, ut opinio fuit, debellassent, nisi illa periculo per-
 specto, ad Bebias se recepisset. Hunc finem habuit unius
 mensis spacio Ferrariense bellum, in quo exitus, sæpe re-
 rum minimè imperitus arbiter ostendit, quanto pauco-
 rum, qui ut reliquis rebus omiſsis, pecunijsq; ad maiore
 oportunitatem reseruatis, Patauio, Taurisq; & reli-
 quis

quis locis quæ recuperata fuerant tantummodo tuèdis incumberetur hortabantur, consilium prudentius fuerit, quàm illorum qui plures numero, sed prudentia inferiores, odio indignationeque concitati, facillè se tot rebus gerendis immiscebāt: quæ temerè inceptæ, tandem grauissimos sumptus cum nõ mediocri reip. ignominia atque detrimento pepererunt. At circa Patauium Venetorum res potius feliciter quàm secus succedebant: nam cum Cæsar cum quatuor peditum millibus in uicentino agro esset, ueneti exercitus pars non admodum magna agriculturalum eius regionis auxilio, ferè ante eius oculos, Scalæ angustias, deinde Cocolum atque Basianum, loca ad eos qui ex Germania in Italiam uenire uellent itinere prohibendos oportuna cepit: ipse uerò Paliciæ discessu multa sibi aduersa accidisse conquerens, ut ad Comitiam quæ Oeniponti indixerat, se transferret, Bologianum petijt: cuius exemplum secutus Ciamontius, uehementibus Vicentiæ atque Lineaci oppugnandi cogitationibus quas habebat omiſsis, loca etiam bene munita esse, & tempestatem ualde aduersam cogitās, Brixia, Pischeria atque Vallegio, præsijs optimè munitis, & sexcentis cataphractis, cum quatuor militum millibus, Veronæ ad eius urbem, quam Cæsar per se tueri non poterat, defensionem relictis, qui à Cæsarianis militibus separati, in D. Zeni suburbio, arce quoque, ut tutiores essent, in sua potestate retenta, castra habebant, Mediolanū se contulit. Verona nobilis atque antiqua urbs Athesi flumine latissimo atque altissimo interfecatur: qui ex Germania montibus ortus, ut in planiciem peruenit, ad sinistram montes radens incuruatur: ac Veronam alluens, ea egressus, atque à montibus recedens, per amœnā fer-

tilemque planitię euagatur. ea urbis pars quę in iugo cę
 aliqua etiã planitię sita est, ab Athesi Germaniã, altera
 pars quę tota in planitię est, cis Athesim Mantuã respi-
 cit: in monte ad D. Georgij portam D. Petri arx est, ad
 iaculi uerò geminũ iactum, supra in summo collis uer-
 tice, est Felicianã arx, utraq; lōgè magis loci natura, q̃
 arte munita: & tamen illis captis, quia urbi ualde immi-
 nēt, Verona in graui periculo uersaretur: hæ à Germa-
 nis custodiebãtur: sed in altera parte quã fluuius ab hac
 dirimit, est arx quę castellũ uetus dicitur Pischeriã uer-
 sus, ferè in media urbe posita: quę fluminis utraq; ri-
 pam ponte cõiungit: ad tertiũ uerò ab hac arcus iactum
 Vicentiã uersus est alia quã Citadellã uocant: & inter
 utraq; urbis moenia extrinsecus in semicirculi sũrmã
 coniungũtur: ab interiori uerò latere murus inter duas
 amplissimas fossas extractus ad eas adiungitur: spaciũ
 uerò quod inter hos duos muros positũ est, D. Zeni sub
 urbium appellatur, quod unã cũ Citadellę custodia Gal-
 lis ad castra locanda attributũ fuit. Vbi dum arma penè
 silent, Maximilianus continẽter de inducijs cũ Venetis
 agebat, Põtifice per Achillẽ Crassum Pisauensem epi-
 scopũ, nuncium suũ, ad id uehementer adnitẽte: quã ob-
 rem eius oratores, & Io. Cornelius & Ludouicus Mo-
 cenicus Venetorũ oratores, ad Hospitaletũ supra Scalã
 ad colloquiũ uenerunt: sed ob immoderatas Cęsaris pe-
 titiones, Põtifice qui Venetos omnib. molestijs liberari
 cupiebat, id ægerrimè ferente, uanus extitit labor: Pon-
 tifex aut ut inter se et Venetos nullus cõtrouersię locus
 relinqueretur, ut Ferrariens. duci Comaclitũ quod prius
 incenderãt restituerẽt, seq; eius ditionẽ nõ amplius infestatos
 promitterẽt, effecerat: tũc enim Ferrariens. ducẽ

Pontifex, beneficiorum ab se acceptorum, quæq; accepturus erat memorem fore, potiusq; secum, quam cum Gallie rege sensurum sperans, patrocínio uehementer complectebatur: aduersus quem regem, dum de firmissimis adiumentis comparandis dies noctesq; cogitat, hominem suum clam ad Angliæ regem miserat: & cum Heluetijs inter quos & Gallie regē controuersia quedam iam gliscebant, agere coeperat: quocirca, cum Sedunensis episcopus, regi infensus, quiq; his instrumētis ad sacram purpuram aspirabat, ad se uenisset, latissimo animo illum acceperat. Sub huius anni finem Romanorum, & Hispaniæ reges, ob Castellæ regni administrationem inter se disidentes, conciliati sunt: ea controuersia diu in Galliæ regis curia agitata, cum multas difficultates haberet, Rotomagensis imprudentia, quam hæc concordia regis sui rebus perniciosa esset futura minime cogitantis, ad exitum perducta fuit: nam si eius perficiendæ autor extitisset, sibi fortasse ad Pontificatum adipiscendum profuturum ratus, summa diligentia atq; labore in id incubuit: quibus cum eius autoritas accessisset, tantum effecit, ut Maximilianus Catholico regi, nisi masculam prolem susciperet, illorum regnorum administrationem tandiu, donec Carolus utriusq; nepos uigesimum quintum annū attingeret, permiserit, ea lege ut nepos matre quæ regina appellabatur (quoniam in Castellæ regno fœminæ à maribus non excluduntur) uiuente, regiam appellationem nō assumeret: Catholicus rex Cesari quinquaginta aureorū nummū millia persolueret: eum, donec sua recuperasset, ut ex cameracēsi fœdere tenebatur, iuuaret, & Carolo quotannis quadringentas auri libras penderet: quare Aragoniæ rex

in Castellæ regni administratione confirmatus, contro-
uersijsq; sublatis, atq; in ambobus, eodẽ communis ne-
potis amore uigente, fidei sibi apud Cæsarẽ conciliandæ
facultatem adeptus, audacius ut Galliæ regis potetiam
quæ in regni neapolitani caussa semper illi erat suspe-
cta impediret, operam dare potuit. eodem tẽpore Pon-
tifex, Protonotarium Bentiuolum, qui Cremonæ erat,
furtim Bononiam reditum moliri ueritus est: eam ob rẽ
Julianum Medicem per aliquot dies in Bononiẽsi curia
detineri iussit: & Galliæ regis in se odio omnia tribuẽs,
se ne is Italiæ in seruitutem redigendæ caussa, utq; Ro-
tomagensem ui armata pontificem fieri cogeret, in Ita-
liam ueniret, timere ostendebat: & nihilominus eodem
tempore palàm de Cæsaris dignitate, quasi is ad tantam
personam sustinendam minimè esset idoneus, quiq; eam
ob caussam impertij nomen in maximum contemptum
adduxisset, detrahebat. In huius anni fine, Pitiliani co-
mes uenetarum copiarum imperator mortem obiit, uir
admodum senex, & longo militiæ usu ualde peritus, cui
ius fidei plurimum Veneti tribuebant, quoq; duce impe-
rium ipsorum temerè in discriminẽ adductum iri minimè
metuebant. Sequitur in hac rerum ambiguitate annus

1510. *M D X, in cuius initio bellicæ res, ut etiam anni tem-*
pus ferebat, ab omni parte frigebant: quoniam uenetus
exercitus qui ad Sanctum Bonifaciũ in Veronensi agro
castra habebat, Veronã penè obsidione premebat: qua-
re cum Carolus Ballio, Federicus Bozulus, & Sacramo-
rus Vicecomes ad commeatum introducendum egressi
essent, ab Epirotis fusi sunt: Carolus uerò Sacraq;-
morus capti, Federicus autem Gallorum, qui ut eis opẽ
ferrent Verona eruperant, opera euasit: & paulo post
aliam

aliam Gallorum equitum alam fregerūt: in eaq; Clesius nobilitate Clarus, captus fuit: ab alia parte ducēti Galli cataphraēti cum tribus peditum millibus Verona profecti, uallum Soanuum uersus, in quo erat sexcenti pedites, expugnarunt: atq; in reditu magnum agrestium hominum numerum fuderunt: bellicis autem rebus ita frigescentibus, principum animi grauisimis curis agebantur: ac præsertim Romanorum regis, qui qua narratione de Venetis uictoriam reportare posset, non inueniens, & res suas, ut solebat, ex unis in alia comitia transferens, conuentum Augustæ Vindelicorum indixerat: & Pontifici, quia Imperij Septemuiri eius auctoritate moti, ut in comitijs prius de pace cum Venetis in eunda, quam de belli apparatibus ageretur instabant, iratus, Pisaurēsem episcopum eius nuncium Augusta discedere iusserat: & comitorum deliberationes, incertas, tardas, atq; difficiles esse, imò unius conuētus finem, alterius initium parere: et Gallie regem, ad Cæsaris postulata modò tempestatis asperitatem afferentem, modò certum in sumptus quos faceret pignus petentem, modò se cameracensi fœdere nequaquam solum ad eum iuuandum, sed pontificem quoq; & Aragoniæ regem teneri: cum quibus ut commune erat fœdus atq; obligatio, sic quoque æquum esse, ut res omnes communibus pariter auxilijs gererentur commemorātem, uarias excusationes adferre animaduertens, nullam rebus suis certiores salutem fore censebat, quam Gallie regem ad Patauij, Vicentiæ, ac Taurisi oppugnationem proprijs uiribus æqua remuneratione accepta suscipiendam impellere: quæ res in regio senatu multis, qui regem donec Veneti prorsus à continentis imperio excluderentur, semper

*in continuis sumptibus atq; periculis futurum cogitan-
 tes, eum ad se magno semel sumptu eo metu liberandū
 hortabantur, probabatur: neq; rex ab hoc consilio eadē
 ratione motus prorsus erat alienus: idcirco quū ut ipse
 met in Italiam cum ualido exercitu transiret inclinaret
 (ualidum uerò exercitū appellabat, in quo essent plus-
 quā mille & sexcenti cataphracti, præter eos quos ipse
 pensionibus suis obnoxios haberet, præterq; nobiles) et
 nihilominus alijs rationibus in diuersam sententiam di-
 stractus, animi dubius erat: & consueto etiam magis
 confusus: quia Rotomagensis, uir acer & magni animi,
 longo, grauiq; morbo oppressus, negotia quæ eius con-
 silio ad exitum perducī solebant, non amplius curabat:
 regem natura à sumptibus ualde alienum, & Veronæ
 adipiscendæ ardens cupiditas retrahebant: ad quod ef-
 ficiendum Romanorum regem perpetuis molestijs im-
 plicari satius esse ducebat, & oportune tunc quū Cesar
 Germanis militibus qui in eius urbis præsidio erant sti-
 pendia persoluerē non posset, rex illi decem & octo au-
 reorum nummū millia iterum mutuo dederat, & se ad
 quinquaginta millia usq; daturum promiserat: ea tamē
 lege ut non modò Citadellam pignoris loco obtineret,
 uerū etiam Castellum uetus, eiq; proximā urbis portam,
 ut ingressum atq; exitum liberū haberet, ea conditione
 ut nisi ea pecunia intra annum restitueretur, Vallegium
 oppidum in perpetuum gubernaret, eiusq; et Citadellæ
 Cesaris sumptibus muniendæ facultatem haberet. hæc
 regis animum ancipitem reddebāt, sed multo magis ne
 Pontificem, si nouum in Italiam exercitum uel duceret,
 uel mitteret, prorsus à se abalienaret, metus eum retine-
 bat: quoniam Pontifex suspicione plenus, & Veronæ
 domin*

dominatum ab illo occupari agrè ferens, præterquam quòd ad Venetos à censuris liberandos semper propendebat, omnem operam ut sibi Heluetios adiungeret adhibebat: quocirca Sedunensem episcopum cum pecunijs quas ei genti largiretur, & sacra purpura illi promissa in patriam remiserat, & Angliæ regis animum ab Galliæ rege alienare diligentissimè nitebatur: qui etsi à patre morti propinquo ut tranquillitatis securitatisq; sue gratia amicitiam, quamobrem quotannis quingentæ auri libræ ei pendebantur, cum Galliæ regno conseruaret, præceptum accepisset: nihilominus ætatis feruore, atq; ingenti pecunia à patre relicta fretus, eorum consilia qui rerum nouarum cupidi, & odio quo plerunq; illa gens in gallicum nomen accensa fertur concitati, eum ad bellum hortabantur, minimè minoris quàm patris prudentiam exemplumq;, qui cum Gallis dissidia fouès, quamuis ad nouum perturbatissimumq; regnum assumptus esset, id tamen maxima cum suorum obedientia, ac tranquillitate gubernarat, facere uidebatur. quæ res cùm Galliæ regis animum uehementer angerent, qui ut Italiæ rebus propius prospiceret, Lugdunum se cõtulerat, ac ueritus, ne suus in Italiam aduentus, quem Pontifex palàm detestabatur, eius opera res nouas excitaret, Aragoniæ quoq; rege eam profectionem dissuadete, quamuis se uelut amicum et communistranquillitatis studiosum dissuadere simularet, nullum certius presentiusq; in ijs tantis difficultatibus, quibus animus eius undiq; premebatur remediũ inuenit, quàm ut omni studio atque diligentia pontificis animũ ita mitigare niteretur, ut saltem sibi illum aduersum atq; inimicũ non fore certus esset: cui rei occasio satis commoda sese offerre ui-

debat: nam Rotomagensis cardinalis morte, cuius æ-
 gritudo tam grauis erat, ut eum diu in uita futurum spe-
 rari nō posset, illam suspicionem, ex qua præcipuè eius
 alienationem ortam homines existimabant, sublatam iri
 credebat: & quia rex Auscium cardinalē Rotomagen-
 sis nepotem, & reliquos qui sua negocia in Romana ci-
 uita procurabant, pontificis mentem temerè uerbis atq;
 factis potius irritasse, quàm ut opus erat mitigasse no-
 uerat, quum illorum opera amplius uti nollet, Albertū
 Pium Carpēsē comitem, magni ingenij atq; industriæ
 uirum per dispositos equos Romanū cum amplissimis
 mandatis misit: non modò ut ei quo cunq; casu, uel ubi
 uellet regis uires atq; auctoritatem polliceretur, utq; cū
 eo sic ageret, eum sic respiceret tractaretq;, ut ad eius
 uoluntatem naturamq; sese accommodaret, sed etiam
 ut omnium rerum quæ agerentur statum, et Romanorū
 regis postulata sincerè cum eo cōmunicaret: præterea
 sibi ne in Italiam ueniendum, uel non ueniendum esset,
 promptius an lentius Cæsaris res iuuare deberet, omnia
 in eius arbitrio poneret & potestate. Eidem ut Venetos
 ab interdicto liberari dissuaderet mandatum fuit, sed id
 ante eius aduentum iam à Pontifice constitutū atq; pro-
 missum fuerat: quia Veneti postquam inter delegatos à
 pontifice uiros & ipsorum oratores, multos menses di-
 sputatum esset, in eas conditiones in quibus controuer-
 sia erat, consenserant: neq; enim salutis suæ aliam ratio-
 nem quàm ut cum illo coniungerentur uidebant. Leges
 igitur quibus à censuris eximendi erant, uenetis orato-
 ribus præsentibus, & reip. mandato, legitimè riteq; cō-
 fecto confirmantibus, in sacro Senatu quarta & uice-
 sima Februarij die in hanc sentētiam sunt lectæ: Veneti
 sacer

sacerdotia, sacræ sue dignitates nemini tribuunt, uel quouis modo concedunt: quicquid de eis in curia Romana statutum decretumue fuerit, nulla interposita difficultate, moræ, ratum firmumq; habent: Beneficiorum causas aliæ ad eandem curiam spectantia, quo minus in ea agitentur, ne prohibent: decumas aliæ onera ecclesiarum bonis, locisue à ciuili potestate exemptis, ne imperant: prouocationi contra pontificis censuram, omniq; iuri quouis modo in Pontificij imperij oppida parto, & nominatim Vicedomini Ferrariæ habendi potestati, renunciant: pontificio imperij subiectis eorumq; nauibus Adriani sinus nauigationem liberam permittunt: eamq; tam ampla cum facultate, ut etiam aliarum gentium merces nauibus illorum uectæ, molestijs ne afficiantur, neq; ad uectigal soluendū cogantur: nulla ratione se Ferrariensibus negotijs, uel eius ditionis oppidis ex pontificio imperio pendentibus immiscendo: omnia pacta in pontificij imperij fraudem, cum aliquo pontificatus beneficiario, uel subiecto facta nullius momenti sunt: Duces, proceres, aliôsue pontificiæ ditioni obnoxios uel beneficiarios sacrosanctæ sedis perduelles hostesue nullos admittunt: omnem pecuniam ex sacris uectigalibus exactam restituunt: & ecclesijs omnia detrimenta illata sarciant: quibus obligationibus, promissis, cessionibus, in senatu acceptis, ueneti legati, constituto die, uetera exëpla sequuti, in diui Petri porticum uenerunt: ibiq; ad Pontificis pedes, qui prope æneas portas in pontificia sella omnibus purpuratis & innumeris antistitibus præsentibus sedebat, humi prostrati, contumaciam errataq; sua confitentes, demississimè ueniam flagitarunt: deinde nonnullis preci-

bus de more recitatis, consuetisq; solennibus peractis
 ceremonijs Pontifex illos in gratiam recipiens, censuris
 dirisq; liberavit: eisq; satisfactionis gratia septem au-
 gustissima urbis templa adirent, iniunxit. His peractis à
 summo pœnitentium magistro in diui Petri Basili-
 cam introducti sunt, ubi sacris quibus antea illis inter-
 dictum erat auditis, honorificè non iam ut execrati
 sacrisue exclusi, sed ut uerè Christiani, & sacrosan-
 ctæ sedis pij filij ab antistitibus, alijsq; compluribus
 ad suas ædes deducti fuerunt: ac paulo pòst Hierony-
 mo Donato è Venetis oratoribus uno, excellenti do-
 ctrina uiro Romæ relicto, qui suis præclaris uirtuti-
 bus, ingenijq; facilitate Pontifici acceptissimus,
 in ijs rebus quæ pòst cum ipso agenda
 fuerunt, patriæ suæ plurimum
 profuit, Venetias
 redierunt.

OCTAVI LIBRI FINIS.

FRANC.

FRANCISCI GUIC-
CIARDINI HISTORIA-
RVM SVI TEMPORIS
LIBER NONVS.

C. S. C. *interprete.*

Heluetiorum ab Galliæ rege alienatio: Rhætō-
rum cum Gallis fœdus: Iulij Pōtificis in Alfon-
sum Ferrariæ ducem bellum: Cæsaris in Vene-
to bello progressus: eiusdē Pontificis in Ge-
nuensēs bellum, eiusq; in Gallos animus: Mi-
randula à Pontifice capta: Venetorum classis
in Pado debellata: eorundem aduersus Gallos
progressus: Pontificis exercitus ad Bastiam, &
ad Santernum fluuium fusus: communis pacis
consilia: Bononiensium à Pontifice defectio:
Concilium Pisis ad ecclesiam instaurandam, &
Pontifici pacis cum Galliæ rege ineundæ cogi-
tationem iniiciendam, indictum.



CAESAR, ob Venetos tanta cum Pon-
tificis constantia sacris restitutos, ad quē
ea res maximè spectabat, uehementer est
commotus: sed haud multo minus Galliæ
rex, ut qui suo ipsius commodo, Venetorum potentiam
suscitari minimè cuperet: nec tamen qui Pontifici finis
propositus esset satis animaduertebat: sed uana spe in
eis difficultatibus quæ ipsi parabantur, enutritus, Pon-
tificis suæ cum Cæsare societatis suspicionem moueri opi-

nabatur: quòd si cunctando cum eo progrediretur, nec maioris suspicionis occasionem daret, cum ab solutione contentum haud ulterius processurum sperabat: uerùm Pontifex indies magis in sua sentētia obfirmatus, ecclesie beneficiarijs subiectisq; sociorum oratoribus maxime repugnantibus, concessit Venetorum stipendijs militarent: qui Io. Paulum Ballionem suarum copiarũ, quæ comitis Pitiliani obitu Imperatore carebant, ducẽ constituerunt: & Io. Aloisium, Ioannemq; Vitellios, olim Ioannis & Camilli filios conduxerunt: ac Rentium Ceritem pedestribus copijs omnibus præfecerunt: Venetorumq; patrocinio ita aperte suscepto, eorum cum Cæsare concordiam procurabat, sperans se hac ratione cum non modò à Gallie rege ab alienaturũ, sed sibi & Venetis coniunctum unà ipsi bellum illaturum. Quæ res quo facilius Cæsaris egestate succederet, suam cum Imperij principibus, ac liberis ciuitatibus, ne ei in Augustaris comitijs aliquid subsidij decerneretur, interponebat auctoritatem. Quo autem id negocium magis agebatur, eò durius difficiliusq; reperiebatur: Cæsar enim nullam, nisi Veronam retineret, concordiam admittebat. Veneti uerò in quibus Pontifex maiorem facilitatem fore sperauerat, cum se Patauium in quauis fortuna defensuros eamq; urbem dum tuerentur, multas sibi à tempore occasiones datum iri pollicerentur, Veronæ restitutionem maxima pecuniæ ui oblata, obstinato animo poscebant. Nec uerò Pontifex Angliæ regem ad bellum Gallie inferendum impellere desinebat, ueterum inter ea regna discordiarum memoria renouata, felicissimorumq; euentuum occasione demonstrata: si enim arma aduersus regem sumeret, multos præterea quibus eius potentia aut

suspe-

suspecta aut inuisa esset sumpturos: eumq; hortari, ut pontificiæ sedis, quæ alioqui Galliæ regis ambitione in aperto discrimine uersaretur, protectoris & conseruatoris oblatam gloriã, ea religione quæ propria Angliæ regum fuerat complecteretur: ad quam rem eadem ratione Aragoniæ regẽ, sed ualde clã, hortabatur. Quod autem maioris erat ponderis, Pontifex negotio quod cum Heluetijs per Sedunensẽ, cuius apud eam gentem autoritas maxima erat, agi coeptum fuerat, qui tũ in publicis conuentibus, tũ in templis, ad hoc summa eloquentia orare & concionari non desinebat minimẽ intermissis, tandem ut Heluetij mille in singulos Pagos quotannis Rhenensium aureorum accepto stipendio, ipsum & pontificatus ditionem tuendam susciperent, consecutus erat: ita ut liceret ei inter ipsos certum militum numerum ad sui tutelam stipendio conducere: quæ res faciliorem illi inter ipsos & Galliæ regem iam gliscentem discordiam reddiderat. Heluetij enim communi hominũ de se opinione elati, cum uictorias quibus ipse proximeq; rex Carolus in Italia potiti fuerant, præcipuè ab ipsorum uirtute, suorumq; armorum terrore profectas seq; eam ob causam de Galliæ regno non parum meritos existimarent, à rege foedus innouare petẽte, sibi pensiones sexaginta millium Francicorum in singulos annos, à rege Ludouico XI coepta, & ad ea usq; tempora perducta, præter eas quæ clãm multis priuatis dabantur augeri postulauerant: quæ cum audacius flagitarent, rex eorum insolentia, & quod à rusticis ac montanis hominibus (hæc enim eius erãt uerba) sibi adeo imperiose tributum imponeretur motus, magis è regia dignitate, quàm ex præfenti ratione, uerbis iracundis eos

reijcere, ac ferè contemnere cœpit: ad quod maiore ani-
mo accendebatur, quòd eodem tempore Vallesij Sedu-
nensibus subiecti, qui septem communitatibus, quæ ab
ipsis curiæ nuncupantur, gubernantur, Georgij Supra-
saxi opera, priuatim ac publicè, largitionibus pensio-
numq; pollicitationibus capti, secum fœdus iniuerant,
ea conditione ut regijs copijs per eorum agros transitũ
concederent, hostium prohiberent, cuiusq; stipendio tan-
tum peditum numerum, quantum suppeditare possent,
darèt: eodemq; modo trium fœderum domini, qui Rhæ-
ti appellantur, cum eo pacti fuerant: & quamuis Valle-
siorum una pars nondum has condiciones comprobaf-
set, rex ijsdem artibus illos ad comprobandum adduci
posse sperabat: quo fiebat, ut sibi Heluetiorum amicitia
non iam adeo esse necessariam putaret, cum præter Val-
lesiorũ Rhætorumq; copias, Germanos quoq; pedites
conducere decreuisset: eorumq; motus quòd ipsos me-
diolanense imperiũ nisi per Bellizonæ fines, aliasq; ual-
de angustas uias, in quibus multi à paucis faciliè cõmea-
tu priuari, pauciq; à paucis repelli possent, parui faciès
inuadere posse non existimabat: cumq; obstinato animo
pensiones augere nollet, in Heluetiorum conuētibus de
fœdere renouando, etsi pleriq;, ad quos priuatim maxi-
ma emolumenta peruenirent ad id hortarentur, nihil
obtinebatur: eamq; ob causam facilius in fœdus à Pon-
tifice postulatum consenserunt: quo nouo icto fœdere,
cum se magna ad sua consilia fundamenta iecisse arbi-
traretur, cumq; in rebus omnibus sua natura ita se gere-
ret, quasi omnibus superior, omnesq; necessitate cõpul-
si à se leges accipere deberent, nouarum discordiarum
cum Ferrariensium duce, siue motus omnino ea de caus
sa que

sa quæ inter ipsos in controuersiam uenerat, siue odio aduersus eum concepto, quòd tot beneficijs & honoribus acceptis, potius Gallorum regi quàm sibi adhereret, semina iaciebat. Quæcunq; tandem caussa fuerit cū controuersiarum initium quæreret, Alfonso ut Comaclij à sale conficiendo desisteret, imperiosè mādauit: nō enim æquum esse, ut quod Venetis Ceruiam possidentibus ei non licuerat, sacrosancta sede, cuius directū Ferrariæ Comaclijq; ius esset, eandē possidente liceret: quæ res magni emolumenti esset, propterea quòd ex Ceruiæ salinis, dum Comaclij non conficeretur, sal in multas uicinas ciuitates diffunderetur. At uerò Alfonso magis regiæ necessitudini ac tutelæ fidebat, quàm Pontificis uires extimesceret: cumq; se à colligendo fructu qui in propria domo paruo labore nasceretur prohiberi, imò ad id ab alijs suorum usum emendum cogi, quo pot erat exterarum regiones replere, quereretur: nec id quòd à Venetis, non iure, sed armis coactus, passus erat, in exemplum trahi debere diceret, huic mandato parere recusabat: qua de caussa Pontifex misit, qui graui denunciata poena, censuraq; imperaret, ab incepto desisteret. Hæc erant Pontificis ad Venetos subleuandos toto animo intenti consilia & opera: at ex altera parte Romanorum Gallorumq; Reges æquè eorum depressionis cupidi, ac quæ in eorum gratiam Pontifex agitabat molestè ferentes, eoq; magis unà coniuncti constituerunt, eæstate magnis uiribus Venetos inuadere: sic ut Gallorū rex ab una parte Ciamontium cum ualido exercitu, cui germanicæ copię quæ Veronæ erant coniungerentur, mitteret: ab altera parte Cæsar copijs quas Augustanis comitijs ab imperio sperabat Forumiulij ingrederetur:

quo occupato, ad alia, prout tempus & occasio ferrent progredieretur: ad quod Pontificem tanquam camera-censi foedere obstrictum, armis unà cum ipsis conspiraret, postularunt: is autē cui id summopere molestū esset se eo foedere quod iam expletum esset, cum in Cæsaris potestate fuerit Taurisum prius, deinde pecuniæ cōpensationē habere, nō teneri apertē respondit: simili quoq; modo Maximilianus à rege Catholico ex eadē camera-censi pactione, & ex peculiari secum eo tempore facta quo ei Castellæ administrationem assensus est, subsidia flagitabat: eo tamen rogato se pecuniā potius quā copijs iuuaret: ille uerò cum non ea re qua plus indigeret eum iuuare decreuisset, quadringentos equites, quod auxilium Cæsari parum utile erat, se missurum promissit: in gallico enim æquē ac cæsariano exercitu equitatus abundabat. Quo tempore, cum urbs Verona à præsidarijs militibus, propterea quòd illis stipendia nō soluerentur, magnoperè uexaretur, Venetorum copiæ à nōnullis ducibus clam accersitæ, Sanbonifacio digressæ ut D. Petri arcē scalis ingrederentur, noctu urbi appropinquarūt, & georgiana porta ingressi, ubi dum ut scalas quæ singulæ per se muri altitudinem non æquabant unā coniungerent morantur, siue ab arcis felicianæ custodibus auditi, siue uano strepitus terrore perculsi, relictis scalis recesserunt, exercitusq; ad Sanbonifacium reuersus est: Veronæ autē patefacta coniuratione multi pœnas dederunt. Hoc tempore Pontificis animus non sponte, sed timore impulsus, eo quòd Maximilianus ab eo arroganter ducenta ducatorū millia mutuò peteret, minatus se alioqui cum Gallorum rege aduersus eū coniunctum iri, ad redintegrandā cum Gallie rege cōiunctionem

tionē inclinabat: & quia fama erat, in Augustano cō-
 uentu magna Cæsari auxilia decernenda fore, denuoq̄
 inter Angliæ & Galliæ reges facta, ac magna solemnī-
 tate promulgata pax erat: ideo diligentius cum Alber-
 to Carpenſi, quem ad eum usq̄ diem uerbis & spe pro-
 duxerat, tractare cœpit, sed nō diu in hac sententia per-
 mansit: conuentus enim, sine cuius uiribus Cæsaris minæ
 parui fiebant, expectationi cum minimè paria facerēt,
 nullum aliud nisi trecentorum millium Rhenensium au-
 reorum, cuius pecuniæ spe multos iam sumptus fecerat,
 illi subsidium decreuerunt: ab Angliæ autem rege in pa-
 cificacione eam conditionē expressam esse, quoties Gal-
 liæ rex pontificiam ditionem læderet, tota pacis ratio
 corruisse intelligeretur, ei significatum fuit. quib. ex re-
 bus resumpto animo, & ad prima consilia reuersus, no-
 uas in Ferrariæ ducē querimonias adiūxit: is enim dux
 Adriæ sinu liberato, mercibus quæ Pado flumine Vene-
 tiis uehebantur, noua imposuerat uectigalia: quæ cum
 Pontifex à beneficiario absq̄ fundi domini permissu, ex
 legum præscripto imponi posse negaret, præsertim cū
 in Bononiensium, qui eius parerent imperio detrimen-
 tū, ut tollerentur, additis armorū minis instabat: suasq̄
 copias, quo maiorē ei terrorem incuteret, in Bononiē-
 sem agrum, Aemiliamq̄ transmisit. Regis animum hæc
 maximè perturbabant: hinc enim cum Pontifice inimi-
 citias fouere ei molestissimum erat: illinc Ferrariensium
 ducis, ad cuius patrocinium triginta ducatorū millibus
 acceptis obstrictus erat, deserti infamia, nec minus pro-
 priæ utilitatis ratione mouebatur: cum enim Alfonso
 prorsus ex ipso pendēret, eiusq̄ in regē propensio, quo
 magis se à Pōtifice uexari uideret, eò augeretur magis,

cumq; eius regio ad Longobardiæ res ualde esset oportuna, ipsius salutem sua interesse ducebat: ideo de cõcordia inter eos aliquomodo cõcilianda cum pontifice agebat: Põtifici aut, ut rex se ab eius defensione remoueret equũ uidebatur, quã aduersus cameracenses cõditiones susceptam aiebat: quibus eorũ quæ à põtificatu erepta fuerãt resitutionis prætextu factis, ne quis fœderatorũ eius qui ab altero nominaretur patrociniũ sumeret, interdicebatur: à se uerò Ferrariẽsem nominatum esse: præterea etiam ne quis se rebus ad pontificiũ ius spectatibus interponeret, idem quoq; peculiari inter ipsos Abiate inuito fœdere cõfirmari: quo expressè ne rex cuiusquã eorum qui ex pontificatu pendẽnt patrociniũ retineret, in posterũue susciperet: præterea omnia quæ antea suscepisset aboleret, cauebatur: ad quæ etsi regis nomine responderetur eadem pactio cõtineri, ut episcopatus cisalpini ad regis arbitrium tribuerẽtur, quod à Pontifice in primo uacante uiolatum esset, eundem in Venetorum gratiã contra cameracensis fœderis capita fecisse: his de causis sibi quoq; promissa nõ facere fas esse: tamen ne Ferrariẽsis causa sibi cũ pontifice ad arma ueniendum esset, conditiones quibus eius dignitate non omnino nec directò imminuta, põtifici in ijs quæ ad ipsius pontificatus iura in Alfonso pertinerẽt maiori ex parte satisfaceret, præterea petitioni à pontifice factæ ne gallicæ copię flumen Padum, nisi quatenus ad Florẽtimorum defensionem, aut ad Pandulfum Petrucium & Io. Paulum Ballionẽ instandũ pecuniæ ab altero promissæ, ab altero interceptæ nomine teneretur, trajiceret, assentiri haud reuebat: quæ dũ agitantur, Ciamontius mille & quingentis cataphractis, et decẽ millib. pe-

ditum

ditum, ex uarijs gentibus, inter quos nonnulli Heluetij erant priuatim non ex pagorum assensu conducti, quos magna tormentorum bellicorum copia, & tria operarum millia, cum pontibus ad traijcienda flumina paratis sequebantur; quibus se Ferrariensis dux cum ducentis equitibus grauis, & quingentis leuis armaturæ, duobusq; peditum millibus adiunxit, Rhodiginaq; Polineso à Venetijs deserta citra negocium occupata, Turriq; Marchesana ad Athesis ripam Patauium uersus posita expugnata, cum ad Castellobaldum peruenisset, solis internuncijs Mōtavianam & Ateste oppida ad Alfonso, alterum ex Maximiliani bono, alterum ob pecuniam mutuatam pignori traditum, spectantia, ad primū nuncium in suam potestatem redegit. Quibus locis recuperatis Alfonso quarundam Venetarum triremium, quæ aduerso Pado uehebantur prætextu, maximam suarum copiarum partem remisit. Princeps Analtensis Caesaris uices gerens, Verona egressus, cum trecentis grauis armaturæ equitibus Gallis, & ducentis Germanis, itēq; tribus eiusdē gentis peditū millibus, se Ciamontio coniunxit: eum ita infsecutus, ut nunquam plus unis castris ab eo abesset: & post se relicto Monsilicio Venetorum ditionis oppido, in Vicentiorum agrum peruenerunt: ubi Leonicum cum tota regione nemine repugnante deditioe ceperunt: exercitus enim Venetus, qui sexcentorum grauis, & quatuor millium leuis armaturæ equitum cum Epirotis, ac peditum octo millibus, Ioanne paulo Ballione duce, & Andrea Gritto legato, esse dicebatur, primum Soauio profectus, ac perpetuò prout hostium progressus animaduertebat, in tuta loca regressus, tandem Taurisi ualido præsidio, & Mestrij mille

pedibus impositis ad Brentellas, tribus à Patauio passuum millibus, locum admodum munitum, quod ea regio aggeribus sit referta: is autem locus tribus fluminibus, Brenta, Brentella, Bachilioneque circumdatus, se receperat: quam ob causam Vicentini prorsus deserti, et ad sui defensionem per se imbecilles, nulla ipsis, præter uictoris misericordiam, spe relicta, rati se eam Ciamontij opera facilius obuenturos, publicam fidem de mittendis ad eum atque ad principem Analtensem legatis ab ipso flagitarunt: qua impetrata, sordidati, mœroreque simul ac terrore pleni ad Barbaranum pontem, decem millibus passuum à Vicentia, coram utroque steterunt: ubi cunctis belli ducibus astantibus, exercituumque proceribus, legationis princeps, ut fertur, talem habuit orationem.

Si quid Vicentina urbs suis opibus felicitateque, olim multis uicinis urbibus inuidiosa, ex eo tempore quo errore, stultitiaque hominum, et fortasse fato quodam potius quam alia ratione, sub Venetorum redijt imperium passa sit, et infinita intolerabiliaque ab ea accepta detrimenta omnibus nota essent, inuictissimi Imperatores, in pectoribus uestris calamitatum nostrarum miserationem, indignatione atque odio ex rebellionis nostræ memoria concepto maiorem fore, nobis certò persuademus: (siquidem eius noctis error, rebellio dicenda est) qua nocte suburbio pusterlensi ab inimico exercitu uir armata expugnato, populoque nostro perterrita, non quo Cæsaris mansuetum imperium uitarem, uel eius essemus perduelles, sed ut urbem nostram à direptione extremisque malis liberarem, legati ad pacationes cum hostibus incundas exierunt: cum præsertim nostros homines armis bellique periculis minimè assuetos, Fracassæ

moueret auctoritas: qui dux tot bellis exercitatus, & Cesaris miles, seu fraude, seu timore (quod nostrum non est inquirere) ut pactione coniugum, liberorumq; nostrorum, & afflictæ patriæ saluti consuleremus, suaserat: ex quo patet nos non prauitate, sed timore tanti ducis auctoritate aucto, non ut deliberaremus, sed potius breui temporis interposito spacio, in tanto tumultu, tantoq; armorum strepitu, inter tot auribus nostris inaudita tormentorum tonitrua, ad deditionem Venetis faciendam præcipites rueremus, impulsos fuisse: quorū felicitas ac potētia non ea erat, quæ per se nos ad id allicere deberet: quantum autem delicta quæ timore atq; errore, ab ijs flagitijs quæ fraude & malevolentia committuntur distent, cuius perspicuum esse potest: quod si id, quo impulsus sumus, non timor, sed rebellandi uoluntas, consiliumq; & communis omnium cōsensus, ac non paucorum potius in tanta perturbatione motus & audacia ab alijs non impedita fuisset, atq; illius misere ciuitatis peccata nullam penitus admitterent excusationem, nostræ tamen ex illo tēpore calamitates eiusmodi fuerunt, ut uerè dici possit, poenam delicto longè maiorem extitisse: etenim prædiorum militum rapinis intra mœnia omnibus facultatibus miserè spoliati sumus: & quis ea quæ extra urbem continuo bello passi sumus ignorat? quid nobis in hac misera regione integrum relictum est? nostrorū prædiorū ædificia omnia flammis absumpta, arbores deiectæ, pecora amissa, menses iam toto biennio non ad maturitatem perductæ, magna ex parte sementes impeditæ, nulla messis, nullæ fruges, amissa spe hanc desertissimam regionem unquam in pristinum statum posse reuocari: ad tantas angustias

tantamq; miseriam redacti sumus, ut ijs quæ nobis occul-
 tata supererant omnibus, ad uitam tuendam necessarijs,
 quoq; immensos sumptus quos necessitate compulsi fe-
 cimus, sustinere possemus consumptis, unde in posterum
 nos familiasq; nostras alamus non perspiciamus. Veniat
 quis quantumlibet inimicus animoq; immanitate effe-
 rato, qui modo patriam nostram alijs uiderit temporibus,
 eamq; nunc inspiciat, certi sumus cum à lacrymis mini-
 me temperaturum, cum cogitauerit eam urbem, quæ
 quamuis circuitu angusto pateret, frequentissima esse
 solebat, uestium ornatu superbissima, tot magnificis et
 opulentis ædibus illustris, omnium peregrinorum per-
 petuum amicumq; hospitium, eam urbem quæ nulli rei
 nisi conuiujs, ludis equestribus, alijsq; iucunditatibus
 operam dabat, hoc tempore habitatoribus penè uacua,
 uiros ac mulieres uilissimè indutos, nullam amplius do-
 mum patere, nullum tantis opibus esse qui se suamq; fa-
 miliam saltem in mensẽ tueri posse sibi possit pollice-
 ri, proq; splendore, pro ludis, rebusq; iocundis, nihil aliud
 uel uideri uel audiri, quàm miserias, publicas omnium
 lamentationes, fletus, miserosq; in omnibus locis cun-
 ctarum mulierum eiulatus, quæ maiora etiam forent,
 nisi nobis, gloriosissime princeps Analtensis, in mentem
 rediret, ex tua uoluntate, uel extremum exitium illius
 afflictissimæ nostræ patriæ pendere, uel spes qua possi-
 mus sub Cæsaris umbra, sub sapientiæ clementiæq; tuæ
 tutela, non dicimus respirare aut resurgere (id enim fie-
 ri non potest) sed uitam per omnia extrema trahentes,
 saltem ultimum excidium uitare: speramus quia nobis
 benignitas humanitasq; tua nota est, quia uerisimile est,
 te uelle Cæsare, cuius clementiæ ac mansuetudinis exem-
 plis

plis tota est Europa referta, imitari. cōsumptæ sunt fortune nostræ, omnes spes sublata, nihil nobis præter huius uitæ corporumq; umbram reliquum est, in quæ crudeliter scire, qui fructus ad Cæsarem, quæ laus ad te perueniet? te demississimis precibus, quas omnis sexus, omnium ætatum, omnium ordinum nostræ ciuitatis lacrymis permixtas cogitato, supplices oramus, uelis infelicem Vicentiam reliquis omnibus germanici imperij mansuetudinis exemplum esse, clementiam, magnanimitatemq; maiorum uestrorum imitare, qui cum in Italia uictores essent, subactas ciuitates conseruarūt: ita ut multi eorum propria sibi in illis domicilia delegerint: unde cum magna germanicæ gentis gloria, tot illustres in Italia familiæ Gözagæ, Carrariæ, Scalæ, nostri quondam ueteres domini, originem traxerunt: sit eodē tempore exēplo Vicentia à Venetis, quos in minoribus periculis fouimus ac sustētauimus, in suis grauioribus quibus eam defendere debebant, turpiter deserta: à Germanis autem qui aliquam habebant lædendi causam, gloriose conseruata: suscipe tu inuictissimè Ciamonti, patrocinium nostri, tuiq; regis exemplum commemora, cuius in Mediolanenses ac Genuenses, qui nō aliqua de causa, necessitateue impulsī, sed sponte rebellant clementia, illorum delictis longè extitit maior: quibus cum omnia condonauerit, illi tanto beneficio redempti, semper summa in eum animi deuotione ac fide extiterunt. Vicentia, ô princeps Analtensis, conseruata, si Cæsari non erit commoda, erit saltem gloriosa, uelut eius benignitatis exemplum relicta, euersa nulli rei utilis esse poterit, & seueritas in nos toti Italiæ erit molesta: clementia, Cæsaris nomen apud omnes reddet gratius, atq; ut

in rebus militaribus, exercitibusq; ductadis prisca illius in eo Caesaris similitudo perspicitur, pariter & clementia, cuius gratia ipse magis in coelum, eiusq; nomen inter diuos relatum est, memoriaq; diuturnior ad posteros est transmissa, quam ab armis agnosceretur. Vicentia urbs antiqua, clara, & quondã tanta nobilitate florens, in manu tua est: ex te salutẽ aut uastationem, uitam aut mortem expectat: flectere tot innocentium, tot miserarum mulierum, paruulorumq; infantium calamitate, qui illa calamitosa, insaniãq; & errorum plena nocte, nulli rei interfuerunt: quiq; nunc in luctu & miseris euiulatibus tuam expectant sententiam: emitte illam tam ab omnibus expetitam misericordiae clementiaeq; uocẽ, qua rediuiua infelicissima nostra patria, te semper patrem & conseruatorem suum appellabit. Nec tanta miseratione digna oratio, nec pietas erga infelicem urbem, Analtensis animum mitiorem reddere potuerunt, quin barbara insolentia & feritate tumens, cum sibi nõ posset temperare, ut saltem uerba factis minus haberẽt ferocitatis, inhumanissimũ daret responsum: quod eius iussu in hanc sententiam, à quodam qui ei erat à consilijs iurisperito fuit prolatum: Ne credatis Vicẽtini perduelles, uestris blãdis uerbis memoriã delictorũ in maximã cesariani nominis contumeliam cõmissorum deleri posse: cuius magnitudinis benignitatisq; qua uos susceperat, nulla habita ratione, totius Vicentinae ciuitatis communi consilio Venetum exercitum intra moenia euocastis: qui summa difficultate expugnato suburbio, de ciuitatis uictoria diffidens, iam discessum meditabatur: uos contra eius principis qui cesariani imperij uices gereret uoluntatem reuocastis: eundem principem

ut se in arcem reciperet coegistis, & rabie uenenosq; pleni, Cæsaris tormenta cum reliquis ad ea spectantibus diripuistis: eius tentoria tot bellis expansa, tot uictorijs gloriosa lacerastis. Non hoc fecerunt ueneti milites, sed populus Vicentinus, immensa, germanici sanguinis siti declarata. per uestram perfidiam non stetit, quin si uentus exercitus cognita occasione, uictoriam secutus esset, Verona potiretur: nec uerò fuerunt hæc Fracassæ consilia hortationesue, qui uestris fictis calumnijs circumuentus, aperte suam innocentiam declarauit: fuit uestra maleuolentia, fuit odiū, quo sine caussa in romen germanicum flagratis: sunt scelera uestra eiusmodi, ut nullam admittant excusationem, nullam ueniam mereantur. Effet non solum maximi detrimenti, uerum etiam uituperanda ea clementia, qua quis in uos uteretur: facile enim perspicitur uos quauis occasione deterius esse facturos: nec sunt uestra, errata, sed scelera, nec detrimenta à uobis accepta delictorum pœnæ fuerunt, sed uestræ in suscepta rebellionem pertinacis cōtumaciæ præmia: & nunc cum à Venetis deserti, nullam habeatis tuendi facultatem, Cæsaris quem prodidistis misericordiam clementiamq; imploratis: constituerat princeps, ex Cæsaris sententiâ mandatoq; uos non audire, non potuit tamen Ciamontij uoluntati id denegare: sed non idè ea sententiâ, quæ à uestræ defectionis die in Cæsaris mente fixa fuit mutabitur. Nulla alia ratione recipit uos princeps, nisi ut facultates, uita, pudicitia, eius arbitrio permittantur: nec id quo maiorem ad clementiam suam declarandam facultatem habeat fieri existimetis, sed quo liberius possit uos toti terrarum arbi, pœnæ, quæ in eos conuenit, qui tanta sec-

lere datam principi suo fidem uiolarunt, exemplum statuere. Vicentini tam atroci responso attoniti, ubi aliquantisper immoti uelut omnibus sensibus carentes stetitissent, denuò lacrymis ac lamentabili uoce uictoris se misericordiæ commendare cœperunt: sed inhumaniorebus atq; asperioribus uerbis, ab eodē doctore, cū obiurgatione reiecti, quid respondendū, quidue cogitandum esset, penitus ignorabāt: nisi eos Ciamontius, necessitati parerent, darentq; operā ut principis indignationem, libera in eius arbitriū deditio placarēt, hortatus esset: Cæsaris summā esse mansuetudinē, nec credere fas esse, principem illustri genere natum, belliq; ducē eximium, sua aliquid nobilitate uirtuteq; minimè dignum cōmissurū: nec debere illos responsi acerbitate terreri: imò ut animi generosi uerbis incallescāt, propterea quòd sæpe cū hac ratione indignationis pars efferbuerit, de factorum atrocitate remittunt, optandū esse: se ad principis iram mitigandam, si prius ipsi se liberè eius committerent potestati, medium obtulit: cuius Vicentini cum necessitate coniunctum sequuti consilium, humi proiecti, se, urbemq; in uictoris potestatem dederunt: quorum Ciamontius repetitis uerbis, principem ut in puniendis, Cæsaris potius famæ, magnitudinisq;, quàm delicti rationem haberet hortatus est: nec tale ceteris qui eiusmodi delicta commississent, uel deinceps possent committere, exemplum proponeret, ut desperata misericordia ad extremum usque pertinaciter perseuerarent: clementiam principibus semper, beneuolentiam auctoritatemq; conciliasse: contraria semper ex non necessaria crudelitate manare: nec ut multi imprudenter arbitrarentur, impedimenta difficultatesq; immanitate

nitate remoueri, sed augeri: cuius autoritate, additis præterea ad miseræ Vicentinorum lamentationes multorum precibus, Analtensis tandem ut salutem, fortunis omnibus in eius arbitriū uoluntatemq; permissis, eis promitteret, adductus est: sed præda opinione longè minor fuit: ciuitas enim iam hominibus rebusq; erat uacua: quæ dum militum feritas quæreret, intellexissetq; multos ex urbe agrisq; cum suis rebus ad quendam montem nō procul in duos specus, qui Masani Grotta nuncupantur confugisse: ubi loci natura aditusq; difficultate se tutos existimabant, Germani eò ad diripiendū profecti, maioriq; specu incassum, nec sine suo detrimento diu oppugnato, ad minorem conuersi, cum expugnare alia ratione non possent, maximis accensis ignibus, fumii ui, quo fama est, plus mille periisse, eo potiti sunt. Vicentia capta, reliquarum rerum difficultas, quam ab initio proposita esset, maior apparebat: propterea quòd Maximilianus, non solum in Venetos, ut promiserat nō ducebat, uerum etiam copię quas in Italia habebat, pecunię inopia continenter minuebatur: ad cō ut Ciamōtius cum de Vicentię tantum custodia cogereetur esse sollicitus, tamen ad Lineacum, quo oppido non occupato omnia ad eam usq; diem gesta, nullius essent futura momenti, castra ponere constituit. Diuiditur Lineaci oppidū Athesi flumine, minore oppidi parte, quæ ab eis Portus appellatur, Montanianam uersus relicta, ubi Veneti, non tam loci munitione, propugnatorum uic uirtute, quam aquarum impedimento confisi, flumen uno in loco secauerant: in altera fluminis ripa maior posita est oppidi pars, à qua duobus locis ita flumen fossis diduxerant, ut ijs egressus, inq; inferiora loca aliquot riuis de-

lapsus, circumiectam regionem adeò inundasset, ut multos menses redundantium aquarum copia tota palustris esset effecta. hanc difficultatem uenetarum copiarum temeritas atq; ignauia faciliorem reddidit: Ciamontius enim ad Mineruium, quod tribus Lineaco milliariibus distat, castris positus, praemissisque; aliquot equitibus ac peditibus qui in ultimi riuu transitu quingentis ab oppido passibus pedites ex Portus custodia egressos offenderunt. Vascones autem Hispanique; pedites summa ferocitate, pectore tenus aquam ingressi eos repulerunt: tantoque; impetu sunt insecuti, ut illis permixti Portum ingrederentur, exigua illorum peditum parte superstite: pars enim in pugna ceciderunt: maior uero pars dum summo studio Lineacum fuga contenderet, in Athesis transitu submersa est. Quo euentu Ciamontius ad Mineruium castra metandi mutato consilio, sub eiusdem diei uesperam in ipso Portu castra posuit: maioribusque; tormentis sub aqua ipsa, quod ea aluei fundum sustineret uectis, eadem nocte fluminis fossam obstrui curauit: eumque; Lineacum ab ea parte qua Portum spectat tam lati fluminis interuentu, quamuis inter Lineacum Portumque; (quod aggeribus coarctetur, angustior sit quam infra) tormentis uix peti possit, expugnari non posse animaduertit, pontem ad tormenta, et maiorem exercitus partem in alteram ripam traiciendam, iaci iussit: sed ubi quas uexerat naues fluminis latitudini minime pares comperisset, exercitu ad flumen in parte Lineaco opposita collocato, Molardum cum quatuor Aquitanorum peditum millibus, et sex tormentis flumen nauibus traicere iussit: quo facto, ab utraque; fluminis parte, uallum in aggere ad superius oppidi caput positum, tormentis peti coeptum est: eiusque;

(et si

(Et si milites qui pro uallo stabant, diruta reficere solici-
 tē procurarent) parte una diruta, sequēti nocte uenetus
 legatus cū magis hostium pertimesceret uim, quā su-
 rum fideret defensionī, cum aliquot uenetis patricijs se
 extemplō in arcē recepit: qua re quamprimū dies illu-
 xit cognita, peditum dux qui in uallo erat se Molardo
 saluis fortunis uirisq; dedit: nihilominus egressus, fuit
 cum suis peditibus ab exercitu spoliatus: Capto uallo,
 oppidum prædæ Molardo fuit: milites autem qui in alte-
 rius ualli quod in altero oppidi angulo erat præsidio
 fuerāt collocati, per paludes, armis abiectis, fuga saluti
 suæ consuluerunt: hocq; pacto, eorum qui intus erant
 ignauia Lineaci expugnatio opiniōe facilior celeriorq;
 fuit. Nec uerò arx se oppido acrius tutata est: etenim
 sequenti die tormentorum ictibus defensione impedita,
 turrisq; angulo scalpris ex inferiori parte, ut ignis po-
 sta iniiceretur rescindi cœpto, ea conditione deditionē
 fecerunt, ut patricijs uenetis in Ciamontij potestate re-
 tentis, milites inermes abirent: Ciamontij in hac uicto-
 ria letitiam fortuna felle permiscuit: hic enim de Cardi-
 nalis Rotomagēsis patruī sui morte, cuius summa apud
 Galliæ regem auctoritate, ad maximas opes honoresq;
 sublatus, indies maiora sperabat, nuncios accepit. Quo-
 niam uerò Germani, ut Lineaci præsidium imponerēt,
 impares erant, Ciamontius centum equites & mille pe-
 dites ad custodiā loci reliquit: deinde Rhetis Vallesijsq;
 dimissis, regis iussu ad tantos sumptus quibus, quòd Cæ-
 sarianorum apparatus promissis nō responderēt, nihil
 adeo magni efficiebatur, ultra ferendos nimis propen-
 si, in Mediolanensium terras cum reliquo exercitu re-
 ditum adornabat. Sed rex postea, quoniam Cæsar Oeni

pontem, non modò difficultatem ex more plenus, uerũ
 etiam consiliorum, & spei abundans profectus, se quã-
 primum in Italiam transiturũ pollicebatur: ac ne disce-
 deret instabat, per totum Iuniũ mensem moraretur mã-
 dauit: quo tempore cum Germani Morosticũ, Citadellã
 Bassianum, aliaq; circumposita oppida quo Cæsari faci-
 liorem ab ea parte aditum patefacerent, recuperare cu-
 peret, Ciamontius ut uenetas copias Vicentiæ, quæ par-
 uo cum præsidio relicta fuerat aditu, atq; etiam ne Ger-
 manis obuiam ire possèt prohiberet, ad Lungariã pro-
 pter Bachilionẽ amnem castra posuit: ubi cum audiuis-
 set Venetorum exercitum Patauium se recepisse, denuo
 Germanis coniunctus, ad Turriculas, in regia uia quæ
 Vicentia recta Patauium ducit, uenit: unde ad dextram
 relicto Patauio, cum non parua annonæ, quæ à leuis ar-
 maturæ equitibus, tum Patauij, tum Monsilicij commo-
 rantibus impedièbatur, penuria, Citadellã peruenerũt.
 Citadella sine repugnãtia deditionem fecit: idem quoq;
 Morosticum, Bassianum, aliaq; uicina oppida à uenetis
 militibus deserta, postea fecerunt: ideo utriusq; ducis co-
 piæ rebus omnibus ab ea parte confectis, ad Turriculas
 reuersæ, Patauio ad dexteram relicto, & ad sinistram
 montem uersus deflectentes ad Brentam amnem prope
 montẽ decem ab urbe Vicentia passuum millibus consti-
 terunt: in eum locum ut Germanis gratificarentur, pro-
 fecti, qui Scalam, ex Germania uenturis militibus tran-
 situm oportunũ, quiq; solus inter Taurisum & Vicentiã
 in Venetorum potestate esset, occupare cupiebant: ex
 quibus castris princeps Analtimus cũ Germanis & cen-
 tum cataphractis Gallis profectus, ad Scalã quæ passuũ
 uiginti quinq; millibus distabat, iter cepit: sed cum mon-
 tanis

tanis itinerib. à rusticis obsecris, qui incredibili in Venetos propensione etiã capti, mortem potius quàm Venetorum nomen abnegare, cõtumeliosè afficere malebãt Castellonouo uno pariter ex montis itineribus pactio- ne occupato, ad castra Brentana reuersus est, multis pe- ditibus alio itinere ad Scalam missis: qui ex eius præ- cepto Bassiani itinere, ut Couolum locum in illis montib. munitum euitarèt relicto, inferius Feltrensi uia circum- uecti, Feltrioq; quod paucos in eo reperissent direpto atq; incenso, ad Scalam peruenerunt, quã cum Couolo ab omnibus derelictam inuenerunt. Hoc autem tempo- re haud minora Foroiuliensibus detrimenta affereban- tur: dum enim modò à Venetis, modò à Germanis inua- derentur, & à nobilib. regionis incolis, aut defenderen- tur, aut diriperentur: dumq; iam hi progredere'tur, iam illi cederent, ut occasio ferebat, nihil omni ex parte præ- ter cædes, direptiones, incêdia audiebatur: sæpeq; idem locus ab una parte prius direptus, ab altera post & diri- piebatur & incendebatur: & bene paucis munitis locis exceptis, reliqua omnia huic miseræ uastationi erãt ob- noxia: in quibus cum nihil fieret memorabile, ea dilige- tius recensere superuacaneum esset: & lectori tam ua- rias uicissitudines, quæ ad totius belli summam & finem nullum adferebant momentum intelligere, molestum. Cum uerò tempus gallici exercitus profectio- ni constitu- tum aduentaret, denuo inter Cæsarem & Galliæ regem ut exercitus per totum insequentem mensem moraretur conuenit: ita tamẽ, ut sumptus extraordinarij, id est qui præter eorum militum quæ ad eum usq; diem à rege nu- merata fuerant stipendia, in posterũ à Cæsare persolue- rêtur: idem quoq; de peditũ stipendijs per eundẽ men-

sem intelligendum: sed quoniam Cæsar pecunia carebat subducta ratione eorum sumptuum ad summam usq; quinquaginta millium aureorum numum rex ei mutuò daret: quòd si Cæsar intra annum uertentem, hæc & alia quinquaginta millia antè mutuò accepta nõ resitueret rex Veronam cum tota eius ditioe tamdiu, donec eam pecuniam recepisset, in sua potestate retineret. Ciamontius regis ea de re accepto mandato, ad Monsilicis expugnationem animum cõuertit: eamq; ob causam quamprimũ quadringenti Hispani cataphracti, quibus Termini dux præerat, qui ad Maximiliani auxilium à rege Catholico missi, consuetis artibus tardissimo gressu uenerant, Germanis coniuncti fuerunt, exercitus, flumine Brenta, deinde ad Purlæ uillã Bachilione quinq; ab urbe Patauio milliariibus transmissõ, Monsilicium peruenunt: multa hoc tempore in comœatu & impedimentis, equitum qui Patauij Monsilicijq; erant excursionibus passi, à quibus etiam Sonzinus Benzonijs Cremensis, regius dux, qui cum paucis equitibus ad comœatus præsidia recognoscenda ibat, captus fuit: quẽ quòd Cremensis defectionis autor fuerat, Andreas Grittus, quòd Venetorum esset imperio subiectus, magis quàm quòd hostibus militaret habita ratione, statim in crucem tolli iussit. Monsilicium in planicie positus est, in cuius medio quasi saxeus mons surgit, unde Monsilicium appellatus: in cuius fastigio arx est, & per motis dorsum, quod subinde angustius fit, tres sunt murorum ambitus, quorum infimus tantum spacij complectitur, ut duo peditum millia, ad eum à iustæ magnitudinis exercitu tutadum sint necessaria. Hostes illico oppidum deseruerunt: in quo

ambitum

ambitū collocarunt: quo diu atq; à multis partibus con-
 cusso, Hispani Aquitaniq; pedites, non seruato ordine,
 muro appropinquare cœperūt, multis locis ingressum
 quærentes: erant in arcis custodia septingenti pedites,
 qui totis copijs eos aduenisse rati, cum ad locū si à mul-
 tis partibus inuaderentur tutandum impares esse, leui
 facta defensione, inter ipsos, ut creditur, prius inito cō-
 silio, retrocedere cœperunt, sed tanta ordinum pertur-
 batione, ut hostes qui iā ingrediebātur, eos leui pugna
 per iugum montis insequuti, ijs mixti per reliquos mu-
 rorum ambitus in ipsam arcem penetrarint: ubi maxi-
 ma prædiorum parte cæsa, cum reliqui qui in turri
 remanserant, se ita dedere uellent ut incolumes abire li-
 ceret, à Germanis non recipiebantur: qui tandem turri
 ignem subiecere, adeo ut ex septingētis peditibus, quin-
 que centurionibus, eorumq; tribuno Martino à Burgo
 Sansepulchri in Hetruria, paucissimi euaserint, minore
 propter ignauiam uisi misericordia digni: nec uerò ger-
 manica feritas in ædificia murosq; minor apparuit: cte-
 nim non solum quòd milites ad præsidium imponendū
 nō haberent, arcem euerterunt, sed etiam oppidum in-
 cenderunt: post quem diem nihil præclari ab his exerci-
 tibus actum est, præter quadringētorum Gallorū equi-
 tum ad Patauinās usq; portas incursionem. Hoc tempo-
 re Ferrariensium dux ab exercitu discessit: cū quo à Cia-
 montio missus fuit, Castilionæus cum cataphractis ducē-
 tis & quinquaginta ad Ferrariæ, quæ in non paruo ob
 Pontificis copiarum propinquitatem metu uersabatur,
 præsidium: Germani tamen Ciamontiū ut ad Taurisum
 prout antea inter eos conuenerat, castra poneret, urge-
 bant: & ea quæ tātis sumptib. gesta essent, propterea q;

Patauium expugnari posse nulla spes habebatur, nisi ea urbe potirentur, parui esse momenti ostendebant. Ad quæ Ciamontius, Cæsarem nõ eo apparatu quo pollicitus fuerat in Venetos uenisse: eos qui cum eo esset ad paruum numerum redactos: Taurisi magnum esse præsidium, urbem magno apparatu munitam: cõmeatum in ea regione non amplius reperiri: ex longinquis autem regionibus conuehi, propter continuas leuis armaturæ equitum molestias, haud facillè posse, qui rusticorum diligentia uel minimos ipsorum motus edocti, cum tãto numero essent, ubicunq; eis nocere possent, conspiciebantur: hæ altercationes, nouo ex Gallia Ciamontio accepto mandato, ut quadringentis cataphractis, Hispanisq; peditibus mille & quingentis, præter eos qui in Lineaci præsidio essent, regio stipendio cum Germanis relictis, statim cum exercitu in Mediolanensium fines, quod iam Pontificis opera molestiæ periculâq; multa apparere inciperent, rediret, sublata sunt. Ideo Ciamontius, Persiuo harum copiarû duce relicto, regis paruit imperio: Germani uerò rei bene gerendæ spe amissa, Leonici cõstituerunt. Pontifex in animum induxerat, in eoq; pertinaciter omnia sua consilia fixerat, ut non solum multa ad pontificatum spectantia, ut ille putabat, recuperaret uerumetiam Gallie regem omnibus locis quæ in Italia possidebat pelleret: siue occulta & antiqua simultate cū eo habita, siue multorû annorû suspicione in acerrimû odiû conuersa, siue ut post dicebat, eius gloriæ cupiditate, qua Italiã à barbaris liberasse prædicaretur, impulsus. In hunc finẽ Venetos cõsuris liberauerat: cū Heluetijs se stricto fœderis uinculo cõiunxerat: quæ se magis sui tuendi quã alterius ledèdi gratia gerere simulabat:

his de

his de causis cum Ferrariensium ducem à Gallie regis clientela remouere non potuisset, eum ducatum omnino occupare decreuerat: & uectigalium salisq; caussa se tantum moueri aiebat: & tamen ut sua consilia, donec omnia melius apparasset occultarentur, semper de concordia cum Gallorum rege concilianda cū Alberto Pio agebat. at rex cum nullam, præter Ferrariensium ducis susceptum patrociniū, discordiarum caussam esse arbitraretur, pontificisq; inimicitia uitandæ supra modum esset cupidus, nouas cum eo pactiones facere minimè repugnabat: & cameracensis fœderis legibus, quibus ne cui fœderatorum se rebus ad pontificatus iura spectantibus immiscere liceret exprimebatur retentis, illud interponeretur, pontifici quantum ad uectigalia salisq; pertineret in ducem agere liceret (huc enim tantum pontificis putabat rex consilia spectare) ducis susceptum patrociniū sic interpretatus, ut hoc pacto quasi iure fieri posse uideretur. Sed quò magis rex ad Pontificis postulata accedebat, eò ille magis recedebat: nec ulla ex parte Rotomagensis morte flectebatur: ijs enim qui suspicionem sublatam ostendentes, eum ad pacem hortabantur, eundem regem uiuere, idcirco eundem metum uigere respondebat: huius rei argumento esse pactionem à Cardinali Papiensi factam, quam omnes scirent à rege, proprio consilio, contra Rotomagensis uoluntatem atq; sententiā esse uiolatam: imò eius progressus acutius perpendentibus, eo maiore animo concitari, eiusq; spes augeri uidebantur: nec sine caussa, cū enim rex talis esset, ut potius rectore indigeret, quàm ipse alijs regendis esset aptus, dubium non erat, quin cardinalis morte eius uires essent imminutæ: in eo enim

præter longum rerum usum, magnum robur cum uirtute, tantamq; apud regem auctoritatem fuisse, ut ferè nunquam ab eius sententia discederet: quamobrem ille sua potentia fretus, saepe de rebus deliberare, & per se negocia expedire audebat: quæ cū in nullo eorum qui illi in regni administratione successerant essent, non modo quidquam statuere non audebant, sed nec regem de rebus quæ illi molestæ essent futuræ appellare, nec ipsorum eorum consilijs eandem fidem adhibere: cumq; plures essent quorum alter alterum respiceret, auctoritatiq; adhuc recenti non satis fiderent, lentius ac frigidius quàm rerum magnitudo, et pontificis uehementia impetusq; postularent, omnia tractabant: qui nullis à rege propositis conditionibus contentus, tandem ut absq; ulla conditione uel exceptione, simpliciter & absolute Ferrariensium ducis desereret patrociniū aperire postulabat: cum uerò rex nimiam in se inde infamiã redundaturam ei persuadere conaretur, respondit, se, si rex hoc recusaret, cum eo nolle conuenire: nec tamen ei aduersarium esse, sed ab omni obligatione liberū, ut pontificiam deditiōem tranquillè tueretur operam daturum, de Ferrariensium duce grauius quàm unquam antea questus, quòd à suis amicis, ut à sale conficiendo abstineret admonitus, se id consilium, quod imperij iuri ad quod Comackiū directò pertinere, derogaret, sequi non posse responderat. Fuit præterea dubitatum, idq; multorum opinione, quæ postea temporis progressu creuit, Albertum Pium regium legatum, legationis munere non bonâ fide functum, ut pontificem in Ferrariensium ducem concitaret operã dedisse: ad idq; ardentissimo desiderio in quo ad mortem usq; permansit impulsus,

pulsum, ut Alfonso Ferrariensi principatu spoliaretur: cum enim Hercules Alfonsi pater antè paucos annos à Gilberto Pio dimidiam Carpèsem ditionem accepisset, eiq; Saxuli castellum, cum nonnullis alijs oppidis permutatione dedisset, Albertus ne tandem (ut sæpe necesse est) minus potentem potentioris uicini cupiditati cedere, ei alteram partem quæ ad se spectaret, concedere cogere, metuebat: quæcunque autem in hac re uerâ causa fuerit, Pontifex parum placabilibus in Alfonso animi signis ostensis, cum iam arma mouere in animo haberet, censuris eum persequi parabat: quarum causas ut iustas esse cõprobarèt, operam dabat: præcipuè cum, ut aiebat, inter pontificiæ curiæ scripta, pontificum priuilegij monumenta reperisset, quibus Atesina familiæ Comacium attribuebatur. Hæ erant pontificis publicæ artes: uerùm clàm multò maiores motus meditabatur: se enim, quòd cum Heluetijs amicitiam iniisset, quòd Venetos à se stantes, ac suis nutibus obsequentes haberet, quòd Aragoniæ regem aut eòdem spectare, aut saltem non syncerè Gallorum regi coniunctum uideret, Cæsaris uires auctoritatemq; adeò tenuem, ut timendi causam nullam haberet, nec penitùs de Angliæ rege concitando desperaret, optima rebus suis se fundamenta icisse arbitrabatur: sed in primis, quòd cum mitiorem reddere debuisset, id ei spiritus augebat: nempe quòd Galliæ regem à bello cum pontifice gerendo alienum pacem summopere expetere uideret, adeò ut semper etiam postquam ei bellum intulisset, pacis leges in sua potestate futuras arbitraretur. Quibus rebus indies insolentior factus, & querelis ac minis in Galliæ regem ac Ferrariensium principem palàm multiplicatis, die

*festo diui Petri, quo die ueteri consuetudine census sacrosanctæ sedi penduntur, à Ferrariensi censum accipere recusauit: Alexandri VI concessione, qua in filiaë matrimonio ex quatuor ducatorum millibus, ad centum modò annuum censum reuocarat, quòd in eius esset sedis detrimētum, nullam uim habere affirmans: eodemq; die, cum antea Cardinali Auscensi, ceterisq; Gallis Cardinalibus, in Galliam redeundi potestatem negasset, audissetq; Auscensem, cum canibus & retibus uenatum prodijisse, uano ne clàm discederet metu ueritus, præcipiti furore missis qui eum caperent, in Mole Adriani captiuum tenuit. Itaque iam se apertè Gallorum regis hostem professus, eamq; ob causam ad maiora firmamenta comparanda compulsus, regi Catholico neapolitani regni possessionem eodem censu, quo Aragonij reges obtinuerant, cum antea, nisi quadringētas octuaginta auri libras, quo censu Galli reges possidebāt, penderet se concessurum negasset, permisit: qua in concessione Pontifex non tam obligationem, qua antiquorum more, rex quotannis ad Pontificij imperij quoties postularetur tutelam, trecentos cataphractos alere cogebatur, quàm beneuolentiæ eius aucupium, & spem, hæc auxilia aliqua occasione apertam cum Galliaë rege inimicitiam ei parere posse, cuius iam sparsa erāt semina, sequutus: etenim rex Catholicus Galliaë regis magnitudinem suspectam habens, eiusq; ambitionem, quòd cameracensis foederis terminis minimè contentus, Veronam imperio suo adiungere studeret sollicitè timens, atque etiam antiqua ductus æmulatione, aliquid impedi-
 menti eius rebus opponi, non mediocriter exoptabat: ideoq; concordiam inter Casarem & Venetos ualde à
 Ponti*

Pontifice expectatam, suadere non desinebat. Quæ etsi occultissime moliretur, fieri tamen non poterat, ut eius consilia penitus laterent. Eius igitur classis quæ ad Gerbim insulam, quam Latini Syrtim maiorem appellant, inuadendam erat comparata, ad Siciliam appulsa, Regi suspicionem afferebat, & in animis hominum quibus eius calliditas nota esset, uarias gignebat dubitationes. Gallorum autem regis molestiæ inde originem habuerunt, unde minus uerebatur: eoq; tempore quo nullus armorum motus in eum parari posse uidebatur: Pōtifex enim clandestinis artibus agens, ut Genua eodem tempore terra mariq; inuaderetur, ut in Mediolanensium fines duodecim Heluetiorum millia descenderent, ut Veneti omnibus uiribus suis collectis, ad oppida quæ Cæsaris nomine tenebantur recuperanda ducerent, ipsius uerò exercitus in Ferrariensem agrum irrueret, procurabat, eo consilio, ut si Heluetij feliciter rem gererent, suas mox copias in Insubriam mitteret: sperans Genuam infestis armis repentiè tentatam, quòd multorum animi à Gallico imperio abhorrerent, & Fregosia factio motum esset factura, facile mutationem aliquam eo prætextu, quòd Octavianum cuius pater patruusq; in eadem fuissent dignitate, ducem uellent constituere, facturam: Gallos item Genuensi motu, & Heluetiorum irruptione perterritos omnes copias quas in Cæsaris ac Ferrarensum ducis haberent auxilijs Mediolanum reuocatuos: quo facto Veneti facile Veronam essent recepturi: qua recepta in Mediolanenses progredierentur: idem eius copię facile, ut sperabat, Ferraria Gallorum ope deserta, occupata facerent: adeò ut Mediolanum à tot hostibus tamq; repentiè bello circumuētum, defendi

minimè posset. Bellum in Ferrariensem & Genuenses
 eodem tempore coeptum est: nam etsi Ferrariensis, in
 quem ut tanquam in iam palàm damnatum, animaduersionem magis acceleraret, procedebat, omnem saltem
 Comacini confectum se ei traditurum, ac ne in posterum
 ibi fieret curaturum polliceretur, eius oratoribus ex
 curia dimissis, copias suas in eum duxit: quæ unica tubi-
 cinis denunciatione Centum et Plebem nihil repugnan-
 te Alfonso obtinuerunt: quæ castella, antea Bononiensis
 Episcopi ab Alexandro sexto, cum filiam Ferrariensi
 traderet, alijs uectigalibus Episcopatus tributis, Ferrar-
 iensium imperio adiuncta fuerant. In Genuenses pro-
 fectæ sunt undecim Venetorum triremes, quibus Gryllus
 Contarenius præerat, Pontificisq; una, quibus Octavianus
 Fregosius, Hieronymus Auria, multiq; præterea
 exules uehebantur, eodemq; tempore terrestri itinere,
 M. Antonius Columna, cum centum grauis armaturæ
 equitibus, & septingentis peditibus, qui à Florentino-
 rum stipendijs ad Pontificia transitione facta, delectus
 habendi specie, se deinde Bononiã profecturum rumo-
 re diuulgato, in Lucensi agro hæserat: quæ res etsi Cia-
 montio aliquam rerum Genuensium suspicionem attu-
 lisset, nihilominus cum classis aduentũ, propterea quòd
 astu operaq; pontificis fama erat, Heluetiorum bellicos
 motus, Antonijq; Columnæ moram eò fieri, ut repente
 Ferrariam inuaderet, penitus ignoraret, nullum alium
 Genuæ apparatus nisi quòd paucos pedites eò miserat,
 fecit: M. Antonius ad unum miliare ad Genuæ muros in
 Bisamnis ualle, etsi nec Serezanæ, nec Spediæ, ut Pon-
 tifici persuasum erat, receptus fuisset, accessit: classis
 quoq; Segestro Clauaroq; occupatis ex Rapalli sinu ad

Entelli

Entelli fluminis hostiū, quod prope Genuēsem portum in mare decurrit, sub talem tempus uenerat: quam urbē ad primum hostiū aduentus rumore, pro Gallie rege Ioannis alouij filij Flisji filius, cum octingentis uiris agrestibus, nec minori numero cardinalis Finariensis nepos, ingressi erant: quibus præsidij firmata ciuitas, nullum intus motum fecit: qua re exulum ac pōtificis sublata spe, continenterq; ex Longobardia, & occiduo litore superuenientibus copijs, & Preianno cum sex longis nauibus portum ingresso, longior sine fructu, nec tamen sine periculo uisa est mora: itaque classis, & Columnius terrestri itinere, in reditu Portus delsinij expugnatione, in qua Franciscus Bolanus Venetæ triremis præfectus occubuit, tentata, Rapallam se receperunt: classe deinde ad Ciuitatem ucterem proficiscente, cum se M. Antonius terrestri itinere incolumen, tota regione in milites (ut mos est agrestium) cum offensione retrocedentes exardescere, eò peruenire posse diffideret cum sexaginta delectis equitibus, triremibus conscensis reliquos terra Spediam remisit: qui maiori ex parte in Genuensi, deinde Lucensi agro, ac Florentinorum finibus spoliati fuerunt. Res hæc parua cum Grylli & Octauiani laude trāsacta est: timore enim à Preiani classe inuadenda, quam cum numero superarent, opinio fuit antequam portum caperet, potuisse illos suo commodo adoriri, abstinuerunt. Post eorum discessum Preiannes cum septem nauibus longis & quatuor onerarijs, Genuensi portu egressus, Venetam classem, quæ illi triremium numero superior, nauium alijs inferior erat, insequutus est: utraq; classis Iluam attigit in sulam: Veneta quidem ad Lungoniū portū, Gallica uerò ad Ferratū:

deinde gallica hostilē usq; ad Argentarium montē à late
 re insequuta, Genuā redijt. Interea pontificiæ copiæ Vr
 binatiū principe aduersus Ferrariēsem Imperatore, in
 Aemiliam peruenerāt, ubi Luco, Bagnacuallo, omni
 busq; ijsquæ dux cis Padū possidebat occupatis, ad Luci
 arcē castra habebant: quā dum parum diligenter neq;
 ex disciplina obsident, acceptis nuncijs Ferrariēsem cū
 gallicis copijs & centū quinquaginta cataphractis mul
 tisq; leuis armaturæ equitibus, ad arcem obsidione libe
 randam aduentare, Vrbinās repentē discessit: & tribus
 tormentis in hostium potestate relictis, Imolā se cōtulit:
 hacq; occasiōe Alfōsus, omnia quæ ei in Aemilia adēpta
 fuerāt, recuperauit. Verūm pontificius exercitus denuo
 collectus & auctus, facilē eadē oppida iterum recepit:
 pauloq; post etiā Luci arcem multis diebus concussam
 ui cepit: qua expugnata maiora gerēdi occasio eis obla
 ta est. cum enim Mutinæ nullū esset præsidium, quòd dux
 alijs rebus ubi maius periculū imminere uidebatur tuē
 dis occupatus, nec per se potuerat providere: nec à Cia
 montio, ut ducentos eò equites mitteret obtinere: car
 dinalis Papiensis, Castellofranco cum exercitu itinere
 facto, statim eam urbem deditione obtinuit: ut eò ueni
 ret à Gerardo, & Francisco Maria Rangonijs Muti
 nensibus tantæ autoritatis nobilibus, ut possent, præ
 fertim Gerardus suo arbitrio eam gubernare, magis
 ambitione ut ferebatur, & rerum nouarum cupidi
 tate, quàm alia de causa impulsis, inuitatus. Mutina
 a nijsa, cum dux idem regio Lepido pertimesceret, sta
 tim præsidium imposuit: & Ciamontius damno acce
 pto id faciens, quòd ab initio utilius fecisset, ducentos
 Gallicos equites: & si iam ob Heluctiorū motum esset

occupatus) eò misit. Fœdus Heluetiorum cum Galliæ re
 ge mensibus aliquot antè finè habuerat, rege in sua sen-
 tentia de non augendis pensionibus persistente: quanq̃
 id contra omnium suorum consilia fecisset, qui eum mo-
 nebant, ut quanti esset momenti ea arma in se concitare
 quibus antea cunctis terrorè incussisset, cogitaret: eaq̃;
 ob causam ipsi promissis autoritateq̃; Pontificis permoti,
 & à Sedunensi concitati, præsertim uerò quòd ipso-
 rum postulata ab rege essent contempta, indignatione
 accensi, maximo in Lucernatibus comitijs multitudinis
 consensu, ei bellum inferre decreuerant: quorum Cia-
 montius præuisis motibus, aditus comēses præsidijs mu-
 nierat, è lacu naues omnes remouerat, commeatus in lo-
 ca munita contraxerat, molendi ferramenta asportau-
 rat: atq; incertus utrum Heluetij in mediolanēsem agrū
 descensuri essent, an uerò D. Bernardi iugo superato,
 per Augustanam uallem in Taurinates ingressuri, ut in
 de Sauonam ad Genuensium res perturbandas, aut A-
 pennino superato, in Ferrariensium ducem impetū fa-
 cturi, Sabaudia duci, ut eos itinere prohiberet, persua-
 serat: eamq̃; ob rem ex ipsius consensu quingentos gra-
 ues equites Eporediam miserat: nec tamen interea ut
 gētis principes muneribus ac promissis delimitos ab in-
 cepto reuocaret, omni opera niti desinebat: sed tantum
 erat odium, tantaq̃; omnium, & præcipuè multitudinis
 in regium nomen concitatio, ut hæc omnia irrita redde-
 rentur: adeò ut, quamuis Pontifex propterea quòd Fug-
 geri, Germani mercatores, solutionē antea promissam,
 ne Romanorum regis animum offenderent, denegabāt
 summa pecuniæ mittendæ difficultate laboraret, perin-
 de ac si propria causa ageretur, ineunte mēse Septem-

bri, sex millia eorum à Pontifice euocati, inter quos e-
 rant quadringenti equites, quorum ducenti erant sclo-
 petarij, peditum duo millia, & quingenti minoribus
 sclopetis, & quinquaginta maioribus utentes, sine cam-
 pestribus tormentis, sine pontium nauiumue apparatu
 ad Belizonæ iter conuersi, Tresiaq; ponte, quem sexcē-
 ti pedites Galli in eius præsidio positi deseruerant occu-
 pato, Varesij Sedunensem episcopum, ut ipsi aiebāt, cū
 nouis copijs præstolantes constiterunt. Ea res cum Hel-
 uetiorum solito terrore, tum quòd eo tempore Medio-
 lani exiguius esset copiarum numerus, quòd in Brixia,
 Lineaci, Vallegij, & Piscearie præsidia essent distribu-
 ta, & trecenti equites ad Ferrariensem missi, quingenti
 cum Germanorum exercitu in Venetos erant, Gallorū
 animos uehementer angebat. Ciamontius tamen colle-
 ctis uiribus in Castellionis planiciem duobus ab Varesio
 passuum millibus cum quingentis cataphractis, & qua-
 tuor millibus peditum Io. Iacobo Triultio in Briantiæ
 montē misso profectus est: ut non modò suis copijs, quæ
 pauca erant, uerumetiam incolarum ope, ne Heluetij
 eo itinere erumperent, impedire conaretur: qui quāpri-
 mum Varesium peruenerant, ad Ciamontium trāsitum
 petitum miserāt: se enim ecclesiæ auxilio uenire: ideoq;
 ne aut per Mediolanensium terras Ferrariam conten-
 derent, dubitabatur: in quo itinere præter gallicarum
 copiarum impedimentum, Padi, Ollijq; difficultates na-
 tūti essent, aut ad sinistram conuersi per colles Como de-
 inde Leuco subiectos circumirent, ut ijs locis Abduā an-
 nem, ubi angustior est, neq; tam rapide fluit, traicerēt,
 & inde per Bergomatium Brixianorumq; colles, Ollio
 sumine transmissis, per Brixienfes, uel per Giaradaddā

in Man

in Mantuanum agrum latè patentem, in quo nec oppi-
da nec uires essent, quibus impediri possent, descende-
rent: quacumq; autem ratione, etiamsi in planiciem de-
scendissent (tanta erat eius gentis ferocitatis, militarisq;
disciplinæ opinio) Ciamontio non congregandi, sed e-
quitibus ac peditibus cum multis castrensibus tormētis
simul coniunctis, eorum latera insequi, ut eos commea-
tu prohiberet, fluuiorumq; uada, quantum non tentata
fortuna posset, difficiliora redderet, in animo erat: inte-
rea uerò, locis circa Varesium equitibus ac peditib. præ-
clarè munitis, crebris ac uanis rumoribus noctu excita-
tis, ipsisq; ad arma capienda compulsis, totas noctes eos
laceffebant. Varesium, ubi iam annona laborabatur, de-
nuo quatuor Heluetiorū millia conuenerunt: post quo-
rum aduentum quarta pars omnium Castellionem uer-
sus castra mouit: & ad sinistram per colles quadrato,
quoad eius fieri posset agmine, atq; acie ad pugnam in-
structa, lentò gradu iter ceperunt: ita ut singuli ordines
octuaginta uel centum continerent: in ultimis autem or-
dinibus sclopetarij, quo ordine incedentes, strenuè se à
gallico exercitu, qui eos continenter, modò à latere, mo-
dò à fronte, modò à tergo laceffebat, defendebant: quin
sepe circiter centū & quinquaginta Heluetij ex agmi-
ne egrediebantur, ac ne minimum quidem perturbato
ordine, progredientes, stantes atq; cedentes, dimicabāt.
Hoc ordine primo die ad Vedani pontem, qui à Molar-
do cum Aquitanis peditibus custodiebatur, peruenerūt:
unde cum illum sclopetis retrocedere compulissent, nō
est ad Appianum octo à Varesio milliaribus statua hæ-
buerunt: & Ciamontius ad Assironem magnum Brian-
tiæ montes uersus castellū sex ab Appiano milliaribus

*confliterat: die sequenti per colles Cantuum uersus iter
 cepere, Ciamontio semper eos cum ducentis equitibus
 insequente, propterea quòd tormenta & pedites ad eo-
 rum custodiam ob locorum asperitatem in humiliorib.
 locis manserant. Sed cum ad medium itineris peruenis-
 sent, siue, ut Ciamontius gloriabatur, ob molestias eo die
 à Gallis acceptas, siue quòd ita in animo habuisset, Can-
 tui itinere relicto, magis ad sinistram flectentes, citiora
 loca Comum uersus concesserunt: in cuius urbis subur-
 bio, ac proximis uicis ea nocte quieuerunt: ex Comi subur-
 bio alteris castris ad Classium tria milliaria progres-
 si, Gallos utrum per Lugani uallem Bellizonam reuer-
 suri, an ad Abdiam fluuium uenturi essent, ubi & si pò-
 tes non haberent, multorum erat opinio eos ratibus flu-
 mine constrato omnes uno tempore transitum tentatu-
 ros, ancipites tenuerunt: uerum postero die hac dubita-
 tione sublata, ad Tresiae pontem perucenerunt: & inde
 iam ad extremam panis pecuniarumq; inopiã redacti,
 suas quisq; domos redierunt: quam subitam retractionẽ
 à pecuniarum inopia, fluminum difficultate, & multo
 magis commeatus necessitate, factam esse creditum fuit:
 ita Galli eo periculo, quod ipsi non parui faciebant, eo
 tempore liberati sunt: quamuis rex rebus suis supra ue-
 ritatẽ clatis, an sibi utile foret eis iter cõcedere, quidũe
 Pontificem magis debilitaret, armis carere, an ea arma
 habere quæ ipsum læderent, cuiusmodi Heluetiorum,
 quos ipse tantis uiribus, tot pecunijs, summaq; cum diffi-
 cultate in officio continuisset, nõ satis constare affirma-
 ret: uerum si omnia quæ Pontifex in Gallos comparauerat,
 uno tẽpore concurrissent, in maiori essent periculo
 uersati: sed ut Genuæ inuadendæ conatus Heluetiorum*

motum præcesit, sic uenetus exercitus serius quàm constitutum fuerat, etiamsi ualde oportunã habuisset occasionem, est progressus: quoniã Germanorũ copijs, quæ in Ciamontij discessu cum Hispanis peditibus, & galli-
eis equitibus quingentis in Vicentino agro permanse-
rant, ualde imminutis, uenetus exercitus Patauio egres-
sus, sine labore Ateſte, Monſilicium, Montanianam, Mo-
roſticũ, Baſtianumq; recepit: & ulterius profectus, Ger-
manis ſemper Veronam uerſus retrocedentibus, Vici-
tiam ab illis deſertam occupauit: itaq; omnibus ijs, quæ
tantis Gallorum ſumptibus, tantoq; labore per totam
æſtatem amiſerant, excepto Lineaco, recuperatis, ad S.
Martinum quinq; à Verona, in qua uoſtſe ſe recepe-
rant, miliaribus uenerunt: quorum fuga, ſi (ut Veneti
aiunt) in Lucio Maluetio, qui tũ propter Io. Pauli Bal-
lionis ab ueneto ſtipendiũ diſceſſum, ipſorũ copijs præ-
erat, maior fuiſſet animus, non erat abſq; periculo: nam
cum Veneti ad Turrianam uillam ueniſſent, hoſtes, ma-
gna commẽtus copia in caſtris relicta, Veronam, uene-
to exercitu toto eos perſequente, & leuis armaturæ e-
quitibus laceſſentibus contendebant: & nihilominus
Gallis extremum agmen, tormentis præcipuè ſtrenuè
tuentibus, Arpano flumine traiecto, incolumes Villano
uam, Venetis ad medium milliare confidentibus perue-
nerunt: poſtera luce Venetis, quòd pedites equorum ce-
leritatem aſſequi non poſſe dicerent, minus ſolicitè inſe-
quentibus, Veronã integri ſe intulerunt. Vbi cũ aliquot
dies ad Sanmartinum non abſq; inutilis moræ ignomi-
nia commorati eſſent, Veronæ accedentes, tormentis in
Felicianæ arci, eiq; proximo muro oppoſito monte col-
locatis, quaterẽ cœperunt: eo fortè loco ideo delecto,

quòd difficulter defendi, quodq; equorum usus nisi in-
 commodè adhiberi posset: erāt in exercitu ueneto octim-
 genti cataphracti, leuis armaturæ equitum tria millia,
 bona pars Epirotæ, peditum uerò decem millia, præter
 magnam agrestium copiam: Veronæ autem trecenti ca-
 taphracti Hispani, centum partim Germani, partim Ita-
 li, plus quadringenti Galii, quingenti pedites regio sti-
 pendio, & quatuor Germanorum millia, qui Analtini
 principis ante paucos dies defuncti imperio paruerāt:
 populus ueronēsis malè erga Germanos affectus, arma
 in manibus habebat, in quo Veneti magnam spem collo-
 cauerant: quorum leuis armaturæ equitatus eodem tē-
 pore prope Veronam Athesi uado traiecto, totam re-
 gionem excursionibus peruolabant. Venetorum tormē-
 ta magno impetu mœnia concutiebant, etiam si intus à
 Gallis ex aduerso tormenta collocata, & suis munitio-
 nibus tecta, obsidentibus nulla re tectis, maximum affer-
 rent detrimentum: quorum ictu Lactantius Bergomas,
 præclari inter Venetos peditum duces nominis, natibus
 ablati intra paucos dies obiit. Tandem cum obsidentium
 tormenta mirum in modum proficerent, magna muro-
 rum parte usq; ad substructionis initium disiecta, om-
 nibusq; tormentorum fenestris, adeo ut propugnantium
 tormenta nihil amplius efficere possent, percussis, Ger-
 mani arcis, quātūuis bene munitæ, amittendæ, sine metu
 nō erāt: cuius iacturæ ne urbis quoq; iactura cōiungere-
 tur, decreuerant, si necessitate compellerentur, ad quas-
 dam munitiones, quas nō procul inde in id extruxerāt,
 ut tormentis quæ iam ibidem collocauerant, statim inte-
 riorem arcis partem percuterent, cōfugere: quam se ita
 aperturos sperabant, ut hostes ibi hæcere minimè pos-
 sent

sent: at militum qui Veronæ erāt uirtus longè superior
 erat: in exercitu enim ueneto nulli erant præter Italos
 pedites: hiq; ut mos est, quadragesimo quoq; die men-
 struum stipendium capientes, illis potius idcirco milita-
 bant, quòd alibi deteriore cōditione futuri essent, q̄ alia
 de causa: cum italicus peditatus transalpinorū discipli-
 næ minimè assuetus, atq; in acie parū firmus, tunc ferè
 ab ijs reijceretur, qui externorum, & præsertim Helue-
 tiorum, Germanorū ac Hispanorum peditū copiam ha-
 bere possent: quapropter cū maiori uirtute propugna-
 retur q̄ oppugnaretur, mille & octingenti pedites, cum
 aliquot Gallis equitibus noctu ad tormenta inuadenda
 facta eruptione, & custodibus facillè fugatis, duo tormē-
 ta clauis obstruxerunt: eaq; in urbē abducere sunt cona-
 ti: iāq; totis castris rumore excitato, Citolus Perusinus
 cū multis peditibus accurrit, qui fortissimè pugnas, mul-
 ta cum gloria moriè oppetijt: uerū Dionysij Naldi cū
 maiori exercitus parte aduentu, qui ciuitate egressi fue-
 rant, relictis tormētis recedere coacti sunt, ex eoq; pri-
 mū quòd tormentorū præsidium fugassent: deinde par-
 tem eorum qui primi opem ferebāt cecidissent, demum
 penè omnes incolumes pedē retulissent, nō paruā laudē
 reportarunt. Postremo Veneti duces hoc euentu perter-
 riti, cum nullum populi motū conspicerēt, moramq; eo
 in loco nō modò inutilem, uerumetiam periculosam, ca-
 stris, quòd pedites montem, equites uallem satis procul
 à peditibus tenerent, non satis tutis censerent, ad priora
 Martiniana castra redire constituerunt: quod, cū Cia-
 montius post Heluctiorum discessum, Veronæ periculo
 audito, ad opem ferendam aduentare ferretur, accelera-
 tum fuit: in exercitus discessu, calones Verona egressi,

ualido præsidio septi, Pollientem uallem Feliciano mō-
 ti subiectam ingressi sunt: sed multis Venetorum leuis
 armaturæ equitibus qui nullis occuparunt aditum auxi-
 lio uenientibus, quotquot Verona egressi erant, pars cæ-
 si, pars capti fuerunt. Sanmartino ob Ciamontij aduen-
 tus famam uenetus exercitus ad Sanbonifacium se rece-
 pit: quo tempore milites qui Taurisi in præsidio erant,
 Asilium oppidum Musonio anni propinquum, in quo
 erant octingenti Germani pedites, pactione obtinue-
 runt, mox etiam arcem: & in Iulijforo eadem uarietate
 consueta quæ immanitate res gerebantur: nec iam cum
 hostibus bellum gerebatur, sed ab omni parte ædificijs
 diruendis, agrisq; uastandis incumbebatur: quæ mala I-
 striam quoq; eadem ratione inuaserant. Hoc tempore
 accidit, ut Mantuanus marchio è custodia modò admo-
 dum memorabili eximeretur: quam rem Pontifex bene-
 uolentia qua eū antea prosequabatur, & ut eius opera
 uteretur, eiusq; regionis ad gallicum bellum oportuni-
 tate impulsus procurabat: ac fama in tota fuit Italia, ip-
 sum eius libertatis autorem fuisse: ego tamen uiro fide
 digno autore, & per quē tunc res Mantuana procura-
 batur, longē aliā fuisse rationē compertū habeo: nam cū
 uerendū uideretur, ut re ipsa erat, ne Veneti odio & su-
 spicione in eū accēsi, in sempiterna custodia eū essent re-
 tenturi, multis remedijs frustra tētatis, ut ad Baiasettum
 Turcarū principē, cuius amicitia marchio crebris nun-
 cijs, uarijsq; munerib. multos annos fouerat, cōfugere-
 tur, in senatu mātuario decretū fuit: Baiasettus igitur e-
 ius calamitate audita, mercatorū uenetorū, qui Peræ ne-
 gociantur præfecto accersito, ut Marchionē liberatum
 iri promitteret postulauit: is uerò id quod minime in
 sua po

sua potestate esset promittere recusans, seq̄; ea de re Venetiis, ubi non dubitaret ex eius sententia decretum iri literas daturum pollicens, Barafetto autem se omnino uelle, ut sine exceptione promitteret, imperiosè respondente, coactus fuit polliceri: quòd à præfecto Venetias cum esset perscriptum, senatus tam potentis principis irritandi tempus non esse ratus, eum libertate donare statuit: uerùm dedecoris sui tegendi, fructusq̄; alicuius ex ea re percipiendi gratia, pontificis desiderio aures præbuit: quo auctore, quamuis clam, cum decretū esset, ut ad Venetorum, ne marchio arma aduersus eos moueret, cautionem, primus filius eius apud pontificem custodiretur, marchio Bononiam perductus, filio pontificis procuratoribus obside dato, liber Mantuam profectus est: & apud Casarem Galliaeq̄; regem, quòd in eorum castra ipsis, ut alterius beneficiarius, alterius uerò miles (nam à Gallia rege semper ei fuerat pristinus cum stipendio locus conseruatus) operam daturus non ueniret, rerum suarum componendarum necessitatem excusauit: re autem uera neutrius esse uolebat. Res infausè tentatæ, neutiquam pontificis spes imminuerant, qui cū Genuensium rerum mutationem indies magis animo conciperet, denuò eam inuadere constituit. Ideò cum Veneti, qui potius coacti, quàm quòd hos uehementes motus probarent, classem quam ad Veterem ciuitatem habebant, quatuor magnis nauibus auxissent, nomē suum facilius Genuenses ad rebellādum impellere posse persuasus, sua quadam longa naui magna, cum nonnullis alijs addita, publicè pōtificio solemniqū; ritu suo uexillo bene est precatus, idq̄; deuouit, cunctis admirantibus cū suis iam consilijs patefactis, Genuam magno præsidio,

portu ualida classe munito, assequi speraret, quod portu classe nudato, & urbe paruo praesidio munita, nemineq; de eo suspicante, obtinere non potuisset. Maritimis apparatus, quos ijdem exules sequebantur, & praeterea Episcopus Genuensis, Obiecti Plisci filius, terrestres quoque coniungendae erant uires. Federicus enim archiepiscopus Salernitanus, Octauiani Fregosij frater Pontificio aere in Lunigianae oppidis equites militesq; conscribat: & Ioanes Saxatellus, Raeneriusq; Saxe-tanus eius ductores ad Porretae balnea cum suis cohortibus morarentur, mandatum acceperant, ut cum esset opus Genuam possent accedere. At in ea urbe terra mariq; ualidi apparatus facti erant: ideoq; ad famam aduentus hostilis classis, quae quindecim rostratas minores, tres maiores, unam quadriremem, & tres cantabricas continebat: gallica classis, duabus et uiginti triremibus nauium in aduersa parte uarietate freta, Genuensi portu egressa, ad Portum Veneris constitit: quoniam hostibus quidem simul coiunctis inferior, at hostium triremibus superior, uel saltem par, semper recedendi uelocitate se a nauibus subtrahere poterat. Haec classes supra Portum Veneris ad tormenti iactum inuicem appropinquarunt: & cum aliquandiu inter se tormentorum fulminibus egissent, Pontificia classis Segestrum orientis contendit: ex quo loco Ioannes Fregosius, biremi ante Genuae portum se ostendit, etiam portum ingressus: at urbe ita custodita, ut qui contrariae factionis esset, nullam haberet motus excitandi facultatem, & Godifensi turri classem maximis tormentorum ictibus petente, discedere coacta fuit. Deinde ad Veneris portum profecta est, quo per aliquot horas incassum oppugnato, totius rei bene gerendae

rendæ spe amissa, ad Ciuitatem ueterem redierunt: unde Veneta classis, Pontificis consensu ut in sua maria rediret projecta, ad Messanæ fretum grauissima exorta tempestate, quinque triremibus amissis, reliquæ ad Numidiæ littora perlatae, tandem admodum quassatae uentis, in Venetorum portus peruenerunt. Terrestris apparatus in hoc conatu non concurrerunt: etenim milites qui in Lunigiana conscribebantur, orientalis oræ aditum, propter Gallorum apparatusum famam periculosum rati, nihil se mouerunt: et qui ad Porrettæ balnea erant, sibi à Florentinis iter denegatum excusantes, ulterius non sunt progressi: sed Mutinensium montana, quæ adhuc Ferrarienti parebant ingressi, Fanani oppidum inuaserrunt, quod etsi non statim obtinuerint, nihilominus tandem tota montana regio, ducis auxilio diffusa, deditiōem fecit. Itaque in hunc usque diem, nihil eorum, quæ Pontifex in Galliæ regem molitus fuerat, exitum habuerat: neque enim Genuensium res, ut ipse pro certo sibi pollicebatur, mutationem fecerant: nec Veneti, frustra Verona tentata, ullum amplius ab ea parte progressum sperabant: nec Heluetij potius ostentatis quam illatis armis ulterius processerant: nec Ferraria Gallorum ope diligenter adiuta, imminente hyeme, in aliquo periculo uersari censebatur: sola Mutina præmium tantis motibus minimè dignum, furtim in eius potestatem uenerat: nihilominus Pontifici tanta spe frustrato idem uidebatur euenire, quod de Antheo fabularum scriptores posteris memoriæ prodiderunt: ut quoties Herculis robore domitus teiuræ attigisset, toties maior in eo uis appareret: idem in pontifice res aduersæ efficiebant, ut quò magis deiectus ac prostratus uideretur, eò maiore animi firmitu-

dine ac pertinacia plura sibi in posterũ, quàm unquam antea pollicitus, resurgeret: cũ tamen nullo penè quàm se ipso niteretur: & quod (ut palàm dicebat) cum nihil priuati commodi gratis gereret, sed unico puroq; Italiæ liberandæ desiderio, sibi persuasum haberet, sua cõsilia Deo bene iuuante, felicem exitum habitura: nã ipse ualidis fidisq; armis exutus, nullos præter Venetos, qui eo acti eandem subibant fortunam certos amicos habebat: à quibus quòd pecunijs essent exhausti, multisq; difficultatibus & angustijs oppressi, non multa sperare poterat: à Catholico autem rege potius occulta consilia, quàm aperta auxilia accipiebat: is enim pro sua caliditate eum uarijs promissis, sed multis exceptionibus, dilationibusq; suspensis, demulcebat: et ex altera parte cum Maximiliano & Galliæ rege amicitiam tuebatur. pontificis diligentia laboresq; in Cæsare, à Galliæ regis amicitia alienando, & ad concordiam cum Venetis adducendo positi, indies inutiliores apparebant: quippe Cæsar, cum pontificius exercitus in Ferrariensem profectus est, Fecialem, qui ne ei essent molesti denunciaret, miserat: & Constantinum Macedonẽ Pontificis nomine ad pacem inter Cæsare & Venetos tractandam missum Cæsar audire noluerat: & ut se magis Galliæ cum rege facere uelle ostenderet, Gurcensem episcopum, qui de rerum summa cum eo cõueniret, mittere parabat. Nec imperij germanici principes, etsi erga pontificium nomen, ac sacrosanctam sedis obseruantiam propensi à sumptibus faciẽdis alieni, suis consilijs res tantum germanicas spectantes, ullius in his perturbationibus erant momẽti: nec magis de Angliæ rege, quamuis iuuenè, rerumq; nouarũ cupido, & qui se pontificatus potẽtiam

amare

amare profitebatur, quiq; haud sine animi propensione legationes audiuerat, sperare posse uidebatur: cū enim tanto terrarum mariumq; interuallo ab Italia esset disiunctus, non poterat solus Galliae regē deprimere: praeterquam quod pacem cum eo factam confirmauerat, et magnifica ad hoc missa legatione, eius uicissim acceperat confirmationem. Nemo certè qui tam imbecilla fundamenta totq; impedimenta habuisset, non animum remisisset, cum praesertim pacis à Galliae rege ijs conditionibus maioribusq; quam uictor uix optare debuisset, consequendae facultatem haberet: nam rex, si minus (honoris sui gratia) apertè, saltè tectè atq; obliquè caussa disceptationi permissa, sed ijs iudicibus, qui ex pontificis uoluntate iudicarent, Ferrariensium ducis patrociniū deserere annuebat: qui ubi se hoc consequi posse compertum habuit, ut Genuam liberā relinqueret uelle se adiunxit: atq; in his rebus tanta erat eius pertinacia, ut nemo, ne ex suis quidem intimis quisquam ei contradicere auderet: imo ex regis mandato à Florentinorum oratore tentatus, mirum in modum exarsit: cumq; ob alia negotia ex Allobrogum ducis ministris quidam ad eum uenisset, suiq; principis, si ei ita uideretur, in pace concilianda operam polliceretur, in tantam prorupit indignationem, ut eum ad explorandū, non negociandum missum exclamaret: eamq; ob rem in carcerē conijci, & questionibus subijci iusserit: ac tandem, indies in difficultatibus ferocior factus, cum nulla impedimenta periculāue agnosceret, cumq; ceteris omnibus cogitationibus aliquantisper omiſsis, totis uiribus in Ferrariæ expugnationem incumbere uellet, quò sua praesentia acrius urgeret, & maioribus rebus auctoritas adiungeretur,

nec non ut ducum ardorem impetu suo inferiorem au-
geret, Bononiam se conferre decreuit: sibi ad Ferrariæ
expugnationem suas & Venetorum vires satis fore as-
seuerans: qui ne tandem fausti exitus spe amissa, Galliæ
regi conciliaretur ueriti, idem ei persuadere conaban-
tur. At rex Galliæ, tot iam experimentis pontificis in se
comperto animo, cum sibi necessario, ne imperio suo no-
ua imminerent pericula prospiciendum esse animadu-
teret, Ferrariæsem tueri, foedus cum Cæsare quo ad eius
fieri posset, firmare, eiusq; consensu pontificem sacris
armis persequi: & rebus ad Ver proximum protractis,
tunc, cum potentissimo exercitu ad Venetos aut ponti-
ficem adoriendum, prout res tunc postularent, in Italiã
traducere constituit. Quamobrem non solum Cæsari, se-
ntiorem ui quam hactenus in Venetos ducturum propo-
suit, uerumetiam, ad Romam totamq; pontificiam ditio-
nem uelut iure ad Imperiũ spectantem, ut eum iam diu
optare notum erat, uniuersamq; Italiam, Mediolanensi,
Genouensi, Florentino, ac Ferrariensi imperijs exceptis,
occupãdam opem laturum: quibus pollicitationibus eũ
in suam sententiam facile perduxit: præsertim uerò, ut
autoritate utriusq; & Germanicæ Gallicæq; gentis ge-
nerale concilium indiceretur, non sine spe, Aragoniæ
regem, quòd à sua & Cæsaris uoluntate recedere non
auderet, cum Hispanorum gente, in idem conuēturum:
cui rei maximum præterea accedebat firmamentum,
quòd multi cardinales Itali ac transalpini, animo ambi-
tioso ac minimè pacato, se palàm autores futuros polli-
cebantur. Ad hæc constituenda, rex magno desiderio,
Gurcensis episcopi à Cæsare ad se destinati aduentum
expectabat: interea uerò, ut concilij institutioni ini-
tiam

titum daret, & quamprimum regnum suum à pontificis
 obedientia retraheret, omnes Gallie Antistites, ut ad
 medium Septembrè Aureliam conuenirent, conuocari
 iusserat. Hæc erant Gallie regis consilia & apparatus;
 haud per omnia senatui & curiæ ipsius grata: qui, quã-
 tum posset detrimentum adferre, hosti spaciū conce-
 dere animaduertentes, ne in Ver arma differret, urge-
 bant: quorum si sequitus esset consilium, Pontificem in
 tantas subito molestias coniecisset, adeoq; res eius per-
 turbasset, ut non tam faciliè ei futurum fuisset, ut postea
 fuit, tot principes in eum concitare. At Rex uel auaritia
 uictus, uel timore retentus, ne si solus Pontifici bellum
 inferret, ceteri principes indignè ferrèt: uel sorte uelut
 rem Christianissimi cognomento, & Ecclesiæ defensoris
 famæ, quam semper eius maiores antiquis temporibus
 obtinuerant aduersam perhorrescens, in altera senten-
 tia permansit. Pontifex ad finem Septembris, ut omni-
 bus suis ac Venetorum copijs terra aquisq; Ferrariam
 inuaderet animo comparatus, Bononiam ingressus est.
 Ideo Veneti eius postulato binas classes in Ferrariensem
 miserunt: quæ in Padum, una per Fornaces, altera per
 Primarij portum inuectæ, Ferrariensi agro magna af-
 ferebant incommoda: eodem tempore pontificijs copijs
 totam regionem populari non intermittentibus, Ferrar-
 iæ tamen, qua in urbe præter ducis copias erāt ducēti
 & quinquaginta Galli cataphraستي, non appropinqua-
 bant: nam etsi pontificij in octingentos grauis, sex: ètos
 leuis armaturæ equites, ac peditum sex nullia stipendia
 acciperent, tamen præterquam quòd pleriq; erant tu-
 multuarij milites, numerus etiam, ut plerunq; pōtifices
 in rebus bellucis defraudatur, erat multo minor: his ac-

cedebat, quòd cum Ciamontius Mutina amissa inter regium & Ruberiam ducentos & quinquaginta lanceas, & duo peditum millia misisset, M. Antonius Columna, & Ioannes Vitellius, cum ducentis cataphractis, & trecentis peditibus, iussu pōtificis ab exercitu ad Mutinæ præsidium profecti erant: eam ob rem Pontifex, ut Veneti exercitus, qui Cæsaris uiribus Veronæ & ubiq; imminutis, absq; negotio penè totum Forumiulij receperat, pars in Ferrariensium fines, ubi recenter Rhodiginam Polinesum, molestiis, quibus dux circa Ferrariam premebatur, desertam occupauerat, transire instabat. Expectabat præterea Pontifex trecentos Hispanos cataphractos, quos priuilegij iure petitos Aragoniæ rex, Fabricio Columna duce, mittebat: habebatq; in animo, ut hi cum suis coniuncti ab una parte Ferrariam inuaderent, ab altera Venetorum copiæ, populū Ferrariensem, quamprimum exercitus ad mœnia accederet, in ducentum arma sumpturum sperās: quamuis belli duces, tale in ea præsidium esse, ut facile & ab hostibus tueri urbem & populum etiam tumultuari uolentem cohibere posset, docerent: idcirco incredibili celeritate multis in locis quammaximam peditum copiam comparabat. Venetæ autem copiæ, propterea quòd, cum in Mantuanorum fines multas naues ad pontem Pado imponendum uexissent, Ferrariensium dux cum gallicis copijs improuisò adortus eas omnes ceperat, diutius quàm uoluisset aduentum protrahabant. Cepit etiam in quibusdam Polinesi riuis multas naues, unà cum Veneto legato, quo tempore Brixie proditione, quam Veneti ut à Galliæ rege deficeret struebant, detecta, Ioannes Maria Martiengus capite pœnas dedit. Sed longè diutius morabantur

dur cataphracti Hispani, qui usq; ad regni neapolitani fines progressi, regis iussu, antequā regio legato regni beneficiarium diploma datum esset, Truentum amnem transire recusabant: quod Pontifex ne equites accepto diplomate nō uenirent suspicatus, agrè antequā Bononiam peruenissent cōcedebat: nihilominus nec belli ducum orationibus, nec his impedimentis Ferrariae suis tantummodo copijs occupandæ spes minuebatur: itaq; omnibus belli negocijs admirabili uigore operā dabat, cū eodem tempore graui correptus esset morbo: quē, spē tē medicorum consilijs, non minus quā cetera cōtemnens, eius urbis ut & totius belli uictoriam sibi promittebat. Affirmabat enim deum sua opera uelle Italiam in libertatem iudicari. Curauit etiam ut Mantuanus, quē Bononiam accersitum Ecclesie signiferum nuncuparat Venetorū quoq; stipendia cum summi ducis honore mereret: eiq; Pontifex centum cataphractos, & mille ducentos pedites adiungeret: ea tamen conditione, ut (ita postulante Mantuano) id occultum esset, eo pretextu, q̄ sibi ante res mantuanæ cōponendæ, atq; in tutū collocandæ esēt, quo minorem in se aliquid tentandi Galli facultatē haberent: re autē uera, quia cum hoc onus nō spē, sed promissis coactus subiret, ut si fortè aliqua occasio daretur, liberari posset, moram interponere studebat. Pontificis uerò in alijs infestandis ardor, in rerum suarum tuendarum necessitatem est conuersus: quæ etiam & maturior, & maior fuisset, nisi nouarum rerum euentus Ciamontium ad sua consilia in aliud tempus differre coegissent: nam ueneto exercitu à Veronesi obsidione projecto, Ciamontius qui Pischeriam, ut ei urbi opem ferret uenerat, statim cum exercitū ad Muti-

nam ubi copiae quae Ruberiae erant, Formigiani oppidum ui expugnarant, recipiendam ire constituit: quod si fecisset, facile, ut creditur, ea potitus fuisset: in ea enim parua erant praesidia: urbs minimè munita, nec omnes pontificio imperio fauentes: uerùm accidit, ut cum castra moturus esset, Germani pedites qui Veronae erant, quod eis à Caesare non satisfaceret, tumultuarètur: quare Ciamontius ne ea deserta relinqueretur, donec eorum animos confirmasset, manere fuit cõpulsus: quamobrè etiam nouem ducatorũ millia eis stipendij praesentis nomine numerauit: seq; in sequentem mensẽ numeraturum promisit: uixdum autem huic malo medelam adhibuerat, cum aliud casus eum repente inuasit: nã cum Venetorum copiae Patauium uersus concessissent, Grotta, qui Lincaco praerat, Montanianae diripiendae se occasione nactum ratus, omnes cataphractos cum quadringentis pedibus eò misit: à quibus dum se oppidani direptione perterriti tuentur, multi Veneti leuis armaturae equites superuenerunt: quos cum perturbatos offendissent, facile fuga, ponte ab hostibus rescisso impedita, magna clade affecerunt: quo casu, Lincaco penè militibus nudato, dubium non est, quin si Venetorum milites extemplo eò conuersi essent, occupaturi fuissent: qua oportunitate citò elapsa, Ciamontius re percepta, summa celeritate nouum misit praesidiũ. Verum hæc impedimenta ei Mutinae recipiendae occasione intercepterunt: quã interea temporis multi milites ingressi erant: multaq; diligenter ad muniendum comparata: nihilominus eius ad Ruberiã aduentu Pontifex exercitũ in Ferrariã comparatum Mutinam mittere compulsus fuit: ubi omnibus suis uiribus sub Urbinate ducis imperio, Papiensi

cardinale legato suo, Io. Paul. Ballione, M. Antonio Columna, Ioanneq; Vitellio, magnæ autoritatis ducebus cõ iunctis, ut cū hostibus prælio dimicarent instabat: à qua re duces, quòd dubio procul Gallorum copiæ numero & uirtute præstarent, maximè abhorrebant: nam pontificius peditatus erat raptim collectus, in exercitu uerò nec militaris disciplina, nec decens ordo apparebat: atq; inter Vrbinatem & Cardinalem Papiensem erat aperta dissensio: quæ eò usq; progressa est, ut dux curi eum apud Pontificè proditiõnis insimulasset (sua ne auctoritate, an pontificis mandato incertum) tanquam captiuum Bononiam perduxerit: sed omnibus criminibus sua præsentia dilutis, in maiori quàm antea apud eum dignitate auctoritateq; permansit. Dum hæ copię in hunc modum inter se propinquæ manent, Ciamontius cum equitatu ad Rùberiam, pedites ad Martialiam, Põtificij in Mutinensi suburbio quæ Rùberiã spectat, crebrisq; inter se excursionibus, leuioribusq; decertat prælijs, Ferrariensis qui prius citra negocium Rhodiginam Polinesum receperat, cum Castillionæ & Gallico equitatu facilè Finale recuperauit: deinde per arcem quam adhuc possidebat, Centense oppidum à Pontifice prius occupatum ingressus, diripuit, & incendit: seq; ut Ciamontio coniungeret, comparabat: quod ueriti pontificij, peditum parte in suburbio quòd ad montes uergit, collocata, Mutinã sunt reuersi. sed dux uix dum castris motis, ad sua tuèda fuit reuocatus. Veneti enim cum trecentis cataphractis, cumq; leui armatura, peditũq; quatuor millibus, ut Padi transitum occuparent, moxq; cū pontificijs coniungeretur, ad Ficariolum castellũ propter Padum situm paruum ac debile, uerùm ex eo bello

quod Veneti cum Hercule duce gesserant (ut alibi diximus) diuturna Roberti Sanseuerinatis oppugnatione, ac Federici Vrbinatium ducis defensione, eius ætatis insignium belli ducum celeberrimum, castra posuerunt: idq; prius tormentis uerberatum deditione obtinuerunt: deinde Stellatam oppidum in aduersa ripa ceperunt: cumq; Eridani transitum liberum haberent, nihil ad traiciendum, nisi ut pons iaceretur deerat: quod ne fieret Alfonsus qui post Stellatæ iacturam, cum exercitu Boninum se contulerat, tormentis in quodam editiore angulo, unde facile locus ille peti posset, collocatis, prohibebat: præterea Padum binis triremibus percurrerebat, quæ tamen cito retrocedere sunt compulsæ: nam cum ueneta classis ab initio Padum hostijs ducis præsidio munitis ingredi impedita, aduerso Athesi uecta, ingressa est: adeo ut ferrariensis regio binis Venetorum classibus grauius infestaretur. Hæc autem molestia mox desijt: dux etenim Ferraria egressus, eam quæ Primario ingressa Adriam, geminis triremibus, totidemq; biremibus, multisq; minoribus nauigijs appulerat, adortus est: quia facile depressa, ad eam, quæ cum biremes tantum, et minores naues haberet, per Fornaces inuecta ad Pulisellam uenerat, se conuertit: quæ cum per uicinum riuum Athesim subire uellet, aquarum defectu impedita fuit: unde impetu et hostium tormentis petita, cum milites eam terri nequirent, ea deserta, ut se tormentaq; conseruarent insisterunt. In his ciuiliū motibus armorum, sacra quoq; arma undiq; audiri cœperunt: Pontifex enim palam Alfonsum Estensem, atq; unam quotquot ei opem tulissent, aut ferrent, uominatimq; Ciamontium cum omnibus gallici exercitus principibus censuris subiecerat: In Gallia

uero

uerò Antistitum conuentus Aurelia in Turones translatus, quãuis potius ne regis repugnaret uoluntati (quod sepe fieri solet) quàm sponte iudicioũe, multis criminibus in Pontificem propositis consenserat: hoc tantũ addito temperamento, ut antequam ei obedientiam denegarent, oratores qui ei conuentus gallici decreta denunciarent, utiq; ea in posterum seruaret monerent, mitterentur: quibus si deinceps non pareret, ad concilium citaretur: ad quod, cum principibus ageretur, ut omnes Christianæ nationes conuenirent: dederunt quoq; Regi potestatem, ut gallicis sacerdotijs graues imponeret cœsus, & paulo post in altero cõfessu, qui xxvij. Septemb. habitus fuit, in principium Martij proximè uenturi cõcilium Lugduni indixerunt: quo die Gurgensis episcopus Turonum urbem, quam hodie Toursũ uocant, ingressus, tantis tamq; exquisitis honoribus acceptus fuit ut facillè appareret eius aduentum diu & optatum & expectatum fuisse: & iam Cardinalium aduersus pontificem factio detegebatur: quoniam Cruccius & Cosentinus Hispani, & Bellocasius, Maclouiensisq; Galii, ac Federicus Sansseuerinas, Pontifice qui per Flaminiã ex itinere Lauretanum sanum innumeris prodigijs nobilissimum uisens, Bononiam proficiscebatur relicto, cum eius uenia in Hetruriam contenderunt: cum autem Florentiam peruenissent, fide publica à Florentinis, nõ ad aliquod certum tempus, uerũ donec rescinderetur, & dies quindecim post, uarijs coloribus iter suum procrastinabant: quæ mora cum Pontifici suspecta esset, post multos nuncios ut Bononiam uenirèt missos, ad Maclouensem, Bellocasium, siue, ut nunc appellant, Baiucensem & Sansseuerinatem scripsit breuè epistolã, ut ni sue

indignationis pœnam subire uellēt, ad se uenirent: Cardinalem uerò Cosentinū & Cruceium nobilitate, eruditione, moribus, ac pontificiæ sedis legationibus claros, mitius, ut idem facerent, hortatus est: qui cum nō parere decreuissent, frustra tētatis Florētinis, ut nō ipsis tantum, sed omnibus Cardinalibus qui eò uenire uellent, firmam ad longum tempus fidē publicā concederent, Lunigiano itinere Mediolanum contēderunt. Interea Ciamontius, ut Carpiū antè à pontificijs copijs occupatū reciperet, Albertum Pium & Palitiam cum quadringētis cataphractis, peditumq; quatuor millibus eò misit: quos cum Albertus tubicine & paucis equitibus comitatus anteuertisset, oppidani qui eū uehementer diligebant, audito eius aduētū tumultuari cœperūt: quare pōtificij, qui numero quadraginta leuis armaturæ equites, & quingenti pedites in præsidio erant cōsternati, Mutinam contendebāt: sed Galli qui paulo pōst superuenerant eos insecuti, ad Cortilis pratū, quod penè medio itinere Carpium inter & Mutinam est, equitib. dilapsis, peditib. uerò magna ex parte cæsis eos fuderūt: Ciamontio autem, anteq̃ Hispani equites, quorū aduentum ut urgeret Pontifex priuilegij monumentum apud Cardinalem Rheginum deposuerat, aduenirent: & antequam Venetæ copię quæ nōnullis aggeribus contra Alfōnsi tormenta erectis, mox pontem à se iactū iri sperabant, eis coniungerentur, cum hostibus prælio decernere consultum uidebatur: quapropter Mutinam propius accessit: ubi diu utrinq; à leuis armaturæ equitibus leuioribus commissis prælijs, pontificij cum se impares agnoscerēt, nunquā omnes copias producere uoluerūt. hac spe amissa, id ad quod multi & præcipuè Bentiuo

li uarijs promissis eū impellebāt, exequi decreuit: uide-
 licet nō esse tempus circa res paruas, quarū difficultas
 utilitate lōgè maior esset, inutiliter terendū: uerū belli
 sedē & præcipuū caput, ex quo tot molestiæ periculaq;
 manarēt improuisò adoricandum: huic rei oportunitate
 præberi occasionem, quòd Bononiæ pauci essēt milites
 externi, in populo multi Bentiuolorū clientes, aliorum
 pleriq; potius ad rerum exitū præstolandū, quàm ad ar-
 ma capienda, quibus pericula subirēt, aut nouas cōtra-
 herent simultates, propensi: si nunc periculum nō face-
 ret, presenti occasione amissa, uanum omnē laborē fo-
 re: ubi enim Veneti aut Hispani qui expectabātur uenif-
 sent, etiamsi ualidissimo exercitu iretur, nō posse id spe-
 rari, quod nunc multo minoribus uiribus consequi esset
 facillimum. Igitur omnibus copijs simul collectis, Benti-
 uolis aliquot equitibus & militibus mille proprio ære
 conscriptis cum sequentibus, itinere inter montē & re-
 giam uiam directo, Spilimbertū, Rangoniorum comitū
 castellum, inuasit: in quo erāt quadringenti milites à pō-
 tifice missi: quod ubi aliquot tormētorum ictibus uerbe-
 rassent, eodem die pactione obtinuerunt: & sequēti die
 Castellofranco deditioe accepto, ad Crespolanum ca-
 stellū, quod Bononia decem miliaribus abest, eo animo
 castra posuit, ut proxima luce ante eius urbis portas se
 ostenderet: in qua tum eius aduentu, tum q; Bentiuolos
 cum eo essent cognouissēt, omnia consternatione, tumul-
 tu, ac factionibus inter nobiles & populum illis formi-
 dantibus, his uerò Bentiuolorū reditū cupientibus, sunt
 repleta. Sed maior perturbatio, multoq; grauior metus
 Antistitum & curiæ, qui nō bellicis discriminibus, uerū
 ocio ac Romanis delicijs erant assueti, animos corripie-

bat: accurrebāt purpurati mœstissimi ad Pontificē, querentes quòd seipse sacram sedē, & ipsos in tantum adduxisset periculum, uehemēter rogantes, ut aut ea cōpararet quæ ad iustam defensionem idonea uiderētur, quod in tanta temporis breuitate fieri nō posse censebāt: aut minus grauibus conditionibus cū hostibus quos nō alienos fore existimabant tentaret: aut unā cum ipsis Bononia migraret: si deniq; proprio periculo nō moueretur cogitaret quantū sacratissimæ sedis totiusq; Christ. religionis interesset, si in eius personam aliquid durius caderet: idem omnes familiares ministri ac serui eius supplices orabant: ipse solus in tanto tumultu omniumq; rerum cōfusione, de populi fide incertus, & Venetorū tarditatem egreserens, adeo pertinaciter has molestias perseue-
 rebat, ut ne ægritudo quidē qua corpus cōfliktabatur, animi fortitudinem posset flectere: ab initio M. Antonii Columnam cum parte militum qui Mutinæ erant accersuerat: & Hieronymo Donato Venetorum legato ad se uocato, uehemētissimis clamoribus, quòd toties promissorum auxiliorum tarditate, se, ditionemq; suam in tantum coniecissent discrimen, exostulauerat, non solum erga se, qui præcipuē ut eos conseruaret bellū susceperat, & grauiissimis sumptibus ac periculis, Imperij & Gall. regis in se odio prouocato, ipsorum libertatis ad eum usq; diem conseruatæ caussa fuisset, detestandā animi ingrati significationem ostendissent: uerum etiam in seipsos incredibili imprudentia extitissent: se enim uel uictō, uel aliqua pactione cedere cōacto, qua spe salutis quo loco esset futura ea resp. ad extremum ardentissimis uerbis nisi per totū insequentē diē eorum copiæ auxiliāres, quæ pōtis ponēdi difficultate, Pado uarijs nauibus

bus alijsq; machinis traiecto ad Stellatã erant, Bononi ingrederentur, concordiam cum Gallis iniciturum contestatus: conuocauit etiam Senatum & tribunos Bononienses, eosq; graui oratione hortatus est, ut præteritæ tyrannidis memores, quamq; perniciosiores reuersuri essent tyranni semel exacti, uellent pontificium imperium conseruare, in quo tantam comperissent benignitatem: & ut eos promptiores redderet, præter iam concessas immunitates, mediam partem uectigalium, quæ ex importatis rebus ad humanum uicium spectantibus eliciuntur, in posterum maiora pollicitus remisit: ijdem publico edicto promulgatis, quo etiam populum ad arma pro imperij pontificij defensione capienda hortabatur: sed sine fructu: nemo enim mouebatur: nemo in eius gratiam signum aliquod ostendebat: idcirco cum tandem ad quantum discrimen esset redactus animaduertisset, tot hominum importunitate & querelis expugnatus, præterea Cæsaris, Catholici, Angliæq; regis oratoribus urgentibus, Cardinalium precibus assensus est, ut ad Ciamontium mitterentur nuntij, qui ut Ioanni Francisco Pico Mirandulano Comiti, Pontificis nomine tuò ad se ueniendi facultatem concederet, postularent: & paucis horis ipsemet unum ex suis cubicularijs, ut Albertum Carpenssem quem tunc abesse ignorabat, ad se uenire iuberet, postulatam misit: eodemq; tempore, ut quouis euentu, pontificatus res magis preciosæ seruariantur, Laurentium Puccium, suum à libellis magistrum, cum Regno (sic enim eximiam illam pontificis Thyram appellant) quod nobilissimis gemmis erat refertum, Florentiam, ut in celeberrimo uelatarum foeminarum septo custodiretur transmisit. His de causis

Ciamontius speravit pontificem ad concordiam etiam ipse, quod talem esse Regis animum sciret, magnopere exoptabat, inclinare: quam propensionem ne perturbaret, postero die exercitum in iisdem castris continuit, quamuis permiserit ut Bentiuoli magno amicorum & clientum equitum comitatu, centum et quinquaginta Gallis cataphractis longius sequentibus, usque ad Bononiæ mœnia excurrerent: quorum aduentu, etsi Hermes natu minor, sed ferocitate fratribus maior, ad Portæ latus se ostenderet, nullus in urbe est motus excitatus. Ioannem Franciscum Mirandulanum Ciamontius benigne audiuit: eodemque die ad capita quibus conuenturus esset significanda, Bononiam remisit: ut Pontifex Alfonso Estensem, & eos omnes qui quavis de causa in eo defendendo uel pontificia ditione inuadenda operam suam nauassent, censuris solueret: Bontiuolos quoque censuris poenisque eximeret, bonaque quæ ad eos spectare liquebat, restitueret: reliqua quæ ante exiliū possedissent iuris disceptatione permitterentur: eisque ubicunque uideretur, modo ne intra octuagesimum à Bononia milliare habitare liceret: in rebus Venetorum nihil eorum quæ cameracensi fœdere essent constituta immutaretur: inter Pontificem & Alfonso sex mensium ut minimum induciæ fierent: interea uterque occupata retineret: induciarum tempore eorum dissidia à iudicibus utriusque consensu delectis dijudicarentur: Mutinensium rerum cogniione Cæsari reseruata, ea ciuitas statim in eius manum deponeretur: Cotiniola christianissimo regi restitueretur: Cardinalem Auscensem liberaret: absentibus Cardinalibus ignosceret: & beneficiorum totius Gallici dominitus collationes in eos fierent, quos rex ipse nominasset:

minasset: cum quo responso, sed tamen non sine spe, Ciamontium non usq; adeò seuerè omnibus his permansurum, reuersum Mirandulanum Pontifex præter suam consuetudinem patienter referentem, & simul Cardinalium qui incredibili ardore, ut si melius non posset, huiuscemodi pactionem admitteret, supplices orabant, preces audiebat: at ex alia parte res sibi nimis ab æquitate alienas proponi questus, & singulis uerbis grauissimis ob Venetos querelis interpositis, dum se dubium fingit, nec quid consilij caperet, aperit, diem extrahi uolebat: eius spem erexit Cappinus Vitellius cum sexcentis leuis armaturæ equitibus Venetorum, unaq; Turcarum ala, qui eorum merebant stipendia, ad extremum diei Bononiam ingressus, qui noctu à Stellata profectus, ob summam festinationem sibi à Veneto profecto impositam, totum iter cursu confecerat. Sequentis diei matutino tempore, Ciamontius cum toto exercitu ad Rheni pontem tribus à Bononia passuum millibus castra locauit: quò statim oratorum Romanorum regis, Aragonie, Angliæq; à secretis, ministri ad eum uenerunt: & paulo post ipsimet oratores, qui eo die, cumq; ijs Albertus Pius Carpio reuersus, sæpius ad pontificem & ab eo ad Ciamontium ultro citroq; redierunt: sed in utroque non mediocriter mutata uoluntas erat: Ciamontius enim prioris diei experientia, populi Bononiensis per Bentiuolos concitandi spe imminuta, cum iam commectus angustia, quæ indies maior futura timebatur, premeretur, de uictoria diffidebat: & Pontifex tum quia populus tandem palàm pontificijs rebus studens, eodem die arma sumpserat, tum quia expectabatur, ut ante noctis initium, præter ducentos Epirotas

Venetorum, Fabricius Columna, cum ducentis leuis armaturæ equitibus, & Hispanorum cataphractorum parte Bononiam ingrederentur, non modo se periculo liberatum perspiciebat, sed consueta animi confidentia elationeq; resumpta, quamprimum omnes Hispanicæ copię quæ propè erant peruenissent se cum hoste signa collaturū minabatur: qua spe fretus semper eò die, nullam esse concordie rationem, nisi ut rex Gallie prorsus Ferrariæ tutelam desereret, respōdit. Postero die noua capita compositionis allata sunt, quorum gratia ijdem legati ad Ciamontium redierunt: sed uarijs difficultatibus interpositis nihil est effectum: quare Ciamontius, armis, colloquijsue pacis fructus consequendi spe amissa, cum ibi morari commatu deficiente, ac hybernis tempestatibus ingruentibus difficile esset, eodem die ad Castellofrancum, & proximo Ruberiam, quasi id oratorū precibus ageret, atque ut pontifici de rebus propositis deliberandi, sibi uero regis mentem cognoscendi spaciū concederet, redijt. Hoc tēpore pleriq; Ciamontij in deliberando imprudentiam, in conficiendo tarditatem accusabant: nam quòd ad Bononiam expugnandam cum non satis uirium haberet (nam in eius exercitu nō plures erant quàm tria peditum millia) exulum cohortationibus quorum spes magis ad cupiditatis quàm rationis normam exactæ plerunq; euanescent, se commouisset, præceptum consilium fuisse, saltem, si omnino id tētare uolebat, agendi celeritate uirium imbecillitatem compensare debuisset: contrà uerò ipsum fecisse, ac tarditate oportunitatē corrupisse: nam quòd post Pischerianam moram, dum sui exercitus imbecillitate cōsiderata, per se ne experiri, an Ferrariensis copias & Castellionæum

cum

cum Galis equitibus expectet, tribus quatuorue diebus absumptis suspensus hæret, hoc fortè defendi posse: qua autem ratione, quòd Castellofranco occupato, nò statim ad Bononiæ portus copias admouerit, quodq; ciuitati, in qua nullum dum esset impositum præsidium, populus anceps, & ut in rebus repentinis accidit, cõsternatio terrorq; ingens, unicum, si modò aliquod erat uel uictoriæ uel honestæ pactionis consequendæ instrumentum, respirandi spaciũ dedisset, excusari possit? at eorum qui res infeliciter gestas reprehendunt autoritas, fortasse minor sæpius esset, si eodem tẽpore, quid, si secus actum fuisset, cuenturum erat, sciri possit. Pontifex post Ciamontij discessum, supra modum in regem incensus, eum iniuste & contra factorum ueritatem, Christianissimi honore & nomine abusum, scedereq; quod solenni ritu Cameraci ictum fuerat contempto, Italiæ occupandæ ambitione, ac scelerata Põtificis Romani sanguinis siti impulsus, exercitum qui ipsum cum uniuersò Cardinalium collegio, cumq; omnibus Antistitibus Bononiæ obfideret misisse, apud omnes principes questus est: ac multo maiori animo ad belli consilia reuersus, legatis qui colloquia cum Ciamontio incepta sequuti, de concordia cum eo agebant, se antequam ei Ferraria dederetur, aliquid amplius auditurum negauit: & quãuis laboribus in tam graui casu corpore animoq; perpeffis, cuius morbus magnopere creuisset, denuò milites conscribere, ac Venetos, qui tandem inter Ficariolum & Stellatã pontem iecerant, ut Mantuano duce copiarum suarum partem Mutinam, quæ suis coniungeretur mitterent, reliquis Ferreriæ res infestarent, urgere cœpit: se paucissimis diebus Regio, Ruberia ac Ferraria potiturum

asseuerans. Venetorum copiæ periculo, in quod si (ut uerendum uidebatur) Pontificis obitus contigisset, incidissent admonitæ, fluminis transitum distulerunt: sed tandem eius uoluntati cedere coacti, reliquis copijs in transpadanis relictis, quingentos grauis, mille & sexcentos leuis armaturæ equites & peditum quinque millia Mutinam uersus progredi iusserunt, sed sine Mantuano: qui cum Sermidi ad equites ac pedites conscribendos ut postea, quemadmodum aiebat (etsi eius tarditas iam Venetis esset suspecta) ad exercitum proficisceretur hæssisset, ad Sanfelicem Mutinensis agri castellum uenit: ubi Gallos qui Veronæ erant, in Mantuanos fines prædati iuisse certior factus, sui regni defendendi necessitate adducta, cum pontificis uenia, sed grauitè Venetos accusans, Mantuam redijt: nam etsi citò se rediturum promiserat, de eius fide dubitantes, Ciamontium, quemadmodum per totam Italiam existimatum quoq; fuit, ut ei occasione ne ad exercitum proficisceretur præberet, ex eius uoluntate Gallos milites in agrum Mantuanum excurrere iussisse, credebant: quam suspicionem eius literæ, quibus suum reditum graui ægritudine impeditum excusabat, Mantua ad pontificem scriptæ auxerunt. Pontificis, ac Venetorum copijs & Hispanis equitibus, circa Mutinam coniunctis, nemini dubium est, quin si statim castra mouissent, Ciamontium, qui cum ex agro Bononiensi recessit, ut sumptus minueret, Italos milites dimiserat, Regij ciuitatē arce retenta, deserturum fuisse: sed cum lentius eos progredi cerneret audacior factus, denuò tantum Saxuli, Ruberiæ, Regij, ac Parmæ custodiendæ consilio, peditatum comparare cœpit. Dum uerò ille exercitus circa Mutinam incertus ulteriusne progre

progredi, an Ferrariam uersus ire deberet, immoratur, & nonnullæ pontificiæ equitum alæ à Gallis Regium uersus excurrentes fuisse, centum equites amissere, & Matelicæ comes captus fuit. Quo tempore Ferrariensi & Castellionæ cum Gallicis copijs ad Eridanum flumen, inter Hospitaletum & Bondinum è regione Venetarum copiarum, quæ ultra Eridanum erant castrametatis, eorum classis cum tempestatis acerbitate, quodq; Venetijs res necessariae non suppeditarentur, recedere uellet, à multis Ferrariensium nauigijs, quorum tormentis octo naues depressæ fuerunt petita, difficulter ad Castellonouum padanum, ad fossam quæ in Tanarum Athesimq; pertingit se recepit: moxq; dilapsa est. Iussit deinde Pontifex, ut exercitus cui Martuano absente Fabricius Columna præerat, Urbinatium duce ad Mutinæ præsidium relicto rectè Ferrariam contenderet: duobusq;, qui uno ore id consilium damnabant, penè certam spem populum tumultuaturum faciebat: at eodem die quo eius iussu iter aggressi sunt, omnibus quid eum relictis primis consilijs ad tantam repentinam mutationem induxisset ignorantibus, redierunt: & ad Saxuli oppidum, quò Ciamontius quingentos pedites Aquitanos miserat, castra posuerunt: quod ubi maxima cum pontificis lætitia qui ex eodè cubiculo, unde ante paucos dies ingenti sua molestia hostilium circa Spilimbertum tormentorum tonitrua senserat, suorū aduersus Saxolum bombos audiret, biduum tormentis quassassent, expugnationem aggressi sunt: quæ paruo negotio feliciter successit: milites enim qui intus erant consternati se in arcem receperunt: sed cum tormentis repente ad eā admotis uerberari esset cœpta,

confestim sine ulla pactione deditioem fecerunt: eadem infamia infelicitateq; Ioannis Casalensis eorum ducis, quam tum senserat, quum Foroliuianam arcem Valentinus occupauit, homo obscurissimo quidem genere natus, sed quoniam in ætatis flore Ludouico Sfortiæ gratus fuerat, ad aliquem dignitatis gradum peruenerat. Saxulo expugnato, exercitus Formiginem cepit: cum uero Pontifex uellet ut ad Monteccium munitum magniq; ad res gerendas momenti oppidum, inter uiam regiam ac montem, in Parmensium & Regiensium finibus, uerum in Parmensi ditione positum, quod Ferrarientis possidebat capiendum irent, Fabricius Columna, quod à rege suo ne imperij oppidis esset molestus sibi iniunctum esse diceret, recusauit. His incommodis non prospiciebat Ciamontius, qui Aubignino cum quingentis cataphractis, duobusq; duce Molardo Vasconum peditem millibus, Regij relictis, Parmæ nouis à rege, ut sumptibus parceret, acceptis mandatis hærebat: rex etenim in eadem usq; in uernum tēpus cunctandi sententia obfirmatus, in rebus cisalpinis tunc nihil moliebatur: quare cum eius in Italia autoritas inclinaret, & hostium animi ex eo augerentur, Pontifex suas copias non ulterius progredi ægrè ferēs, nec quas temporis aliarumq; difficultatum excusationes sui duces asserabant admitteus, omnibus Bononiam conuocatis, ut ad Feurariam castra ponerentur imperauit: solis Venetorum legatis, siue ne contradicēdo irritarent, siue ut ipsorum milites magis suis finibus appropinquarent, eius sententiam probantibus, ceteris uerò omnibus, sed frustra (nō enim deliberabat, sed imperabat) improbantibus: fuit constitutum, ut copię ad Ferrariam ducerentur, hoc tamen

addo,

addito, ut quo Gallis Ferrariæ iuuandæ facultas adimeretur, nisi nimium difficilis appareret, Mirandulæ expugnatio tentaretur: quæ unâ cum Concordia, Ludouici Pici comitis filiorum, & Franciscæ eorū matris quæ filiorum tutelam gerebat dominatu, in Gallorum regis clientela, matre Io. Iacobi Triultij, cuius erat extra cōiugium filia autoritatem sequuta, cuius etiā opera paruuli filij à Cæsare priuilegium obtinuerant conseruabatur: eos Pontifex, ut quadam breui epistola constabat, multo antè in suam clientelam receperat: uerū præsentium temporum statu se, ut ne ea oppidâ ab ijs qui sibi essent suspecti tenerentur procuraret, cogi excusabat: quòd si ultrò sibi sponte concederentur, se quamprimum Ferraria potitus esset, restitutum promittebat: fuit iam tum suspicio, quæ post etiam multo magis creuit, Cardinalem papientem iam tum clandestinò cum rege Galliæ sentientē, huius sententiæ, ut Mirandulano negotio ferrariensem obsidionem auerteret, artificiosum autorem fuisse: nam eo tempore Ferraria nec mœnibus nec præsidio erat satis munita, & milites Galli corporis atq; animi, laboribus fessi, dux impotens, rex autem à maioribus sumptibus alienus. Dum uerò Pontifex tanto ardore rebus gerendis incumbit, Galliæ rex magis consilij quam armis deditus, cum Gærcensi episcopo cœpta pertractabat, quæ ab initio admodum uisa facilia, Cæsaris in respondendo tarditate longius sunt producta: & quoniam de Aragoniæ rege, qui præter cetera recenter per causam Turcicæ classis circa Hydruntum uisæ, milites suos qui Veronæ erant in regnum neapolitanum reuocauerat ambigebant, Cæsar & Galliæ rex eius mentem tam de cameracensi fœdere conseruando, quam in ijs,

quæ cum Pontifice si in Venetorum amicitia, & in cupiditate persisteret, ut omnino Ferrariam Ecclesiæ Romanæ uellet subijcere, essent agenda, explorandam censuerunt: quibus aliquot dierum interuallo respōdit rex Catholicus, simulq; eadem occasione multa sibi à Cesare Gallicq; rege obiecta crimina diluit: trecentos cataphractos quos tantum ad pontificium imperium tuendum, eaq; quæ in antiquo eius iure essent recipienda, regi neapolitani iure debebat, Pontifici concessisse: copias & si tempus in quod Cesari eas promiserat esset elapsum, tamen nisi Turcarum incidisset metus Verona non fuisse reuocaturum: suum oratorem cum ceteris oratoribus Bononiæ apud Ciamentium, nō ut pontificijs auxilijs tempus daret, sed ut tantum incendium à Christiana rep. amoueret: cum præsertim bellum cum pontificatu regi molestissimum esse sciret, de pace egisse: semper se in eadem cameracensis fœderis seruandi sententia permansisse, & in posterum multo magis permansurum, Cesare quingentis cataphractis, ac duobus peditū millibus contra Venetos iuuando, sibi quidē tum quòd nullam uideret idoneam causam, tum etiam quòd suæ libertatis ad bellum Africanum contra religionis hostes gerendum conseruandæ cupidus, Christianæ reip. quæ quiete indigeret, pericula & calamitates augere nollet in noua fœdera coire, uel nouis pactionib. astringi suæ mentis non esse: sibi concilium & Ecclesiæ emendationem, si modò uniuersalis esset, & tempora non repugnarent, placere: huius uerò suæ uoluntatis ex ijs quæ Saonæ simul collocuti erant, nullum esse Gallicæ rege testē locupletiorē: tempora uerò admodum esse aduersa: pacem enim & concordiam inter Christianos fundamentum

mentum esse conciliorum: quod sine animorum cōiunctione, nihil ad communem utilitatē decerni posset: nec uerò concilium tali ratione ac tempore, ut magis odio, atq; ultionis causa, quàm uel diuini honoris, uel salutæ reip. christianæ status amore indictum uideatur incipere, laude dignum esse: præterea separatim cesarianis oratoribus dicebat, sibi ad ea oppida quæ post præcio Galliæ regi concessurus esset, (expressè Verona denotata) tuenda ei auxilium ferre, graue uideri. Igitur hoc responso Catholici regis cognita uoluntate, hinc Cæsaris nomine Gurgensis, illinc uerò Galliæ rex (Pontifici si unâ in foedus coire uellet duobus mensibus, Catholico uerò & Ungariæ regibus quatuor ad deliberandū concessis) statim nouum foedus percusserunt: Rex centū ducatorum millia (fundamentum ijs quæ cum Cæsare agerentur necessarium) partim præsentī pecunia adnumerata, partim certis temporibus numerāda promisit. Cæsar autem incunte Vere se cum tribus equitum, & decē peditum millibus, contra Venetos in Italiam transiturū eiq; tunc rex proprijs sumptibus mille & ducentos cataphractos cum octo peditum millibus, iustoq; tormentorum apparatu: mari uerò duas triremes, & nothas, id est naues longas maiores quatuor, mittere teneretur: cæteracense foedus tuerentur, ac Pontificem cum rege catholico communi nomine ad idem hortarentur: quod si Pontificem Ferrariensis res impediret, rex ei quod iuri consentaneum uideretur, in eo acquiesceret: quod si Pontifex eorum postulata reijceret, concilium pergeret: cuius rei gratia Cæsar, quemadmodum Galliæ rex in suo regno fecisset, Germaniæ Antistites, ut ulterius, prout deinde eis uideretur, progredi possent, conuocaret. His

promulgatis, Gurcensis magno honore maximisq; muneribus acceptis, ad suum principem redijt: inter regē autem & quinq; Cardinales qui concilium procurabāt ut nec ipse sine eorum, nec illi sine ipsius consensu, pontifici conciliarentur, recenter conuenerat. se uerò tanta potentia in Italiam transeundi cupiditate accēsum uerbis ostendens, ut res suas in longum tempus in tuto esset collocaturus: quæ ne ante eius aduentum maiorem paterentur diminutionē, Ciamontio ne Ferrariensem desereret imperauit: qui ducentis cataphractis, quib. præerat Castilion. eus octingentos Germanos pedites adiunxit. At pontificius exercitus necessarijs rebus lentè comparatis, M. Antonio Columna, cum centum grauis, quadringentis leuis armaturæ equitibus, & peditum duob. millibus ac quingentis, ad Mutinæ præsidium relicto, ad Concordiam castra posuit: qua eadem die quo tormēta fuerunt disposita, ni capta, mox arce deditioe occupata, Mirandulam accessit. Iam Decembris mensis finis instabat, & sorte fortuna acciderat, ut hyems eo anno solito asperior esset: quare cum & oppidum esset munitū, nec Gallos adeo oportuni loci iacturam passuros crederetur, belli duces summopere se eo posse potiri diffidebant: & tamen Pontifex tantam de totius belli uictoria spem conceperat, ut cum propter dissidium quod inter Urbinatem & Papiensem erat, nouum legatum cardinalem Senogalliesem ad exercitum mitteret, corā multis ei mandaret, ut cum exercitus Ferrariam ingrederetur, inprimis eam ciuitatem quoad fieri posset conseruari curaret. Die quarta post castra ad Mirandulā posita, tormentis eam petere cœperunt: uerū multa aduersa & incommoda tempestatis ac cōmeatus, qui par-

cē ex

æ ex mutinensi agro ad castra conuehebatur, patiebatur: nam cum Vastallæ quinquaginta cataphracti Gallicæ essent impositi, totidem Corregij, Carpij ducenti & quinquaginta, pontibus omnibus disiectis, itineribusq; quibus ex Mantuano conuehi poterat occupatis, aliunde comportandi facultatem prorsus adimebant: sed citò ea angustia aliquantū est subleuata: nam qui Carpij erāt hostiles copias ad se inuadendos aduentare falso rumore persuasi, quòd tormenta non haberent perterriti discesserunt. Sed huius anni exitum Pontifex, quasi ut per Mediceum Cardinalem, cum M. Antonio Columna, & nonnullis Florentinis adolescentibus de Petri Soderini Florentinorum Vexilliferi, cuius opera Florentinos gallicam factionem sequi scirebatur, cæde ageretur cõsciis & factor fuisset, aliqua infamia notatus fuit: nam cum Pontifex reuultis modis eam sibi remp. coniungere tentasset, omnis opera irrita fuerat, imò multo antè in Gallicæ regis gratiam maxima Pontificis molestia Senensibus inducias remisserat: quãuis ante sextū post recusatas inducias mensem, ut rex ad terrorem populo incuticndū optabat, arma mouere recusassent: præterea ducentos grauis armaturæ equites qui ad Mediolanensis imperij custodiam manerēt, sic à rege fœderis iure nō tam auxiliij momento, quàm ut eos à Pontifice alienaret cupiditate postulatos, ad regem miserat. In hoc rerū statu annus supra millesimum quingentesimū, decimus exactus est. Sed noui anni auspicia, res cunctis seculis inexpectata inauditaq; summo opere notauit, ac memoriæ commẽdauit: cum enim Mirandulæ oppugnatio lentius procedere Pontifici uideretur, idq; ducum, ac præsertim nepotis, partim imperitiæ, partim perfidiæ tribueret,

1511.

quod potius ex multis impedimentis oriebatur, impetus ardoreq; animi omnibus rationib. anteposito, sua presentia rem accelerare constituit: nec quam tantæ maiestatis sublimitate ipsummet Rom. Pontificem in castra contra Christianorum oppida proficisci esset indignum & periculosum, fama ac mortalium omnium de se iudicio contempto, ijs qui præcipuè eius administrationem ecclesiæ perniciosam, erroresq; omnibus offensionib., ac tales qui nulla ratione corrigi possent esse asserentibus, concilium cogere, ac principes in eum concitare studebant, conspicuum colorè, & penè iustam causam præbere, ulla cogitatio eum continebat. His uerbis tota curia personabat: omnes mirabantur: nemo erat qui non uehementer improbaret, nec minus alijs Venetorum legati: Cardinales supplices ne iret uehementer instabant sed uanæ erant omnium preces, uanæ suasiones. Secunda Ianuarij, tribus comitatus cardinalibus Bononia profectus, in castra peruenit: in rustici cuiusdam paruulæ casam, hostilium tormentorū fulminibus expositam, quod à Mirandulæ mœnibus nō ultra geminum iaculi iactum distaret, diuertit: hic cum nō minus corpus quam mentem & imperiū defatigaret exerceretq;, huc atq; illuc semper castris obequitando ut tormenta uniuersa aptè collocarentur, quorum minima pars ad eam usq; diem erat posita: propterea quod omnia militaria munia, acerbissimis tempestatibus, ac penè perpetuis niuib. fuerant impedita: & quia operæ, cum præter tempestatū acerbicatem, oppidanorum tormentis uehementer læderentur, nulla diligentia à fuga contineri poterant, urgebat: ideo cum ad eorum qui circa ea uersabantur securitatem, in ijs locis quibus tormenta collocanda erant,

nouos aggeres facere, aliasq; operas comparare esset
 uel necesse, Pontifex dum hæc cōparantur, ut tantisper ca-
 strēnsia incommoda uitaret, ad Concordiam se contulit
 quò Ciamontij iussu, Albertus Pius uarijs allatis pacis
 rationibus ad eum uenit: quæ etsi sæpius utrumq; conue-
 nerit, siue Pontificis consueta pertinacia, siue quòd Al-
 bertus, cuius semper augebantur suspiciones haud sin-
 cera fide ageret, frustra fuerunt tentata. Eadem impatiē-
 tia, eodemq; ardore ad castra eum impellente paucos
 dies Concordiæ moratus est: quem nec ingentes in itine-
 re niues quæ continenter de cælo ruebant, nec acerbissi-
 ma frigora, quæ uix milites ipsi ferre possent, uel mini-
 mum refrigerabant: qui in sacello quodam suis tormen-
 tis proximo, mœnibusq; priori casa propinquiore ta-
 bernaculum fixit, nulloq; eorum quæ facta erāt, quæq;
 administrabantur contentus, uehemētissimis uerbis om-
 nes duces, præter M. Antonium Columnam denuo Mu-
 tina accersitum, accusabat: nec minore impetu per ca-
 stra alios increpando, alios hortando, & re ac uerbis
 ducis munus obeundo discurrerat: etiā militibus si stre-
 nuam operam nauarent, se nulla pacto Mirādulam
 recepturum, sed eis diripiendam concessurum promit-
 tebat: erat autem notatu dignū, hominumq; oculis ad-
 modum nouum, Galliæ regem profanum principem,
 ætate satis florentem, tuncq; bene ualentem, ab incunte
 ætate in armis educatum, eo tempore domi quiescere,
 bellum quod præcipuè in se gereretur, per duces admi-
 nistrare: summum uerò Pontificem, Christi in terris ui-
 ces gerentem, senem atq; egrotum, in delicijs uolupta-
 tibusq; nutritū, ipsummet in bello à se ipso contra Chri-
 stianos excitato, atque adeo in ipsis castris ad ignobilis

oppidi obsidionem stare: ubi uelut copiarum imperator, laboribus periculisq; aditis, nihil præter ornatum nomenq; pontificis retineret. Rex summa ipsius uigilantia, querelis, promissis, minisq; celerius quam alioqui fecissent administrabantur: & nihilominus multis difficultatibus contra pugnantibus, segnius omnia procedebant. Operarum, tormentorumq; in castris paucitas erat, ne Venetorum quidem tormēta satis erant magnas: his accedebāt tempestatis humidioris incommoda, qua fiebat, ut tormentarius puluis uim consuetam minimè ostenderet. Oppidani quibus Alexander Triultius cum quadringentis externis peditibus præerat, strenuè propugnabant: & spe auxilij à Ciamontio promissi, maiori uirtute pericula sustinebant: is ne illud oppidum Pontifici occupandum relinqueret, Regio accepto mādato, Hispanis peditibus qui Veronæ erant accersitis, & suis copijs undiq; collectis, pedites alios quotidie conscribebat: idemq; Ferrariensi faciendum mandabat, seq; ante uigesimum Ianuarij diem hostilia castra inuasurū promittebat. Verum multa erant quæ hoc consilium difficile periculosumq; reddebant: temporis ad tot res comparandas breuitas: castra muniendi spacium hostibus concessum: tormentorum cum reliquo apparatu comœtatuq; tempestate tam rigenti, difficillimis itineribus, & niuibus maioribus quam à multis annis fuissent, conueniendi difficultas: is autem qui temporis iactura gerendi uelocitate compensata, hæc impedimenta leuiora reddere debebat, auxit: Ciamontius enim quod rem numariam, aliq; necessaria comparare diligentius se uelle diceret, cum tamen nobilis foemina amore eò allectus palam ferretur credereturq;e, repente mutatis equis,

Mediolanum contendit. Eius profectio, etsi citò redierit, magnopere militum suorum animos, & eorum qui Mirandulam tuebantur spes deiecit: quare multi, non minus fortè quàm negligentiam aut ignaviam Ciamontij, ipsius in Ioannem Iacobum Triultium odium obesse apertè dicebant: ideoq; proprijs studijs, ut sæpenumero fit, regie utilitati antepositis, gratum ei fore, si eius nepotes eo loco pellerentur. At Pontifex ut uictoriã consequeretur nulli rei parcebat, eò etiam maiore incensus furore, quòd in eius culina duo uiri tormenti pila ex oppido emissa percussi interierant: quo periculo cum inde migrasset, quia sibi ipse temperare nõ poterat, postero die reuersus, nouis periculis, in cardinalis Regini tentorium diuertere fuit coactus: quò oppidani fortè eius cognita presentia, non sine eius uitæ discrimine magnũ tormentum direxerunt. Tandem omnis auxilij penitus amissa spe, & tormentis magnum detrimentum inferentibus, fossarum præterea aquis tanto gelu concretis, ut glacies milites sustineret, primum impetũ qui intra biduum parabatur, ne possent sustinere ueriti, eodem die quo se Ciamontius ueturum promiserat, legatos de deditioe ad Pontificem miserunt, ea lege, ut homines & fortunæ seruarentur: qui quamuis initio militum uitæ se nolle parcere responderet, tamen ad extremum suorum omnium precibus uictus, propositis conditionibus eos recepit: eo excepto, quòd Alexandrum Triultium cum nonnullis peditum ducibus, sibi captiuos dedi uoluit: & ciues certa pecunia numerata se à direptione militibus promissa, redimerent: nihilominus cum quòd promissum fuerat deberi sibi existimarent, non parum Pontifici ne diriperetur laborandũ fuit: qui supra mæ-

nia uectus (portæ enim terra obstructæ erant) inde in oppidum descendit. Arx quoq; Dominæ cum tota sua supellectile discedendi data facultate, deditioem fecit. Mirandulâ Pontifex Ioanni Frâncisco restituit: in eumq; filiorum Ludouici iura, uelut iusto bello parta transtulit, ea tamen lege, ut intra certum tempus aureorum nummum uiginti millia sumptuum factorum nomine pontifici persolueret, atq; ea de re filium obsidem daret: ne autem eam educto exercitu Galli occuparent, quingentos Hispanos, & trecentos Italos pedites imposuit. Mirandula, Sermidum in agro Mantuano ad Padî ripam positum castellum, maxima Ferrariæ statim occupandæ spe profectus est: quare eadem die qua Mirandula positus est, se, nisi ante quâ reliqua capita pacis proponerentur, sibi Ferraria dederetur, nullum de pace sermonem auditurum admodû explicatè Alberto Pio responderat. At nouis Gallorum consilijs, eius quoq; sunt mutata consilia. Rex etenim cum quantum Mirandula amissa, rerum suarum esset autoritas imminuta animaduertisset, Pontificis uerò animum sponte ad pacata consilia conuerti posse desperaret, Ciamontio mandauit ut non modò in Ferrariæ defensionem incumberet, uerû etiam si commoda occasio daretur, ab pontificio imperio infestando minimè abstineret: quocirca cum Ciamontius undiq; copias compararet, Pontifex ducum cõsilio Bononiam se recepit: ubi paucos dies commoratus, siue timore, siue quemadmodum aiebat, ut ex loco propinquiore Bastiæ Genioli oppugnationē, ad quam aliquot milites quos in Aemilia habebat mittere cogitabat, urgeret, Lucum uenit: ac tandem, fortè quòd tam paruum negocium sua præsentia dignum non existimaret, Ra-

uenam profectus est. Venetorum copia, cum hostium propinquitate Ferrariam inuadere prohiberentur, ad Bondinum constiterant: Pontificia uero atq; Hispanorum, etsi trimestre spacium esset elapsum, Pötificis precibus inter Centum & Finale super sedebant. Ciamotius autem, exercitu hostibus peditum numero atq; equitum uirtute superiore, sed multitudine equitum inferiore comparato, de belli gerendi ratione deliberabat. Galli duces ut Ferrariensis copijs, suis coniunctis hostes adorirentur suadebant: qui etsi locis munitis castra haberent, armorum uirtute, & tormetorum fulminibus eos facile ad retrocedendum compelli posse sperandum esse dicebant: quo successu non modo Ferraria omni periculo liberabatur, sed existimatio quoq; ad eum usq; diem amissa penitus recuperabatur: ad eandem etiam sententiam dum per Mantuanum agrum exercitum duceret, marchionis excusationes impedimentaq; , quibus quominus tanquam Cæsaris beneficiarius ac regis miles arma cepisset detentum se affirmabat, remoueri posse diserebant: eiusq; nomē ad Ferrariæ securitatem magnopere conducere, hostibus uero in hoc bello plurimum obesse, propterea quod inde Venetorum exercitus non exiguis commeatus, pontium, ac locorum ad traijcienda flumina oportunitatibus priuaretur: & Marchio statim milites quos in Pontificio exercitu habebat reuocaret. Sed contra Triultius, qui iisdem diebus quibus Mirandula capta fuit ex Gallia redierat, hostilem exercitum intra castrorum suorum opera munitionesq; inuadere periculosum esse ostendebat: ex hostiū uero progressu, suos quotidie progressus instituire perniciosum: Mutinam uel Bononiam uersus se conuertere, utilius tu-

tiusq; fore: nam, si cuius earum amittendæ timore ho-
 stes mouerentur, se Ferrariæ à belli iniuria liberandæ
 optatum finem assequuturos: si manerent, faciliè alter-
 utram occupari posse: quò factò, maior necessitas eos ad
 propria tuenda pertraheret: quòd si è suis muritissimis
 castris exirent, rei bene gerendæ occasionem fortè quã-
 piam datum iri. Hæc erat Triultij sententia, tamen Cia-
 montij ceterorumq; Gallorum in eius autoritate mi-
 nucnda propensione, factum est, ut aliud consilium Al-
 fonso præsertim Estense in id summopere elaborante
 fuerit receptum: sperabat enim fore ut hostes cogeren-
 tur ex suis finibus discedere, quos afflictos & exhaustos
 tam graue onus ulterius sustinere ullo modo posse ne-
 gabat: nam si Galli longius concessissent, ne hostiles co-
 piæ Ferrariensem Polinesum ingrederentur metuebat:
 sicq; eius ciuitatis ægritudo omni reliquo spiritu adem-
 pto, insanabiliter aueretur. Itaq; Lucerano Gonza-
 gianoq; itinere, copiæ ad Razzolum & Moiam castra
 posuerunt: ubi tempestatis acerbitate, quia in agris nulla
 ratione metari poterant, & in Pontificis discessu subur-
 bia cum omnibus uicinis ædificijs fuerant combusta, eo-
 rum qui Mirandulam inuadendam proponebant con-
 silio reiecto, triduum sunt commorati. Eadem quoq; ob-
 caussam, ne in re parui momenti tempus inaniter con-
 sumeretur, Concordiam quinque miliaribus distantem
 adoriri non placuit: ideo Quistellos uenerunt. & Sec-
 ciæ fluuio nauali ponte traiecto, proxima luce Rouere-
 tum ad Padi ripam metati sunt: quæ res in caussa fuit, ut
 Andreas Grittus, qui prius Rhodigiana Polineso rece-
 pta, & Venetarum copiarum parte, Bernardino Mon-
 tonio duce, Montanianæ ut militibus qui in Veronensi
 præsidio

præsidio erant obsisteret relicta, cum trecentis grauis et mille leuis armaturæ equitibus totidemq; peditibus Padum amnem ut se Pontificijs copijs coniungeret, accerserat, Vastallæ oppido antè direpio, Montanianam se contulerat. Rouereto profecti Galli, Sermidum contenderunt: ibiq; in uicinas uillas ordine sunt distributi: quo facto Ciamontius cum nonnullis ducibus, sed sine Triultio, ad Stellatã, quo in loco Alfonsus Estensis ut qua arte cum hostibus qui omnes ad Finale castra locarant, progrediendum esset decerneretur, eũ opperiebatur, profectus est: & ut Alfonsi copijs gallicis circa Bondinum coniunctis, omnes in quibusdam uillis tribus passuum millibus à Finali remotis castra ponerent, ut deinde ex locorum natura atq; rebus quæ ab hostibus gererentur consilium caperent decretum fuit. Ciamontio autem quãprimùm Sermidũ redijt, ad ea castra peruenire admodum difficile esse indicatum est: aquarum enim impedimento, quibus regio circa Finale est referta, nisi publica uia, & riuu aggeribus, quos hostes pluribus in locis sciderant, & ut transitum impedirent præsijs munierant, eò perueniri nimirè poterat: quòd his difficultatibus, aduersis adiunctis tempestatibus, difficillimum fore uidebatur: quare Ciamontio uehementer hæsitante, Alfonsus qui nonnullos architectos & regionis peritos homines apud se habebat, locorũ situ naturaq; ostensa, contrarium persuadere conabatur: & eos qui aditus aggerum custodirent, tormentorum ui facillè deturbari, atq; eadem opera ubi necesse esset, pontes iaci posse asserbat. Quibus à Ciamontio ad consilium relatis, & utrinq; disputatis, Triultio potius non impugnãte quàm assentiente, in Alfonsi sententiam ibatur: forte uerò eius

taciturnitas magis, quàm contraditio fecisset, homines mouit: diligentius enim perpudentibus difficultates maiores apparebant: eumq; ueteranum ducem tã longa experientia, semper talem profectionem improbasse norant: quòd si inde aliquid sinistri contigisset, à rege eum qui contra eius sententiam suassisset, reprehensum iri animaduertebant. Ciamontius altera luce, eadem de re conuocato concilio, Triultium, ne silentio quemadmodum priore die fecerat, sed perspicua oratione suam sententiam aperiret, uehementer rogauit. Is igitur cùm hac oratione, tum rei magnitudine incitatus, omnibus ad audiendum intentis, talem habuit orationem:

Ego quoniam re ipsa sæpenumero comperi consiliũ meum parui fieri, hesternæ die tacui: quod si ab initio receptum fuisset, his in locis hoc tempore non essemus: nec tot dierum, qui utilius transigi poterant, superuacaneam iacturam fecissemus, ac nisi me rei grauitas impelleret, hodie quoq; in eadem tacendi sententia persisterem: agitur enim de hoc exercitu, de Ferrariensium, Mediolanensiumq; imperio, summa nimis grandi, cum ea exposita nihil supersit, unico aleæ iactu periclitãdo: præterea quòd Ciamontium, ut ego primus eam sententiam quæ iam ei arridere incipit feram, cupere uideor animaduertere, me ad dicendum inuitat: quæ res mihi nequaquam accidit noua, quòd aliàs consilia mea, tunc quum de aliqua re fortè non satis maturè deliberata reuocanda disputatur, minus quàm quum primum res ad consilium referuntur, negligi animaduerti. Nos de prælio cum hostibus conserendo agimus: ego uerò illud maximorum Imperatorum firmamentum perpetuum semper esse, quod et ipse usu uerum esse comperi, nunquam nisi

nisi uel magna rei bene gerendæ occasio inuitet, uel necessitas cogat, pugnae fortunam esse periclitandam: & est prætera militaris disciplinae, ut hostes qui, quoniam Ferrariam sibi bello deposcunt, actores sunt, nos inuadere cogitent, non ut nos quibus uim repellere satis est, contra omnes militares leges eos inuadere conemur: Sed quæ nam occasio uel necessitas nos impellat uideamus. Mihi quidem sic se res habere uidetur, ac, ni fallor, habet, id quod Ferrariensium dux proponit, nisi ingenti nostro incommodo tentari nullo modo posse: non enim ad ea castra nisi per aggerem & angustium ac difficillimum aditum adire possumus, ubi non omnes nostras copias explicandi locus est, & ubi illi paruis uiribus longè maiorem numerum possunt repellere: per aggerem nostræ equites singuli incedant necesse erit: per aggeris angustias tormenta, impedimenta, carros, & pontes trahamus: & quis ignorat in angusta & difficili uia si quod tormentorum, si currus impingat, horam saltem unam omnes copias moraturum? nosq; tot difficultatibus implicatos quouis casu mediocriter aduerso facile posse turbari? hostis sub tectis, commeatu & pabulo abundas castra habet, nos sub dio penè omnes statiuæ habebimus & pabula nobiscum ferre necesse erit: nec nisi ingenti labore aliquam partem rerum necessariarum uehere poterimus. Non debemus quid architecti uel rustici regionis periti dicant attèdere: bella enim militum armis, & ducum consilio geruntur: in acie pugnando, non figuris quæ ab hominibus rei bellicæ imperitis in cartis notantur, uel digito, seu uirga in puluere describuntur: hostes ego non tam imbecilles fingo, nec res eorū adeo perturbatas, nec in castris capiendis ac muniendis, aqua-

rum & situs oportunitate tam parum uti nosse, ut quā-
 primum ad ea castra quæ designantur peruenerimus,
 etiamsi ut commodè eò uenerimus daretur, eos inuadere
 in nostra potestate mihi futurum pollicear: multæ diffi-
 cultates nos uel inuitos biduum aut triduum remorari
 poterant: & si non aliud, niues pluuiæ ue in tam aspera
 incertaq; tempestate retinebunt: quod si diutius hæere
 contingat, quomodo commeatum pabulumue compara-
 bimus? et si etiam eos inuadere esset in nostra potestate,
 quis est qui tam facilem sibi uictoriam ausit polliceri?
 quis non uidet quàm sit periculosum, hostem in loco mu-
 nito adoriri, eodemq; tempore cum ipso, & cum locorū
 situsq; difficultatibus pugnare? Nisi eos statim ea castra
 relinquere cogamus, nos retro cedere cogemur: atq; id
 in regione penitus inimica, & ubi quod uis periculum
 atq; offensio fieret grauissima, quantis difficultatibus
 fiet? Nec aliqua nos impelli necessitate uideo, cur omnes
 regis in Italia fortunas uno momento in tantū conijcia-
 mus discrimen: propterea quòd nos præcipuè nullam
 aliam ob causam huc uenimus, nisi ut Ferrariam tuea-
 mur, in quam si maius præsidium intro miserimus, etiam
 si totum exercitum postea dimitteremus, de ea nos esse
 sollicitos minimè opus erit. quòd si quis dicat adeò exi-
 nanitam esse, ut si hostiles copię diutius eam presserint,
 quin per se corruat fieri non posse, nonne diuersionis
 remedium in bellis ualentissimum, quo ne uno quidem
 equo in periculum coniecto, eos Ferraria recedere co-
 gemus? Ego semper suasi, ac nunc suadeo multo magis,
 ut aut Mutinam, aut Bononiam uersus lato itinere sum-
 pto, et Ferraria per hosce paucos dies benè munita (ne-
 que enim pluribus opus erit) relicta contendamus. Nūc
 mihi

mibi Mutinam petere magis placet, ad quam nos Cardinalis Estensis tantus uir, quiq; se conscios in ea habere asserit, admodum facili adeptione proposita impellit: iam tanti momenti loco occupato, hostes subito Bononiam uersus se recipere compellerentur: & quauis Mutina non caperetur, eius rerumq; Bononienisum inctus eos ad idem faciendum impellet, quemadmodum proculdubio si ab initio hanc sententiam secuti essemus, iam ante multos dies fecissent.

Omnes ex difficultatibus ante oculos positis, sapientis ducis ualidis rationibus adducti, id quod ille cum procul essent prouiderat, cognouerunt: ideo eius sententia omnibus probata, Ciamontius maiori copiarum numero Ferrariensi ad eius securitatem relicto, exercitum eodem itinere Carpium uersus duxit, cum nondum ut Martuanus animum suum aperiret, consequutus esset: quæ fuerat una ex præcipuis rationibus ab ijs adductis, quæ contra Triultij sententiam senserant: cum enim Marchio in ijs perturbationibus immunem se à studio partium conseruare cuperet, tempusq; quo declarandi spem fecerat appropinquaret, uarijs adductis causis sibi aliquot dies differre liceret, postulabat: Pontifici manifesto periculo, quod sibi à gallico exercitu ingruerat osteso: à Ciamontio autem, ne spem, qua sibi breuissimo temporis interuallo filium à Pontifice restituendum nixus erat, uellet corrumpere, flagitabat. Sed nec Mutinæ occupandæ consilium Aragonum regis astu, occultisq; consilijs magis, quam pontificijs armis impredientibus feliciter successit. Mutinam urbem longissimo tempore iuris imperij existimatam, & ab Estensi familia multos annos Cæsarum beneficio possessam, à Pontifice occu-

patam esse Cæsari moleſtum fuerat: & quamuis multis quærelis ut ſibi concederetur inſtitiffet, Pontifex qui de eius ciuitatis iure ſecus, aut ſentiebat, aut prætexebat, ab initio, præſertim uerò dum ſibi Ferrariæ occupatio- nem facilem fore ſperauit, repugnauerat: at gallicis armis apertè Eſtenſium cōmodo fauentibus, cum nec Mutinā niſi graui ſumptu tueri poſſet, Aragoniæ regis conſilium guſtare cœperat: qui ut ad tantas moleſtas uitandas, Cæsaris animum mitigandum, & ſi fieri poſſet, diſcordias inter Galliæ regem & ipſum ſerendas, concederet hortabatur: præcipuè cum ſi commodiori tempore eam recuperare optaret, ſemper mediocri pecuniæ ſumma Cæsari numerata facile uoti compotem fore: qui ſermo, propterea quòd Pontificis uoluntas ex ſpei uariatione mutabatur, in multos dies protractus fuerat, ſemperq; hæc difficultas fixa permanjerat, quòd Cæſar niſi in reſtitutionis diplomate, perſpicuè eam urbem ad Imperium ſpectare exprimeretur, recipere reuſabat: idq; Pontifici duriffimum uidebatur: ut autem occupata Mirandula, uidit Ciamontium potentem in aciem prodiffſſe, & eaſdem difficultates atq; ſumptus Mutinæ tuèdæ ad ſe redire, uerborum controuerſia omiffa, ut in diplomate Mutinam Cæsari ad quem iure ſpectaret, reſtiti diceretur permiſſit: cuius poſſeſſionem quamprimū Vitruſtius Cæsaris apud Pontificè orator accepit, quòd Cæsarea autoritate tutam fore crederet, M. Antonium Columnam cum copijs quibus antea pontificio nomine cuſtodierat, dimiſit: & Mutinam non amplius ad Pontificem pertinere, ſed legitimè ſub Cæsaris imperium rediffſſe Ciamontio ſignificauit. Id Ciamontius uerum eſſe non credidit: eamq; ob cauſſam, Cardinalem Eſtenſem ad con-

ad coniurationis quam se in ea ciuitate habere dixerat exitū urgebat: cuius mandato cū Galli milites quos Ciamontius ad Ruberie præsidium reliquerat, quanto silētio potuerat, quadam nocte ad unum à Mutina miliare accessisset, ijs qui intus erant, uel aliqua interiecta difficultate, uel quòd Galli ante tempus uenissent, non respōdentibus, eadem nocte Ruberiam redierunt. Exiuerunt post & alia nocte Ruberia, ut Mutinam accederent, uerum aquarum copia atq; impetu quo minus Secciā amnem qui præter Ruberiam fluit transire possent, fuerūt impediti. Quibus ex rebus in suspiciōē adductus, Vitfrustius nonnullis Mutinensibus, qui q̄ cum Estensi Cardinale occulta haberent cōsilia accusabantur, in carcerem coniectis, à Pontifice ut M. Antonius Columna cū eodem præsidio rediret, impetrauit: quod Ciamontium qui iam Carpiū uenerat, quo minus eò castra transferret nō retinisset, nisi aduersa tempestas tormenta coitinere, quod nō longius decem millibus passuum inter Ruolium & Carpiū est, uehi prohibuisset: quod iter omniū totius Longobardiæ itinerum, quæ hyeme aquis inūdata, & lutulēta sunt, deterrimū est: præterea Ciamontius indies magis Mutinam re uera Cesari datā esse certior est factus: ideo cum Vitfrustio de Mutina, deq; eius finibus nō tentandis fidem dedisset, uicissimq; ab eo q̄ is in motibus inter Pontificem & Christianis. regem neutri parti esset adhæsurus fidem accepisset, quieuit. Post paucos dies Ciamontius in grauem egritudinē incidit, ideo Corregium delatus, quintodecimo post die supremum uitæ suæ diem clausit: ante obitum tamen religiose admodum se suarum in Ecclesiam offensionū pœnitere declarauit, publicoq; scripto à Pontifice sup-

pliciter petiuit sibi delicta condonari: quod quidē eo ui-
 uo cōcessum, ad eius notitiā morte interueniente perue-
 nire minimē potuit: qui dum uixit, propter summā Ro-
 tomagensis Cardinalis potentiā, & propter penē liberā
 Insubriæ, omniumq; regionum exercituū potestātē ma-
 gnæ in Italia autoritatis, uirtute autē tanto oneri admo-
 dum impar fuit: nam in tanto honoris gradu cōstitutus,
 nec bellicas artes ipse per se norat, nec scientibus fidem
 habebat: ut cum post patrum obitum imperitia ipsius nō
 iam subleuaretur à gratia, tandem à militibus tantū nō
 contemneretur: quibus ne se apud regem deferrent, ma-
 ximam licentiā permittebat: quare Triultius dux in an-
 tiqua disciplina educatus, sæpius se nunquam in posterū
 Gallorū castra, nisi aut rex adesset, aut ipse cūctis præ-
 esset, iturum sacramēto confirmabat. Decreuerat tamē
 rex antea ei Longauillam regia stirpe quāuis extra ma-
 trimonium pro gnatum, successorē dare: nō tam ex uir-
 tute q̄ ex nobilitate atq; opibus, hominis autoritatē exi-
 stimationemq; secutus. Ciamontij obitu, ex Galliæ insti-
 tutis, usq; ad nonū regis decretum exercitus imperium
 ad Io. Iacobū Triultium ē quatuor eius regni militū tri-
 bunis unum, peruenit: qui cum an in ea potestate esset
 permansurus, nec ne, ignoraret, nihil magni moliri au-
 debat. Nihilominus cum exercitu Sermidum, ut inde ad
 Bastiam Genioli tuendam tenderet redijt: quā Pontifex
 copijs quæ in Gallia togata erant infestabat: & ut Vene-
 torū quoq; clas̄is, quæ tredecim rostratas, & multa mi-
 nora nauigia cōtinebat eodē tempore eò accederet pro-
 curauerat: sed ulterius progredi opus nō fuit: dū enim
 terrestres copix eā nulla fere disciplina seruata obsidēt
 ecce repente Ferrariēsis & Castilionæus cū Gallis mili-
 tibus

tibus, qui maiori militū numero eruptione Ferraria facta, pedites quidē secundo flumine Pado, duces uerò cū equitibus terrestri itinere secundū ripā ad Santernum amnem peruenerūt: ponteq; quē secum uexerāt imposto, momento tēporis impetu facto hostes in eos nihil pugnantes præter trecētos Hispanos pedites qui tormētorum custodiæ erāt destinati perturbarunt & fuderunt: adeo ut ægrè Guido Vaina, Brunorus Foroliuiēsis, eiusque frater Meleager equitū præfecti, signis tormētisq; amissis euaserint: quare ueneta classis ad uitandū periculū regressa, in Padū se recepit. Hunc in modū res bellicæ fluctuabāt, ut nundū aliquot indicium, ex quo certò quinā belli exitus futurus esset perspici possēt, apparet: at nō minus nec minori ambiguitate nutabāt principū consilia, præsertim Cæsaris, qui inexpectatò Episcopum Gurcensem Mantuā ad agendū de pace mittere cōstituit. Hoc internuncio, ut supra dictum est, inter Galliæ regē & Cæsarem ineunte Vere graue bellū Venetis inferre, & si Pontifex cameracensi fœderi nō staret, conciliū cōuocare constitutū fuerat: ad quod Cæsar admodum propēsus, post Gurcensis reditum, patrimonij sui antistites, ut qua ratione, quoque loco celebrandū esset deliberarēt, conuocauerat: uerū ut natura uariius, incōstans, & gallico nomini infēsus erat, Aragoniæ regi deinde aures præbuerat: qui cum ex Cæsaris Gallorumq; regis cōcordia, et Venetorum communibus armis, depressione: Pontificis quoq; per concilium perniciæ, Galliæ regis potentiā supramodum auctum iri animaduerteret, cōmunē pacē modò per eā uel omnia, uel maiore partē eorum cōsequeretur quæ Veneti occupassent, utiliore fore ci persuadere studuerat: hortatusq; erat, ut ad hoc uirū aliquē insignem cū ampla potestate

Mātua mitteret: atq; ut Gallia rex idē faceret, curaret; se quoq; missurū, eaq; ratione Pontificem idē facere nō recusaturū: nec deniq; à tot principū uoluntate discessurum, ex cuius cōsilijs cum Venetorū consilia pēdērent, nisi soli deseri uellēt, eius autoritatem sequi cogerētur: Cēsare sine labore, sine armis, sine gallia regis existimationis potētia uē incrementō summa cū gloria, & cōmuni omnium pace sua obtenturū meritō sperari posse: & si etiā nō id eueniret quod iure deberet, nō ideo belli cōstituto tēpore, eadēq; oportunitate inferēdi facultate priuari: imō cū ipse omnium Christ. principū caput sit, ecclesiaq; patronus, eius rationes magnopere auctū iri, gloriaq; hoc cōsilio uehemēter cumulari: ipsum namq; paci et christianorū cōcordiaē praeicipuē cupidū fuisse, ad bella uerō aliorū pertinacia peruersisq; cōsilijs impulsū cunctis mortalib. perspicuū futurum. Rationes a Cath. Rege adductae Caesari placuerunt, ideoq; tempore eodē ad Pōtificē et ad regē Gallia scripsit: ad Pōtificē se Gurcensem in Italiā mittere decreuisse, q; ut principem religioni deditū, proq; imperatoria dignitate ecclesiae patronū, omniumq; Christ. principū caput, deceret, quantum posset sacrosanctae sedis tranquillitatē, & christianae reip. pacē promouere statuisset: cumq; hortari, ut quē admodū ad uerum Christi uicariū spectaret, eundē animū indueret, ne, si is pōtificio munere minus fungeretur, ipse christianorū quieti necessaria remedia excogitare cogeretur. Quōd cardinales absentes purpurei galeri dignitate priuare moliretur, se nō probare. si enim nec malis cōsilijs, nec eius odio abscessissent, eos eiusmodi poenā nō mereri, nec Cardinalium abdicationem ad Pontificē solum spectare. Monere etiam, rem esse ualde indignam

indignā inutilemq; in tanta rerū perturbatione nouos cardinales creare: quod etiam legibus quibus à cardinalibus esset ad pontificatum assumptus, facere prohiberetur: hortari huiusmodi negotium in magis tranquillū tēpus, quo nec necessitas, nec caussa ulla esset, ut ad tantam dignitatem, nisi uiri prudentia, doctrina, moribus probatissimi promouerentur, differret. Ad Gallie uerò regē se cum eius ad honestam tutāq; pacē propensionē notū haberet, Episcopū Gurcensem Mantuam ad agendam de communi pace legare constituisse: ad quam non leuibus argumentis ducebatur, ut Pontificem, cuius auctoritatem Veneti sequi cogeretur, propensum esse crederet: idē quoq; Aragonie regis oratores promissuros: ea nq; ob causam se, ut & ipse legatos amplis cum mādatis eō mitteret, postulare: quib. congregatis, Gurcensem cū Pontifice ut idē faceret acturum: qui si nolit, omnium nomine concilium ei indicturū: utq; maiori equitate fierent, communibusq; controuersijs finis imponeretur, Gurcensem omnium causas auditurū: quouis autem euentu id regi promittere se nunquam cum Venetis pacem initurum, nisi eodem tempore eius controuersie cum Pontifice finem haberent. Ea res Pontifici fuit gratā, haud equidem pacis cōcordiæue caussa, sed quia cum senatum uentum, ut cum Cesare pacisceretur, fleat posse persuasum haberet, Cesare hac ratione societatis cum Gallie rege necessitate liberatū, ab eo disiunctum iri sperabat: unde facile multorum principum in regē conspiratio oriri posset. Regi uerò Gallie hæc improuisa deliberatio molestissima fuit: cum enim cōmunem pacem inde peruenturā nō speraret, rebus inter se ac Cesare constitutis morā interpositam, minimum de

malis, fore censebat: ac ne Pontifex ad Insubriæ principatum occupandum auxilio Cæsari promisso, Gurcensium si autem galeri dignitate alijsq; beneficijs eum à se alienaret, uel saltem compositione cum Venetis maiore commodo Cæsaris procurata, se in pacis uel ignominiosissimis legibus accipiendæ necessitatem conijceret, uerebatur, Cæsaris cum Heluctijs, quamuis tantum ad defensionem recenter initum fœdus suspicionem augebat: Hispanum regem, de cuius animo multis de causis uehementer suspicabatur, huius noui consilij Cæsari autorem fuisse existimabat: eius Oratorem palàm apud Cæsarem de concordia inter ipsum ac Venetos uehementer egisse, atque etiam nunc agere non ignorabat: eundem clam Pontifici, in cuius exercitu ipsius copie longè diutius quàm regni neapolitani beneficium postularet fuissent, stimulos addere credebat: eundem quo actiones suas impediret, uehementer concilij indictioni intercedere, & honesti specie, quòd Italia bellis flagran- te, atque armata ui, de eo opere instituendo ageretur, quòd sine omnium principum concordia, nihil aliud nisi perniciosissimos fructus edere posset, palàm damnare sciebat: ualidissimam classem in mari recenter ab eo parari compertum habebat: & quamuis se in Africam traicere uelle palàm prædicaret, utrum tamen in alium finem pararetur sciri non poterat. Eius item dulcissima uerba suspicionem multò magis augebant, quibus Regem ut cum Pontifice pacem iniret, atque etiam si aliter fieri non posset, aliquid de suo iure remitteret, ne se contra antiquam Galliæ Regum pietatem, Ecclesiæ hostem ostenderet: neque sibi pro Christi nominis gloria aduersus Africæ Mauros destinatum bellum

bellum impedire: eodemq; tempore omnē christianam rempub. turbaret, penè fraterna oratione rogabat: ac semper in christianorū principum consuetudine fuisse, cum aduersus impios arma pararent, in tam pia caussa ab alijs auxilium petere: sibi uerò si non impediatur satis esse: nec aliam opem ab eo petere, nisi ut Italiam pacatam esse pateretur. Quæ etsi regi ab eius oratore, & regio apud eum legato, ab ipsomet admodum leniter, cumq; magna amoris significatione essent exposita, tamen tacitam armorum pro Pontifice sumendorum attestationem continere uidebantur: quod quidem regi, nisi sperasset se Cæsarem in eandem sententiam adduci posse, ausurum minimè uerisimile uidebatur. Hæc regis animum non mediocriter angebant, ac suspitione onerabant, ne pacis negocium per Gurcensem aut uanum, aut perniciosum esset futurum: tamè quo minus Cæsari indignationis caussam præberet, Parisiensem Episcopum, summæ autoritatis Antistitem, & in Iurisprudentia uersatam, Mantuam legare decreuit. Eodem tempore Ioanni Iacobo Triultio qui Sermidi commoratus, ad maiorem castrorum & commeatus commoditatem, in plura circumposita oppida copias distribuerat, se per eum bellum geri uelle ea norma, ne propter aduentus Gurcensis expectationē pontificias res inuaderet significauit, cui rei etiam tempestatis inusitata asperitas obstabat: cuius caussa etiam si iam Martius incœpisset, fieri non poterat ut sub Ioue frigido metarentur. Ideo Triultius postquam aliud moliendi occasio nulla dabatur, eratq; in locis adeo propinquis, utrum hostilis exercitus qui quo tempore Ciamontius Sermido Carpium redierat, regressus, penè omnem peditatum ad Bondi-

num, equitatum ad Finale & in propinquis locis locauerat, ledi posset, tentare statuit: quare regis accepto mandato, sequenti die ad Stellatam, altero aliquanto ulterius cōtendit: ubi in uicinosuicos sub tectis exercitum disposuit, ac pontē nauibus in Pado flumine inter Stellatam & Ficariolum fieri iussit: & ut Ferrariensis dux mille passus infra, eo loco qui Puncta appellatur, in ea Eridani parte quæ Ferrariam decurrit, alterum poneret: cumq; tormentis ad Hospitalettum, locum in Ferrariensi Polineso è regione Bondini ueniret, mandauit. Interea Triultius per suos exploratores complures leuis armaturæ equites, ex ea Veneti exercitus parte quæ trans Eridanum erat, proxima nocte prope Mirandulam ad nonnullas insidias struendas uenturos comperit: idcirco equitum aliquot turmas eò clām misit, qui quū Bellaerem mirandulani agri magnificum suburbanum peruenissent, Fraleonardum neapolitanū, Venetorum leuis armaturæ equitum præfectum, uirum in eo exercitu clarum, ibi inuenerunt: is de hostium aduentu nihil suspicatus, cum centum & quinquaginta equitibus multos qui sequuturi erant expectans, eò descenderat: uerum improvisò oppressus, dum se tueri uult, cum multis ex suis interficitur. Alfonsus Estensis quemadmodum constitutum fuerat, ad Hospitalettum uenit, nocte q; sequenti cœpit tormentis Bondinū pulsare: eodemq; tempore Triultius, Gastonem Foisscum regis sororis filiū, qui adolescens anno superiori in castra uenerat, usque ad hostilium castrorum munitiones cum centum cataphractis, quadringentis leuis armaturæ equitibus, militibusq; quingentis excurrere iussit; is quingentos pedites ad eius frontis custodiā positos sudit: quare ceteri

omnes

omnes praesidio ad Bondinum posito, trans flumen in natura munitum locum se receperunt: Triultio autem nihil eorum quae constituta erant successit: tormentorū enim contra Bondinum Pado interiecto iactus, propter loci distantiam irriti erant: eoq; magis quod flumine aucto, & ab ijs qui Bondini erant aggere corrupto, adeo regionem inundauit, ut à gallicorum castrorum fronte ad Bondinū transiri nisi nauib. non posset: sic eo itinere ad hostiū castra perueniendi spe amissa, duo millia Germanorum peditum Verona accersuit: & tria Rhetorū millia conscribi imperauit: ut nisi Gurcensis opera pax intercederet, Felicianā uia ad eos accederet: cuius aduentus ideo aliquāto tardior fuerat, quia Salone ad lacum Benacum, complures dies frustra Pontificis, quem literis ut legatos ad agendum negocium mitteret, rogauerat, responsum expectauit. Tandem Petro Vrrea Aragoniæ regis apud Casarem assiduo legato comitatus, Mantuam uenit: quo paucos post dies & Parisiensis Episcopus, quod Galliae regi qui ut pacis negocijs, & belli apparatus esset propinquior Lugdunum Pontificem quoq; eò missurum persuasus uenerat, peruenit: at Pontifex, non tam quod id magis ex Pontificis dignitate esse duceret, quam quod & honore & promissorū multitudine, & praesentiae suae ui, atq; autoritate, in suā sententiam magis quam antea unquam à concordia & pace alienissimam eum pertrahere speraret, Gurcensi ut ad se ueniret, instabat: quod ut ei facilius persuaderet, ut Hieronymus Vichius Valentinus, Catholici regis apud se orator, ad eum iret curauit. Gurcensis ad Pontificem ire non recusabat, sed id à se primū postulari aiebat, quod post esset agendum, & difficultates si prius

Mantuae eo animo tractarentur, ut rebus deinde digestis ac penè confectis ad Pontificem iretur, facilius amoueri posse: ad idem quoq; non minus necessitate, quam facilitatis ratione compelli asserebat: qui enim conuulniret Parisiensem episcopum à Galliae rege in Caesaris gratiã Mantuam missum solum relinqui? qua spe ab eo regis sui negocia agi possent? qua fronte ut secum ad Pontificem iret ab eo postularet? neq; enim ex mandato, nec ex dignitate regis in hostis domum, antequam eorum controuersiae aut omnino, aut penè compositae essent, ire poterat. Contra duo Aragonienses legati arguentes, omnem spem pacis ex Ferrariensium rerum compositione pendere ostendebant: ijs etenim compositis, nullam amplius Venetos fruendi causam Pontifici reliquam esse, qui quibus legibus Caesar ipse uellet, paci cedere prorsus cogerentur, sacrosanctam sedem in Ferrariensem ciuitatem potentissima iura habere: Alphonsum Estensem praeterea in se ingratisimum extitisse, multasq; sibi iniurias intulisse à Pontifice existimari: & ad placandũ eius animum uehementer commotum, equius esse ut beneficiarius domini clementiam imploret, quam ut de iure disceptet. Quare cum clementia sit exoranda, non modò equum esse, sed propemodum necessariũ ad eum se cõferre: quod si fieret, quin mitior factus de seueritate multum esset remissurus, non esse dubitandũ: nec se eam diligentiam, industriam, autoritatemq; qua erga Pontificem ut ad pacem flecteretur utendum erat, in persuadendo ut mitteret in sumi utile existimare: elegantissimis deinde uerbis subiiciebant controuersias, nisi partes adsint, nec disputari nec tolli posse: Mantuae uerò unam tantum adesse: Caesarem enim, regem christianissimum

niſſimum & Catholicum ita foederibus, affinitatibus, et
 amore eſſe coniunctos, ut tanquam fratres cenſeri de-
 beant, ſingulorumq; cauſſæ omnibus communes. Gur-
 cenſis tandem Pariſienſem epiſcopum, quid ſua profe-
 ctio eſſet paritura Parmæ expectaturum ratus, aſſenſus
 eſt. Interea Pontifex ob pacis quæ agebantur negocia
 belli conſilia non depoſuerat: nam Baſtiæ Genioli expu-
 gnationem Ioanne Vitellio ei negotio præpoſito, denuò
 tentabat: ſed cum ob ſtipendiorum anguſtiam peditum
 numerus multò quàm putauerat minor eſſet, ingenti-
 busq; pluuijs & Padi aggeribus ab ijs qui Baſtiæ erant
 effractis, uicina regio aquis redundaret, nullus fiebat
 progreſſus: naualibus autem rebus Alſonſus erat ſupe-
 rior: cum enim trirēmium biremiumq; claſſe compara-
 ta prope Sæctalbertum Venetorum claſſem inuaſiſſet,
 illa, quoniam dum pugnabat, minorum nauigiorum
 claſſe quæ Comacilio ueniebat conſpecta perterrita eſt:
 ac binis biremibus, tribus nauibus quas Barbotas uocāt,
 & plus quadraginta minoribus nauigijs amiſſis, in Ra-
 uennæ portum conſugit: ex quo Pontifex Baſtiæ capiē-
 dæ ſpe fruſtratus, eos milites in caſtra ad Finale in qui-
 bus peditum numerus ob parcifſima ſtipendia uehemē-
 ter erat imminutus, miſit. Eodem tempore pontifex tum
 ut ſibi principum animos conciliaret, tum ut ſe contra
 concilij minas doctis, peritis, & magnæ in Rom. curia
 autoritatis, ſibiq; fidis hominibus armaret, octo Cardi-
 nales creauit, inter quos fuit Archiepiſcopus Iorchēſis,
 quem latini Eboracenſem appellant, Angliæ regis lega-
 tus: & epiſcopus Sedunenſis: hunc tanquam uirum ad
 gentem Heluetiorum concitandam aptiſſimum, illum
 quia ab ipſius rege, quem iam in Gallos cōmouere non

parum sperabat, fuit rogatus: & ut Gurcensi penè certum eiusdem dignitatis pignus exhiberet, eaq; ratione faciliorem eum sibi redderet, ex Cardinalium consensu, unius præterea nominandi sibi facultatem, quem animo inclusum haberet suo reseruauit: cum autem Gurcensem ad se uenturum certior esset factus, eum summo honore accipere decreuit: nullum autem honorem maiorem ratus, quàm si ipsemet Romanus Pontifex ei obuiam procederet, ac in magnifica ciuitate quæ etiã honorem auget eum acciperet, Ravenna Bononiã contendit: quò tertio post ipsius aduentum die Gurcensis peruenit, tanto honore acceptus, ut ne rex quidem ullus ferè maiore accipi posset: nec minor in Gurcensi pōpa & magnifi. entia enituit: cum enim Cæsaris in Italia uicarij nomine ueniret, principum ac nobilium cum eorum omnium familij: admodum splendide indutis atq; ornatis, magnum secum habebat comitatum: ad urbis portum senatus ueneti apud Pontificem legatus, ingentis submissionis signis ostensis, ei obuiam processit, aduersus quem ille incredibili fastu plenus, oratione ac gestu admodum superbo, cum qui Cæsaris hostium personam gereret, ante suum conspectum se ausum fuisse offendere indignatus, se cōuertit: hac pompa in senatum usq; ubi eum cum omnibus suis purpuratis præstolabatur Pontifex, deductus: breui, sed superbissima oratione se à Cæsare rerum suarum potius pacis quàm belli arribus consequendarum studio in Italiam missum: pacem uerò nisi à Venetis omnia quæ quauis ratione ad eum spectarent restituerentur, locum habere nō posse proposuit: post publicum confessum seorsim cum Pontifice in eandem sententiam eodemq; fastu loquutus est: quibus

bus uerbis ac signis postero die non minus superba facta adiunxit: cum enim Pontifex ex ipsius consensu tres cardinales, qui cum eo agerent delegisset, nempe, Sangeorgium, Rheginum, ac Medicem, quibus constitutam conuentus horam expectantibus, ipse quasi cum alio quam cum Pontifice quicquam agere se indignum esset, tribus ex suis nobilibus qui cum eis agerent missis, se alijs negocijs occupatum excusauit: quam indignitatē Pontifex incredibili in Gallos odio naturam suam uincente, cum multis alijs deuorabat. in Cæsaris autem cū Venetis concordia, de qua prius agi coeptum est, multæ erant difficultates: nam etsi Gurcensis qui oppida ante omnia postularat, tandem ut Patauium atq; Taurisum cum eorum omnibus agris & appendicibus retineret, assentiretur, nihilo tamen minus eos Cæsari maximam pecuniæ uim pro eis numerare: beneficium ab eo tanquam à domino agnoscere: eiq; reliquorum locorum iura cedere uolebat: quæ in ueneto senatu reijciebantur, ubi omnes una uoce postquam Patauium Taurisumq; ita munierant, ut earum urbium iacturam non timerent, pecunias conseruare reip. utilius esse decernebant: nam si unquam tempestas hæc sedaretur, aliquã imperij facile recuperandi occasionem dari posse. At Pontifex, quoniam Cæsaris à Gallia rege alienationem hinc orituram sperabat, ipsorū cum Cæsare concordia studio ardebat: ideo partim precibus, partim minis eos ad propositas leges accipiendas urgebat. Eius uerò auctoritas apud illos eo erat leuior, tum quòd unde tantum studium manaret intelligebant, tum etiam quia cum scirent quam illi eorum societas, nisi regi Gallia conciliaretur esset futura necessaria se ab eo nunquam desertos

iri certò arbitrabantur : tamen postquam multos dies esset disputatum, Gurcensi aliquid de pertinacia sua remittente, & Venetis uehementissimæ Pontificis petitioni plusquam decreuissent cedentibus, Aragoniæ regis quoq; oratoribus, qui omnibus consilijs intererant interpositis, tandem sic conuenturi uidebantur, ut Venetis ad Patauium Taurisumq; ex Cæsaris uoluntate retinenda magnum quendam pecuniæ numerum, sed lōgis temporibus persoluerēt. Reliqua erat Pontificem inter ac regem Galliæ conciliationis caussa: inter quos nulla alia nisi ob Ferrariensium res controuersia apparebat: quam Gurcensis, quoniam Cæsar absq; hac non conuenire statuerat, ut dirimeret, Pontificem quem rarissimè conuenerat, spe à Cardinali Papiense & Catholici regis oratoribus facta, negocium minimè difficile ratus, adiit: nam & Galliæ regem minori dignitatis quã quietis habitacione, multis, quæ Duci non paruum allatura essent detrimentum assensurum sciebat. Pontifex autem eius oratione ferè statim ab initio interrupta, cōtrà ut rebus cum Venetis compositis Ferrariensium res anticipites dimitteret, hortari cœpit: simulq; Cæsarem, tot à Gallis acceptas iniurias alienis uiribus opibusq; ulciscendi paratissimam occasionem non agnoscere, eumq; id quod merito iure ipse summopere supplex orare deberet, ut rogaretur expectare, querebatur: ad quæ Gurcensis cum multis adductis rationibus respondisset, nec ab ea sententia eum posset deducere, se pacis cū Venetis negotio minimè perfecto discedere uelle significauit pedibusq; de more osculatis, eodem die, qui fuit ab eius Bononiam aduentu decimus quintus, frustra quamprimum urbe egressus est, qui eum reuocarent à Pontifice missis,

missis, Mutinam, inde Mediolanum uersus multa de Pō-
 tifice questus profectus est: præsertim uerò, quòd dum
 eius in Italiam aduentu arma penè essent suspensa, ad
 Genuensium res turbandas Albintimilium episcopum
 Pauli olim Cardinalis Fregosij filium clam misisset: cu-
 ius profectiois nuncio ad Gallos perlato, ita incogni-
 tum ut erat, in Monteferrato eum capi curarunt: undè
 Mediolanum perductus, itineris sui causas, consiliaq;
 omnia patefecit. Gurcensis cum Bononia discederet, ab
 Aragonijs legatis, qui cum ut uidebatur multum de cō-
 muni pace contendissent, se Pontificis pertinacia ualdè
 commotos ostendebant, ut trecentos Hispanos cataphra-
 ctos in neapolitanum regnum redire iuberent petijt:
 cui ipsi promptè assenserunt. Quare nemo erat qui nō
 summo perè miraretur, Pontificem quo tempore de cō-
 cilio agebatur, et gallica germanicaq; arma duorum
 regum præsentia in Italia ualida fore credebantur, præ-
 ter Galliæ regis inimicitiam, Casarem quoq; à se aliena-
 re, seq; Catholici regis auxilijs priuare. Nonnulli in hoc
 sicut in plerisq; alijs rebus Aragoniæ regis consilia, ab
 ijs quæ ostendebantur diuersa esse, eiusq; oratores aliud
 palam, aliud clam cum Pontifice egisse suspicabantur:
 nam cum nouis offensionibus Galliæ regem prouocas-
 set, ijsq; antiquarum memoriam suscitasset, ne cetero-
 rum omnium pacem Venetis ditione, opibus, atque exi-
 simatione debilitatis Romanorum regè in Italia parū
 potenti, uario, inconstanti, et plusquam antea unquam
 prodigo, sibi maxima allaturam pericula metuentum
 uidebatur: alijs subtilius differentes, fieri fortè posse;
 ut Pontifex, etsi rex Catholicus se eum deserturum at-
 tejlaretur, suosq; milites renocaret, illum tamen, ubi

quantū ipsi eius calamitas esset nocitura cogitasset. *Semper in maiorib. periculis se sustentatur: cōfideret, interpretabatur. Pacis spe Gurcēsis discessu perturbata, & si Pōt: sex quatriavo pōst Morauie episcopū Scotiæ regis apud se oratorē, ut de pace cum Galliæ rege conciliāda ageret, ad eū misisset, sublatae sunt causæ, quæ Io. Iacobū Triultium morate erāt: qui honesta alicuius uirtute ac pristina gloria sua digni facinoris patrandi cupiditate ardens, ex quo Regi ostenderetur, quanto cum proprio detrimento rerum bellicarum administratio ex omnibus humanis actionibus in primis ardua ac perquam difficilis, quāq; nulla est, quæ maiorem prudentiam usumq; requirat, non ueteranis ducibus, sed iuuenibus imperitis, ijsq; quorum de uirtute nulla res præter gratiam, fidem facit, mandetur: itaque in sua prima sententia persistens (etsi Rhæti pedites nūdum uenissent, quia Normaniæ prouinciæ summus Quæstor à quo expeditiones pendebant pacis spe fretus, cum sumptuum parsimonia regis gratiam promereri uellet, eos conducere distulerat) Maij mensis initio mille & ducentos cataphractos, & septem millia peditum ad Concordiam duxit, qua eodemmet die potitus est: nam simulac oppidani tormentorum fulmina senserunt, legatos de deditioe miserunt: ea de causā dum essent minus in custodiendo diligentes, pedites repente ingressi, oppidū diripuerunt. Concordia capta, ne suis æmulis, quod propriæ utilitatis magis quam regis esset studiosus, sui criminandi occasionem daret, Mirandula à tergo relicta, Bomportum uicium propter Panarium amnem positū, quo tantum hostibus appropinquaret, ut comteatu intercepto, aut ad migrandum, aut extra castrorum muni-*

menta

menta pugnandum compelleret, mutinensem agrum ingressus, castrisque ad Cavetium pagum positis, quum Iohannem Paulum Manfronum cum trecetis Venetis levis armaturæ equitibus, ad Massam prope Finale castra habere comperisset, Gastonem Foisseium cum trecentis peditibus & quingentis equitibus eò misit, contra quos Iohannes Paulus rumore percepto instructa acie pontem occupavit: sed cum suorum uirtus, suæ ipsius uirtuti animiq; magnitudini minimè responderet, ab eis desertus cum paucis captus est. Exercitus deinde, Triultio pontem ea parte qua Riuus supra Mutinam à Panario deductus fluuiio iterum coniungitur, ponere cogitante, Bòportum accessit: sed iam hostiles copiæ, ut cum fluminis transitu prohiberent tam propinquo loco consedere, ut tormentis se inuicem peterent: quorum ictu, Peraultus Hispanus qui in pontificio exercitu centurio militabat, dum per fluminis aggerem inambularet, concidit. Sunt eo in loco altissimæ ripæ: quamobrem hosti erat facile eum impedire: quare Triultius è re nata capto consilio, mille passus supra eum locum ad riuum tantummodo pontem iecit: quo traiecto, per Panarij aggerem ut locum ad iaciendum pontem faciliorem quæreret, Mutinam uersus iter coepit: ita ut semper hostium qui in Aemilia uia prope Castellofrancum, loco aggeribus & aquis cincto, castra habebant, equites ac pedites in conspectu haberet, ad Fossaltæ pontem duobus à Mutina miliaribus eandem uiam ingressus est: atque ad dexteram montem uersus descedens, absque impedimento Panarium, qui eo in loco latum & sine ripa alueum habet, uado transiuit: quo facto ad eum locum qui Panarij Glarea dicitur, tria à pontificijs castris miliaria castra locauit: postero die Plumaciū uersus cõ

meatu à Mutinensibus Vitruſtij permiſſu accepto perrexit: eodemq; die pontificiæ copiæ cum hoſte congregati aperto Marte non auſæ, ſed Bononiam propius accedere, ne propterea quòd Bentiuoli gallica caſtra ſequerentur, motus aliquis in ea ciuitate exoriretur, neceſſariũ cenſerent, ad Caſaleccij pontem tria milliaria ſupra Bononiam caſtra tranſtulerunt: in eum ipſum locum, in quo proauorum noſtrorum memoria, Io. Galeacius Vitecomes potentiſſimus Mediolani dux, hoſtibus potètia longè ſuperior, contra Florèntinos, Bononicenſes, alioſq; fœderatos ingenti uictoria potitus eſt: caſtris autè ſitu ualde munito, inter Rhenum fluuium & riuũ, qui montes à tergo habet, quo ne Bononia eius riuus qui à flumine deductus eam ciuitatem interfluit commoditate priuari poſſit, prohibetur. Inſequenti die Caſtellofrancum Triultio deditioem fecit: qui imbrium cauſſa, & ut cõmeatum, cuius haud magna aderat copia compararet, triduum in Plumacij caſtris commoratus, in uiam regiã inter Samoggiam et Caſtellofrancum caſtra promouit: quo in loco ob multas difficultates quæ illi in quauis de liberatione occurrebant, quid ſibi eſſet agendũ ſuſpenſus conſtitit. Bononiam etenim niſi intus populus tumultuaretur inuadere uanum eſſe cognoſcebat: quòd ſi popularium motuum ſpe fretus acceſſiſſet, ne ſibi, quemadmodum Ciamontio acciderat, exiſtimatione imminuta, citò retrocedendũ eſſet uerebatur: cum hoſtibus uerò in caſtris adeo munitis congregari imprudentius periculoſuſq; cenſebat: ex inferiori denique parte Bononiam propius accedere nullam præterea ſpem habere, niſi ut hoſtes ne ipſe in Aemiliam inuaderet ueriti, fortè illinc mouerentur: qua ex re uel ſibi pugnandi, uel Bo-

noniensibus tumultus ciendi occasio dari posset: tamen ad extremum, cum utrum uel communis ciuitatis propensio, uel priuatæ Bentiuolorum conspirationes aliquid parituræ essent tentare decreuisset, exercitum cuius primum agmen ducebat Theodorus Triultius, medium ipse, postremum Gasto Foisseius, Laini pontem, locum in uia Aemilia ad quintum Bononia lapidem, Lepidi, M. Antonij, & Octauiani congressus memoria nobilem, qui hoc in loco (ut scriptores asserunt) Triumuiratus nomine, Romanam Tyrannidem, illamq; nunquã satis detestatam proscriptionem conflagrunt, castra perduxit. Pontifex hoc tempore non amplius erat Bononiæ: qui post Gurcensis discessum, modò nimiam ostendens audaciam, modò timorem, quamprimum Triultii castra mouisse audiuit, quamuis nõ iam adessent Hispani equites Bononia ut ad exercitum proficisceretur, ducesq; sua presentia ad dimicandum cum hostibus penitus induceret, ad quod nec literis, nec legationibus eos flectere potuerat, discessit: eo autem animo profectus, ut primo die Centi pernoctaret, uerum in Plebis castello herere coactus fuit: nam mille ex ipsius peditib. Centum ingressi, nisi accepto stipendio se illinc discessuros negarunt: quare fortè turbatus, uel periculo propius inspecto, mutata sententia, altero die Bononiam redijt: ubi ob Triultij aduentum timore augescente, cum se Rauennam conferre statuisset, Quadraginta uirorum magistratu ad se uocato, eis Pontificij imperij beneficio, suaq; opera & labore ipsos ex acerbissima tyrannidis iugo in libertatem uindicatos esse, multas immunitates assequutos, à se priuatim ac publicè maxima beneficia accepisse, in memoriam reuocauit: indiesq;e

plura consequuturos: quibus rebus cum antea dura seruitute oppressi, atque à tyrannis contumeliosè conculcati in ceteris Italiæ locis nihili fierent, nunc honoribus ac diuitijs nobilitatos, urbem artificijs mercaturisq; refertam: & nonnullos eorum ad amplissimas dignitates euectos, Bononiam ubique in precio existimationeq; haberi: liberos suiq; iuris esse, Bononiæ eiusq; agri totius dominos: Bononiensium esse magistratus: Bononiensium honores, uectigalia, ciuitatem: Pontifices penè solo nomine contentos tantum honoris specie in ea legatum gubernatoremue habere, qui sine ipsis de rebus grauibus statuere nihil posset, & in ijs quæ suo tamen essent permissa arbitrio, pleraque ad ipsorum iudicium uoluntatemq; referri: quòd si ob hæc beneficia, felicemq; quo fruerentur statum propriam libertatem tueri statuisent, à se non secus auxilium defensionemq; expectarèt quàm si Roma ipsa simili in discrimine uersaretur: se ut Rauennam proficiscatur grauibus de rebus compelli, nec tamen ideo Bononiensium salutis oblitum uel obliturum esse: cuius gratia uenetas copias quæ cū Andrea Gritto trans Padum erant, hancq; ob causam Sermidi pontem iaciebant, cum suo exercitu coniungi mandasset. Hos apparatus ad ipsos tuendos satis superq; esse, sed tamen animum suum, nisi etiam belli molestia eos liberaret, non conquiescere: quapropter ut Gallos iterum ad propria defendenda compelleret, decem Heluictiorum millia quæ in mediolanensem agrum descenderent, iam esse in procinctu: qui ut statim mouerentur, uiginti aureorum numum millia à se Venetias missa: totidemquæ à Venetis conferri: nihilominus si sub Bentiuolorum iugum redire, quàm pontificiæ libertatis beatitate frui ipsi

p̄sis esset gratius, rogare se ut sibi liberè uoluntatem suã
 aperirent, quam ipse quoque esset sequenturus. Illud au-
 tem eos monere, quod si urbem propugnare statuerent
 tempus oportunum aduenisse, quo sui animi magnitu-
 dinem ostendere, sacrosanctam sedem se atque omnes fu-
 tutos p̄tiffices sempiterno beneficio deuincire possint.
 Cui orationi, ex ipsius more, maiori uehementia quã
 eloquentia habitæ, ubi inter se consultassent, Senatus
 princeps Bononiensi magniloquentia communi omni-
 um nomine respondit: Bononiensium fidem beneficio-
 rum acceptorum gratam memoriam, & erga eius no-
 men infinitam propensionem magnificè extollens: feli-
 cem in quo uersarentur statum agnoscere: quantumq̄;
 tyrannis exactis, eius ciuitatis splendor atque opes cre-
 uissent: & cum antea uitam ac facultates aliorum arbi-
 trio subiectas haberent, nunc undique tutos patria tran-
 quillè frui, administrationis participes, participesq̄; ue-
 t̄tigalium: nec quenquam ipsorum esse qui non priua-
 tim multa beneficia honoresq̄; ab eo se accepisse liben-
 ter agnosceret: uidere in sua ciuitate sacræ purpuræ di-
 gnitatem renouatam: uidere in ciuium suorum familijs
 multa sacerdotia, multaq̄; præcipua Rom. curiæ mune-
 ra: ob quæ innumera beneuolentiæ argumenta benefi-
 ciaq̄; eximia, ante omnes facultates impendere, antè cõ-
 iugum liberorumq̄; famam ac salutè in discrimen uoca-
 re, antè propriã uitã ac sanguinè amittere paratos esse
 q̄ ab eius & sacrosanctæ sedis obseruatiã discedere: iret
 letus ac felix, absq̄; rerũ Bononiensium aliquo uel metu,
 uel scrupulo: prius enim ipsum auditurũ, riuum populi
 Bononiensis sanguine exundasse, q̄ eam urbẽ aliud nomẽ
 inuocare, aut alteri principi quã Iulio Pontifici pare

re. Hæc uerba maiorem Pontifici quàm oportebat spem dederunt, qui Papiensi Cardinale ibi relicto, etsi Hispanis equitibus qui Neapolim reuertebantur, comitatus esset, Rauennam non recto itinere, sed Ferrariensis metu longiore uia per Forumliuij contendit. Triultij ad Lanum pontem aduentu, maxima in Bononiensi ciuitate commotio ostendebatur, hominum animis multis uarijsq; cogitationibus distractis: multi namque tyrannidis licentiæ aliorum, quæ opibus ac pecunijs uitam tueri assueti, pontificium imperium perosi, maximo ardore Bentiuolorum reditum expetebant; alij acceptis detrimentis, quæque se accepturos metuebant, quum in suis prædijs, instante messis tempore, duos tantos exercitus uiderent, in grauem redacti desperationem, omnia quæcunque eos ab huiusmodi malis liberare possent exoptabant: alij ueriti ne aliquo tumultu in ciuitate exorto, aut Gallorum felici successu, quorum cum primum Ciamontio duce Bononiam uenerunt, impetus memoria adhuc ob oculos uersabatur, ciuitas diriperetur: huius periculi liberationem omnibus regnis anteponebant: pauci qui se antea Bentiuolorum hostes declararant, uoluntate magis quàm factis pontificio imperio fauebant: toto autem populo, partim rerum nouarum desiderio, partim suæ ipsorum securitatis ac salutis ad arma concitato, omnia metu ac terrore erant referta: & in Papiensi Cardinale, Bononiæ legato, nec animus, nec consilium tanto periculo par aderat: cum enim in tam magna ac frequenti ciuitate, ultra ducentos leuis armaturæ equites, & mille pedites non haberet, uehementiusq; in discordia cum Urbinatium duce qui Casaleccij cū exercitu erat perseueraret, seu casu
 seu fa-

seu fato ductus, ex civiũ numero quindecim belli præ-
 fectos legerat: quibus cum eorum cohortibus ac popu-
 lo urbis & portarum custodiam commiserat: quorum
 (quòd in eligendis prudentia non esset usus) magnã par-
 tem ex ijs erant qui Bentiuolis studebant: & inter hos
 Laurentius Ariostus, qui prius Romæ coniurationis cũ
 Bentiuolis imitæ suspicione in carcerem coniectus, quæ-
 stionibus habitis, diu in Adriani mole custoditus fuerat:
 qui quamprimum arma in manibus habuere, occulta
 colloquia & conuenticula habere, seditiososq; in uul-
 gus sermones spargere cœperunt: quibus rebus cogni-
 tis legatus serò propriam imprudentiam cœpit agno-
 scere: utq; periculum in quod se ipsum coniecerat uita-
 ret, Vrbinatem cum ceteris belli ducibus sic postulare
 fingens, ut cum suis cohortibus in castra irent, uoluit:
 cum autem illi se urbis custodiam nolle deserere respon-
 derent, Ramazzotum cum mille peditibus introducere
 tentauit, qui populo prohibente ingredi non potuit:
 quare Cardinalis mirum in modum animo consterna-
 tus, cum administrationem suam populo summopere
 odiosam esse, seq; in nobilitate, quoniam non multo an-
 tẽ (etsi ut dicebat, Pontificis iussu) regia potestate usus,
 tres honestos ciues securi percuti iusserat, multos inimi-
 cos habere recordaretur, quamprimum nox fuit, clam
 per occultum ostiũ uestitu incognito Palatio egressus,
 in arcem tam præcipitanter se recepit, ut gemmas pecu-
 niamq; suam auferre obliuisceretur: quibus (cum ad ea
 tollẽda misisset) acceptis, per auxiliarem portam Imo-
 lam uersus, Guido Vaina sororis suæ marito, equitum
 ad custodiam suam delectorum duce, cum centum equi-
 tibus comitatus contendit: & paulò post ipsum, Octa-

uianus Fregosius uno tantum itineris duce arce egres-
sus est. Legati fuga cognita tota urbe tumultuante po-
puli nomen in clamari coeptum est: quam occasione ne
amitterent, Laurentius Ariostus, & Franciscus Rinuc-
cius, & ipse ex quindecim illis unus, & ex Bentiuolorū
factione, multis eiusdem factionis hominibus sequenti-
bus, ad portas Felicianam, & Lamariam, Gallorum ca-
stris adeundis commodiores, currētes, securibus eas fre-
gerunt: ijsq; occupatis sine mora ad Bentiuolos accer-
sendos miserunt: qui acceptis à Triultio multis Gallis
equitibus, ut Rheni pontis, ad cuius praesidium erat Ra-
phael Paccius, pōtificioꝝ ducum unus, directum iter
uitarent, inferiore loco flumine traiecto, per Lamarum
portam statim intromissi fuerunt. Bononiae rebellionis
exercitus fuga fuit coniuncta: nam ad tertiam noctis ho-
ram, Urbinas, cuius copia à Casaleccij ponte usque ad
portam quae Saragoza dicitur extendebantur, legati
(ut creditur) fuga & populi motu cognito, cum toto
exercitu, ijs exceptis qui ad castrorum custodiam consti-
tuti, ab ea parte fluminis erant quae ad Gallos uergebat
quibus de suo discessu nihil significauit, tentoriorū ma-
iori parte relicta, tumultuosè discessit. Cuius Bentiuoli
qui iam in urbe erant motu cognito, Triultio statim in-
dicarunt, & populi partem ad eos persequendos emi-
serunt: qui unà cum rusticis, qui iam undiq; ingentibus
clamoribus ac strepitu descendebant, exercitijs qui prae-
ter mœnia transibat adorti, tormenta cum eorum appa-
ratu, & magna impedimentorū multitudine ceperunt:
quamuis Gallorum interuētū populo ac rusticis praedae
maior pars sit ablata: iamq; Theodorus Triultius cum
primo agmine ad Rheni pontem peruenerat: ubi eos

Raphael Paccius, strenuè pugnando, aliquandiu sustinuit: sed tandem cum tanto maiorem numerum sustinere non posset, pontificijs militibus, sua uirtute non parua (quemadmodum omnes fatebantur) euadendi data occasione, captus fuit: Venetorum autem copiae, cum ijs Ramazzotus, qui in eminentiori diui Lucae monte castra habebat, Vrbinatis fuga serius audita, montana uia ut saluti consulerent suae, iter ceperunt: qua uia, etsi magno detrimento accepto, in Aemiliam tamen peruenere. In hac uictoria sine certamine parta, quindecim maiora tormenta, multaq; minora, partim Pontificis, partim Venetorum, ipsius item met ducis uexillum, cum pluribus alijs: impedimenta pontificiorum pleraq; & Venetorum ferè omnia capta fuisse: aliquot pontificij equites spoliati: Venetorum autem plus centum & quinquaginta, & utriusque exercitus penè omnes pedites dissipati: Vrsinus Mugnanensis, Iulius Manfronus multiq; centuriones capti. Bononiae nullae caedes factae: nemini neq; ex nobilitate, neq; ex populo uis illata: tantummodo Clusinus Episcopus, & multi alij Antifites, & secretis, alijq; legati ministri, qui in eius aedibus relictii fuerant (omnes enim suum discessum celauerat) capti. Eadè nocte & sequenti die populus Bononiensis, aeneam pontificis statuam correptam, per forum multis contumelijs ac ludibrijs, siue eius rei Bentiuolorum satellites autores fuerint, siue calamitatum ac detrimentorum belli fastidio, ut suapte natura est ingratus, rerumq; nouarum cupidus populus, eius qui ipsorum patriae libertatis felicitatisq; autor fuisset, nomen ac memoriam odisset, traxit. Postero die, qui fuit uigesimus secundus Maij, Triultius ijsdem castris se continuit, altero Bononiae

tergo relicta, ad Lidicem fluvium perrexit, deinde ad castellum Sanpetri in agri Bononiensis extremis finibus positum constitit: ut antequam ultra procederet, quænam esset Gallie regis mens, ulterius ne in pontificis ditionem progredi, an Ferrariam periculo liberasse, & pontifici Bononiam, quam sua opera adquisierat, ademisse contentus, uictorie cursum terminare uellet, expectaret. Ideo cum Ioannes Saxatellus pontificiorum et ipse militum ductor, quiq; Gibellina factione Imola eiecit, tanquam Guelforum caput ferè ei ciuitati imperabat, Imolam ipsi clam tradere uellet, noluit, donec ab rege responsum haberet, accipere. Relinquebatur bononiensis Citadella (id arcis est nomen) in qua erat Episcopus Vitellius, ampla quidem & munita, sed ut arces pontificie solent, à reliquis bellicis rebus imparata: pauci enim erant in ea milites, parum commeatus, & ferè nullus tormentorum apparatus, in quam dum obsideretur, Vitrufrustius Bononiensi re audita, noctu Mutina uenerat, ut magnis pollicitationibus Episcopo uti eam Cesari traderet persuaderet: Episcopus uerò die quinto, eorum qui intus erant, unà cum fortunis salutè pactus, triumq; ducatorum millium sibi certo tempore soluendorum cautione accepta, eam Bononiensibus tradidit: qua accepta, statim populus ad eam diruendam cucurrit, Bentiuolis ad idem, non tam, ut ciues sibi beneuolos redderent, quam quòd uererentur, ne eam Gallie rex in sua potestate, ut iam nonnullorum ducum de ea petenda sententia fuerat, incitatibus habere uellet: sed Triultius, credi regem Bononie imperium affectare, à regis utilitate alienum ratus, repugnauit. Huius uictorie occasio-
ne Ferrariensis, præter Centum & Plebem, Cotiniolam

quoq;

quoq; Lucum & alia oppida in Gallia Togata recepit: eodemq; tempore Albertum Pium Carpio, quod paribus auspicijs secum possidebat, expulit. Bononiensi iactura Pontifex ut par erat maximam sensit molestiam, non modò eam ob causam, quòd totius pontificij imperij post Romam præcipua & nobilissima urbs ipsi esset erepta: quodq; ea gloria quam apud omnes, sua præsertim ipsius opinione, magnam in ea obtinenda comparauerat, spoliatus uideretur: uicrametiam ob timorem, ne uictor exercitus uictoriæ fortunam sequeretur: cui cum se obsistere non posse cognosceret, occasiones quæ ad ulterius persequendum inuitarent, tollendi cupidus, ut uenatarum copiarum reliquæ, iam à Senatu reuocatae, ad Cefenaticum portum naues cõscenderent, urgebat: eademq; de causâ, sibi uiginti ducatorum millia, antè Venetias ad Heluctios concitandos missa, quæ adhuc in ea ciuitate erant restituerentur, mandauit. Effecit etiam ut Cardinalis Nanetensis, natione Britto, uelut proprio motu Triultiũ ad pacem hortaretur: doceretq; eius tractandæ tempus oportunum adesse: qui hoc modo agi nõ conuenire, sed particulatè & expressè ad ipsa capita necessaria ueniendum esse respõdit: Regem cum pacem expetebat capita proposuisse: nunc Pontificem, quando ita rerum status ferret, ut ipsius esset optare, idè facere debere. Hoc modo agebat Põtifex, magis ut præsens periculum euitare, quàm quòd reuera animo esset ad pacem comparatus. unã in eius pectore, metu, pertinacia, odio atq; ira conflantibus. Quo simu! tempore alius casus superuenit, qui ei dolorem duplicauit. Multi Cardinale Papiensem apud eũ accusabant, alij perfidiæ, alij timoris, alij imprudetiæ: qui sponte ad diluenda crimina Ra-

ueniam profectus, quãprimùm uenit, misit qui illi aduentum suum nunciarent, & horam qua se esset auditurus peteret: qua re, Pontifex, qui eum summopere diligebat, uehementer lætatus, ut secum pransum ueniret, inuitauit: quò cum iret, Guidone Vaina, suorumq; equitum praesidio stipatus, Urbini dux, ob ueterem quã cum illo gerebat simultatem, iraq; quòd eius culpa (sic aiebat) Bononia rebellasset, atque ex ea re exercitus fuga uehementer accensus, cum paucis illi obuiam factus, per medios equites eius stipatores, qui honoris causa ei aditum dabant, propius accedens, Cardinalem, fortasse ob tantam dignitatem minimè uiolandum, ob sua autem insignia atque innumera scelera, quouis acerbissimo supplicio dignissimum, manu propria stricto pugione confodit. Cuius cædis rumore repente ad Pontificem perlato, clamoribus miserandis, ciulati- busq; in cœlum usque sublatis lamentari cœpit, eius Cardinalis quem unicè adamaret, interitu supra modum commotus: ac multo magis quòd ante oculos suos, à suo nepote, inusitato exemplo, sacrosancti ordinis dignitas esset uiolata: quæ res eo ipsi erat molestior, quo magis sacrosanctæ sedis auctoritatem conseruare & extollere nitebatur: quem dolorem cum perferre non posset, nec ferorem temperare, eodem die Rauenna ut Romam rediret discessit: cumq; uix dum Ariminum peruenisset, ut eodem tempore infinitæ & grauissimæ calamitates eum undique circumuallarent, Mutinæ, Bononiæ, & in multis alijs urbibus, ad publica loca libellos, quibus concilij conuocatio indicebatur, & ut ipsemet eò ueniret denunciabatur, affixos esse, certior factus est: quoniam Episcopus Gurgensis, etsi Mutinæ digre

digressus, aliquot dies ut à Scotia regis oratore, qui rerum, quas ipsemet Pontifex proposuisset gratia, Bononiam redierat, responsum expectaret, lentè proficisceretur: tamen cum incerta admodum responsa retulisset, statim Cæsaris nomine tres procuratores Mediolanum misit, qui Cardinalibus & Gallie regis procuratoribus coniuncti, in primum proximi Septembris diem concilium Pisis indixerunt. Cardinales Pisas animum conuerterunt, uelut ad locum maris propinquitatem, multis qui ad concilium uenturi erant oportunum, ac Florentinorum erga regem Gallie fide ac beneuolentia tutum, tum etiam quòd alia loca alioqui capacia atque idonea, ipsis uel incommoda uel suspecta erant: uel quæ Pontifex iusto colore improbare potuisset. In Gallia autem alioue in loco regi subiecto, æquum non uidebatur. Constantia, una ex liberis Germaniæ ciuitatibus à Cæsare proposita, quamuis illius celeberrimi concilij quo tribus qui se pro pontificibus gerebant, abdicare iussis, dissidium religionis quod annos quadraginta in ecclesia uiguit, memoria illustris, utrique parti incommoda & suspecta uidebatur. Taurinum, ob Heluetiorum & Gallie regis propinquitatem: Bononia ante à pontificio iure alienata, cardinalibus tuta non erat, post etiam pontificis causa. fuit etiam in deligendis ad concilium Pisis, aliquis ex parte omnis felicitas duorum conciliorum, quæ in ea ciuitate feliciter habita fuerunt, memoria spectata, unum quum penè omnes Cardinales, Gregorio XII & Benedicto XIII qui de pontificatu disceptabant reiectis, in ea urbe Alexandrū V. ad pontificatum assumpserunt: alterum antiquius, circa annum millesi-

mum centesimum tricesimum sextum, ab Innocentio II
 quum Petrus Leonis Romani Antipapa, qui Anacletus
 II nuncupatus huiusmodi seditione non modò Innocen-
 tium, uerùm uniuersam Christianam remp. uehementer
 uexauerat, damnatus est. Florētini id antea Gallia regi
 concesserant qui Concilij conuocationis non minus Cæ-
 sarem quàm se autorem esse, cui etiam Aragonia rex
 assentiretur affirmās ab eis petierat, maiori fortasse ex
 silentio, quàm ex prudentia uel fortitudine animi laude
 digni: nam siue regi id quod eis mo:estū erat denegare
 non essent ausi, siue quot difficultates quātaq; pericula
 concilium quod contradicente pontifice haberetur pa-
 rere posset, non cogitarent, hanc rem in frequenti cen-
 tum & quinquaginta ciuium senatu decretam, ita oc-
 cultarunt, ut Cardinalibus quibus Gallia rex eius rei
 spem, non tamen certam faciebat, utrum concessissent
 necne esset incertum: ad Pontificem uerò nulla notitia
 peruenerit. Cardinales, se sine pontificis autoritate con-
 ciliū cōuocare posse ideo asserabant, quòd Ecclesiam
 dicerent, non solum in membris, sed etiam in capite, hoc
 est, in pontificis persona emendatione indigere: qui (ut
 illi affirmabant) in sacrorum nundinatione, quā Simo-
 niam uocant, & infandis perditisq; moribus inuetera-
 tus, nec ad pontificatum gerendū idoneus: tot præterea
 bellorum autor correctionem nullam (ut cunctis erat
 mortalibus notum) cum totius Christianæ reip. offensio-
 ne admitteret, cuius saluti, nulla alia medicina præter
 concilij conuocationem esset idonea: quam rem cū Pon-
 tifex ipse contempserit, ad ipsos iure conuocandi pote-
 statem deuenisse: accedente præsertim Cæsaris designati
 autoritate, & Christianissimi regis consensu, cum Ger-
 mania

manie Galliæq; sacri ordinis cōcursu. Subiſciebāt eccleſiæ corpori morbo grauiffimo affecto, hac medicina frequēter uti nō modò utile, uerum etiā neceſſariū eſſe ad ueteres errores cōuellendos: ijs qui recenter pullularēt ſupprimēdos: ad dubitationes quæ quotidie exorirētur declarandas & enodādas: ac deniq; ad eā quæ ab initio in bonū finem inſtituta, uſu magiſtro prorsus pernicioſa apparebāt, corrigenda: ideo patres in cōſtantiēſi cōcilio ſalubriter cōſtituiſſe, ut in poſterum decimo quoq; anno conciliū cogeretur. & quonā alio fræno pontifices, ne de recta uia deſlecterent, cōtinerētur? quæ uē aliā ratione in tanta mortalium imbecillitate, in tot uitæ noſtræ ad malū inuitātibus illecebris, ſi is qui haberet ſummā licentiā, nunquā ſuiipſius ſibi reddendā rationē ſciret, tuti eſſe poſſemus? Ex aduerſo alij nō pauci has rationes impugnātes, magisq; theologorū q̄ pontificij iuris peritorum ſectantes doctrinam, conciliorū conuocādorū autoritatē, in Pontificis modò perſona poſitam aſſerebāt, etiā ſi is omnibus uitijſ eſſet infectus, modò ab hæreſeos ſuſpicionē eſſet immunis: quæ res ſi ſecus intelligenda eſſet, in paucorū poteſtate fore (quod nulla ratione eſſet concedendū) uel ambitione, uel priuatis diſiudiciū corruptū falſis coloribus uelando, quotidie tranquillū reip. Chriſtianæ ſtatū immutare: omnia medicamenta ſua natura eſſe ſalutaria, at nec ſuis proportionibus, nec idoneis tēporibus exhibita, uenena potius q̄ medicamēta eſſe: idcirco eos qui ſecus ſentirēt dānantes, hunc conuentū nō conciliū, ſed apoſtolice ſedis quæ una eſſet diuidendā materiā, ſeditionis in Eccleſia Dei ſeminarium, tartarcumq; conuenticulū apellabant.

NONI LIBRI FINIS.

NN

FRANCISCI GVIC-
CIARDINI PATRITII FLO-
RENTINI HISTORIA-
RVM SVI TEMPORIS
LIBER DECIMVS.

C. S. C. interprete.

Pacis inter Pontificem & Galliæ regem ine-
undæ consilia: Lateranense concilium Romæ
ab Iulio Pontifice indictû: Monspolitianus Flo-
rentinis restitutus: Germanorum aduersus Ve-
netos progressus: Iulius pontifex pro mortuo
habitus: in Florentinos atque Pisanos, propte-
rea quòd Pisano cõcilio assensi essent, diræ: Põ-
tificis, Catholici regis, & Venetorum aduersus
Gallos fœdus: de bello, quod Pontifex Floren-
tinis inferre uolebat, disputatio: Pisanum con-
cilium Mediolanum translatum, atque dissolu-
tum: Helueticorum inutilis in Italiam aduētus:
fœderatorum in Ferrarienses atque Bononien-
ses bellum: Venetorum, & Foissei in Gallia Ci-
salpina progressus. Rauennensis pugna: Gallici
imperij in Italia inclinationis initium.



MAXIMA omnium totius Italie animo-
rum, Christianiq; orbis prouinciarũ ma-
gna ex parte suspẽsione, quid Galliæ rex
parta uictoria agendum esse decerneret,
expectabatur. Cum enim Pontificis, & multo magis Ve-
netorum

Aetorū copiae penè omnes fusæ ac dissipatæ fuissent, nec
 alia arma essent in Italia, quæ uictoris impetum possēt
 retinere, Pontifexq; sola pontificia maiestate tectus, omni
 ni alia ratione fortunæ arbitrio relictus uideretur, Ro-
 mam cum toto Pontificis imperio occupare, in ipsius
 potestate esse facillè omnibus constabat: et tamen Galitiæ
 rex, siue religionis reuerentia cohibente, siue quòd si ul-
 terius processisset, ne omnium principum animos in se
 concitaret metueret, uictoriæ occasione sibi minimè u-
 tendum esse statuit: ac magis fortè pio, quàm utili consi-
 lio, Io. Iacobo Triultio, ut Bononia in Bentiuolorū po-
 testate relictæ, & si quid aliud pontificij iuris occupas-
 set, ipsi restituto, quàmprimum exercitum in Mediola-
 nensium fines reduceret, imperauit: mansuetis factis hu-
 manissimas demonstrationes uerbaq; adiunxit: ne quòd
 publicæ letitiæ signum in suo regno ederetur prohi-
 buit: sæpiusq; coram multis, se, etsi nec in sacrosanctam
 sedem, nec in Pontificem ipsum peccasset, nec quidquā
 nisi prouocatus & coactus egisset, tamen ob sedis illius
 reuerentiam se demissè ueniam petere uelle affirmauit:
 persuasus ipsum ex difficultatum, quibus sua cōsilia im-
 plicita essent, experientia edoctum, uanaq; de se conce-
 pta suspicione remota, pacem toto animo exoptaturū:
 cuius nunquam penitus interposita fuerat tractatio,
 quia Pontifex iam antequam Bononia discederet, hac
 de causâ Scotiæ regis legatum ad regem miserat, ut id
 ipsum quod per eundem Episcopum, cum Gurcensi agi
 ceptum fuerat, persequeretur. Regis auctoritatem secu-
 ti Bentiuoli, se nec contumaces, nec rebelles in Rom. se-
 dem esse uelle Pontifici significabāt: imò in ea obediētia
 in qua tot annos pater ipsorum perseuerasset, uelle per-

manere: in cuius rei signum Episcopum Clusinum liber-
tati restitutum, ex pristino more uelut pontificiū legatū,
in Prætorio collocauerant. Discessit igitur Triultius cū
exercitu, & Mirandulam ut recuperaret accessit, quā-
uis Io. Francisci Pici precibus, Vitfrustius quasi eam Cæ-
saris nomine obtineret ingressus, Triultio, ut cum sub
Imperij esset iure, ab ea abstineret, attestaretur: qui tan-
dem uanam autoritatem nō satis esse edoctus, nonnullis
promissis, potius ad Cæsaris maiestatem speciosus, quā in
grauius acceptis discessit: idem fecit Io. Franciscus, fide
publica de supeilectile & hominibus impetrata: Triul-
tius autem cum iam nihil gerendum supercesset, quin-
gentis cataphractis, & mille trecētis Germanis pediti-
bus duce Iacobo, ad Veronæ præsiidiū missis, ceteros ex-
ceptis duobus millibus & quingentis Aquitanis Molar-
do & Mongirone ducibus, quos unā cum grauis arma-
turæ equitib. in mediolanēsis imperij oppida distribuit,
dimisit. At regis desiderio ac spei Pontificis uoluntas nō
respondebat: qui ob reuocatū exercitum, qua re mitior
fieri debere uerisimile uidebatur, ea factus durior, ideo-
quē cum Arimini podagra premeretur, totq; angustijs
septus, potius ut uictor quā uictus per eundem Scotū pro-
ponebat: ut in posterū dux Ferrariensis tributū ante di-
minutionem ab Alexandro Pontifice factā, consuetum
penderet: ut pontificatus nomine uicedominus, ut antea
habebant Veneti, Ferrariæ perpetuus esset: Lucum cū
reliquis oppidis, quæ Alfonsus Estensis in Aemilia possi-
debat pōtifrci traderētur: quæ leges etsi regi admodum
graues uiderētur, tamen tantū erat pacis cum Pontifice
in eundē desiderū, ut se, modò Cæsaris accederet cōsen-
sus, serē omnib. his postulatis assensurū responderit. Pō-
tifex

tificex autem Romam reuersus sententiã mutauerat: eius
 audacia, præter id quod sibi ipse sumebat, Aragoniere
 gis hortationibus fomenta subministrãtib: qui ex Gal
 liæ regis uictoria aucta suspicione, statim omnes ualidos
 apparatus ad trañciendũ in Africam, ubi cum Mauris
 perpetua bella gerebat, factos dimiserat: ac Petrum Na
 uarrum cum tribus Hispanorum peditem millibus inde
 reuocatum, in neapolitarum regnũ miserat: eodẽ tem
 pore & res suas tutiores reddens, & Pontificem à con
 cordia alienum in sua sententia cõsumans. Itaq; se pacẽ
 nolle respondit, nisi unã & Veneti res suas cum Cesare
 componerent, nisi Alfõsius Estensis præter prima postu
 lata sumptus etiam in bello factos reponeret: nisi Rex
 Bononiæ recuperationẽ se nõ impediturum pollicere
 tur: quam urbem tanquam à pontificatu rebellem, iam
 diris subiecerat: & ad agros eorum depopulandos, M.
 Antonium Columnã & Ramazzotum in Aemiliã mi
 serat, qui uixdum Bononiensem agrum ingressi, facile
 à populo pulsati fuerunt. Pontifex nihilominus cũ Romam
 redijt, Cardinaliũ precib. uictus, ut Auscẽsis Cardinalis
 è custodia emitteretur (ad eam enim usq; diẽ in arce An
 gelica custoditus fuerat) ea lege assenserat, ne antequã
 omnes Antistites ac ministri qui Bononiæ capti fuerãt,
 liberarentur, Vaticano egrederetur: & post sub qua
 draginta millium ducatorum mulctã, idoneis sponsori
 bus datis, Roma exire nõ attentaret: quamuis nõ mul
 to post ut in Galliam rediret, modò ne eadem interposi
 ta mulctã cõcilio interesset, permiserit. Pontificis respõ
 so rex eò magis cõmotus est, quo magis ipsum in eas le
 ges, quas ipsemet proposuerat conuenturũ sibi persua
 serat: quocirca cũ Bononiæ recuperationẽ impedire de

creuisset, quadringētos cataphractos eò misit: & paucis dieb. post, eam urbē cum Bētiuolis, nulla ab eis, uel militū, uel pecuniarum suppeditarū accepta obligatione, in patrociniū suū recepit: cumq; Cæsaris cōiunctiōnē sibi tunc maximē necessariā esse animaduerneret, cū antea copias foedere per Gurgēsem inito promissas, nisi ipsemet in Italiā ueniret (hac enim lege promiserat) nō tradere animo agitaret, ut ex mediolanēsi ditione, Paliā duce (nam Triultius quē Cæsar petierat ire recusabat) copiarū promissarū numerus traderetur, imperauit. Cæsar hinc ad bellū aduersus Venetos inflāmatas, ilinc uarijs in animo consilijs agitatū Oenipontē uenerat: cū enim, nisi Patauiū potiretur, omnes suos conatus tandē leues fore animaduerneret, atq; ad id tot uiribus, tātisq; apparatib. opus esse, ut uix cōparari possēt, modo ad concordia cum Venetis, ad quā uehementer cum rex catholicus hortabatur, cogitationes cōuertebat: modo suorū consiliorū uarietate impulsus, cū exercitū Romanam, ut, quēadmodū iam diu exoptabat, totum pontificiū imperiū occuparet, ire meditabatur: ac præter gallias copias, ualidū exercitum secū ex Germania ducturū sibi pollicebatur. At cum ob impotentiā confusioneque res consilijs ipsius minimē responderēt, iam se quotidie uenturū, iam copias missurū promittens, nihil gerendo tempus terebat: ideoq; Gallie regi totū in se onus incumbere admodū graue uidebatur: quæ ratio ab eius tenacitate nō aliena, sæpe plus in ipso poterat, q̄ quòd à multis in contrariā partē ostendebatur: Cæsare, nisi ab ipso potēter inuaretur, tandē hostibus ipsius adhæsurū qua re, præterquam q̄ longē maiores sumptus sustinere cogeretur, eius in Italia imperia in grauissima pericula essent

essent ruitura. In his ambiguitatibus difficultatibusq; civilium armorū tumultus frigescebat: sacerorum uerò tam ex Cardinalium qui Concilij autores erant parte, quàm Pontificis, penitus in hoc malo, antequàm maiores progressus faceret opprimèdo intenti, magis ac magis incalcescebat. Concilium, ut supra dictū fuit, Romano-norum Galliaq; regum autoritate, Crucet, Macloij, Baiuensis, Cosentiniq; Cardinalibus interuenientibus, & Sansseuerinate etiam palàm consentiente, indictum & denunciatum fuerat: consultationibus ac decretis, utriusq; regis procuratores intererant: uerùm quinq; huius pestis autores Cardinales, quo maiorem autoritatē conciliarent, indictioni aliorum Cardinaliū quoq; nomina adiunxerant: inter quos Alibretus Gallus, quamuis inuitus, non potuit regis sui imperio non parere: ex reliquis uerò ab illis nominatis, Cardinalis Adrianus, & Cardinalis Finariensis, palàm, sine suo mandato & consensu factum fuisse affirmabant: quare cum in hac re non plus quàm sex Cardinales manifestarentur, Pontifex eos sponte ab hac insania remoueri posse ratus, rerum commissarū tali cum securitate, ut eis nulla offensio esset timenda, uenia oblata continenter cum illis agebat: quæ omnia Cardinales simulatè audiebant. Nec tamen ideo à potentioribus remedijs abstinebat: imò Antonij à Sansouini monte, unius ex Cardinalibus postremò Rauennæ creatis, ut ferebatur, consilio, quo negligentia notam dilueret, Concilium in proximi Maij calendæ, in urbe Roma, in D. Ioannis Lateranensis templo celebrandum indixit: qua indictione, Concilium ab aduersarijs conuocatum dissolutum: inq; concilium ab se indictum iure, omniū potestatem autoritatèq; trans-

latam esse censebat: quāuis Cardinales cōtrā arguerēt, quod etsi hoc ab initio uerum fuisset, tamen postquam ipsi anteuertissent, debere conciliū ab ipsis conuocatū, atq; indictum locum habere. Concilio promulgato, iam magis suo iuri fidens, & cardinalem Cruceium, qui pōtificatus assequendi cupiditate, magna ex parte huius motus autor fuerat, conciliari posse diffusus: idemq; de Maclouiesi & Cosentino persuasus (de ceteris enim nōdum quin eos ad suam obedientiam esset reducturus, spē auiserat) contra hos tres edictum, quo nisi intra sexagesimum quintum diem se coram ipso sisterent, eos purpurei galeri honore, cunctisq; beneficijs, quæ tenerēt, priuatum iri monebat, promulgauit: quo autem ad id facilius flecterentur, à pontificum collegio, è fori pontificij iudicibus unus est missus, qui eos inuitaret ac rogaret, ut priuatis contentionibus depositis, ad Ecclesiæ cōcordiam redirent: quamcunq; securitatem optarent, se eis impetraturum polliceretur. Quo simul tempore, siue q̄ ambiguus & dubius esset animo, siue alia de caussa impulsus, perpetuò de pace cum Galliæ rege faciēda agentes audiebat: de qua apud ipsum regij oratores agebāt, apud regem uerò idem Scotiæ regis legatus, & Tiburtinus episcopus pontificis internuncius: at ex alia parte cum Aragoniæ rege ac Venetis, nouum in Gallos foedus moliebatur. Eodem tempore Montempolitianum Florentinis restitui curauit: non quidem beneuolentia erga ipsos, sed ne illorum cum Senensibus inducijs elapsis, ut ad id oppidum recuperandum essent potentiores, Gallos in Hetruriā euocarent ueritus: & quamuis Florentinos Montempolitianum recipere pontifici esset molestum, ad eosq; impediendos locum Vite^{llii}

eum centum cataphraëtis Senensium & suo stipendio, & Guidum Vainam cum centum leuis armaturæ equitibus iam Senam misisset, tamen re diligentius expensa, quòd quo maior difficultas appareret, eo magis Florentini ad illos euocandos incitarentur, ne regi copiarum in loca Romæ uicina mittèdarum occasio daretur, huic periculo contrarium adhibere remedium constituit; cui rei Pandulfus Petrucius, à Florentinis artificiosè eadem inbutus suspitione assentiebatur. Per multos dies ea res acta fuit: nam ut plerunq; res parue, non minores habent difficultates, nec minus inexplicabiles quàm maxime, Pandulfus, ne in Senensis populi odium incurreret, sic agi uolebat, ut nullum aliud ad bellum auertendum, & pontificis animum retinendum remedium inueniri posse uideretur. Volebät præterea Pontifex ipseq; Pandulfus, ut eodem tempore inter Florentinos ac Senenses ad eorum imperia tuenda foedus percuteretur: sed uicissim metuebant ne Politiani quod agebatur animaduerso, ipsi ultro deditione facta, Florentinorum gratiã præoccuparent: qui quod optarent assecuti, ad foedus essent postea difficiles: ideo Ioannes Vitellius Montempolitianum missus fuit: & Pontifex Iacobum Simonetã curiæ pontificiæ iudicem qui non multos annos post inter purpuratos cooptatus est, eò misit, ut per ipsum Montispolitiani negocium componeretur: ita ut tandem eodem tempore, inter Florentinos ac Senenses foedus in uiginti quinque annos ictum sit: & Montispolitianus, Simoneta, de uenia & pristinarum immunitatum ac priuilegiorum confirmatione deprecante, in Florentinorum potestatem redijt. Res inter Romanorum regem Venetosq; aliquot menses consueto pacatiores fuerant: quo-

niam Germani copijs non abundantes, & pecunijs egētes, non parum sibi prestitisse uidebantur, si Veronam tuerentur: Venetorum exercitus, cum ad eam urbē expugnandam impar esset, inter Soauium & Leonicum castra habebat: atq; ita nocte quadam ab utraq; Athesis parte, magnam partem Veronensiuū messis incēderunt: quamuis in regressu, ab hoste circumuenti, trecentorum peditum iacturam fecerint. Sed ad Palicia cum mille ducentis cataphractis, & octo millibus peditum, Veronā appropinquantis famam, eorum exercitus Vicentiam, & Lineacum in locum munitum, & tanquā in Insulam propter nonnullas aquas, & fossas ab eis ductas se contulit: quibus in castris non multos dies commoratus est: non quum Palicia, cum copiarum parte Veronam peruenisset, statimq; nec omnibus expectatis, unā cum Germanis in aciem prodisset, illi fugientibus similes Leonicum se receperunt: deinde eodem terrore Vicentia cum ceteris oppidis, & Rhodigina Polineso, nūc Venetorū, nunc Ferrariensium praeda, desertis, pars Patauiū, pars Taurisum ire sunt iussi: ad quas urbes defendendas, eodē modo quo antea fecerant Patauium, multi ex nobilitate Veneta adolescentes uenerunt: à Gallis & Germanis Leonicum direptum: eisdemq; Vicentia, eorum qui extra munitionem superiores essent misera praeda, dedicationem fecit. Sed omnis conatus, omnisq; accessio ad rerum summam dū Veneti Patauium atq; Taurisum tuerentur, parui erat momenti: illarum namq; urbium oportunitate, quāprimū Germani gallicis auxilijs destituebantur, sine difficultate amissa recuperabant: ideo exercitus post hos progressus, complures dies ad Barberanum pontem consedit, Cæsaris uel aduentum, uel

mandatum expectans, qui Tridentum inter & Rouerum profectus, simul, ex more suo & feris uenandis, & militibus ad exercitum mittendis intentus, nunc Patauij, nunc Taurisi, nunc Romæ occupandæ negotio proposito, Montanianam se uenturum promittebat: in his omnibus & suo more uacillabat, & præ inopia difficultates inueniebat, nec in Romana profectioe minus quàm in alijs: nam tanto Gallorum comitatu eò contendere, sibi parum tutum parumq; decorum uidebatur: & periculum ne eo exercitu longius discedente, Veneti Veronam inuaderent, illam ualido præsidio munitam relinquere cogebat: & Galliæ rex tanto loçorum interuallo, copias suas Mediolano abducere egrè concessurus putabatur: propterea quod per exigua concordia cū Heluctijs spes regi relinquebatur: qui præterquàm quod in pontificis uoluntatem se propensos ostendebant, Galliæ regis oratori Venetorum calamitatem gèti ipsorū, propter rerumpub. similem rationem, molestissimā esse apertè dicebant. Tandem uasta Cæsaris consilia & cogitationes, pro eius antiqua cōsuetudine ipsius nomine minimè digna facta pepererūt: additis namq; exercitui trecentis Germanis grauis armaturæ equitibus, & ex alia parte Venetorum auditis oratoribus, cum quibus semper agebat, Piliciaq; primùm Lungariam prope Vicentiam, deinde ad Sanctamercucem uenire iussō, ad Castellonouum locum infrà Scalam, Foroiulium uersus, uiginti à Feltrio milliaribus, expugnandum, quo sibi ab ea parte facilè descensum pararet ire iussit: ea de caussa Palicia ad Montebellonam decem à Tauriso passuum millibus contendit: unde ad Castellinoui iter aperiendū, quingentos equites & duo peditum millia misit: quo

aperto ad Scalam profecti sunt. Quo tempore Venetorum leuis armatura, quæ totam regionem percurrebat, prope Morosticum circiter septingentos pedites, & multos Gallos atque Italos equites fregerit, qui ut tuto in castra peruenire possent, Verona Soauium ut trecentis Gallis equitibus, qui Paliciam secuti eo loco eius imperium expectabant coniungerentur, ibant: & quâuis initio rebus Gallorum ac Germanorum feliciter succedentibus, Guido Rangonius Venetorum ductor captus fuerit, nihilominus multis agrestibus uiris Venetis auxilio uenientibus, circiter quadringentis Gallis peditibus caesis, & Mongirone, ac Ricimarro eorum ducibus captis, Veneti uictores extiterunt. Sed iam indies magis apparatus frigescebat: nam & Gallie rex, Cesaris apparatus promissis non respondere animaduertens, ab Italia recedens ex Delsinatu, ubi multos dies morâ traxerat Blesium redierat: & Cesar eo animo Tridentum reuersus, ut in castra non rediret, pro eo quod se omnia quæ Veneti in continenti possiderent, uel Romam cum uniuersa pontificio Imperio occupaturum cogitauerat, ut Germani in Forumiulij & in Taurisforum fines inuaderent proponebat, non tam ut Venetos uexaret, quam ut oppidanos quò se à præda & direptione redimerent ad pecuniam numerandam cogeret: & Galli ne suos aliquid impediret, progressi, Veronæ, ubi pesilentia uehementer grassabatur, ducentos cataphractos imponerent, ex suis enim si Forumiulij inuadere uellet, nulli præter eos qui ad munitorum locorum custodiam erant destinati, manere poterant. His rebus omnibus Palicia assensus est: & Aubignino Trecentorum cataphractorum qui ad Suauium erant præfecto, sibi adiuncto, ad Plauiam

Plauiam fluium constitit. Prætere a Germani ad maiorem Veronæ securitatem, ducentos equites ad Suauium reliquerunt, qui dum negligentissimè sine uigilibus ullâ ue custodia ibi morantur, una nocte penè omnes, à quadringentis leuis armaturæ equitibus, & totidem peditibus Venetorum pars cæsi, pars capti fuerunt. Hic annus ex more Foro iulienfibus, Istris, Tergestinis, ac Fluminensibus, uarias terra mariq; paruis nauigijs calamitates attulit: miseris his regionibus iam ab hac, iam ab illa parte direptis. Germanicus deinde exercitus Forum iulij ingressus est: cumq; Vtinam prouinciæ caput, ubi Venetorum magistratus sedem habent, accessisset, illis turpiter dilapsis, ciuitas statim deditioem fecit: deinde eodem uictoriæ cursu totam Iulianam prouinciam occuparunt, ita ut singula oppida pro facultatum ratione certam pecuniam numerarèt. Relinquebatur Gradisca ad Lisontium amnem sita, ubi erat Aloysius Mocenicus Iulianæ patriæ præfectus, cum trecentis equitibus, multisq; peditibus: quæ tormentis petita, cum primum impetum sustinuisset, præfidiariorum militum importunitate, præfecto capto in hostium manû deditioem peruenit. Ex Foro iulij, Germani ad Paliciam, quinq; à Tauriso passuum millibus castra he bentem redierunt: quâ urbem, quia Cæsar eius expugnationem uehementer urgebat, coniunctis copijs accesserunt: cum uerò eam undiq; ualde munitam comperissent: fabrisq; ad id & machinis, & alijs necessarijs apparatus carerent, omni uictoriæ spe penitus amissa, recesserunt. Post paucos dies Palicia regis iussu, quoniam indies nouorum fœderum, & motus Heluetiorum metus augebatur, in Mediolanensium fines rediturus discessit. Quem in regressu Ve-

netorum Epirotæ saltem in Athesis & Brentæ transitibus se ei posse nocere sperantes, semper à tergo infsecuti sunt: nihilominus ducentis Venetorum equitibus, qui extra Patavium castra habebant antequam Brentam trajiceret, direpti: & Petro Lunghera eorum duce capto, incolumis iter fecit. Eius discessus Germanos admodum perturbatos reliquit: cum enim, ut ad Veronæ præsidium super alios trecenti Galli cataphracti relinquerentur obtinere non potuissent, omnibus quæ ea æstate occupa- uerant hostibus prædæ relictis, Veronã se recipere fuerunt coacti. Ideò Venetorum copię, quibus ob Lucij Maluctij obitum, Ioannes paulus Ballio imperabat, statim Vicentiam receperunt: deinde Forumiulij ingressæ, Cremonsa diruta, totam regionem, præter Gradiscam frustra oppugnatam recuperarunt: quamvis paucis diebus post, nonnulli pedites in Tirolensi comitatu conscripti, Cadorum expugnarint, Bellonamq; diripuerint. Hac ratione, leuibus, paruiq; momenti rebus gestis, ea æstate bellicæ res exitum habuerunt, sine utilitate, sed non sine Cesariani nominis ignominia, Venetorum autem existimationis incremento: ut qui biennium iam à Cesaris Gallięq; regis exercitibus oppugnati, ad extremum easdem uires idemq; impertum retineret: quæ etsi directò in Cesarem tenderent, multò tamen magis Gallię regi nocebant: dum enim, uel Cesaris felicitatem & incrementum timens, uel ex falsis iactis fundamentis consiliũ capiens, nec iam proxima pericula cernens, uel auaritia prudentiam opprimente, non ea auxilia Cesari dat, ex quibus optatam uictoriam sperare posset, præbuit illi occasionẽ, eumq; penè coegit, ut ijs qui eius ab se alienationem moliri nunquam desistebant, aures

accõnẽ

accommodaret: eodem tempore Venetis in eo statu cō-
 seruatis, ut maioribus uiribus ijs se possent coniungere,
 qui eius potentiā deprimere cupiebant: unde iā in Cæsa-
 ris mēte, præsertim uerò in cōcilij negotio, nouorū cōfi-
 liorū aliquod signū incipiebat elucere: quo in negotio,
 præcipue post concilij Lateranensis promulgationē re-
 fixisse uidebatur: cum nō ut sæpius promiserat aliquos
 Germanos Antistites Germaniæ nomine mitteret, nec
 procuratores qui suo nomine sederent: nec Galliæ regis
 exemplo moueretur, qui communi ecclesiæ Gallicanæ
 nomine, uiginti quatuor Episcopos eò delegauerat: re-
 liquas omnes regni sui Antistites, uel ipsosinet proficisci
 uel procuratores mittere iusserat, & nihilominus, siue
 ut hanc dilationē excusaret, siue quòd reuera tale esset
 eius desiderium, hoc tempore, ut pro maiori Germano-
 rum Antistitum commoditate, & quòd se interesse uelle
 diceret, concilium Pisis indictum, aut Mantuam, aut Ve-
 ronam, aut Tridentum transferretur, postulare cœpit:
 quæ petitio uarijs de causis reliquis omnibus molesta,
 tantummodò Cruceio cardinali erat grata: qui pontifi-
 catus cupiditate inflammatus, in quem finem hæc dissi-
 dia fruerat, Cæsaris gratia, cuius erga se beneuolentiæ
 finitimum confidebat, facile eò se peruenturum spera-
 batur: cum concilij causa sine Cæsaris autoritate
 dilata, ac penè manca relinqueretur, de communi
 consensu Sanseuerinatem cardinalem legarunt: qui eū
 rogaret, ut Antistites, & procuratores toties promissos
 mitteret, suamq; omnium nomine obstringeret, quam-
 primū concilium Pisis inceptum esset, in eum ipsum
 locum, quem ipsemet nominaret, translatum iri: quod
 si ante fieret, communi causæ plurimum obfuturum o-
 stenderet: præsertim uerò illud maximi esse momenti,

concilium à pontifice indictum anteuertere. Cum Cardinale ad idem Gallie regis nomine petendum, eius frater Galeacius profectus est, qui felicitate ab Ludovici Sfortie prioris domini infelicitate dissimili, Archipocomi (magnum Scutariū uocant) munere ab ipso ornatus fuerat. Rex autem eum misit, præcipuè ut uarijs sollicitationibus, nouisq; conditionibus Cæsaris animū confirmaret: ob cuius uarietatem, in maxima ambiguitate ac suspitione uersabatur: etsi eodem tempore pacis cum Pontifice spe non careret: quæ cum Romæ per Nanetensem & Strigoniensem Cardinales, in Gallia uerò per Scotum & Tiburtinum Episcopos ageretur, eò usque perducta erat, ut penè omnibus capitibus compositis, Pontifex conficiendi auctoritatem Tiburtino Episcopo miserit: quamuis mandato aliquas leges interposuerit, quæ non mediocrè uoluntatis à uerborum sono discrepantis, cum præsertim illum eodē tempore penitus his contraria cum multis principibus consilia miscere comperitum esset, suspicionem dabant. Qua in ambiguitate dum ea aguntur, parum absuit, quin pontificis repentinus casus, omnia consilia, & malorum quæ parabantur initia truncharit: qui decimasextima Augusti die in morbum incidēs, quarto ægritudinis die adeò ingenti animi defectu oppressus fuit, ut per aliquot horas à suis ministris pro mortuo fuerit habitus: unde ipsum diem supremum clausisse, undiq; fama peruagata, multi Cardinales absentes, & inter reliquos, qui concilium conuocauerant, Romam uersus contenderent. Nec uerò Romæ minor quàm in pōtificum morte extitit commotio: imò maiorum tumultuum semina apparuerunt: quoniam Pompeius Columna Episcopus Reatinus, Antimusq; Sabell

Sabellus, iuuenes in Romana nobilitate seditiosi, populo Romano in Capitolium conuocato, turbulentissima oratione eum ad libertatem capescendam inflammare conati sunt. Sed dum nimia ambitione populum Rom. ad publicam rebellionem concitare conantur, Pontifex à tam periculoso casu respirauit: quo aliquantulum leuatus, maiore tamen ipsius uitæ metu quam spe, sequenti die cardinalibus quasi in iustum senatum congregatis nepotem à Cardinalis Papiensis cæde haud quidē causa in iudicio (quòd temporis exiguitas non patiebatur) acta, quemadmodum antè fuerat constitutū, sed tanquā facti pœnitentem, gratia atq; indulgentia absoluit: & in eodem senatu successoris electionē legitimè fieri procurauit: cumq; alios eis artibus quibus ipse usus fuerat, ad tantum gradum ascendere prohibere uellet, legē ambitus in eos qui uel pecunijs, uel alijs corruptelis ad pontificatum aspirarent, horrēdis pœnis resertam promulgauit: eaq; electionem aduersum hanc legem factā profus sustulit: & cuius cardinali ad eam impugnandā admodum facilem aditum patefecit: quam legem, iam tum cum Bononiæ esset, in nonnullos cardinales qui palam, ut post eius obitum ad pontificatum assumerentur, cum alijs Cardinalibus paciscebātur, indignatus tulerat. Ex eo die, siue id ex eius admodum firma corporis constitutione proueniret, siue fatis eum, ut diuturnarum & maiorum in Italiæ calamitatum autor ac præcipua causa esset conseruantibus, sanitatis signa euidentiora entuerunt: neq; enim medicorum curæ aut remedijs, quibus in supremo egritudinis ardore, crudis pomis, rebusq; illorum præceptis contrarijs uescens, nulla ex parte parebat, eius salus tribui poterat. *Quamprimum*

mortis periculo liberatus fuit, ad consuetos labores cogitationesq; redijt: simulq; & pacem cum Gallie rege, & ad Gallorum perniciem foedus cum rege Aragonie ac ueneto senatu moliebatur: & quamuis animo magis ad bellum quam ad pacem propenso esset, aliquando tamen multis rationibus modò in hanc, modò in illam sententiam distrahebatur: ad bellum præter inueteratum in Gallie regem odium, & quòd non omnia quæ cupiebat in pace consequi posset, regis quoq; Aragonie tunc potissimum ne Gallie rex rebus cum Pontifice compositis, statim data occasione regnum neapolitanum inuaderet, metuentis, contrarie suasiones incitabant: & quo maiorem hæc consilia haberent autoritatē, præter priorem classē, Petro Nauarro duce, ex Africa in Italiam transfuectam, denuo aliã ex Hispania miserat: qua quingenti grauis armaturæ, sexcenti leuioris, quos Giannetarios appellant, equites, & peditum tria millia transportari dicebãtur: quæ uires alijs additæ, nec numero, nec hominum uirtute erant parui momenti: & tamen idem rex consuetis artibus usus, bellum in Mauros magis cupere, nec utilitate, aut proprii cõmodi gratia, aut alia re, quam sua perpetua in pontificiam sedem obseruãtia ab eo remoueri præ se ferebat: cū uerò solus suos milites fouere non posset, Pontificis & senatus ueneti auxilium sibi esse necessarium: ad quæ quo facilius acquiescerent, eius copię quæ omnes in Capreas insulam prope Neapolim descenderant, transitum, in Africã comparare sungebant: uerum immoderatæ petitiones Pontificem terrebant: artes molestiam afferebant: & quòd is rex contrarias spes Gallie regi dare nõ cessabat, ipsi notum esset, suspiciõnē mouebat: Venetos à sua uoluntate

tate non deflexuros sciebat: uerū grauiſſimo bello ſumptuum faciendorum facultatem exhaustam eſſe, & ſenatum per ſe tunc temporis potius ad res ſuas tuendas, quā ad nouum bellum, quod niſi maximis, & penē infinitis ſumptibus geri poſſet ſuſcipiendum, propenſum eſſe intelligebat. Heluetios propter communem multitudinis propenſionem Gallie regis hoſtes ſe declaraturos ſperabat: ſed cum eius rei nihil certū haberet, eoſq; nunquā Gallie regis actiones penitus reieciſſe, & multos ex principibus gentis, ad quos ex Gallica amicitia maxima emolumenta perueniebant, totis uiribus incubere, ut in comitijs quæ proximè erāt futura, cum rege ſœdus renouaretur, notum eſſet, nō uidebantur incerta ſpe tot pericula ſubcunda: de Cæſaris animo, quāuis uehementer à Catholico rege incitaretur, & ſuapte natura gallico nomini inſeſiſſimus eſſet, minus ſperabat quā timebat: cum præſertim ſciret ingentia recenter tum in ſe, tum in Venetos illi fuiſſe oblata: & ſimul gallie regē maiora poſſe præſtare, quā quiuis alius promittere: quòd ſi Cæſar ei regi coniungeretur, illius autoritate cōcilium admodum ſormidabile futurum, eiſq; armis bona fide, Gallie regis uiribus ac pecunijs, et cum utriuſq; regnorum oportunitate iunctis, nulla uictorie ſpes Pōtifici relinquebatur, quæ uel aduerſus regem Gallie ſolum, ualde etiam difficilis erat: animum ipſius erigebat, quòd Anglie regem, Catholici regis ſoceri ſui conſilijs & cohortationibus, necnon ſacroſanctæ ſedis autoritate, quæ tunc in Anglia erat maxima: & cuius nomine ardentiffimis precibus illius opem aduerſus Gallie regem tanquam Eccleſie tyrannum & euerſorem implorauerat, impulſum, Gallie regno bellum illaturū ſperaret.

Sed enim illum regem insitum à natura Angliæ regibus cunctis, & populis in gallicum nomen odium, iuuenilis ætas, atq; ingens pecuniarum copia à patre relicta (quam fama erat, non à leuibus orta autoribus, ad uim incredibilem ascendere) multò magis incitabant: quæ res adolescentem, nouum regem, quiq; in domo sua nihil unquam nisi prosperũ fortunæ cursum uiderat, maiorum suorum gloriæ renouandæ cupiditate inflammabant: qui Galliæ reges appellati, diuersis temporibus uictores eo regno maximis bellis uexato, non modò Ghennam Normaniamq; opulentas potentesq; prouincias diu possederant, ac prælio apud Pictones commisso Ioannem Galliæ regem cum duobus liberis, multisq; regni principibus ceperant: uerum etiam Lutetiam Parisiorum totius Galliæ caput, cum optima regni parte, tanto successu & terrore occupauerant, ut constans opinio sit, Henricum V, nisi in ætatis flore, atq; in ipso uictoriarum cursu morbo esset extinctus, totum Galliæ regnum occupaturum fuisse. Quorum triumphorum memoriam, cum nouus Rex animo uolueret, etsi pater eius moriens, pacem cum Galliæ rege in primis tueretur præcepisset: qua sola Angliæ reges tutò ac feliciter regnare possent, incredibili ardore mouebatur: bellum uerò ab Anglis, regi Galliæ præsertim eodem tempore alijs bellis implicato, illatum, quod & illius regni uisce rapeteret, & rerum præteritarũ recordatione, Anglicum nomen Gallis admodum esset formidabile, maximi momenti esse nemini dubium erat: tamen Pontifex ob barbaræ fidei inconstantia, & regionum longinquitatè motus, sua consilia stabilire non poterat. Hæ erant Põtificis spes, atq; ijs cogitationibus agitata. Ex altera

parte

parte rex Gallie à Pontificio bello abhorrebat, pacēq; exoptabat, cuius interuentu & inimicitiam Pontificis amouebat, & se ab importunis Cæsaris petitionibus, ac seruiendi necessitate liberabat: nec in concilio Pisano, à se solummodo ut Pötificis animum hoc metu ad pacem flecteret introducto, modò cardinalibus, alijsq; qui uel cōsensisset, uel adhæsisset ignosceretur, tollēdo, difficilis erat. Contrà uerò Bononiæ restituēdæ postulatio, q; eius ciuitatis situs ad se instandū esset maximè oportunus, eum suspensum tenebat: uerebatur enim, ne Pötifex nō sincerè pacem acciperet, nec si occasiones redirent, animo ad tuendam prompto, sed ut se à præsenti cōcilij armorumq; periculo liberaret: Cæsaris tamē animum magna pollicendo se posse confirmare sperabat: q; etiam tum non tanquā alienatus, sed uelut socius de cōmunibus rebus secum ageret, & inter cetera ne Bononiam tanti momenti urbem in Pontificis potestatem redire sineret hortaretur. Aragoniæ uerò & Angliæ regib. etsi unius iam penè apertæ essent actiones, & de alterius mente sparsi rumores: & quāuis eorū legati simul coniuncti, prius moderatis uerbis, atq; in speciem officiosis & amicis, mox uehemētioribus, ut Cardinales regniq; sui antistites ad Lateranense concilium ire iuberet, & ad Pötificem Bononiam sacrosanctæ sedis ciuitatē redire permitteret hortati essent, nō penitus diffidebat: quoniam hinc Anglo in foedere se permanere uelle simulatē, multisq; ex suis eius rei fidem facientibus, illum aliquid in se moliturum non credebat: illinc Aragonij artes & simulationes eiusmodi erant, ut rex minore factis quàm uerbis, quibus se nunquā aduersus ipsum arma sumpturum afferebat habita fide, regē illum cum hostib. aperto

marte non esse facturum, quemadmodum occultis cōsi-
 lijs faciebat, ex parte sibi persuaderi permitteret. Qui-
 bus uanis opinionib. ita decipiebatur, ut cum ab ijs qui
 apud Heluetios factionem ipsius sequebantur, eam gen-
 tem si de augendis pensionibus assentiretur, recōciliari
 posse spes fieret, quòd sibi multa imponi nolle diceret,
 denuo pertinaciter denegarit: imò remedijs asperiorib.
 ubi mitioribus erat opus adhibitis, ne ex mediolenensi
 agro commeatū habere possent uetuit: quo cū ob regio-
 nis sterilitatem maximè indigerēt, illos ea ratione ad foe-
 dus ueteribus conditionibus redintegrandū flecti posse
 sperabat. Interea dies primus Septēbris superuenit, Pi-
 sani concilij auspicijs destinatus: quo die procuratores
 Cardinaliū Pisas profecti, illorū nomine quæ ad aperiē-
 dum conciliū requirebantur peregerunt: quare Ponti-
 fex uehementer cōmotus, quòd Florentini ut id cōcilia-
 buli in sua ditione fieret, assensi essent (hoc enim nomi-
 ne semper appellabat) Florentiā & Pisas, & quotquot
 ei conciliabulo fauerent, sacris interdixit, dirisq; deu-
 uit, omnibusq; eis pœnis, quæ seuerissimis legib. in schis-
 maticos atq; hæreticos (consecratis enim uerbis mihi est
 utendum) sunt lata, subiecit, eisq; armorum uim mina-
 tus, Medicem Cardinalē Perusiæ legatum legit: & post
 paucos dies defuncto Cardinale Rhegino Bononiæ lega-
 to, ad eam legationem transtulit: ut eorum imperij amu-
 lo tanta cum autoritate in finibus illorum propemodū
 constituto, eos in metū confusionemq; conijceret: ex eo
 enim statu in quo tunc illa ciuitas erat, facile id fieri pos-
 se sperabat: nam præterquā q. Mediceæ familiæ reditū
 nonnulli optabāt, inter optimates discordiæ factionesq;
 antiq;æ eius urbis egritudines regnabāt, hoc tempore
 ex reip.

ex reip. Vexilliferi potentia & autoritate suscitata: quã alijs ambitione & æmulatione incitati ferre nõ poterãt: alijs ipsum in deliberationibus fortè plus quàm eius dignitati conueniret sibi sumere: reliquis eam partem nõ relinquere quam eorum dignitas increbatur molestum erat: querebanturq; ciuitatis statum in duobus extremis hoc est in publico capite, & populari consilio positum ex recta rerump. forma, bene constituto senatu carere: cuius beneficio, præterquam quòd esset uelut quoddam inter duo extrema temperamentum, optimates, quiq; uirtute præstarent, digniorem in rep. gradum assequerentur: Vexilliferum autem præcipuè ad hoc ipsum ordinandum delectum, uel ambitione, uel inani suspitione contrà facere aiebant: quod desiderium quamuis æquum, non tamen tanti ponderis, ut illorum animos in factiones distrahere debuerit: nam etiam sine hoc honestum locum obtinebant: nec sine illis publica negocia deniq; perficiebantur: quæ res in ea ciuitate grauissimorum malorum origo, & præcipua caussa fuerunt. Ab his initijs inter ciues orta dissensione, cū Vexilliferi æmulis, ipse eiusq; frater Volaterranus Cardinalis è Gallie rege pendere, eiusq; amicitia plurimum fidere uiderentur, ea quæ in regis gratiam decernenda erant, Pontificem superiorem esse cupientes omni ratione impedire conabantur. Hinc quoq; fiebat, ut Medicæ familie nomen minus odiosum esse in ea urbe inciperet: quoniã potentiores ciues qui reditum illorum non cupiebant, ob Vexilliferi æmulationem, non amplius cum alijs ad eos persequendos, nec (ut aliàs factum erat) ad reliquorum ciuium cum illis commercia impedienda conspiciabant: quin ut Vexilliferum urerët, se ab illorum ami-

citia non alienos ostendentes, alijs ad eorum dignitatē
 expetendam ferè ansam præbebant: ex quo illud fiebat,
 ut non modò ij qui reuera illorum erāt amici, qui qui-
 dē magni non erant momenti, rerum nouarum spes
 conciperent, sed etiam multi nobiles adolescētēs uel im-
 moderatis sumptibus, uel priuatis odijs, uel alios digni-
 tate superādi cupiditate incitati, status mutationem ex
 illorum rōditu appetere; hanc autem animorum affe-
 ctionem per multos annos summo astu nutrierat auxe-
 ratq; Cardinalis Medices: nam post Petri fratris, cuius
 nomen formidabile & inuisum erat, obitum, Florētinis
 rebus sese immiscere nolle, nec ad pristinam suorum am-
 plitudinem aspirare fingens, semper omnes Florētinos
 qui Romā irent humanissimè acceperat, omniumq; ne-
 gocijs promptè susceptis, nec minus quàm aliorum, eo-
 rum qui se fratris inimicos ostenderant, omnem culpam
 in eum transferens, quasi odium & offēnsiones illius
 morte essent extinctæ: quo in agendi modo cum plures
 annos perseuerasset, fama quam in Romana curia com-
 parauerat comite, hominis erga omnes natura libera-
 lis, comis & humani, Florētiæ multorum gratiā pro-
 meruerat: & ideo Iulius, Florentini status perturbandi
 cupidus, non imprudenter illum ei legationi præfecit.
 Florentini à Pontificis sententia ad sacrum (suppressa
 Pisani ut minus læderent appellatione) & uniuersæ Ec-
 clesiæ concilium prouocarunt: & perinde ac si senten-
 tiæ latæ uis, prouocatione esset suspensa, suppremi
 magistratus præcepto, quatuor præcipuorum templo-
 rum sacerdotes res sacras in suis templis publicè pera-
 gere coegerunt: ex quo magis ciuium dissensio, cum sa-
 cro, sanctam autoritatem uel obseruare, uel cor temnere
 in cuius

in cuiusq; esset arbitrio positum, apparebat. Quocirca Aragoniæ Angliæq; regum legati denuo apud regem Gallie agere cœperunt, pace cum Pontifice oblata, ea conditione, si Bononia Pontifici redderetur, & Cardinales ad Lateranense concilium proficiscerentur: quibus ueniam Pontificis nomine pollicebantur. At rex cū propter Bononiam assentiri nollet, se urbem contumacem & ab ecclesia alienam non tueri respondit, cum eius imperio ac nutu nūc, quemadmodum & per multos annos ante Iulij pontificatum gubernaretur: qui maiorem autoritatem quam eius maiores habuissent sibi deponere non deberet. Concilium Pisanum, honestissimo ac sanctissimo consilio introductum fuisse, ad ecclesiæ apertos & non ferendos errores, corrigendos, cui, si Pontifex (ut æquum erat) ad id concilium ueniret, sine seditionis uel diuisionis periculo antiquus splendor facile reddi posset: se ipsius immiti natura, animoq; ad bella & offensiones accenso coactum fuisse Bononiæ patrocinium suscipere: quam honoris sui caussa non secus tueri uellet, quam Lutetiam ipsam Parisiorum urbem esset defensurus. Pontifex igitur omnibus pacis cogitationibus depositis, ob antiqua odia animiq; impotentiam, ob Bononiæ cupiditatem, & concilij odium ac metum, ac deniq; si in deliberando diutius hæreret, ne ab omnibus desereretur ueritus: quia iam Hispani milites quasi in Africam essent traiecturi, ad Capræas insulam naues conscendebant, fœdus quod cum Catholico rege & ueneto Senatu tractabatur perficere statuit: quod quinto Octobris die coram Pontifice, Pontificumq; collegio in diuæ Mariæ Popularis, solenni ritu promulgatum fuit: cuius hæc erant capita. Fœdus hoc præcipue ad ecclesiæ

concordiam uendam fieri: & ad Pisanum conciliabulum
 in praesentis imminentis anteuertendi causa, extirpandae
 Aragoniam quae optimo iure ad sacrosanctam sedem per-
 ueneret, reliquaque oppida & loca quocumque modo ad
 pontificatum spectantia (quibus uerbis Ferraria com-
 prehendebatur) recuperanda, atque ad eos qui sese his re-
 bus opponerent, aut quouis modo impedire niterentur
 (his uerbis rex Galliae notabatur) Italia pellendos ualidus
 instrueretur exercitus, in quo Pontifex quadringen-
 tos grauis, quingentos leuis armaturae equites, sex millia
 peditum aleret: senatus uenetus octingentos cataphractos,
 mille leuis armaturae equites, militum octo millia: Arago-
 nius uero cataphractos mille & ducetos, equites leuis ar-
 maturae mille, & Hispanorum peditum decem millia, ad
 quos fouendos Pontifex toto belli tempore in singulos men-
 ses uiginti ducatorum millia numeraret, totidemque uenetus
 Senatus, duorum mensium stipendio in praesentia nume-
 rato: intra quos menses in Aemiliam, uel quocumque foed-
 erati conuenissent, & ipsi conuenirent, Aragoniae rex
 duodecim triremes armaret, Veneti quatuordecim, qui
 eodem tempore in Insubria Galliae regi bellum inferrent:
 his copijs uniuersis Raimundus Cardona, patria Catela-
 nus, tunc temporis regni neapolitani Prorex praesisset,
 si in Insubria aliquod oppidum, quod imperij Veneto-
 rum fuisset, caperetur, eius esset, cui a Pontifice adiudi-
 catum esset: sed Pontifex statim peculiari scripto Vene-
 tis restitui debere declarauit: Caesari & Angliae regi in
 hoc foedere est relictus locus: illi, in spem, dubiam tamen
 eum a Galliae rege tandem posse disiungi: huic, expresso
 Eboracensis Cardinalis consensu, qui semper foederis
 consilijs interfuit: quo foedere icto, Hieronymus Dona-

tus Venetus orator, prudentia ac dexteritate sua pontifici admodum gratus, quiq; eam ob causam patriæ in sua legatione ualde utilis fuerat, obiit. Hoc sœdus à Põtifice, Italiæ à Barbaris liberandæ specie percussum, uarias in hominum animis pro studiorum ingeniorumq; uarietate interpretationes excitauit: multi enim nominis splendore suauitateq; capti, tam sublime consilium summis laudibus in cœlum efferebant: & munus reuera pontificia maiestate dignum appellabât: nec Iulij animi altitudinem, generosum magis negocium, nec minus prudentiæ, quàm magnanimitatis plenum potuisse suscipere, cum sua industria Barbarorum arma in Barbaros commouisset: unde maiori externi quàm Italici sanguinis copia aduersus Gallos effusa, non modò sanguini nostro parceretur, uerùm una partium pulsa, faciliè admodum foret Italicis armis alteram iam debilitatam eneruatamq; tota Italia profligare: alij fortè interius rerum naturam rimati, nec oculos sibi nominis splendore præstringi passi, uerebantur ne bella Italiæ à Barbaris liberandæ gratia incepta, multò magis uitales huius corporis spiritus exinanirent, quàm illa quæ apertè & certissimo eius opprimendæ consilio cœpta fuerant, & maioris temeritatis quàm prudentiæ esse, sperare, Italica arma, uirtute, disciplina, existimatione, & ducum auctoritate uacua, nec principum suorũ animis coniunctis, ad uictorem Italia pellendum fore idonea: quibus etsi omnibus reliquis remedijs deficeretur, facultas uictis, se iterum ad communem omnium Italorum perniciè coniungendi, nunquam esset defutura: multoq; magis uerèdũ esse, ne hi noui motus, nouis gentibus Italiæ diripiendæ occasionem darent, quàm Pontificis ac Venetorum

coniunctione Gallos & Hispanos domari posse sperandum: Italiae optandum esse ut discordiae & Principū nostrorum malè sana consilia externis armis aditum non patefecissent: uerum postquam suo infortunio duo nobilissima membra ab Galliae, Hispaniaeq; regibus essent occupata, minorem calamitatem ducendam, si uterq; tamdiu mansisset, donec diuina clementia, uel fortunæ benignitas maioribus fundamētis nixas occasiones adducerent (quoniam ex duorum regū æquilibritate, eorū qui nondum seruibant libertas defendebatur) quam si inter se hostilia arma miscerent: quibus, uigente bello, partes adhuc integræ, direptionibus, incendijs, sanguine, miserandisq; casibus lacerarentur: ac deniq; uter illorum uictor existeret, totam acerbiori atrocioriq; seruitute afflicturus esset. Pōtifex uerò qui secus sentiebat, spiritibus suis nouo fœdere auctis magisq; inflammatis statim elapso tempore, Cardinalibus concilij autoribus ad resipiscendum præscripto, publico Cardinalium Senatu solemnī ritu conuocato, ornatu pontificio in loco qui regia dicitur sedens, Cardinales Cruceium, Maclouiensem, Cosentinum, & Bellocasium purpuratorum ordine excidisse, & omnibus pœnis, quibus hæretici ac schismatici subijciuntur, obnoxios declarauit: præterea, admonitionem eadem forma in Sansuerinatem Cardinalē, cui ad eum usque diem non fuerat molestus, promulgauit: eodemq; ardore ad armorū consilia progressus, Hispanorum aduentum continenter urgebat: et ut ante omnia infestis armis Florentini peterentur in animo habebat, ut eam remp. Medicea familia in pristinum restituta, ad sociorum uoluntatem induceret: nec minus ut immensum odium aduersus Petrū Soderinum

Vexilliferum conceptum exaturaret, quasi illius autoritate factum esset, ut Florentini nunquam uoluerint à Gallia rege diuelli: ac deinde concilium Pisis celebrari permiserint: cuius concilij multis indicijs Florentiam usque perlatis, cum ad bellum sustinendum uarij apparatus fieret, fuit inter cetera propositum, ualde æquum esse, ut bello à Pontifice iniuste illato, templorum sacerdotumq; fortunis obuiam iretur: eamq; ob causam ad maximam pecuniæ summam depromendam sacerdotum natio adigeretur: ita tamē ut tuto loco deposita, ea, nisi bellum esset non uterentur, belli uerò timore sublato, ijs qui dedissent, restitueretur: cui rei à multis ciuibus contradicebatur: atq; ab ijs præsertim qui pœnas pœtificijs legibus in libertatis ecclesiarum uiolatores constitutas formidarent: maxima uerò pars, ut res à Vexillifero, à cuius autoritate præcipuè hoc consilium manare notū erat, propositas impugnarent: sed cum Vexilliferi diligentia, & multorum præterea propensione, noua lex ad hoc constituta in minoribus conuentibus esset recepta: nec aliud præter maioris senatus, qui ad hoc ipsum erat conuocatus, approbationem quidquam deesset, Vexillifer pro lege in hanc sententiam loquutus est:

Nemo est, præstantissimi ciues, qui qualis semper Pontificis in uestram libertatē animus fuerit iure possit ambigere, non modò ex ijs quæ in præsentia apparent, quòd tam præcipitanter, multis uestris uerissimis rationibus non auditis, nec spe, qua nos effecturos esse pollicebamur, ut intra paucos dies concilium Pisis tolleretur, admissa, nobis sacris omnibus interdixerit: sed multò magis ex totius pontificatus illius actionum recordatione, quarum ut breuiter partem aliquam commemo-

rem (omnes enim nimis longū esset) quis est qui ignoret, nos in bello quod contra Pisanos gessimus, etsi sæpius supplices rogauerimus, & causæ æquitas id posceret, eumq; ignem qui non multis annis ante grauissimarum perturbationum caussa fuerat extinguere ad Pontificij imperij securitatem, & totius Italiae quietem pertineret, nullam opem, nec apertam, nec occultam ab eo consequi potuisse? imo, quemadmodum iam tunc suspicio fuit, & post nostram uictoriam semper certiores facti sumus, quoties Pisanorum nuntij ad illum ueniebant, benigne audiebat, uarijsq; pollicitationibus eorū pertinaciam fouebat, quæ res in illo non erat noua, sed iam tunc Cardinalis cum esset incepta: nam quod neminem uestrum latet, gallico exercitu Pisis remoto, quantum potuit apud regem Gallie & Cardinalem Rotomagensis, ut nobis exclusis Pisanorum patrocinium suscipere, procurauit. Pontifex factus, nunquam aliquid quod illorum interum, quæ Pontifices largiri liberaliter solent, nostræ recip. concessit, in tantis enim nostris difficultatibus & angustijs, nunquam permisit, ut uel semel sacerdotum fructibus iuuaremur, ut sæpius Alexander sextus, quamuis tantus huius recip. hostis concesserats sed in rebus minoribus eodem animo quem in maioribus gerebat ostenso, etiam à sacerdotibus pecuniam quæ publicum Gymnasium foueremus quamuis exiguam tot Pontificum continuatis priuilegijs cōcessam, quæq; in pium doctrinæ ac literarum usum uertebatur accipere uetuit. Quod per Bartolomeum Aluianum Romæ cum Ascanio Cardinale, non sine Pontificis consensu tractatum fuit, cuius rei tunc non pauca neque obscura indiciâ, moxq; manifesti effectus existitissent, nisi qui
inter

intererant reliqui potentiores, Cardinalis improuisa morte pedem retulissent: & sublatis etiam primis fundamentis, nunquam æquis nostris præcibus assentiri uoluit, ut Aluianum in romano agro milites conscribere aut alere prohiberet: quinimò Columnijs atq; Sabellis, per quos paruo sumptu pericula nostra auertissemus, eorum qui in nos arma iafesta comparabāt, oppida inuadere prohibuit. In Senēsiū rebus, Pandulfi Petrucij semper aduersus nos patrociniū suscepto, minis nos ad inducias protendendas astrinxit: nec deinde aliam ob causam, ut Montepolitianum, ad cuius defensionem milites Senam miserat, recuperaremus procurauit, nisi quod metuebat, ne gallicus exercitus à nobis in Hetruriam euocaretur. A nobis autem nullam unquam offensionem acceperat, quin semper decenti reuerentia nos erga Pontificatum gessimus, illi priuatim in omnibus postulatis, quæ in potestate nostra essent gratificati sumus, nullo obligationis uinculo astricti, imò contra propriam utilitatem ad Bononiense negocium copias concessimus: at nulla officij, nulla obsequij ratione animus illius placari potuit, cuius cum multa alia extent signa, tum illud euidentissimum, quod ne odio uidear impuissus, & quia in uniuscuiusque memoria esse scio, tacitus præterire uolo, de eo dico, quod ijs qui se me interfekturos (ut lenissimis uerbis) pollicebantur, aures accommodauit: non quidem odio mei, à quo nulla est unquam iniuria affectus, & quem Cardinalis cum esset, semper honorificè acceperat, uerum ardentem quo uestra uobis libertatis adimendæ cupiditate flagrat: nam cum semper studuerit ut hæc respublica immoderatis iniustisque suis cupiditatibus seruiret, ipsius

expensarum periculorumq; esset particeps: nec ex con-
 siliorum uestrorum moderatione ac maturitate, temera-
 rium aliquid aut præceptis decerni posse speraret, ad ty-
 rannidem in hanc urbem inuehendam finem suum dire-
 xit: tyrannidem inquam, quæ ex illo pendeat, quæ non
 ad uestra commoda consilia dirigat, remuepubl. gerat,
 sed ex illius libidinis impetu ducatur: quibus, dum sibi
 uista infinitaq; proponit, pertractus, nihil aliud, nisi
 bella ex bellis serere, perpetuaq; incendia in christiana
 rep. fouere cogitat: & quis est qui possit dubitare, nunc
 cum arma usq; adeò ualida se illi coniuncta ostendunt,
 cum Gallie togatæ imperat, cum Senenses illius iussa
 faciunt, unde usq; in nostra uiscera apertum ad pene-
 trandum aditum habet, quin nos inuadere in animo ha-
 beat? quin apertis uiribus id quod iam insidijs clam tent-
 auit, quod tanto ardore tamdiu exoptauit, eoq; magis
 quo nos minus ad defensionem essemus comparati, con-
 sequi sit conaturus? Sed si nihil aliud eius rei fidem fa-
 ceret, quod recenter Cardinalem Medicem Bononiæ
 Legatum, ut eundem exercitui præficiat destinauit:
 quem Cardinalem nunquam in honore habuit, in quem
 nullam unquam beneficia contulit, & cui nullo unquam
 tempore se ulla in re fidere præ se tulit, non ne eius cõ-
 silia satis patefacit? Quid hoc aliud sibi uult, nisi dum ei
 qui ad tyrannidem in uos aspirat, autoritatem dat, dum
 finibus uestris illum proximum collocat, imò dū illum
 tanta dignitate, tanta existimatione, armisq; munitum
 penè ceruicibus uestris imponit, ad ciues (si qui sunt
 adeò perditæ ut tyrannidem libertati præferant) animã-
 dos, ad uestri imperij populos hoc nomine concitãdos?
 Que cum ita sint, hi mei honestissimi collega, multiq;

alij boni atq; integri ciues, ad hanc libertatem tuendam eosdem apparatus qui ad certissimum bellum faciendi essent, fieri necesse censi. erunt, & quamuis regē Galliae saltem proprii cōmodi gratia ualida nobis auxilia daturum sit uerisimile, non debemus tamen hac spē freti, ea remedia quae in nostra sunt potestate praetermittere: nec obliuisci multa impedimenta facile incidere posse, quae nos aliqua ex parte ipsius auxilijs priuarent. Hoc consilium salutare ac necessarium esse, aliquem esse qui neget, minimè credimus, sed si quis fortè neget, fieri possit ut alia quàm cōmunis utilitatis caussa moueatur: sunt tamen nonnulli qui cum utrū nobis Pontifex bellum inferre in animo habeat incerti simus, aiunt inutile consilium esse, illius autoritate laesa, & sacerdotibus ad tributa pendēda coactis, pontifici iustam indignationis causam exhibere, ac penè ad necessarium in nos bellū prouocare: quāsi tot tamq; perspicuis signis & argumētis, quae sit eius mens non satis perspiceretur: aut quāsi prudentiā reip. rectorum sit apparatus, donec irruptionis initium fiat, differre: antè ab hoste letale uulnus accipere uelle, quā necessaria ad defensionē arma induere. Alij ne diuinam irā Pontificis irae adiungamus, alia ratione salutis nostrae esse consulendū censent: cum nobis nō ea necessitas ingruat, sine qua nefas est pontificio iure, sacerdotibus, eorūue fortunis homines profanos pecuniam imperare. Haec quoq; ratio à nobis atq; alijs qui hanc legē suaserunt fuit expensa: sed cum publica uectigalia quemadmodū scitis ad sumptus qui erūt faciendi parua sint, uestra uerò cuiusq; marsupia tam diu, tamq; grauiter exinanita fuerint, certūq; sit denuo in bello expremenda esse quis nō uidet magnopere aequū & ne-

cessarium esse, ut sumptus qui nobis in bello à religiosis
 illato defendendis fient, aliqua ex parte religiosorū pe-
 cunijs subleuetur? quod quidem alias sepe & in nostra
 ciuitate, & multo magis apud omnes alios principes et
 ciuitates usurpatum est: uerū nunquam neq; hic, neq;
 alibi maiori moderatione ac circumspeditione, quando-
 quidem aliam in usum eam ueri nullo modo uolumus:
 imò tutum in locum reponi, ut si fortè timor noster ua-
 nus fuerit, ijsdem religiosis restituantur. Si igitur Ponti-
 fex bellum nobis nō intulerit, sacerdotum pecunia inta-
 cta relinquatur: nec re ipsa aliquod onus illis erit à no-
 bis impositū: sin infestus nos adoretur, quis queri pote-
 rit, si, quibuscunq; possimus modis, à tā iniusto bello nos
 defendamus? quam caussam præbet illi hæc resp. quæ nō
 sponte, sed coacta, ut ei notissimum est, concilium Pisas
 conuocari passa est, quamobrem illum à nobis prouoca-
 tum aut irritatum esse dici possit? nisi fortè dicatur pro-
 uocare aut irritare, qui hosti impetenti iugulum uel pe-
 ctus nudatum non porrigat, quamuis non is illum pro-
 uocat aut irritat, qui se ad defendendum comparat: qui
 se ut illius iniustam vim possit repellere componit: sed
 nisi nos compararemus, tunc illum prouocaremus atq;
 irritaremus: quoniā rei facile gerendæ spe, uestre liber-
 tatis funditus euertendæ impetus & ardor augetur.
 Nec diuini numinis uiolandi timor nos moretur: tam e-
 nim graue atq; euident periculū est, eo loco res nostræ
 sunt, eò necessitatis redactæ (neq; enim res ulla maior,
 aut in qua magis res agatur uestra, in cōsultationē ad-
 duci potest) ut nō tantum ea huiusmodi fructuū portio-
 ne, quæ pius in usus nō uertitur, uti liceret, uerum etiam
 sacratis rebus manus iniicere fas esset: defensio enim est.

ex lege

ex lege naturæ, cunctis mortalibus communis, & summi Dei uoluntate omniumq; gentium consensu cōprobata: unā cum mundo & orta & desitura: cui neq; ciuiles, neq; pontificiæ leges hominum uoluntate nixæ, & carnis exaratae derogare possunt: est enim hæc nō ab hominibus facta lex, sed ab ipsa natura in totius humani generis pectoribus atq; animis inscripta, sculpta, infixata: nec uerò donec ad extremam necessitatē redigamur expectandum est: ad talem enim statum redacti, & ab hostibus septi ac penè oppressi, sera essent remedia, sera auxilia ubi uenenū ad ipsa præcordia usq; penetrasset: præterea qui negari potest in priuatis hominibus maximam esse egestatem? cum onera quæ imponuntur, ad eam sumptuum tenuitatem plerosq; sine quibus nisi maximo incommodo, multarumq; rerum quæ ad illorum conditionem necessaria sunt diminutione, uiuere non possunt, cogant? Hæc est illa necessitas legibus exceptæ quæ leges donec ciues uestri in famis periculū, ad cūq; rerum suarum statum redigantur, ut nec se, nec familias suas iam tueri possint, expectari nolūt. Quid quod hac lege nullum incommodum religiosis affertur? qui ea suorum fructuum parte leuantur, quam uel inutiliter conseruarent: uel in superuacaneos usus conferrent, uel fortasse pleriq; illorum (liceat mihi hoc uti uerbo) in parum religiosas, parumq; honestas uoluptates impenderent. Omnium sapientum communis est sententia, Liberas ciuitates Deo summopere placere: q; in ijs magis quàm in alio reipublicæ genere commune bonum conseruatur: ius suum unicuique æqualiter tribuitur: ciuium animi uehementius ad uirtutē & laudem accēduntur, religio colitur, sacra peragūtur: & uos existimatis

Deo posse displicere, si ad tanti precij rem defendendā, pro qua qui proprium sanguinem effundit summis laudibus effertur, exigua caducorū fructuū aliarumq; rerū portione utamini? quæ quāuis templis attributa sint, omnia tamen ex maiorū nostrorū in pauperes misericordia, ex donis ac legatis eò peruenerūt: & quæ æquæ ad sacrorum, quæ in bellis nō minus q̄ profanæ res militum crudelitati atq; auaritiæ subiacent, quibusq; nō magis in pontificio quàm si ab quouis impio tyranno Turcisue fieret, bello parceretur, salutem tutelamq; impendetur. Ferte opem ciues patriæ uestræ: uestrā libertatem, dum potestis defendite: nihil uos Deo opt. max. gratius acceptiusq; facere posse uobis persuadete, quàm bellū à tectis, à prædijs, à templis, à sacrorum sacrarumq; uirginum septis auertere: remedium efficacius nullum est, quàm si ijs qui uos lædere cogitant, ostenderitis, uos nihil quod ad defensionem uestram facere uideatur, esse prætermisuros.

Vexilliferi oratione audita, quo minus lex maioris senatus consensu approbaretur, nihil fuit impedimēto: quo factō etsi Pontificis indignatio supramodum creuerit, magisq; ad fœderatos, ut Florētinis bellum inferretur, impellendos fuerit concitatus, nihilominus & ipsū & eos qui pro Aragoniæ rege in Italia agebāt, Pandulfi Petrucij suasiones ab hac sententia remouerunt: qui Bononiam peti hortatus, bellū in Hetruria moueri detestabatur: quòd Bononiam per se ad defensionem infirmam, Galliæ regis uiribus tantum defensum iri diceret: pro Florentinis uerò & ipsorummet potentia, & propriæ utilitatis gratia, nō minus quàm pro Bononiensibus idem rex esset pugnaturus. Florētinos, etsi animo in
Gallia

Galliæ regem propensi essent, tamen ut prudentes, & status sui conseruãdi cupidos, neminẽ in illius gratiam in tantis motibus, armis tentasse, ne alia re illi adiuumento fuisse, nisi q̄ ad Longobardiæ imperium tuendũ, idq̄; ex communi cum catholico rege atq; ipso fœdere, eum ducẽtis cataphractis iuuissent. Galliæ regi nihil gratius utiliusũe fieri posse, quã Florentinos cogere a partiũ equalitate discedere, illorumq; caussam cum sua caussa coniungere: summæ imprudẽtiæ esse quos rex nullis precib. ac promissis suas partes profiteri impellere potuit: eos ab ipsius regis hostib. ad id cõpelli, quod ille sua auctoritate cõsequi nõ potuisset: concilium Pisis celebrari Florẽtinis molestissimũ esse, multis signis ab omnib. perspicui, sibi uerò certò cõpertũ esse: nec aliã obcaussã absẽ sos esse, nisi q̄ Galliæ regis postulatis, statim post Bononiæ defectionẽ factis, cũ nulla arma illi opposita in Italia cernerẽtur Casarisq; auctoritatẽ cõcilio adiunctã esse certũ esset, & catholici quoq; regis consensus accedere crederetur, repugnare nõ sint ausi: se pari ratione scire Florentinos nõ laturos esse, ut sub eorũ imperio Galli milites morarentur: eis minari, aut eos irritare, ualde perniciosum fore: imò contrã, mansuetudine cum eis agere, & quasi excusationes eorum admitterentur, præse ferre, utilissimum esse: tali namq; progressu, uel temporis successu, uel aliqua occasione id obtineri posse, quod nunc non esset sperandũ: uel saltem timore ad noua consilia capienda minimè compulsi, ita sopirentur, ut periculosis temporibus non nocerent: & parta uictoria, eam Florentinis reipublicæ formam præscribere, quam aptiorem censerent, in sociorum potestate fore. Pandulsi in hac caussa auctoritatem minuebat,

quòd illum propriæ utilitatis gratia in Hetruria tam graue bellum, quo siue ab amicorum exercitibus, siue ab hostium copijs æquè omnes agri ac regiones uastarẽtur, minimè inchoari cupere animaduertebant: uerùm eius rationes uise sunt tam ualidæ, ut facillè Florëtinos tunc non inuadere decretum fuerit: quòd consilium, cõtentione non multos post dies inter Florentinos & cardinales orta, magis probatum fuit. Cardinales quemadmodum supra dictum est, primis concilij actionibus nõ interfuerant, quoniã ad Sandoninum, siue ut Antistites qui ex Gallia ueniebant, siue quos Romanorum rex mittere promiserat expectarent, siue alijs de causis hæserant: quo ex loco cum diuersis itineribus abiissent, duos Hispanos qui Bononiensi itinere profecti erant, Pontifici reconciliari cupere fama fuit: quòd illos semper cum Aragoniæ regis legato, qui apud Pontificem erat, consilia habere cognitum esset: & quòd publicam fidẽ ut tutò Florentiæ manere possent, à Florentinis petierant obtinuerantq; hanc opinionem augebat. Sed cum in Mugellanum agrum peruenissent, repentiè Lucam uersus ut alijs coniungerentur iter ceperunt: siue quòd reuera sic semper in animo habuissent: siue quòd in Crucio cardinali tandem antiqua ambitio plus potuerit, quàm recens metus: siue quòd ibi abdicationis suæ accepto nuncio, de concordia iterum cum pontifice speranda desperarit. Eodem tẽpore tres Galli cardinales, Macclouiensis, Alibrettus, & Belocasius, cumq; ijs Galliæ Antistites, pontremulensi itinere Apenninum superabant, quos ex Longobardia, ad eorum petitionem sequebantur trecenti Galli cataphracti, Odetto Foisseio Lautrechij regulo duce, cui à Cardinalibus concilij custodia

Stodia erat demandata: uel quòd sine tali præsidio Pisis esse periculosum censerent: uel ut concilium Gallie regis armis munitum, maiorem haberet autoritatem: uel quemadmodum aiebant, ut eos qui ipsorum decretis re pugnare aut non parere auderent, cohibendi haberent facultatem. At Florentini hac re cognita, quæ donec copie in itinere fuerunt ipsos latuerat, Pisanorum in se odium considerantes, superiorè defectionem Carolo rege præsentate & coniuente factã, quamq; Galli milites in Pisanum nomen propèsi fuissent memores: præterea ne militari insolentia aliqua grauis cõmotio oriri posset ueriti: sed multo magis ne si Gallie regis copie Pisas uenirent, fieret (oculto fortasse regis consilio) ut Hetruria esset belli sedes, in tanta urbe, tantum militũ numerum non recipere decreuerunt. Itaq; statim regijs significarunt, eam oram, ob angustiam et sterilitatem uix multitudini quæ ad concilium conueniret alendæ, nedum alijs accipiendis idoneam esse: cumq; ea urbs ab ipsis ita gubernaretur & custodiretur, ut Cardinales in ea sine ullo uel foris, uel intus periculi metu commorari possent, militum nihil opus esse præsidio: & Maclouensi Cardinali, cuius uoluntatem in his rebus Galli sequebantur, se milites Pisas non admittere statuisse indicarũt: qui uerbis assensu simulato, ab alia parte milites separatim, & quamminimo strepitu fieri posset progredi iubebat, ratus ubi Pisas propius accessisset aut ui, aut arte, aut Florentinis tanta cum regis iniuria prohibere minimè audentibus, in urbem sese immissuros: sed cum rex, se ne Pisas progredierentur, annuere, apertè respondisset, Florentini ad Maclouensem Cardinalem superbie illius parem miserunt legatio-

nem, Franciscum Victorium, qui illum certio-
ret, si cardinales cum armis fines ipsorum ingrederen-
tur, se eos non modo Pisas non admissuros, sed tanquam
hostes persequuturos: atq; eodem modo si Gallorū equi-
tatus Apenninum Hetruriamue attingeret, quoniā cen-
serent id non aliam ob causam fieri, quā ut clam, uel
aliqua fraude Pisas occuparēt: qua legatione motus car-
dinalis, copias retrocedere iussit: Florentini, ut cum eo
præter Lautrechij & Castilionæi copias centū & quin-
quaginta hippotoxotæ manerent, permiserunt. Cardi-
nales omnes Lucam conuenerunt: cui urbi Pōtifex hac
de causa sacris interdixit: ubi Cosentino, qui intra pau-
cos dies supremum suum uidit diem, agro relicto, reli-
qui quatuor Pisas contenderunt: nec lætis magistratū
animis, nec multitudinis reuerentia obseruantiaue ac-
cepti: quoniam Florentinis eorum aduentus erat mole-
stissimus: & concilij causa Christianis populis, nec gra-
ta erat, nec alicuius præcij: nam etsi ecclesiæ corrigendæ
color esset honestissimus, maximeq; utilis, imò uniuersæ
Christianæ reip, non minus necessarius quā gratus,
tamen autores ambitione moueri, & rerum fragilium
cupiditate irretitos, communis boni specie de priuatis
commodis contendere, eosq; (quicumq; tandem illorum
Pontifex fieret) non minus correctione egere, quā ij,
de quibus corrigendis agebatur: & præter sacerdotum
ambitionem, principum & regnorum controuersias
concilium excitasse, & fouere, omnibus notum erat.
Has Gallie regem ad id procurandum impulisse: has re-
gem Romanorum ad consentiendum: has Aragoniæ ad
id ipsum optandum excitasse. Cum igitur cōcilij causæ
præcipue armorū imperiorumq; causam adiunctā esse
palam

palam animaduverteretur, pijs rerum religiosarum nominibus, bellorum, offensionumq; instrumentis, res profanas procurari populi perhorrescebant: ideo non solū in ipso urbis ingressu manifestè apparuit commune odium atque contemptus, sed in ipsius concilij actionibus apertius. sacerdotibus namq; ad primam sessionem in præcipuum urbis templum conuocatis, nemo religiosus interesse uoluit: & illiusmet templi sacerdotes, cum Patres uellent conciliorum ritu, sacra quibus diuini spiritus numen inuocatur peragere, apparatus eis commo- dare recusarunt: deinde ad maiorem audaciā progressi, clausis templis aditum prohibuerunt. Quæ cum cardinales Florentiæ per suos questi essent, templa instrumentaq; ad sacra peragenda destinata, illis minimè negari debere imperatum fuit: ea tamen conditione, ne sacerdotes interesse cogerentur: his penè inter se repugnantibus decretis ex ciuium dissensione manantibus, quibus hinc concilium in suas urbes recipiebant: illinc id ipsum contemni permittebant, uno eodemq; tempore & pontificem offendebant, & Galliæ regi non satisfaciebant: idcirco cardinales Pisis sine armis morari periculo minimè carere rati, concilijq; autoritatem in urbe quæ ipsorum decretis non pareret imminui, quamprimum concilij fundamenta iecissent, inde discedere cogitabāt: uerum casus quidam, qui quamuis fortuitus, habuit tamē ex mala hominum affectione principium, eos accelerare coegit: nam cum Gallus quidam miles metrici publico in loco nescio quam iniuriam intulisset, à circumstantibus clamore sublato, multi Galli tam milites, quàm cardinalium, reliquorumq; Antifistum familiares, cum armis ad rumorem nec nō multi Pisani po-

pulares & Florentini milites cucurrerunt: & illis gallicum nomen, his uerò Marzochi, quod est reipublicæ Florétinæ Leonis insigne, acclamantibus, cœptum est inter eos acre certamen: sed Gallorum ac Florentinorū ducum concursu, multis iam utrinq; uulneratis, & inter ceteros Castillioneo, qui ab initio sine armis ut periculū auerteret, & Lautrechio, qui eandem quoq; ob causā aduolarat, quamuis uterque leuiter uulneratus, tumultus tandem sedatus fuit. Hic autem casus, cardinales qui fortè eadem hora in propinquum Michaelis templum conuenerant, tanto terrore repleuit, ut postero die secunda habita sessione, qua concilium Mediolanum trāsferre statuerunt, summa celeritate ante quintum decimum ab aduentu ipsorum diem discesserint, ingēti cum Florentinorum Pisanorumq; lætitia, nec minore Antistitum qui concilium sequebantur gaudio, qui se in locū habitationum incōmoditate, multisq; alijs ex belli diuturnitate acceptis detrimentis, sacerdotum Gallorumq; delicatæ opiparæq; uitæ minimè aptum, uenisse ægrè ferebant: & multò magis, quia cum regio imperio contra propriam uoluntatem uenissent, loci mutationem & quemuis casum, quo concilium difficilius redderetur, produceretur dissoluereturue exoptabant. Mediolani uerò populorum sibilis atq; odio ubiq; cardinales persequente, eadem uel maiora impedimenta inuenerunt: quoniam Mediolanēsium sacerdotum natio, quasi eam urbem non ecclesiæ Romanæ cardinales ubiq; ferè honorati, ac penè pro numinibus culti ingressi essent, sed homines profani, & execrandi statim per se à sacris peragendis abstinuit: cumq; in publicum prodirent uulgus palam illis imprecabatur, in compositisq; gestibus

æ uerbis contumeliosis eos accipiebant, præsertim uerò Cruccium cardinalem, qui huius rei autor habebatur, quiq; quòd in postrema Pisis facta sessione concilij præses factus esset, magis erat omnibus inuisus. Per omnes uias plebis murmura exaudiebantur: concilia, faustas preces, pacem, concordiam adducere solere: hoc imprecationes, bella, discordiasq; adferre: alia concilia ad remp. christianam dissidentem copulandam cõuenire solere: hoc ad copulatam dissipandam esse conuocatum. Huius pestis contagium in omnes, qui eos acciperent, qui parerent, qui fauerent, qui quouis modo cum illis uersarentur, quiue audirent aspicerentue manare: nec ex illorum aduentu aliud quàm sanguinem, famem, pestilentiam, & tãdem corporum animorumq; perniciem expectari posse. Hos penè iam seditiosos sermones cohibuit Gasto Foisseius, qui paucos menses ante Longauillæ discessum, Mediolanensibus cum imperio exercituiq; præfectus fuerat: grauisimis enim legibus sacerdotes sacra munera obire iterum, & populum in posterum modestè loqui coegit. His difficultatibus parum feliciter concilij auspiciã procedebant: cardinaliũ uerò spes illud multò magis turbabat, quòd Cæsar procrastinando, nec Antistites, nec procuratores mittebat, quamuis præter tot antea facta promissa, cardinali Seuerinati se missurum confirmasset, Galliaq; regi continenter confirmaret: imò eodem tempore, siue ut se excusaret, siue ab alijs persuasus, ex ipsius dignitate non esse, priorum regnorum Antistites ad concilium Pisanum mittere, nisi totius quoq; Germaniæ nomine idè fieret, Germaniæ Antistites Augustam Vindelicorum, ut qua ratione in illius concilij rebus progrediendum

esset in commune deliberaretur, conuocauerat: Gallis tamen se hac ratione ut omnes mitterent effecturū asseuerans. Angebat quoq; regis animū consiliorū in Cæsare uarietas: nā præter tarditatē in concilij rebus declaratam, concordie cum Venetis ineundæ sermonibus, de qua multis pollicitationibus pontifex atque Aragoniæ rex satagebant, palām aures accommodabat. querebatur præterea regem Aragonium non puduisse, tā aperte cameracense foedus uiolare: & in hac recenti nō compositione sed proditione, se uelut appendicē nominasse: & Galeatio Sanseuerino se tanquam pontificis hostem Romam iturum, uerū sibi partem copiarū, & maximam pecuniæ uim rege suppeditante, proponebat: nec tamē hæc ea animi firmitudine, quin adhuc etiā eius postulatis admissis dubium esset, quid tandē esset incepturus. In regis igitur animo solitæ cogitationes, curæq; pugnabant: si Cæsarem desereret, eum cum hostibus suis facturum: sin eum sustineret, illius amicitiam ingenti precio empturum: quæ res quē fructum esset paritura ignorabatur, quod ex rebus præteritis illud auerterebatur, sæ penumero plus ei malā administrationē nocere, quam iuuarent uires. His fluctibus rex agitatus, utræ res secundæ ne, an aduersæ Cæsaris, magis sibi essent nocituræ, apud se constituere non poterat. Eius dubitationē Catholicus rex quantum poterat augebat, & quò eius bellicos apparatus remoraretur, sociorum arma quietura esse dicebat: idem quoque iisdem de causis rex Angliæ faciebat: qui Galliæ regis oratori ea de re cum eo agenti se foederi romano assensum esse negauit: & foedus quod cum rege haberet, se seruaturum affirmauit: eodemq; tempore Tiburtinus episcopus pontificis nomi-

ne pacem proponebat, modò rex concilio fauere desisteret, & Bononiæ patrociniũ desereret: quibus concessis, se pontificem nihil noui in eum moliturum, uelle præstare pollicebatur. Regi minus pax uel iniquis legibus quam belli pericula sumptusq; , qui & hosti resistendo, & Cæsare sustentando penè ingentes apparebãt subire, displicebat: tamen quòd ab Aragoniæ rege, armorum terrore penè ad hoc cogeretur, indignabatur: mouebat etiam quòd pontificem, Bononia recepta, & concilij metu liberatum, pacem seruaturum esse, difficile sibi promittere posset: quòdq; dubitaret, ne si propositis legibus se assensurũ ostenderet, pontifex, ut aliàs fecerat, pedem referret: atq; ita sua dignitate læsa, estimationeq; imminuta, Cæsar, quòd se in bello cum Venetis derelicto, ipse pro se tantum pacem facere uoluisset, iniuria affectum se censeret. Ideo Tiburtino episcopo, nolle se Bononiam aliter sub pontificatu esse, nisi quemadmodum olim solebat, disertè respõdit: eodemq; tempore, ut cum Cæsare, qui Brunechij erat, quod oppidum Tridento non longè abest, certum aliquid constitueret, Andreã Burgium Cremonensem, Cæsareum apud se oratorem, qui à se ei omnia polliceretur confestum ad eum misit: quo tempore nonnulli Cæsaris imperio subiecti ex Tirolèsi comitatu, Batistenum ualde munitum castellum in Caldorensis uallis aditu occuparũt. Pacis consilijs penitus interruptis, prima regis cogitatio fuit, ut quamprimum Palicia relictis Veronæ, ad Cæsarem ob discessum suum iratum mitigandum, tribus peditum millibus, reliquas copias in Mediolanèsiũ fines reduxisset, nouis peditum delectibus habitis, omnibusq; copijs simul coniunctis, in Aemiliã, antequam Hispani

appropinquarent, duceret, uel totam uel partem à suis
 occupatum iri sperans, deinde aut ulterius progredi
 prout se occasiones darent, aut bellum in uernum tem-
 pus usque in alieno agro gereret: quo dein tempore, si
 ipsemet totis regni uiribus in Italiam transfret, ubique
 se hostibus superiorem fore sperabat. Quæ dum animo
 uoluit, essetq; in decernendo tardior quam occasiones
 forte postularent, regemq; à multis apparatibus præci-
 pue à nouis peditibus conscribendis, ipsius à sumptibus
 alienissima natura retraheret, suborta est de Heluetio-
 rum motibus suspicio: de qua gente, quoniam sparsim
 multis in locis facta est mentio, admodum è re uidetur,
 ac penè necessarium, separatim discernere. Suizzeri idē
 sunt quos ueteres Heluetios appellabant: hæc gens edi-
 tiora montis Iuræ loca qui nunc Sancti claudij dicitur,
 Brigæ, & Gothardi tenet: homines natura feroces, ru-
 sticani, & ob agri sterilitatem potius pastores, quam a-
 grorum cultores. Quondam Austriæ principibus pa-
 ruerunt, uerum eorum excusso dominatu, iam dudum
 se in libertatem uindicarunt: proprijs legibus uiuentes,
 nullum obedientiæ signum uel Cesaribus, uel alijs prin-
 cipibus præstant: sunt in tredecim siue populos, siue pa-
 gos, quos Cantones uocant, distributi, qui suis singuli
 magistratibus, legibus, ac institutis utuntur. Quotannis
 uel sepius, prout necessitas poscit, in unum locū, quem
 modò hunc, modò alium pagorum primi eligunt: con-
 gregati, de communibus rebus deliberant: hos conuen-
 tus ex Germaniæ usu Dietas appellant, in quibus de bel-
 lo, de pace, de foederibus, de eorum qui ex publico de-
 creto milites sibi concedi, aut uoluntarios permitti pe-
 tunt,

tunt, postulatis, ac deniq; de rebus ad omnes spectantibus, agitur. Cum publico decreto milites concedunt, ipsi è suis aliquem omnium copiarum præfectum legunt, cui communi omnium nomine cum insignibus vexillum datur. Huius tam feræ, tamq; incultæ gentis nomen, concordia, & armorum gloria illustrarunt: quibus à natura insita ferocitate, & militari in seruandis ordinibus disciplina, non modò suam regionem fortiter defenderunt, uerumetiam militiam extra suos fines summa cum laude exercuerunt: quæ proculdubio longè maior extitisset, si proprii imperij causa, non autem stipendijs atque ad aliena imperia propaganda eam exercuissent: & si generoso animo præstantiores fines quam pecuniæ studium sibi proposuissent: cuius amore eneruati, occasionem qua toti Italiæ potuissent esse formidabiles, amiserunt: cum enim nunquam nisi uelut mercenarij milites fines suos egrediantur, nullum publicum ex uictorijs fructum retulerunt: lucri cupiditate in bello immoderatis multas imponendis, alijsq; ex alijs petendo penè intolerabiles facti: præterea in commercijs, & eorum quorum stipendijs militant imperijs exequendis, admodum morosi, & contumaces. Domi qui sunt inter eos præcipui, à muneribus pensionibusq; à principibus accipiendis, ut in conuentibus illorum partibus fauceant, easq; sequantur, non abstinent: quare dum publicas res ad priuatam utilitatem referunt, pecunijs student, largitionibus obnoxij fiunt, paulatim inter ipsos discordia irrepere: quibus factum est, ut dum non omnes, quod in comitijs maiori parti probatum fuerat, ratum habere inciperent, proximis annis ciuile inter ipsos bellum summa cum auctoritatis,

quam sibi apud omnes comparauerant, diminutione exarserit. Infra hos sunt nonnulla castella & uici, quorū incolæ quòd ualles incolant, Vallesij appellantur: hi numero, autoritate, uirtute, communi omnium iudicio Heluetijs inferiores sunt. Est & alia gens hisce duabus editiora alpium iuga incolens, Grifones uulgò appellati, Latini Rhætos nominant: hi tres Cantones siue Curias habent, ideoq; trium fœderum domini dicuntur: Gentis caput Curia uocatur: Heluetiorum plerunq; socij sunt: cum ijs unà in bello proficiscuntur: ac penè iisdem institutis & moribus utuntur: bellica uirtute Vallesijs præferuntur, Heluetijs autè, nec numero, nec uirtute pares habentur. Itaque Heluetij cum nundum à maiorum institutis longius discessissent, pontificis impulsu, ut in mediolanensem agrum descenderent se comparabant: hunc motum non ab omnium populorum communi consensu oriri, sed Suitenses, Friburgensesq; eius autores esse spergebant: quòd illi quererentur, tabellarium suum, dum per mediolanensem ditionem iter faceret, à Gaëlis militibus fuisse interfectum: hi quòd alias priuatas iniurias se accepisse dicerēt. horum ac totius pariter gentis publica consilia, etsi antè ad regis aures peruenerant, non tamen eunt, ut eius familiares assidue hortabantur, & ut amici quos inter ipsos habebat obtineri posse spem faciebant, ad eos conciliandos impulerant, consueta difficultate, quo minus ueteribus illorum pensionibus, frænicorum adderet uicena millia, quæ summa aureorum nummum dena millia efficere non potest, retentus: sicq; ob minimum precium, eam amicitiam quam post sepius inæstimabili auro redemisset, recusauit: illos uel non moturos, uel si mouerent, quoniam pedestri militiæ

militiæ aſueti, equitibus ac tormentis carerent, parum obſuturos perſuaſus. Præterea (iam enim Nouember aderat) ea tēpeſtate flumina redundare, iſſis uerò pontes nauesq; deſſe, cōmeatum totius mediolanenſis imperij Gaſtonis Foiſſei iuſſo, in loca munita repoſitum: uicina oppida bene cuſtodiſſi: iſſis in campeſtribus locis equitatum opponi poſſe: quibus impedimentis neceſſario futurum, ut ſi uenirent, intra paucos dies recedere cogerentur: & tamen Heluetij hiſ difficultatibus minimè terriſti, Vareſium in alpium faucibus caſtellum deſcendere cœperant: quo in loco perpetuò augebatur numerus: ſecum habebant ſeptem campeſtria curulia tormenta, aliaq; minora non pauca equis impoſita: nec proſuſ a cōmeatu erant imparati: quorum aduentū multo magis formidabilem reddebat, quòd Gallis militibus ſolito licentioribus factis, eorum imperium populis non mediocriter graue eſſe inciperet: quoniam rex auaritia detentus, pedites comparari noluerat: nec equitatus qui tunc in Italia erat, quiq; non ultra mille & trecetos cataphractos ducentosq; nobiles continebat, totus Heluetijs opponi poterat: cum pars in Veronæ Brixieq; præſidijs eſſet, & Foiſſei uſ de nouo ob Medicei Cardinalis & M. Antonij Columnæ ad Fauentiam aduentum, ducentos cataphractos miſiſſet: ubi etſi cōſcriptos pedites non haberent, tamen tum ob ciuium factiones, tum quia illis diebus arcis Saxillioniæ præſectus, quod caſtellū in Bononiæ montanis eſt, ſponte eam arcem legato dediderat, hoc præſidium eò mittere neceſſe uiſum fuerat. Vareſio Heluetij per præconem ad bellum regio uicario iradicendum miſerunt: qui cum paucos equites, quòd eis comparandis tempus deſuiſſet, ſecum habere t, nec plus

quàm duo millia peditum, nec tamen alios conscribere, ne regi displiceret, auderet, Assaronē qui tredecim miliaria Mediolano distat, uenerat, haud quidem pugnan- di animo, sed eorum latera ut cōmeatu eos prohiberet, persequendi, in quo solo cum inter Varesium Mediola- numq; nec flumina transitu difficilia, nec oppida quæ defendi possent inuenirentur, eos impediendi spes erat posita. Varesio Heluctij iam usq; ad decem millia aucti, Galerata uenerant: & Gasto quem sequebatur Io. Iaco- bus Triultius, ad Lignanum quatuor à Galerata millia- ribus consedit: quibus rebus Mediolanenses perterriti, proprijs sumptibus ad urbis praesidium pedites conscri- pserunt: & Theodorus Triultius munitiones refici cu- rabat: & quasi exercitus Mediolanum se esset receptu- rus, pomœria ab interiori parte circa munitiones, qui- bus suburbia cinguntur, ut equitum esset aliquis usus, complanari fecit. Tamen Gasto Foisseius, cum quo erant quingenti cataphracti, & ducenti nobiles ex regia au- la cum multis tormentis ante Galeratis oppidum se o- stendit: quibus conspectis, Heluctij instructa acie pro- diderunt: nihilominus quòd donec plures essent in loco aperto prelium nolent committere, statim intro redie- runt: interea illorum numerus continenter augebatur: uenire cum prelium non amplius recusare statuissent, ad Bustium ubi centum erant cataphracti uenerūt, qui impeditis cum parte equorum amissis, uix se ipsi cō- seruarunt. Galli tandem semper prout illi ulterius pro- grediebantur retrocedentes, in Mediolani suburbia se receperunt, ita ut incertū esset ad ea ne defendenda uel- lent consistere, an secus: aliud enim illorum uerba sona- bāt, aliud arcem commeatu sollicitè munire declarabat.

Appro

Appropinquarent deinde Heluctij suburbij ad duo mil-
 liaria, sed timor iam uehemēter remiserat: equites enim
 Mediolanum reuocati, multiq; pedites, qui conscribebā-
 tur subinde aduentabant: & in singulas horas Molar-
 dus cum Vasconibus, & Iacobus cum Germanis pediti-
 bus, alter Verona, alter Carpio accersiti expectabātur:
 & hoc tempore Heluetiorum ad suos magistratus lite-
 ræ, quibus Gallorum uires tenues esse significabant, à
 Pōtifice se nullos nūcios accepisse mirabantur: nec quid
 uenetus exercitus faceret scire: se nihilominus ut con-
 stitutū fuerat progredi, interceptæ fuerunt. Erant iā nu-
 mero sedecim millia, & Montia uersus deflexerāt, qua
 nihil tentata, sed magis ad Abduam fluuium accedentes
 Gallis se transitum tentare uelle metū incutiebant: ideo
 ut oppidi & pontis oportunitate illos transitu prohibe-
 rent, ad Casianum pontem iaciebant: ubi dum morātur
 unus ex Heluetiorum ducibus, impetrata prius publica
 fide, Mediolanum uenit: qui mensis unius stipendium to-
 tius exercitus Heluctij nomine postulauit: quod si obti-
 neret, eos domum redituros pollicebatur: sed cum lon-
 gè minor summa esset oblata, re infecta abiit: ac sequen-
 ti die, cum longè maioribus postulatis redijt, & quāuis
 longè maiora quàm priori die illi essent oblata, tamen
 ad suos reuersus, statim præconem qui Heluetios nullā
 iam concordiam uelle significaret, remisit: & postero
 die contra omnium expectationem Comum uersus pro-
 fecti, in patriā redierūt: sic utrum ad Mediolanum in-
 uadendum, an in alium locum profecturi descendissent,
 quāuē ob caussam, nulla manifesta difficultate impedi-
 ti reuersi essent: uel cur cum domum redire uellent, pe-
 cuniam præsertim petitam non accepissent, hominum

arbitrio iudicandum reliquerunt. Vt cunq; se res habeat, illud notum est, dum se reciperent, duos Pontificis ac Venetorum nuncios superuenisse, qui si prius uenissent, fama fuit Heluetios non fuisse discessuros. Nec dubium erat quin si eodem tempore, quo illi in Mediolanensium fines peruenerunt, Hispani prope Bononiã fuissent, Gallorum res quod tot locis, periculis occurrere minimè possent, subita ruina concidissent: quo periculo rex, id quod antea ratione non praeuiderat, experientia edoctus, antequam de eorum reditu certior esset factus, Foisseio ut ad eos conciliandos nulli pecuniae parceret mandauit: cumq;, etiam si Heluetij conciliarentur, quin sibi esset ualidus impetus suscipiendus iam non amplius dubitaret, omnem equitatum quem in Gallia haberet, praeter ducentas lanceas quas in Belgis retinuit, alpes transire imperauit: nouum praeterea Vasconum supplementum misit: Foisseio exercitum Italis ac Germanis pedibus compleret mandauit. Vehementer quoq; Florentinis quorum auxilia cum in propinquis locis bellum esset gerendum, & pontificij imperij ex illorum finibus turbandi, hostiliq; exercitui si Bononiae appropinquasset commeatus aliaq; commoda adimendi oportunitate magui erant momenti, ut aperte totisq; uiribus secum ad bellum gerendum concurrerent instabat: quod rerum praesentium necessitas, aliud quam parua uel dimensa auxilia, uel ut se intra foederum limites continerent postularet: neq; unquam maiorem sui deuinciendi occasionem ipsos habituros, neque praeclearius beneficium, & cuius memoria magis in perpetuum ad posteros suos permaneret conferre posse: praeterquam quod si rem diligentius expenderent, dum se tuerentur & iuuarent,

eos propriam causam tueri, ac iuuare: quoniam posset
 certo cognoscere, quantum esset Pontificis in ipsos o-
 dium, quanta Catholici regis in ea ciuitate dominatum
 prorsus sibi obsequentem constituendi cupiditas. Florē-
 tia uerò multi secus sentiebant, sumptibus in presentia
 parcendi suauitate obcecati, quid futurum tempus se-
 cum ferre posset non cogitabant: in alijs ualebat recor-
 datio fidem & opera illius recip. nec ab hoc rege, neq; à
 Carolo ulla remuneratione unquam fuisse compensata:
 quodq; ut Pisas recipere eos non prohiberet, magno
 precio ipsis uendidisset: quo exemplo eius promissis &
 pollicitationibus non esse habendam fidem: nec quocū-
 que illum beneficio afficerent, gratus ut esset ullo mo-
 do expectandum: idcirco non parue temeritatis esse id
 bellum suscipere: quod si infaustos exitus haberet, om-
 nium malorum plus rata portione laturi essent: si pro-
 sperè succederet, ne minimam quidem commodorum
 partem percepturi. Sed maioris erant momenti qui uel
 odio, uel ambitione, uel alterius administrationis cupi-
 ditate, iam dictas rationes extollentes, nouasq; adducē-
 tes, Vexillifero se opponebant: præsertim illa si medijs
 essent, neutrarum partium odium in se concitatu-
 ros: neque cuius duorum regum iustam querendi ansam da-
 tuos, quia nec regi Gallia alia, quàm trecentorum ad
 propria regna tuenda grauis armaturæ equitum auxi-
 lia deberent, quæ iam præstiterant: nec id Aragoniæ re-
 gi molestum esse posse, qui non paruū lucrum duce-
 ret, si se huic bello non immiscerent: imò semper lauda-
 ri, & in maiori precio haberi eos, qui fidem seruant:
 præsertim quia hoc exemplo, sibi quoque si opus esset,
 id quod pactione cum Gallia rege, & cum ipso æquē

facta, promissum erat, nos seruatuos esse speraret. Si ita se gererent, & fortè inter principes pax oriretur, ciuitas ab utroq; nominaretur & conseruaretur: sin uerò unus uictoria potiretur, cum se non laesum existimaret, nec peculiaris odij caussam haberet, illius amicitia eadem pecunia, & fortasse minori quàm in bello expensuri fuissent, redimere non fore difficile: qua ratione magis quàm armis saepe maiores ipsorum libertatem conseruassent: si secus agerent, uigente bello aliorum caussa, nullaquè impellente necessitate, grauissimos sumptus esse laturos: quòd si aduersa pars uictoriam consequeretur, patriæ libertas atque salus in apertissimo discrimine esset futura. Sed alia prorsus erat Vexilliferi sententia, qui arma pro rege Gallie sumi reipublicæ magis salutare esse censebat: eamquè ob caussam antea concilio fauerat, & Pontifici indignationis materiem subministrauerat: ut ciuitas ab illo prouocata, uel in suspicionem coniecta, ad hanc sententiã penè cogeretur: hoc autem tempore in ocio, belli quod in ipsorum finibus inter tot potentiores principes gereretur, euentum expectare, non nisi perniciosissimum consilium esse posse ostendebat: alieni autem belli spectatores esse, tunc laudari solere, ob idq; multas molestias & sumptus euitari, cum uires non adeo sunt tenues, ut utriusuis partis uictoria sit metuenda: tunc enim securitatem, & sæpenumero illorum defatigatio imperij augendi facultatem adfert: neque neminem læsisse, nemini iustam querelarũ caussam dedisse, tutũ esse fundamentũ: rarò enim, ac fortasse nunquã uictoris insolentiam, iustitia, prudentes uè cogitationes cohibet: nec magnos principes, cum quod optat illis denegatur, his rationibus mi-

nori se iniuria affectos existimare, imò illis omnibus qui
 ipsorum uoluntatē non fuerint secuti, cumq; fortuna
 eorum proprias fortunas nō coniunxerint, irasci sole-
 re. regem Gallie, cum inter tot pericula derelictum se
 cōspexerit, cum facta spei, quam in Florentinos colloca-
 uerat, ijs quæ sine dubio de illis sibi spōderet, ijs quæ ab
 ipsismet toties confirmata & prædicata fuissent, nō re-
 spondere animaduertit, nō se læsum existimaturū cre-
 dere stultum esse: longè stultius si Pontifex atq; Arago-
 niæ rex uictores forent in eam remp. uictoria immode-
 ratè nō usuros sibi persuadere: alter insaturabili odio,
 uterq; dominatū qui ex ipsorum arbitrio geratur cōsti-
 tuendi cupiditate, rati liberam ciuitatem semper magis
 erga Gallos, q̄ erga se propensam fore: hoc aperte ex eo
 cerni posse, q̄ Pōtifex Catholici regis cōsensu, Cardinalē
 Medicem exercitus legatū destinari. Mediū igitur esse,
 nihil aliud præ se ferre, q̄ uictoris prædæ se exponere:
 quòd si alteri illorum adhererent, saltem ex illius uicto-
 ria securitatem ac tutelam, præmium rebus in tanta pe-
 ricula redactis maximum consecuturos: & si pax fieret
 meliorem sortem habituros: cui autem parti adhaeren-
 dum esset disputare, superuacaneum uideri: nemini du-
 bium esse, quin uetus amicitia, à qua si resp. nullam re-
 muneracionem gratiamue accepisset, saltem sepius &
 defensam & conseruatam fuisset, potius sit sequenda, q̄
 nouæ experiunda, quæ semper infidæ, semper suspectæ
 forēt. Hæc uerba à uexillifero incassū fundebatur: ipsius
 sententiā ijs præsertim impediētibus, quib. Gallie regē
 illius opera Florentinorū societatem acceptam referre
 molestum erat, in quibus cōtentionibus altera parte al-
 terius sententiā impugnante, nec unā partem profiteri,

nec prorsus medios esse decernebatur: ex quo sæpe incerta consilia, sententiæq; inter se repugnantes oriebantur, quæ nec gratiam, nec meritum ullum apud aliquem promerebantur: imò hac uarietate progressi, summo cum regis Gallie dolore, FRANCISCVM GVICCIARDINVM, qui has Historias conscripsit, Iuris consultum, adeo iuuenem, ut per ætatem patrijs institutis ei ad nullum magistratum gerendum aditus pateret, legibus solutum ad Aragonie regem oratorem miserunt: nec tamen ei huiusmodi mandata dederunt, quæ ulla ex parte sociorum animos irritatos mitigarent. Sed non multo post Heluetiorum in patriam reditum, Hispani ac pontificij milites in Galliam togatam ingredi cœperant: ad quorum aduentum omnia oppida quæ Ferrariensis cis Padum possidebat, excepta Bastia ad Genioli fossam posita, sola præconis petitione audita, deditioem fecerunt: uerum quia nondum omnes copie ac tormenta, quæ Prorex Imolæ expectabat, in Galliam perueniant, uisum est, ne tempus frustra tereretur, ut Petrus Nauarrus qui Hispanis peditibus imperabat, ad Bastiæ expugnationem contenderet: qui cum tribus curulibus tormentis eam petere cœpisset, & expugnationem opinione difficiliorem, quòd bene esset munita, & à centum quinquaginta peditibus strenuè defendi reperisset, ut milites fossas aquis plenas trāsire facilius possent, bimos potes fieri curauit: quibus tertio obsidionis die, qui fuit anni undecimi supra millesimum quingentesimum ultimus dies, cōstructis, tãto impetu oppugnationem aggressus est, ut post longum acrumq; certamen, pedites mœnibus scalarum adminiculo cōscensis, penè omnibus præsidarijs cum Vestello eorum duce interfectis, tandem oppido potiti sint.

Petrus Nauarrus Bastiæ Ioannem Vitellium, qui eam tormentorum ictibus ad eò debilitatam asserebat, ut sine noua reparatione defendi non posset contradicentē, cum ducentis peditibus reliquit: sed uix dum ad proregis castra redierat, quum Ferrariensis dux cum nouem maioribus tormētis eò profectus, tanta uis adortus est, ut exiguo illo loco in multis partibus discerpto, eodem die partim in ipsa pugna, partim ut suorum cædem ulcisceretur, post duce cum omnibus militibus interfectis eam recuperarit: ipse autem caput lapide percussus, galeæ beneficio est conseruatus. Interea omnes tam Pontificis quam Hispani copiæ Imolam conuenerant, militum numero ac uirtute, & ducum fortitudine potentes: quoniã pro Aragoniæ rege erāt (sic fama ferebat) mille grauis armaturæ, octingenti leuiores equites, & octo millia Hispanorum militum, & præter Proregē ipsum, multi regni neapolitani principes, quorum fama armorumq; peritia clarissimus erat Fabritius Columna qui legati nomen obtinebat, propterea quòd Prosper Columna, quod in bello proregis imperio ipsi parendum esset, indignatus ire recusauerat. Pontificij erāt octingenti grauis, totidem leuis armaturæ equites, militum Italarum octo millia, Marco Antonio Columna, Ioanne Vitellio, Malatesta Balione Ioānis pauli filio, Raphaelo Paccio, alijsq; ducibus, qui omnes Medicei Cardinalis legati imperio subiacebant: neq; præfectum habebant, quoniam Termini dux, uelut Aragoniæ regis familiaris à Pontifice copijs suis præfectus, dum castra peteret, ad Ciuitatem castellanam erat mortuus: & Urbini dux hūc gradū obtinere consuetus, siue quòd sic Pontifici uisum fuisset, siue quòd in pontificio præsertim regno, Proregi om-

nium totius fœderis copiarum imperatori parere sua persona minimè dignum existimaret, non ueniebat. His copijs, tormentis penè omnibus ex regno neapolitano conuectis, abūdè instructis, ad Bononiam castra locari decretum fuit: non quòd rem ob Gallorum in auxilijs submitendis facultatem admodum difficilè non cognoscerent, sed quia nihil aliud geri poterat, quod maiores difficultates impedimentaq; non haberet: cum tantis copijs in otio uersari, nimis manifestum metum arguebat: & Pontificis talis erat ardor, ut quicumq; difficultates expendendas proposuisset, is causam dedisset ut iam Hispanorum artes fraudesq; apparere credidisset, & quereretur. Quare Prorex, castris motis, inter Lidicè fluuium Bononiamq; confedit: ubi rebus ad urbis oppugnationem necessarijs comparatis, riuusq;, qui ex Rheno Sapiq; fluminibus Bononiam intrant, auersis, moenibus appropinquauit, maiore copiarũ parte inter montem & uiam quæ Bononia in Flaminiam tendit, quòd ab ea parte commeatus oportunitatem haberet collocata. Inter Rheni pontem in Amilia uia, qua in Insubriam itur, positum, & Felicianam portam in eadem uia, Fabricius Columna cum primo agmine, in quo erant septingenti grauis, quingenti leuis armaturæ equites, & peditum legio, castra posuit, quo facilius Gallorũ, si fortè mitterent, auxilia impedirent: & ut montes in potestate haberèt, copiarum partem in diui Michaelis in Bosco, ut appellant, æde imposuerunt, qui locus admodũ proximus urbi uniuersæ imminet: ædè similiter D. Mariæ in monte occuparunt. Bononiæ præter populum bellicosum (etsi fortè magis consuetudine quàm natura) & aliquot equites ac pedites à Bentiuolis comparatos, uenerant

nerant à Foisseio duo Germanorum peditum millia, & ducenti cataphracti Odetto Foisseio et Iuone Alegrio, claris ducibus: hic quidē ob longū bellicæ rei usum, ille ob generis nobilitatem, & quia militaris in eo indoles elucebat: erant & duo alij duces, Faietta, & Vincentius cognomento Grandiabolus: & tamē, ob amplum urbis ambitum, situ montem uersus admodum incommodo, cum nulli munitionum apparatus, præter eos qui ob præsens periculum repente facti erant, adesset: multi de nobilitate ac populo Bentiuolis suspecti, & uetus Hispanorum peditum in oppugnationibus eximia ob agilitatem leuitatemq; uirtutis laus recenter ad Bastiam Genioli confirmata: quibus de causis defensionis spem magis in auxilio à Foisseio promisso, quam in proprijs uiribus collocabāt. Animos uerò eorum hostium tarditas non parum confirmauit: qui nouem dies circa mœnia uersati sunt ociosi, antequam quidquam adoriretur, nisi quòd quatuor minoribus tormentis, quos sacros & colubrimas uocant, ad Michaelis fanum collocatis, casu, et sine certo scopo, nisi ut homines atq; ædificia læderent, in urbem iaculari cœperunt: uerum ijs ictibus hostes nō lædi, nec aliud fieri quàm puluerem globosq; inutiliter consumi, experientia edocti, citò abstinuerunt. Tantæ tarditatis causa fuit quòd eo die quo castra posuerant, Foisseium Finale profectū, undiq; copias colligere compererant; & uerisimile uidebatur, ut etiam fama ferebat, illum quantum regijs rebus noceret, quantumq; de existimatione tam oportuna ciuitatis iactura detraberet animaduerso, eius conseruandæ gratia omnia pericula subiturum: quapropter, non modò qua in parte facilius, & cū maiore expugnationis spe tormenta librari

possent, uerumetiam qua ratione Gallorum auxilium, quo minus ingrederetur prohiberi, necessario disputandum erat. Ideo prima sententia fuit, ut Fabritius Columna, comite prius comparato, ad alteram urbis partem transgressus, in colle qui Mariæ montanae subiacet castra poneret: ex quo loco ijs qui Bononiam ingredi uellent, facile posset occurrere: nec tantum à reliquo exercitu distaret, quin aliquo ingruente periculo, posset in tempore adiuuari: eodemq; tempore, ex ea parte ubi castra habebant, uel parum remoto loco, urbs tormentis peti inciperet: atq; huius sententiæ autores illud asserbant, credibile non esse, cum ex copiarum salute, omniū quæ Galli in Italia possiderent conseruatio pendêret, Foisseium aliquid moliturū ex quo ad pugnam cogi posset: neq; etiam, quamuis se id tuto facere posse cognosceret, cum omnibus copijs Bononiam uenturum, seq; Mediolanensis imperij non prorsus ab Heluetiorum motibus tuti, sed in maiore suspitione ne à Veneto exercitu inuaderetur, qui in Veronensium fines profectus Brixia minabatur, defendendi facultate priuaturum: sed postero die hæc sententia penè ab ijs omnibus qui probauerant, reiecta fuit: dum cogitant Gallos non uenturos minimè certum esse: qui si uenirent, primum agmen solum ad obsistendum non satis esse ualidū, neq; id cōsiliū quod tali fundamento niteretur, ut euariare ac mutare in hostium potestate esset, laudari posse: ideo à prorege Petri Nauarri sententia, quam cum eo solo communicauerat comprobata fuit: qui suadebat in quinque dies comite comparato, presidioq; tantum in Michaelis templo relicto, totum exercitum ad oppositū urbis latus transire, unde hostilē exercitū ingressū prohibere posset: cumq;

urbs

urbs ab ea parte non esset munita (quoniam nunquam inde oppugnationem timuerant) quinque dierum spacio sine dubio expugnaretur: sed cum hoc consilium ad ceterorum notitiam peruenisset, nemo extitit, qui non ad alteram partem, in locum comiteatu (qui totus ex Aemilia uehebatur, neque alio sustentabantur) penitus carētem exercitum traducere, adeo ut nisi quinque dierum spacio uictoria potirentur, dissolutum consumptumque iri necesse esset, aperte improbaret: & quis (sic Fabritius Columna differebat) ille est, qui tam breui tempore eam sibi certo possit polliceri? & quomodo debemus, spe sua natura fallacissima, totque casibus subiecta, in tantum nos discrimen conijcere? & quis non uidet fieri non posse, ut dimensis horis deficientibus, Bononia in qua populus est ingens, & multi milites à fronte posita, à tergo Gallis, & hostili regione, copijs nostris fame debilitatis, confusis, & consternatis, sine pernicie nostra nos hinc discedamus? Fuerunt etiam qui laudarent, ut maiore peditum numero primo agmini adiuncto, ultra Bononiam, ferè ad montis radices, inter Saragotianam & Felicianā portā, castris, uallo, aggeribus, alijsque munitionibus septis, consisteret: & urbs ab ea parte percuteretur, ex qua non modò moenibus & propugnaculis erat debilissima, sed etiam aliquot tormentis in monte collocatis, dum oppugnatio fieret, eorum qui iam dirutam partem tuerentur latera peti poterant: quod consilium quoque uelut ad Gallorum aduentum prohibendum minime aptum, & periculosum reijciebatur: quoniam si inuaderentur, non poterat exercitus, etiam si montes obtineret, breuiori quam trium horarum interuallo illis opem ferre. In hac sententiarum diuersitate, ceterorum

consilia uel iure improbare facilius esset, quàm ea afferre quæ approbatione digna essent, duces tandem Urbem, ab ea parte in qua metati erant inuadendam statuebant: ad id potissimum inter reliqua moti, quòd iam Foisseium, quandoquidem tandiu distulerat, uenturum minimè putarent: idcirco & ut tormenta muris admouerent, solum æquare cœperunt, & primum agmen in aliorum castra reuocatum. At paulo post Gallicas copias Finale subinde augeri multis acceptis nuncijs, eamq; ob causam priore mente redintegrato, sententiarum uarietas denuò pullulare cœpit: omnibus enim in hoc consentientibus, si Foisseius appropinquaret, illum antequam Bononiam ingrederetur esse inuadendum, multi monebant: si tunc tormenta iam collocata à mœnibus essent retrahenda, eam rem multas exercitui difficultates impedimenta q; allaturam, quo quidem rebus in tam angustum locum reductis, nec periculosius, nec perniciosius quidquam esse poterat: alij tot dies ociosè circa ea mœnia uersari, simulq; hostium qui intus essent animos confirmare, & ijs qui foris, auxiliij ferendi spacium dare, rem esse non minus turpem quàm perniciosam adserabant: ideo tormentorum collocationem non amplius differendam: uerùm eo in loco unde citò retrahi, æquationemq; soli, quo Gallis obuiam iri posset adeò latam faciendam, ut tormenta simul & exercitus moueri possent: eorum qui urbem inuadendam monebant sententia, legatus, iam tot dilationes pertasus: nec iam sine suspitione, quin hæc agendi ratio ab Hispanorum artificio ex ipsorum regis præscripto proficisceretur, cupidissimè adharebat: querebaturq; si statim ab aduentu urbem

oppugnare cœpissent, iam fortasse ea potitos fuisse: iam non ultra errores esse cumulandos, nec hostili more ciuitatem obsidendam, & ab alia parte eius inuadendam metum signis declarandum: se quotidie tabellarijs & nuncijs à Pontifice urgeri, nec quid respondeat, prætexátue habere: nec leuibus promissis & spe amplius illum posse foueri. Quibus uerbis Prorex commotus, uehementer questus est, quòd cum ipse in armis bellicisq; exercitationibus non esset educatus, tot suis stimulis in præceptis aliquod consilium conaretur impellere: totius orbis terrarum hisce consilijs causam agi, nec tanta maturitate agi posse, quin maior requiratur. Pontificibus ac rebus publicis moris esse, bella cupidè suscipere: suscepta cum sumptus & molestiæ mox graues esse incipiunt, nimis citò confici uelle: deliberationem relinqueret ducibus, qui eundem quem ipse animum haberent, sed belli peritia præstarent. Ad extremum Petrus Nauarrus cui prorex plurimum tribuebat, in tanti ponderis deliberatione, duorum trium'ue dierum rationem non esse habendam commemorauit: quocirca & ad Bononiæ expugnationem, & ad prælium cum hostibus conferendum necessarios apparatus faciendos: ut quod consilium Gallorum progressus darent sequi possent: duorum dierum interuallo nullum melioris sententiæ lumen affulsit: quoniam Foisseius, cui Centum Plebèmq; & complura alia Bononiensis agri castella deditionem fecerant, adhuc Finale ut milites colligeret morabatur: qui cum in uaria loca essent distributi, nec pedites quos conscripserat tam citò uenirent, non sine tarditate colligebantur: quare cum iam ulterius differendi

nulla esset caussa tormenta tandem circiter triginta ul-
 nis a D. Stephani porta, qua Florentiamitur, ubi mu-
 rus ad portam Castellioneam quæ montes respicit uer-
 gens, angulum facit, disposita fuere: et simul Petrus Na-
 uarrus, cuniculo castellioneam portam uersus, ad eani
 muri partem, ubi intra murum exiguum sacellum, Ba-
 racanum appellatum, exstructum erat, agendo operam
 dabat: ut eodem tēpore oppugnatione coepta, in diuer-
 sa distracti, difficilius quàm si coniuncti unum tantum
 locum tuendum haberent, obsisterent: præterea Gallis
 obuam eundi consilio non relicto, primum agmen in
 priora castra redire uoluerunt. Tormentis uno diē mu-
 ri ulnæ ad centum sunt deiectæ: turris quoq; portæ im-
 posita usq; adeò quassata fuit, ut iam defendi nullo mo-
 do posset: utq; propugnatores eam deserere cogerētur:
 nec quicquam iam obstabat quo minus in urbem irru-
 ptio tentaretur, nisi quòd dum cuniculus perficeretur
 super sedendum censebant: quanquam parū absuit quin
 multitudinis temeritate eodem die inordinatè pugna-
 retur: quoniã aliquot Hispani pedites foramen in turri
 factum unis scalis ingressi, inde in domunculam ab in-
 teriore parte mœnibus coniunctam in qua nullum erat
 præsidium descenderunt: qua re à ceteris peditibus con-
 specta, frè omnes sine ordine eò se conuertebant, nisi
 duces ad rumorem aduolantes cohibuissent: sed cū qui
 intus erant, maiori tormento in eam domunculā libra-
 to, partem illorum interfecissent, reliqui ex loco in
 quem inconsideratè ingressi erant, pedem retulerūt: et
 dum cuniculo perficiendo opera datur, exercitus et ip-
 se pontibus faciendis, fossisq; fasciculis replendis ope-
 ram dabat: ut milites quasi per planum locum, effracto

muro appropinquare, & per ruinas aliquod tormen-
 tum trahere possent, quo qui intus erāt, cum oppugna-
 tio fieret, à propugnatione pellerentur: qui cum à Gal-
 lis ducibus cernerentur, populusq; iam trepidare uide-
 retur, statim auxilium à Foisseio petatum miserunt: qui
 eodē die mille pedites, & proximo centum et octuaginta
 cataphractos misit: quæ res hostibus ipsum nō uenire
 decreuisse, firmam attulit spem: neq; enim uerisimile uē
 debatur, si secus in animo habuisset, partem à se dimis-
 surum fuisse: & re uera hæc fuit ipsius mens: nam cum
 hæc auxilia ad Bononiam defendendam satis esse existi-
 maret, nulla necessitate impulsus pugnae fortunam expe-
 riri nolebat. Tandē perfecto cuniculo, exercituq; ad præ-
 gnam capescendam comparato: quod ut maioribus uiri-
 bus fieret, primum agmen è sua statione reuocatum fue-
 rat, Nauarrus cuniculo ignem implicari curauit: qui im-
 petu si repituq; ingenti sacellum adeo in altum sustulit,
 ut per illud spacium quod inter solum murumq; sublatis
 relinquebatur, ab ijs qui foris erant, interior ciuitas, mi-
 litesq; ad propugnandum parati aperte conspecti fue-
 rint: sed illicò subsidens integer murus, in eundē locum
 unde ignis impetu diuulsus fuerat, recidit: itaq; coag-
 mentatus iterum est, ac si nunquā motus fuisset: quocir-
 ca eū ab ea parte inuadi iam nō posset, duces ab altera
 tantum parte oppugnationem nō adoriendam censue-
 runt. Bononienses prodigio eam rem tribuerunt, fieri
 nō posse existimantes, ut penitus ijsdem fundamētis sine
 diuino numine coniungi iterum potuisset: quamobrem
 sacellum id post magnificentius extructum fuit, nec par-
 ua populi religione frequentatum. Hoc successu, quasi
 Bononiæ rebus nō esset amplius metucendum, Foisseius

Brixiam ducere cogitabat: quod uenetum exercitū ad eam urbem progredi compertum haberet: nam quoniā propter Bononiense periculum leuia ibi præsidia reliquerat: & quia occultas fraudes intus latere suspicabatur, nō mediocriter erat sollicitus: sed ducum qui Bononiæ erant preces, qui si discederet, se in maiore quā antea periculo relinqui, sin ueniret in urbem, totum hostilem exercitum debellari posse demonstrantes, illum ab ea sententia deduxerunt: quapropter & si in concilio ferē omnes duces repugnassent, die iam ad noctem inclinante, castris Finale motis, sequentis diei secūda à solis ortu hora, omnibus copijs ad pugnam comparatis incēdēs, niue uentisq; asperrimis ingruētibus, Felicianā porta Bononiam cum mille trecentis cataphractis, & Germanorum peditū legione, quos omnes in primo agmine collocauerat: Gallorum uerō & Italarum octo milibus est ingressus: quo facto Foisseius de hostilibus copijs postridie manē inuadendis egit: ut nimirum milites tribus portis egrederentur, & populus montana uia: quos sine uīla sui aduentus suspicione offendisset, quem certū est duces neq; eo die, neq; maiore proximi diei partem cognitum habuisse: sed Iuo Allegrius, quod nec ipse, nec quisquā alius, tantum exercitum de die Romana uia, urbem quam illi obsiderent ipsis inscijs ingressum esse, fieri posse existimaret, copias itineris difficultate fessas diē unum quiescere suasit: quæ ignoratio in alterum usque diem peruenisset, nisi casu Græcus quidā unā cum alijs equitibus ad excursionē egressus, captus fuisset: qui interrogatus quid Bononiæ ageretur, ab se, qui præcedenti die cum gallico exercitu uenisset, pauca cognituros respondit: quare maxima admiratione diligentius à du-
cibus

eibus interrogatus, ac in respondendo cōstans repertus
 etiā; habita fides esset, cum militibus tempestatis atrocitate
 uexatis, urbēq; quā tātus exercitus esset ingressus,
 tam propinqua, diutius ibi hærere periculosum rati, e-
 exercitum abducere decreuerunt: idcirco sequenti nocte
 quæ in decimumnonum obsidionis diem incidebat, tor-
 mentis tacitè subductis, copiæ multa nocte Imolam uer-
 sus mouerūt: & per cōplanata loca per quæ uenerant,
 quæ uiam publicam cū tormētis in medio habebāt ince-
 dentes, copiarum flore in nouissimo agmine collocato
 tuti recesserunt: quia Bononia nulli præter aliquot Gal-
 los equites egressi sunt, qui tormentorum apparatus et
 cōmeatus parte direpta, ideoq; iam ordinibus perturba-
 ri coeptis, fuerūt nec sine clade à Malatesta Ballione, qui
 in postrema exercitus parte erat in urbē repulsi. Obsi-
 dione soluta Foisseius trecētis cataphractis, & quatuor
 peditum millibus ad Bononiæ custodiam relictis, statim
 ut summa celeritate Brixiaæ arcis opem ferret discessit:
 quoniam ea eo die qui eius Bononiā ingressum anteces-
 sit, in Venetorum potestatem peruenerat: nam Andreas
 Grittus, senatus imperio, ab Aloisio Aduocato nobili
 Brixiano, & penè totius regionis hominibus, necnō q;
 aliquem sua caussa in urbe motum exoriturū speraret
 impulsus, trecentis grauis, mille trecentis leuis armatu-
 ræ equitibus, & trium peditum millibus, Athesi flumine
 ad Alberum, qui locus prope Lineacum est, traiecto, de-
 inde Mincio ad Mokam Voltæ inter Goitū & Vallegiū
 uado superato, & Monteclarum profectus, nocte ad Cā-
 stanetum pagum quinq; à Brixia miliaribus castra pō-
 suit: quò ex loco statim leues equites ad portas usq; ex-
 currere iussit: eodemq; tempore per totam regionem

D. Marci nomine resonante, Aloisius cum octingentis uiris ex Eutropiæ Sabiæq; uallibus concitatis, portam adiit, filio cum alijs peditibus in alteram urbis partem ad portas usq; misso: Andreas uerò Grittus nec nuncijs quos ab illis qui intus erant expectabat, nec ullum è cōstitutis cum eis signis acceptis, quin urbem undiq; diligenter custodire cernens, ulterius sibi progrediendum non esse censuit: quo in motu Aduocatus filius ab ijs qui intus erant captus est. Grittus ad Montanianā, unde antea discesserat, idoneo ad pontem Athesis impositum relicto præsidio se recepit: sed intra paucos dies reuocatus, cum maioribus tormentis duobus, & quatuor minoribus, quos falconettos uocant, denuo Athesim trāsgressus, ad Castanetum castra posuit, cum iam Aloisius eodem tempore cum ingenti ex illis uallibus numero ad primum Brixie lapidem appropinquasset: & quamuis nullus ex urbe motus perciperetur, Grittus maiori quā antea concursu inuitatus uim experiri statuit: quare cū omnib. regionis incolis copias admonit: tribusq; ex partibus urbem oppugnare cœpit: quare ad Turris portā infelicitè tentata, ad Pilarum portam, quam Aduocatus oppugnabat, & ad Garzule, ubi milites quibus Baldassar Scipionis imperabat (ut aliqui uolunt) ferrea crate, per quam fluuius eiusdem cum porta nominis in urbem fluit ingressi erant, prosperè successit, Gallis frustra resistentibus: qui cum hostes in urbē ingredi cererent, proq; illis Brixianos moueri, qui antè ab ipsis arma sumere prohibiti quieuerant, unā cum Luda præfecto equis impedimentisq; amissis in arcem se receperūt: in quo tumultu ea pars, quæ Citadella dicitur, à reliqua urbe separata, quam omnes ferè Gibellini inhabitabant

Guelfo-

Guelforū domibus conseruatis direpta fuit. Brixia rece-
 pta, mox Bergomi deditio secuta est: nam duabus arci-
 bus exceptis, quarum una in media urbe, altera quingē-
 tos inde passus posita, nōnullorum ciuium opera dedi-
 tionē fecit: idem Vrcei & noui & ueteres, Ponteuicum
 multaq; alia uicina oppida fecere: ac fortasse maior fa-
 ctus progressus, uel saltem uictoria firmior extitisset, si
 Venetijs, ubi incredibilis fuit letitia, tāta in militibus ac
 tormentis, quæ ad arcis nō admodum ad resistendū ua-
 lidæ expugnationem erant necessaria, mittēdis diligen-
 tia fuisset, quanta in magistratibus, qui urbes oppidaq;
 recepta regerent, creandis & mittendis fuit: quæ negli-
 gentia tanto perniciosior fuit, quanto Foissiei diligētia
 & celeritas extitit maior: qui Pado ad Stellatā supera-
 to, ex eo loco centum quinquaginta cataphractis, &
 quingētis Gallis peditibus, ad Ferrariæ presidium missis
 per Pontemolinum Minciū transijt: atq; eodē penē tem-
 pore ad Mantuæ marchionem qui transeundi facultatē
 peteret misit: siue ut improuisa pctitione illius consilij
 nullum locū relinqueret, siue ut aduentus sui nunciij se-
 rius ad Venetorum copias peruenirēt: inde postero die
 ad Nugaram in agro ueronēsi peruenit: altero ad Pon-
 tepeferem & Treuillas, trib. à Scala milliaribus: ubi cū
 Io. Paulum Ballionē, qui aliquot Venetorum milites ac
 tormenta Brixiam profectos comitatus erat, cum trecē-
 tis grauibus, quadringentis leuibus equitibus, & mille
 ducentis peditibus à Castellofranco, ad Scalæ insulā ue-
 nisse, ibiq; cōstitisse cōperisset, illico cum trecentis cata-
 phractis, segtingētis hyppotoxotis, reliquis copijs, q;
 tantam celeritatē assequi nō possent, subsequētibus, ad
 eum adoriēdum conuolauit: cumq; illum ante horā di-

scēssisse cōperisset, eadem illum infecutus est celeritate, Io. Paulus Bernardinū Montoniū, in cuius custodia erat pons ad Alberum factus, Gallorū aduentu cognito, ne ab ipsis & Germanis qui Veronæ erāt, ubi Cæsar Foriulij custodia leuatus (nam præter Gradiscam omnia in Venetorum redierāt potestatem) paulo antè tria millia peditū, quos prius in ea regione habebat, miserat, intercluderetur metuentem, pontem dissoluisse cognouerat: quamobrē Io. Paulus Brixiam contēdisset, nisi paulò infra Veronā fluuium uado trāsiri posse ostensum fuisset: quò cum transiturus pergeret, Foisseium à lōgè conspexit: cuius incredibilis celeritas, quia samā superauerat, nihil aliud q̄ militum qui Veronæ erant partē posse esse iudicauit: quare agmine instructo, ad Magnanini turrim prope Athesim, nec procul à Scalæ turri illum præsentī animo expectauit. Hastarum ex utraq; parte concursus admodū ferox fuit, deinde alijs armis ultra horā strenuè pugnatum: sed qui sequi iussi fuerant, militibus subinde superuenientibus, Marcianorū sors subinde deterior fiebat, & tamen turbati, sæpius ad ordines suos redire: tandē cum maiorē numerum sustinere iam non possent, fracti fugā capessere: hostes nocte iam incipiēte eos ad amnem usq; insequi: quē Io. Paulus multis ex suis in eo submersis, incolumis traiecit: ex Venetis fuere partim cæsi, partim capti circiter nonaginta grauis armaturæ equites: inter quos captiui fuerunt Guido Rangonius, & Baldassar Signorellus Perusinus, pedites dissipati, & duo minora tormenta quæ sola secum habebant amissa: Gallis ea uictoria penè incruēta fuit. postera die Meleagrū Foroliuēsē cum aliquot Venetorum leuis armaturæ equitibus obuiū habuerunt: qui Meleagro ca

pto, facile fugati sunt: & ne horæ quidem iactura facta nono à Bononia discessu die, Foissius cum primo agmine in Brixie suburbio ad geminum ballistæ iaculū procul à turris longæ porta, castra locauit: reliqua exercitus pars longius propter uiam qua Pischeriã itur, mox ne sibi quidem respirandi spacio concesso, peditū partem ad Sanfridiani ædem in mōtis medio sitam, sub quo ipse castra habebat, multorum uallis Eutropiæ agrestiuū præsidio munitum, oppugnatum misit: igitur ex multis partibus ascensione facta, ingenti pluuia quæ tormētorum in eo collegio positorum usum ademit adiuti, eos perturbarunt, & bonam partē eorum ceciderunt: proximo die præcone, qui ciuitatem fortunis, corporibusq; omnium præterq̄ Venetorum saluis sibi dedi postularet in urbem misso, ferociq; coram Andrea Gritio accepto responso, exercitu ad alterā urbis partem, quæ arci est propinqua conuerso, in portæ quæ S. Ioannis dicitur, suburbio castra locauit: ubi diei insequentis diluculo, plus quadringētis cataphractis, omnibus candidis protectis armis, & sex millibus peditum partim Vasconū, partim Germanorū, ex toto exercitu delectis, ipse unā cum ipsis pedes, ab ea parte quæ ad Pilarum portā uergit ascendens, nemine aduersante primum arcis ambitū est ingressus: ubi militibus aliquantisper quietē refectis eos breui oratione hortatus est: audacter in ditissimam opulentissimamq; urbem, in qua gloria & præda citra controuersiam labore ac periculo longè esset maior futura, descenderent, pugnam cum Venetis militibus numero & uirtute multo inferioribus esse conferendā: populi enim multitudinem, bellis minimè suetā, quæq; iam potius fugam q̄ pugnam meditaretur, omnino esse con-

temnendam: imò sperari posse, illam ignauia consternatam, ceteris quoq; omnibus consternationis ansam daturam: ad extremū obsecrare, cum illos tanq̄ totius exercitus florem delegisset, ne sibi ipsi iudicioq; suo iniuriā facerēt, cogitarentq; cum se eos esse profiterentur, qui hostium urbes contra militū, tormentorū, munitionūq; uim ingredi auderent, nisi nunc tanto aditu patefacto, nec quicquam præter homines solos aduersos haberēt, desiderio compotes fierent, quam infames quamq; contempti futuri. Hac habita oratione, peditibus præmissis arce egredi cœpit: in cuius egressu, aliquot peditibus, qui tormentorum progressum impedire conabatur inuētis, ijsq; facile depulsis, per iugum in præferti cognomento Burlletti domus forum ferociter descendit, in quo Venetorum copiæ globo facto intrepidè expectabant: ubi consertis manibus, illis propriæ salutis caussa, his non modò pro gloria, uerum etiam tantis diuitijs replete urbis diripiendæ cupiditate dimicantibus, diu acre admodum & formidabile prælium fuit: nec minori uirtute duces ipsi, quam gregarij milites decertarunt: inter quos Foissei uirtus & ferocitas admodum illustris emicuit: tandem Veneti milites fortissimè dimicantes ferro pulsati sunt. Victores deinde in duas partes distributi, pars per urbem, pars per Citadellam ingressi sunt: quibus serè ad singulos angulos & uias, milites & populus egregiè resistebant: sed semper uictores ubiq; hostes pepulerūt: neq; unquam nisi tota urbe occupata (sic enim priusq̄ descenderent ipse mandarat) ad diripiendum se cōuerterunt: imò si quis fortè præcepto nō parebat, statim ab alijs interficiebatur. In his certaminib. ex parte Gallorū multi pedites, nec pauci equites sunt desiderati

ex ho-

ex hostibus uerò circiter octo millia hominũ, partim ex populo, partim ex uenetis militibus, qui erãt quingenti grauis, octingenti leuis armaturæ equites, & octo millia peditum: & inter hos Federicus Contarenus, Epirotarũ equitũ legatus, qui dũ in foro pugnat, sclopi glãde traiectus interiit: reliqui omnes capti, præter ducetos Epirotas, qui per portulã, quæ est ad Nazarij portã, sed haud meliori fortuna egressi, cum in eam partem gallici exercitus, quæ extra urbem manserat incurrissent, penè omnes aut cæsi, aut capti fuerunt: qui deinde citra negocium per eandem portam ingressi, cœperunt & ipsi aliorum laboribus ac periculis usi diripere. Capti fuerunt Andreas Grittus, & Antonius Iustinianus ab Senatus prætor in eam urbem missus: Ioãnes paulus Manfronus cum filio, Vulpius eques, Baldassar Scipionis, unus ex Antonij Pij liberis, Aloisius Aduocatus, & alter eius filius, Dominicus Busechius Græcorum equitum præfectus: Vrbs direpta, sed Foissei iussu sacrarũ uirginum in suis septis pudicitia conseruata, bona tamen & qui sese ex urbe in ea septa receperãt, ducum præda fuerunt: Aloisius Aduocatus in publico foro, Foisseo proprios oculos eo supplicio saturante, capite pœnas luit: duo illius liberi etsi tunc dilatum sit, non multo post eandem pœnam luerunt. Sicq; Gallorum manibus, à quibus Brixienses oriundos se iactabant, ea ciuitas, nobilitate & dignitate nulli Galliæ togatæ urbium inferior, opibus autem, Mediolano excepto, reliquis omnibus anteponenda, tandem cladem passa est: quæ sacris profanisq; rebus, nec minus hominum uita & pudicitia quàm bonis prædæ datis, septem continuos dies militari auaritiæ, libidini, & credulitati fuit exposita. His rebus in

hunc modum gestis, Foissei nomen, quòd uirtute ac celeritate sua, quindecim dierum spacio pontificium Hispanicumq; exercitum à Bononiæ mœnibus discedere coegisset: Ioannempaulum Ballionem cum parte Venetarum copiarum, acie sudisset: Brixiam tâta militum populiq; strage recepisse, summa cum laude per totam Europam celebratum fuit: adeò ut communi omnium iudicio, Italiam à multis seculis in rebus bellicis tale aliquid non uidisse confirmaretur. Brixia cum reliquis oppidis recuperata, ex quibus Bergomum, paucorum q; opera ad defectionem concitatum, antequam Foisseius Brixiam ingrederetur, populi consensu Gallos reuocauerat. Foisseius ubi res constituisset, militiq; tam longis grauibusq; laboribus fesso, & in præda partim conseruanda, partim diuidenda distracto, quiescendi spacium dedisset, eumq; in ordinem redegisset, regis præcepto contra fœderatorum exercitum ire decreuit: qui Bononiæ mœnibus relictis, in agro Bononiensi consererat: regem enim multi grauissimi casus ad hoc impellebant, quibus pro rerum suarum salute noua consilia sequi cogebatur. Iam ab Angliæ rege bellum manifestè apparere incipiebat: nam quamuis rex ille prius apertis uerbis negasset, post dubijs dissimulasset, tamen longè diuersa facta iam regi non poterant: Roma enim ad imiti fœderis confirmationem diploma tandem allatum audiebatur. In Anglia copias nauigiâq; comparari, & in Hispania naues quæ in Angliam transirent: omnium populorum animos ad bellum Gallie inferendum accensos esse sciebatur: & oportune pontificia nauis longa Falerno uino, caseis, suminibusq; onusta aduenerat: quæ ipsius nomine, et regi, & multis principibus, anti-

tistibusq; donata, ab omnibus miro applausu accipiebantur: & plebs, quam plerunq; non minus leuia quam graua mouent, ad eam nauem uisendam summa cum uoluptate accurrebat: nam antea nunquam in ea insula nauim ulla cum pontificijs uexillis conspectam gloriabantur. Deniq; cum Morauie episcopus, qui inter pontificem & Gallie regem de pace egerat, siue conscientia, siue purpurei galcri desiderio motus, in quodam totius insule concilio, admodum beneuolè cum ampla pontificie equitatis testificatione retulisset, Antistites regni nomine ad Lateranense concilium mittendos esse in Senatu constitutum fuit: & rex pontificijs legatis postulantiibus, Gallie regis oratorem abire iussit: neque enim decere apud regem & in regno ecclesie ad dictissimo, conspici cum qui regis illius personam gereret, qui tam aperte sacrosanctam sedem oppugnaret. iamq; occulta consilia erumpebant, quibus erat constitutum, ut rex Anglie, maritimo apparatu Normanie Britaniaeq; citerioris litora infestaret, & octo millia perditum in Hispaniam mitteret, ut cum Aragonie rege coniunctis armis bellum in Aquitania moueretur: que suspicio Gallie regem mirum in modum torquebat: nam cum ueterum bellorum memoria Anglicum nomē suis formidabile esset, Hispanie uirium accessione, periculum maius reddi cognoscebat: & tanto magis, quod præter ducentos cataphractos, omnem militiam in Italiam misisset: qua uel tota uel ex parte reuocata, mediolanense imperium ipsi tam carum in apertum discrimen conijceretur: & si ne ita imparatus offenderetur, ueteribus legionibus octingentos cataphractos adderet, quam spem in tantis periculis, in hominibus impe-

ritis, & militia tyronibus collocare posset? Accedebat suspicio indies crescens de Cæsaris alienatione: quoniam Andreas Burgius ingenti desiderio expectatus redierat: qui quamuis Cæsarem ad foedus conseruandum in eoq; permanendum propensum referret, tamen admodum duras leges uarijs permixtas querelis proponebat: nam quæ ex cameracensi foedere ad se spectarèt, sibi restitutum iri, cautionem postulabat: neq; cum & ab initio & post semper Patauium sua imperio adijci regi molestum esse, libentiq; animo singulis annis ducenta ducatorum millia, dummodo ipse cui quinquaginta millia insumere grauius esset, consumeretur, atq; in continuis molestijs detineretur, exposuisse perspexerit, solis promissis iam fidem habere posse: superiore anno, Triultium, quod & animo & rei militaris peritia, ad bellum citò conficiendum aptus esset, sibi denegasse: Regis secundam filiam biennio minorem, Burgundia dotis nomine tradita, nepoti suo despondi, statimq; filiam ipsam tradi: res Bononienses, Ferrarienses, atque Concilij, suo iudicio permitti postulabat: & gallicum exercitum Romam uersus contendere uetabat: seq; regis in Italia imperium, ulla ex parte augeri non passurum attestabatur. Quas per se grauissimas ac penè intolerabiles leges, lōgè grauiores reddebat, quòd tot tantisq; rebus concessis, ipsum uel ex occasione, uel ex consuetudine sua non mutaturum, sibi certò promittere non posset: imò petitionum iniquitas, illum iam animo à Gallia rege alienatum, aliquo colore sui declarandi occasionem querere apertū indicium faciebat: cum præcipuè non modò in uerbis, sed etiam in factis multa malè affecti animi signa animaduertentur: quia neq;

cum

cum Burgio, procuratores totiens Concilio Pisano promissi uenerant: & Antistitum Augustæ habitus conuentus, tandem publico decreto Pisanum concilium, seditiosum ac detestandum esse responderat: hoc tamen addito moderamine, si pro contraria parte ualidiora adducerentur argumenta, sententiam mutare paratos esse: & tamen quo tempore maximè regi uires suas colligere opus fuisset, ducentos cataphractos, & tria peditum millia ad Veronæ præsidium, & mille ad Lineaci custodiam alere cogeatur. Angebat præterea uehementer regis animum Heluetiorum metus: nam etsi Ambianorum præfectum ad eorum comitia mittendi potestatem habuisset, cui, prudenti consilio (si modò prudens consilium appellari potest quod iuuandi occasione elapsa capitur) ad quamuis pecuniæ summam, dum eos ad suam amicitiam pertraheret impendendam paratus amplissima mandata dederat: tamen ardentissimo plebis odio, ualidisq; Sedunensis suasionibus, eorum qui singulis comitijs consilia illi contraria sequi prohibuerant autoritate superata, ipsos sex peditum millia ad foederatorum stipendia missuros audiebatur: quos illi, ut Germanorum disciplina & robore præstantibus copijs opponerent, petebant. Rex insuper se à concordie spe penitus exclusum conspiciebat: de qua etsi in ipso bellorum ardore, Cardinalis Nannetensis, et Strigoniensis, ungarici regni potentissimus antistes, nunquam agere desissent: quia Pontifex postremò responderat, si attentius quàm antè audiri uellent, Pisanum conciliabulum aboleri, Pontificio imperio Bononiam Ferrariamq; urbes suas restitui procurarent: nec minore factis asperitate ostensa, denuò multos Gallos antistites,

qui ei concilio interfuissent, suis dignitatibus priuauerat: & Philippum Decium, illius ætatis præstantissimè Iurisconsultum, quia pro causse illius æquitate scripserat, ac differuerat, & Cardinales ut quæ iure essent agenda dirigeret, sequebatur, condēnauerat: nec in difficultatibus & periculis quæ ex tot locis ostendebantur, Rex in ulla Italiæ parte, ubi firmum ac certum pedem figeret habebat: nam Ferraria & Bononia fuerant & erant ei sumptuose ac molestæ: & à Florentinis apud quos, ut unâ secum bellum in Flaminia mouerët, denuò agebat, nihil nisi communia responsa elicere poterat: imò de illorum animis nonnihil suspicabatur: quoniam Florentiæ semper hærebat prorégis neapolitani legatus, & multò magis quia ad Catholicum regem oratorem miserant: quodq; non iam ut solebant res suas secù communicarent: maximè uerò quia cum nulla petita pecunia, aliâue graui re foedus quod intra paucos menses terminabatur, prorogari postulasset, illi ut ad eas condiciones quæ illo tempore commòdiore ipsi uiderentur, arripere ipsorum in potestate esset, rem protraherent: quam propensionem Pontifex ut augetet, nèe nimia asperitate ad Galliæ regis fortunâ armis sequendam eos impelleret, nemine publico nomine id postulante, dirarum decretum indulsit, & Ioannem Gozzadinù Bononiensem, ex Pontificij cubiculi clericis unū, cum humanissimis mandatis, internuncium suum Florentiam misit, suspicionem de se conceptam mitigare conatus. Rex itaque cum se solum aduersus tot uel iam apertos hostes, uel futuros conspiceret, nec si eodem tempore tot molestiæ incumberent, nisi difficillimè, se sustinere posse acumatèteret, Foijicium, quâta posset ma-

xima celeritate, in hostis exercitum ducere iussit: de quibus quod imbecilliores censerentur, uictoriam sibi pollicebatur: qua parta, nulla habita ratione Romani & pontificem inuaderet: quod si feliciter succederet, se tot periculis liberatum existimabat: & ut hæc res, ad leuandam inuidiam, & causam suam æquiores ostendendam, concilij Pisani nomine gereretur, à quo legatus aliquis decerneretur, qui cum exercitu esset: & capta oppida concilij nomine reciperet. Foisseius igitur Brixia profectus, ad Finale uenit: ubi cum per aliquot dies, commeatum qui ex Insubria uehebatur, acciperet, & ad omnes quas rex in Italia habebat, præter eas que in necessarijs locorū præsidijserant, copias colligendas, pluuijs etiam tempestatibus impeditus moratus esset, ad Sangeorgium in agrum Bononiensem uenit: quem in locum uenerunt ad eum receter ex Gallia mille Vascones pedites, mille uoluntarij, & mille Belgæ delicti pedites, alij præterea magni nominis Galli: ita ut omnes simul collecti uero numero essent cum illo quinq; millia Germanorum peditem, totidem Vasconum, & octo millia partim Italorum partim Francorum, & mille sexcenti cataphracti, ducentis illis nobilibus quorum alibi quoq; mentio facta est, connumeratis: ad has copias Ferrariensis cum centum grauis, ducētis leuis armaturæ equitibus, cumq; optimorum tormentorium copioso apparatu accedere debebat: quia Foisseius, difficultate à suis terrestri itinere uehendis impeditus, ea ad Finale reliquerat. Veniebat quoq; ad exercitum cardinalis Sanscruerius, à concilio Bononiæ legatus constitutus, homo ferox, magisq; ad arma, quam ad sacra tractanda propensus. Rebus in hunc modum constitutis, Foisseius, tum ob regia

quibus quotidie magis urgebatur imperia, tum ob in-
 fitam animo ferocitatem & gloriæ cupiditatem, præ-
 teritorum euētuum felicitate auctam, pugnae desiderio
 flagrans, aduersus hostes progressus est: nec tamen hoc
 ardore ita impulsus, ut eos temerè inuadere haberet in
 animo: sed illorum castris sic appropinquare, ut nūm
 sponte loco, ubi situs res suas non redderet deteriores,
 prælium subire uellent experiretur, uel commatu im-
 pedito pugnae necessitatem imponeret. Longè uerò alia
 hostibus mens erat, in quorum castris, postquam rixæ
 cuiusdam prætextu, Vrbinatium ducis turma discesse-
 rat, in exercitu, ut ferebatur, relinquebantur mille qua-
 dringenti grauis armaturæ, mille leuis equites, septem
 millia Hispanorum peditum, & tria Italarum recen-
 ter conscriptorum: & Galli præterquam quòd numero
 superarent, firmiorem equitatum habere censentur,
 æquo loco decertare tutum illis non uidebatur, saltē
 donec sex Heluetiorum millia aduenissent, quos cum
 eorum magistratus denuò concederent, de illis com-
 munitibus Pontificis ac Venetorum sumptibus condu-
 cendis, Venetijs, quo ad hoc Cardinalis Sedunensis,
 & duodecim illius gentis legati uenerant, agebatur:
 accedebat Aragoniæ regis uoluntas, qui & literis &
 nuncijs, quantum per eos fieri posset prælio abstine-
 rent, præceperat: ea namq; præsertim re fretus, quam
 Galliæ rex summopere metuebat: hoc est, si tandiu
 protraheretur, donec inter ipsum Angliæq; regem
 bellum in Gallia geri cœptum esset, Regem uel om-
 nes uel maximam copiarum partem transalpes reuo-
 care coactum iri: sicq; in Italia belli uictoriam sine san-
 guine & sine periculo consecuturos: quam ob causam
 nisi

nisi Pontificis petitionibus, & grauibus querelis commotus fuisset, iam ab initio Bononiæ expugnationem tentari prohibuisset. Itaque neapolitanus prorex, & reliqui duces, semper gallicum exercitum, ne Flaminia Aemiliaeq; urbes illi prædæ relinquerentur, neue iter Romam patèret, castra habere decreuerunt: sed semper locis uel situ, uel aliqua magna urbe à tergo posita, munitis, ne Galli sine maximo incommodo se adoriri possent: ideoque quotiescunque opus esset minimè detrectare, aut se difficiles in retrocedendo præbere: quippe qui, ut militares uiri, ostentationes, rumoresq; non esse curandos iudicarent, sed uictoriam præcipuè semper spectandam, quæ autoritatem, gloriam, & laudem secum trahit: quo consilio eo die quo Gallicus exercitus ad Castelloquelsum & Medicinam castra posuit, ipsi qui prope ea loca statiuua habebant, ad Imolæ mœnia se contulerunt. Postero die Galli ad sesqui milliare prope Imolam, hostibus instructa acie in loco suo consistentibus, progressi sunt: sed cum tam iniquo loco eos nollent inuadere, ulterius progressi, primum agmen ad Bubanum, quod ab Imola quatuor miliaribus distat, processit: reliquus exercitus ad Mordanum & Bagnaram, quæ oppida paulò plus mille passibus inter se absunt, sub Aemilia uia, propter comiteatus qui ex Padò flumine tutò conuehebatur oportunitatem, castris delectis: quia Lucum, Bagnacauallum, & circumuicina oppida, Foissei in agrum Bononiensem ingressu, ab Hispanis deserta, ad Ferrariensis imperium redierant. Sequenti die Hispani in Imolæ arce idoneo præsidio relicto, & in urbe sexaginta grauis armaturæ equitibus Ioanne Saxatello duce, ad Castellum Bononiensem contē-

derunt, ad uiam Aemiliam montem uersus protēsis castris metati: & eodem die Galli Solariolum ui & Cotiniolam, Granariolumq; deditioe ceperunt: ubi proximum diem constitere: & hostes in loco qui dicitur Campus muscarum hæserunt: in quibus paruis mutationibus tamq; propinquis locis, uterque exercitus instructa acie cum tormentis à fronte, & facie in hostes conuersa, quasi iam iam esset concurrendum, utrisque tamen admodum cautè atque ordine progredientibus: alteris ne ad decernendum, nisi loci oportunitas, numeri ac uirium inæqualitatem compensaret, cogerentur: alteris ut hostem in prælij necessitatem compellerent, sed ita ut ne simul & armorum & situs importunitatem subirent. In his castris Foisseius noua à rege prælij accelerandi iisdem de causis quæ ad primum mandatum impulerant auctis, mandata accepit: nam cum Veneti quamuis Brixienti infortunio debilitati, & prius precibus, deinde etiam attestationibus & nimis Pontificis atque Aragoniæ regis coacti, nisi Vicentia ipsorum imperio permitteretur, pacem cum Cæsare obstinatè recusassent, tandem coram Pontifice octo mensium inducias cum eo fecerunt, ea lege, ut quod quisque possideret, id teneret, & quinquaginta Rhenensium aurcorum millia Cæsari numerarent: quocirca cum iam rex de illius alienatione non dubitaret, fuit eodem tempore de transalpino bello certior factus: quoniam Hieronymus Cabauilius Aragoniæ regis apud ipsum orator, cum coram senatu eum alloquendi facultatem postulasset, se ab rege suo discedendi mandatum accepisse significauerat: & ut à Bononiæ tyrannis contra sacram sedem protegendis abstineret, neue ob tam iniustam causam tam grauem, tamq;

reipu-

reipub. Christianæ utilem pacem turbaret, hortatus fuerat: quòd si ex Bononiæ restitutione aliquod detrimentum metueret, omnibus modis quibus ipsemet optaret, ei cauere pollicebatur: ad extremum subijciebat, se, ut omnes Christiani principes deberent, Ecclesiæ defensionem deesse non posse. Quare Foisseius hostibus appropinquare e re nõ esse iam certus: propterea quòd ob Aemiliæ Flaminiaeq; urbium quam habebãt opportunitatem non poterat eis nisi magno labore commeatu impediti nec ipsi sine ingenti incommodo ad prælium compelli: atq; etiam quia in ijs locis in quibus erat, exercitus cõmeatus inopia laborabat, ducum suorum consilio Rauennæ castra admouere constituit: hostes, ne tantum de eorũ existimatione diminueretur, ante oculos suos tantæ urbis iacturam non passuros ratus: sicq; æquo loco dimicandi sibi occasionẽ oblatum iri: & ut hostilẽ exercitum, si fortè hoc præsentiret, Rauennam accedere prohiberet, inter Cotiniolam & Granariolum, septem ab ipsorum castris miliaribus constitit: ubi quatruduũ duodecim maiora tormenta, totidemq; minora Ferraria expectans moratus est: cuius consilium hostes coniectura assequuti, M. Antonium Columnam Rauennã miserũt: cui antequam se iturum recipere uoluerit, oportuit legatum, proregem, Fabritium, Petrum Nauarrum, & omnes reliquos duces, unumquenq; fidem suam obstringere, si Galli castra admouerent, cum uniuerso exercitu opem laturos: cum M. Antonio iuere sexaginta grauis armaturæ equites ex ipsius turmis: Petrus Castrensis cum centum leuis armaturæ equitibus, & Sallazartus, Paradesq; cum sexcentis Hispanis peditibus, reliquus exercitus ad Fauentia mœnia prope eam portam

qua Rauennam itur, castra posuit: ubi dum essent, cum hostibus iusto penè prælio acriter decertarunt. Hoc tempore Foisseius centum cataphractos, & mille quingentos pedites, ad Rusiorum castellum expugnandum misit, castellanorum tantum præsidio munitum: qui etsi ab initio pro multitudinis consuetudine audaciam præ se ferrent, tamen in eius locum timore subeunte, eodem die de deditioe agere cœperunt: quibus colloquijs cū Galli diligentiam in custodiendo remitti animaduertent, magno impetu ingressi oppidum diripuerunt: in quo plus quàm ducentis interfectis, reliquos captiuos fecerunt. Rusio, Foisseius Rauennam accessit, & postero die prope mœnia inter duo flumina, quibus illa urbs utrinq; clauditur, castra locauit. Ex Apennini iugis, qua Aemiliam Flaminiamq; ab Hetruria diuidunt, Roncus amnis, à ueteribus Vitis appellatus, & Montonus, ideo celebratus, quòd excepto Eridano fluuiorum qui ex sinistro Apennini latere oriuntur, primus est, qui suo cursu in mare feratur, originem ducunt. Hi Liuij forum utrinq; complexi, Montonus ad sinistram penè mœnia alluit, Roncus ad dexteram, sed circiter duo miliaria procul ab urbe prope Rauennam, tam parum inter se distant, ut unus ab una parte, alter ab altera eius mœnia alluant: infra uerò simul commixti mare ingrediantur tribus nunc ab urbe miliaribus: olim, ut fama est, ipsa mœnia alluebat. Spacium inter hæc duo flumina Foissei exercitus occupabat: ita ut castrorum frons Adrianam portam Montonis ripæ ferè copulatam respiceret. Proxima nocte tormenta partim contra turrim, quæ Roncona dicitur, inter portam Adrianam & Roncum sitā, partim trans Montonem, ubi ponte fluuiio imposito, exercitus

exercitus partransferat, collocarunt: & ut ante hostis quem iam castra mouisse sciebant, aduentum pugnantentarent, quanta maxima poterant celeritate tormetorum usum expediebant: nec minus etiam quod ad maximam commeatus difficultatem essent redacti: quia Venetorum copiae, quae armatis nauibus ad Ficariolum cōstitierant, commeatum qui ex Insubria uehebatur impediebant: & nonnullis nauibus, ad riuum, quod duodecim ab Rauenna miliaribus Padum ingreditur, & ad duo prope Rauennam perducitur, hostium submersis, corū quae Ferrariensium nauibus Ferraria uehebantur, in riuum ingressum impediebant: quae terrestri itinere carris uehere difficile ac periculosum erat: ualde praeterea incommodum pabulatum ire: cogebantur enim septem aut octo miliaria à castris discedere: quare Foissius eodem die etsi ingressum difficilem cognosceret, quod percussis mœnibus non plus quam triginta in lōgum ulnas diruissent, per quas ruinas, quod tres muri ulnae aut amplius in altum essent superandae, nisi scalis admotis in urbem aditus non dabatur, copias in pugnam producere constituit: quas difficultates ut uirtute & ordine superaret, & ipsos milites mutua emulatione inflammaret, Germanos, Italos, & Gallos in tria agmina distribuit: & ex singulis cataphractorum turmis decem fortissimis delectis, iisdem armis quibus in equis pugnant tectos, pedibus milites praecedere iussit. qui mœnibus subeuntes, terribili impetu urbem inuaserunt: qui intus erant, summa cū M. Antonij Colūnae laude egregiè propugnātibus: qui nec labori nec periculo parcēs, nunc huc, nūc illuc, ubi magis opus erat succurrebat: tandem Galli hostium deiiciendorum spe amissa, & ex colubrina tor-

menti cuiusdam est genus) in uallo quodā collocata graui clade accepta, cum per tres horas pugnassent, circiter trecentis peditibus & nonnullis cataphractis amissis, nec minore uulneratorum numero, & inter ceteros Caffilionæus ac Spinosa tormentorum præfectus, qui tormentis icti intra paucos dies obiere, in castra redierunt: Federicus quoq; Bozolensis leue uulnus accepit. Sequenti die ab urbis oppugnatione ad prælium cum hostibus committendum consilia conuersa sunt: qui ad gallici exercitus motum, cum fidem M. Antonio datam seruare uellent, à Foroliuij intra eadem flumina aliquot milliaria progressi, post Ronco flumine traiecto, Rauennam uersus procedebāt. Interea ciues superioris diei pugna territi, M. Antonio inscio, unum ex suis ad deditiōem tractandam miserunt: qui dum ultro citroq; cum respōsis cursitat, ecce hostilis exercitus qui secundum flumen procedebat: quo conspecto statim gallicus exercitus ingenti strepitu arma capere: sua quisq; ad signa currere: tormenta extemplō à muris retrahere, atq; ea in hostes conuertere. Foisseius interea num eadem hora, ut Rauennæ ingressu hostem prohiberet, flumen esset traiciendū ad reliquos castrorum duces refert: quod quidē uel non decreuissent, uel saltem militari ordine, & necessaria celeritate fieri nō poterat: illis uerò per Pinetæ saltum, quæ est inter mare & urbem, eo die Rauennam ingredi facile erat: quo factō, Gallos cōmeatus inopia laborantes, turpiter ex Aemilia discedere coegissent. Sed ipsi, seu occasione non perspecta, ne, dum uadunt, campēstribus in locis pugnare cogentur ueriti, seu Rauennam, quominus eam oppugnare esset ausurus, sua præsentia satis tutam rati, contra omnium expectatiōem

tionem, tribus à Rauenna milliaribus, qui locus Molinaccius dicitur, castra posuerunt: deinde reliquum eius diei cum sequenti nocte, in castrorum frontè fossæ tam latæ, tamquæ profundæ, quàm exiguitas temporis patiebatur faciendæ operam dederunt. Quo tempore inter Gallicos duces non sine sententiarum diuersitate consultabatur: quoniam denuo urbem inuadere, quum paruam ante se moenium ruinam, & hostes à tergo haberent, admodum periculosum censebatur: sine alicuius rei gerendæ spe immorari non solum inutile, uerumetiam ob comæatus inopiam, id fieri nullo modo posse: si uerò retrocederent, maiorem Hispanis existimationem, quàm ipsi superioribus diebus progrediendo comparassent, concessuras: eos autem in suis castris, quæ ab eis munita esse existimandum erat, adoriri periculosissimum esse, & omnibus superioribus consilijs repugnare: in omnibus autem periculis ea potissimum uitanda esse, ex quibus maiora mala possent sequi: nullam autem offensionem aut perniciem esse maiorem, quàm acie debellari. Quibus in difficultatibus, demum Foisseio ad id maximè uelut gloriosissimum tutissimumq; cohortante, ut quamprimum luceret, hostes inualerent constitutum fuit: quò consilio noctu ponte Ronco imposito, & riparũ aggeribus ut trāsitus facilius esset ab omni parte cõplanatis primo diluculo, di. i undecimi April. qui dies ob Domini resurgentis sacrosanctã memoriam celeberrimus est, Germani pedites per pontẽ, omnes autẽ serè primi & medijs agminis milites flumẽ uado traiecerũt: postremũ agmen, quod Luo Alegrius ducebat, in quo erant qua-

dringenti cataphracti, ut si opus esset exercitui opē ferre, & si uel milites, uel populus Rauenna eruptionē faceret sese opponere possent, in fluminis ripa Rauennā uersus remansit: ad pontis uerò, qui antea Non oni impositus fuerat custodiam, Paris Scotus cum mille peditibus relictus fuit: quo facto Galli hunc in modum acies ad praelium instruxerunt. Primum agmen, cui præibāt tormenta sub Ferrariensium ducis imperio cum septingentis cataphractis, & Germanis peditibus, in fluminis ripa, quæ illis ad dexteram erat, ita ut pedites sinistrum equitum cornu clauderent, collocatum fuit: ad primi agminis alterum cornu secundi agminis pedites, octo millia partim Vascones, partim Belgæ positi fuere: deinde à fluminis ripa subinde longius, Italorum peditum extrema acies, cui Federicus Bozolensis imperabat, in qua non plus quàm quinquies mille pedites erant: nam etsi Foisseius, cum ante Bononiam transiret, eos qui in præsidio erant collegisset, multi stipendiorum angustia dilapsi fuerant: huius agminis latus hyppotoxotæ omnes & leuis armaturæ equites, qui trium millium numerum excedebant, clausere: post hæc agmina omnia, quæ non ad rectam lineam extensa, sed inflexa semilunæ figuram efficiebant: ad fluminis ripam, secundi agminis sexcenti cataphracti collocati erāt, quibus Paliffa & Cardinalis Sanseuerinas concilij legatus imperabant: qui ingenti corpore, uastoq; animo, à capite ad pedes splendidissimis armis tectus, multo magis ducis, quàm Cardinalis, aut sacrosancti Pontificis legati munus obibat: Foisseius nullum sibi peculiarem locum, curam uel reliquit, sed ex omni exercitu triginta fortissimis nobilibus delectis, ut omnibus prospiceret succurreretq; liber esse

liber esse uoluit: armorum splendore & ornatu, paludamentoq; inter ceteros maxime conspicuus, uultu hilarissimo oculis uigore plenis, ac penè præ lætitia scintillantibus, ubi copias omnes ad pugnam instructas conspexit, annis aggere conscenso, saundia (sic fama tulit) plusquam militari, ut militum animos accenderet in hunc modum locutus est:

Quod tantopere exoptauimus, Milites, ut in patentibus campis cum hostibus congregi liceret, ecce fortuna, quæ nobis in tot uictorijs benigna extitit mater, hoc die largita est: uictoriæ omnium post hominum memoriam magnificentissimæ cum immortalis gloria consequendæ occasione proposita: neque enim sola Rauenna, aut Galliæ togatæ urbes solæ, uestræ potestati relinquuntur, sed minima uirtutis uestræ præmiorum pars erunt: necmine enim amplius qui se armis uestris opponere possit, in Italia relicto, sine ullo impedimento Romam usque percurreremus: ubi immensæ illius sceleratæ curiæ diuitiæ tot seculis ex Christianorum uisceribus erutæ, uestra erunt præda, tot superbissima ornamenta, tantum argenti, tantum auri, tantum gemmarum, tot opulētissimi captiui, ut uniuersus orbis fortunæ uestræ sit inuisurus. Ab urbe Roma, eadem facilitate Neapolim usque tot acceptas iniurias ulciscentes excurremus, quam felicitatem, cum uirtutem, cum fortunam uestram, cum gloriosas uictorias paucorum dierum interuallo partas perpendo, cum uultus & opera intueor, cum paucissimos uestrum, qui ante meos oculos non aliquo egregio facinore clarum uirtutis suæ documentum dederit, esse memoria repeto, nihil quod eam nobis intercipere possit in mentem uenit. Hostes nostri ijdem Hi-

Spani sunt, qui aduentu nostro ignominiosè noctu Bononia aufugerunt: ijdem sunt qui ante paucos dies, non secus quam fuga, ad Imolæ & Fauentia mœnia, uel in loca montana ac difficilia, sese à nobis eripuerūt: nunquã hæc natio in regno neapolitano aperto æquouè loco cum exercitibus nostris manus conferuit, uerùm semper aut munitionum, aut fluminum, aut fossarum adiuumento, nunquam uirtute, sed fraude, insidijsq; freta, tametsi non hi sunt Hispani illi in neapolitanis bellis inueterati, sed gens noua & inexperta, & quæ nunquam aduersus alia arma, quàm Maurorum arcus, sagittas, obtusasq; hastas pugnauit: & tamen ab illa gente, corpore inualida, animo timida, inermi, omniumq; bellicarum artium ignara, superiore anno, ad Gerbarum insulam tanta cum ignominia uicta: ubi hic ipse Petrus Nauarrus tanti apud illos nominis dux, quid tormentarij pulueris impetu mœnia concutere, & uera audaciã fortitudineq; pugnare intersit, fuga memorabile exemplum dedit: nunc fossa quàm hac nocte ingenti metu fecerunt clausi, pedites aggere tecti, falcatis curribus freti manent, quasi prælium his puerilibus instrumentis incundum esset, non autem animi uirtute, & pectorum laceratorumq; robore: citò, mihi credite, ex istis illorum cauernis eos extrahent tormenta nostra, in apertos planosq; campos compellent: in quibus quantum gallicus impetus, Germanica ferocitas, & generosa Italorum uirtus, Hispanorum calliditati & fraudibus præstet, elucebit. Nulla res nostram gloriam minuere potest, nisi quòd numero tanto illos, nimirum penè duplo superaueris: & tamen hoc commodo uti nobis à Fortuna indulto, ignauiæ nostræ miminè tribuetur, sed illorum imprudent

Ætientiæ ac temeritati, quos ad pugnam non animus aut uirtus, sed Fabritij Columnæ, ob temerè M. Antonio facta promissa, autoritas seu potius diuina ultio, ad Iulij ementiti pontificis superbiam, ac nefanda flagitia, totq; perfidi Aragoniæ regis, in regis nostri bonitatem, fraudes & proditiones, iustissimis pœnis afficiendas trahit: uerùm quid ego pluribus utor uerbis? cur apud tantæ uirtutis milites, non necessarijs hortationibus tantum uictoriam differo, quantum temporis uobiscum loquendo consumo? progredimini maçte uirtute milites constituto ordine, certi hunc diem regi meo imperium, uobis opes totius Italiæ daturum: equidem dux uester, semper ubiq; locorum uobiscum ero: & quemadmodum soleo uitam meam omnibus periculis exponam: omnium qui unquam fuerunt, belli ducum fortunatissimus, quando huius diei uictoria meos milites, omnium uel militum uel exercituum qui à trecentis annis fuerint, gloriosissimos, opulentissimosq; sum factururus. Hac oratione habita, cœlo tubarum & timpanorum strepitu, totiusq; exercitus latissimis acclamationibus resonante, ad hostium castra quæ minus duobus miliaribus, ab eo loco ubi amnem transierant, distabant, progredi cœperunt: quæ castra secundum fluminis ripam quæ illis sinistra erat protensa, fossa quantum temporis breuitas fieri permiserat alta, ad dexteram tota muniebat: nisi quòd à fronte ut cum equis ad excursiones egredi possent, uiginti ulnarum spacium apertum reliquerant: in quibus castris, ut primum Gallos flumen transire senserunt, hoc modo aciem instruxerant. Primum agmen octingentorum grauis armaturæ equitum, quod Fabritius Columna ducebat, secundum fluminis ripam

collocatum fuit: huic ad dexteram sex millia peditum adiuncta: hos secundum fluuium pariter alterum agmē sexcentorum cataphraكتورum erat, cuius latus quatuor peditum millia claudebant: huic agmini prorex ipse præerat, & cum ipso marchio Paludanus: in hoc agmine erat Mediceus cardinalis, natura magna ex parte oculorum lumine captus, moribus mansuetis, pacis ornatu, specie reque ipsa, à Sanseuerinati cardinale admodum dissimilis. Secundo agmini, postremum ad eandem fluminis ripam succedebat Caruaiallo Hispano duce: in quo erant quadringenti grauis armaturæ equites, & quatuor millia peditum, cum leuis armaturæ equitibus, quorum Ferdinandus Daualus Piscariæ marchio admodum adolescens, uerum eximie spei, præfectus erat: hi dexterum peditum latus à tergo muniebant, ut ei parti quæ inclinaret subuenirent: tormenta ad cataphraكتورum frontem erant collocata: & Petrus Nauarrus, qui cum quingentis delectis peditibus, nulli se loco obstrinxerat, ad fossam in fronte peditatus, triginta currus falcatos ueterum similes, minoribus tormentis onustos, longissimo ueruto ad Gallorum impetum facilius sustinendum super imposito collocarat: quo ordine intra fossæ munitionem firmi hostilis exercitus impressionem expectantes, quod consilium ut exitu non fuit utile, sic in principio admodum perniciosum apparuit: quoniam Fabritij Columnæ sententia fuerat, ut quum primum flumen transire inciperent, infestis in eos signis inuaderent: commodius ratus cum una modo parte congregari, quàm parua fossa castra muniri: at Petro Nauarro cuius consilia prorex uelut oracula sequebatur repugnante, parum prudenter ut traicere permit

permitteretur, statutum fuit. Ideò Galli iam circiter ducentos passus prope fossam progressi, ut hostem castris se continere, nec usquam pedem mouere cernunt, ne eam opportunitatem quam ipsi cupiebāt hosti concederent, constiterunt: ita uterq; exercitus ultra duas horas immotus stetit: innumeris tormentorum globis interea utrinque iaculatis: à quibus Galli pedites, quia Nauarrus tormenta in loco unde eos maximè læderet collocarat, non paruum detrimentum patiebantur: sed dux Ferrariensis, tormentorum parte post exercitum retracta, ad alterū Gallorū cornu sūma celeritate in eū ipsum locum in quo hippotoxotæ erant collocati perduxit: quod cornu quia exercitus curuam figuram habebat, hostibus à tergo ferè imminebat: unde eorum latera atrociter petere cœpit, cum maximo præcipuè equitatu detrimento: quoniam Hispani pedites, à Nauarro in depressum locum secundum fluminis aggerem reducti, eiusq; iussu humi strati, percuti non poterant: Fabritius Columna clara uoce clamabat, & crebris nuncijs proregem urgebat, ut antequam tormentorum ictibus absumerentur, in prælium prodirent, sed Nauarrus peruersæ ambitione ductus repugnabat: nam cum sibi uictoriam peditum Hispanorum uirtute uel reliquis omnibus extinctis promitteret, eo magis gloriam suam augeri existimabat, quo magis reliqui exercitus detrimenta augerentur: uerùm iam tantā stragem grauis leuisq; armatura à tormentorū fulminibus acceperat, ut ferri amplius nō posset, & miserādo spectaculo horrendis clamoribus permixto nunc equites, nunc equi mortui corruere, nunc capita, & brachia à reliquo corpore auulsa per aerem uolitare cernebantur:

quare Fabritius exclamans, est ne nobis omnibus unius Marrani pertinacia & peruersitate turpiter moriendum? est hic exercitus penitus nullo ex hostibus à nobis caso perdendus? ubi sunt tot nostra aduersus Gallos trophæa? an Hispaniæ Italiæq; decus unius Nauarri gratia interire patiemur? & hæc dicens, nihil proregis vel signum uel imperium moratus, suos equites ultra fossam impulit, quem cum reliquus equitatus sequeretur, Nauarrus peditibus suis signum dare coactus fuit: qui magna ferocitate erecti, cum Germanis peditibus, qui iam ipsis appropinquauerant congressi sunt: sic omnibus agminibus permixtis, ingens prælium coeptum est: & proculdubio ex maximis quæ à multis annis Italia uiderit: nam & Tarenسيس pugna, uix aliud fuit quam ualidus equitum concursus: & regni neapolitani prælia, potius ordinum perturbationes aut temeraria consilia quam pugnae: & ad Giaradaddam, minima Veneti modò exercitus pars pugnauerat: hic uerò in planitie absque aquarum aut munitio-num impedimento omnes permixti, duo exercitus, animis uel ad uictoriam uel ad mortem obstinatis pugnant, non modò periculo gloriae & spe, uerumetiam gentium mutuo odio accensi, in Germanorum peditum cum Hispanis congressu, duo magni nominis duces memorabile spectaculum præbuerunt, Iacobus Emscr Germanus, & Zamudius Hispanus, qui extra acies progressi, quasi prouocatione dimicarunt: quo in certamine Hispanus hoste interfecto extitit uictor, fœderatorum equitatus gallico equitatu par non erat: & tormentis eo die ita fuerat concussus & discerptus, ut longè inferior factus esset: idcirco cum aliquandiu potius animi uirtute quam corporis

corporis uiribus hostium impetum sustinuisſent, & suo Alegrius cum poſtremo agmine, & mille peditibus qui ad Montonem relictī fuerant, à Palicia eſſet accerſitus, in eorum latus impetum feciſſet, iamque à Ferrarienſis militibus Fabritius Columna egregiè pugnans captus eſſet: nec iam ſuſtinere poſſent, ducunt quoque exemplo edocti, terga uerterunt: quoniam prorex Caruaiallusq; ſuorum militum uirtutis extremo periculo minimè facto, in fugam ſe coniecerunt, tertium agmen penè integrum abducentes: cum quibus & Antonius Leua, uir tunc obſcurus, ſed qui poſt per multos annos, omnibus militiæ gradibus exercitatus, clariſſimus imperator euasiſt. Iam omnes leuis armaturæ equites fuſi, & Piſcarius illorum dux, ſanguine ac uulneribus madēs captus erat: captus etiam Paludanus regulus, qui per campum foſſis rubisq; refertum, magna ordinum perturbatione ſecundum agmen in pugnam deduxerat: iamq; tellus equis, uirisq; cæſis erat cooperta: & tamen Hiſpanicus peditatus, ab equitibus deſertus incredibili feroeitate pugnabat: qui quamuis primo cum Germanis concursu à firmis haſtarum ordinibus aliquantum repulſus fuiſſet, tamen poſt cum ad enſium longitudinem illis appropinquaiſſent, & multi Hiſpanorum clypeis protecti, inter Germanorum crura pugionibus subiſſent, ingenti cæde facta iam penè ad medium agmen peruenerant: apud quos Vaſcones pedites, uia inter fluuium & aggerem occupata, Italos inuaſerant: qui eſi magnam ex tormentis cladem acceperant, tamen ſumma cum laude illos repuliſſent, niſi cum equitum ala Alegrius maiori uirtute quàm fortuna impetum in eos feciſſet: nam cum illicò ferè Viuerrocm

filiū ante oculos suos interfectum cerneret, ne tantō dolori superstes esset, equo in confertissimam hostium turbam immisso, ut fortissimum ducem decebat pugnās, multis iam cæsis interfectus fuit. Itali pedites cum tātam multitudinem sustinere non possent, inclinabant, cum pars Hispanorum illis auxilio accurrens, eos in pugna retinuit: & Germani pedites ab altera Hispanorū parte oppressi, uix amplius consistere poterāt, uerūm omni equitatu iam in fugam conuerso, Foisseius se in eos magna cum equitum multitudine infestus immisit: quare Hispani potius recedentes, quā acie pulsī, nulla in parte ordinibus perturbatis, uiam quæ est inter flumen & aggerem ingressi, equis passibus incedentes, fronte densata, ideoq; eius robore Gallos repellentes discedere cœperunt: quo tempore Nauarrus mortis potius quā salutis cupidus, eamq; ob causam prælio non decedens, captus fuit: sed Foisseius cum Hispanicum peditatum uictori similem, integris ordinibus incolumen abire ferre non posset, & uictoriam nisi istis quemadmodum & reliquis suis minimè perfectam esse animaduerteteret, cum equitum agmine postremos magno furore adortus est: à quibus extemplò circumuentus, equoq; deiectus, seu, ut nonnulli aiunt, dum pugnaret equi lapsu oppressus, hasta in latus adacta interfectus est: quod si, ut creditur, ijs qui ad summum felicitatis gradum peruenere mors est optanda, huius profectò mors tam gloriosa parta uictoria fortunatissima fuit. Interijt admodum iuuuenis, iam apud omnes mortales famam adeptus immortalem, quòd uix trium mensium expleto curriculo, prius imperator penè, quā miles, incredibili celeritate ferocitateq; tot

uicto

uictorias esset consecutus. Lautrechius uiginti uulneribus saucius penè exanimis prope eū iacuit: qui post Ferrariam perductus, diligenti medicorum cura seruatus est. Propter Foissei obitum hispani pedites sine molestia abire sunt permisi: reliquus exercitus iā fusus fugatusq; erat, impedimenta capta, signa item & tormēta: captus Pontificis legatus, qui ex Epirotarum manibus, in Federici Bozolensis potestatem translatus, ab ipso Concilij legato fuit traditus: capti Fabricius Columna, Nauarrus: Paludanius item, & Bitontinus, & Piscarius marchiones, multiq; alij principes, nobiliorum primores, et clari uiri Hispani & Neapolitani. Nihil in pugnis desideratorum numero incertius: tamen in multorum uarietate pleriq; afferūt, ex utroq; exercitu, ut minimum decem millia cecidisse: nimirum tertiam partem Gallorum, reliquam hostium: alij plures aiunt: sed proculdubio cōmuni Martis more fortissimos & praestantissimos quosq; inter quos ex pontificijs fuit Raphael Paccius, clari nominis dux, & innumeri uulnerati. Verū in hac parte citra controuersiam longè maior fuit uictoris iactura, propter Foissei, Alegrij, multorumq; ex gallica nobilitate uirorum, & Iacobi, aliorumq; ex Germanico peditatu fortissimorum ducum interitum: cuius uirtuti cum multo sanguine empra uictoria magna ex parte tribuebatur. multi quoq; unā cum Molardo Vasconū & Belgarum duces cecidere: quæ gentes eo die apud Francoſ omnem gloriam amiserunt: sed omnem iacturā Foissei mors superauit, cum quo illius exercitus neruus & ferocitas penitus extincta est. eorum qui uicti ex pugna euasere, maior pars Cesenam uersus fuga contēdit, & inde ad remotiora loca: nec prorex antequam

Anconem peruenisset usquã substitit: in quem locũ cum paucissimis equitibus peruenit: multi in fuga spoliati et cæsi fuere: quoniam egregios homines omnes uias percurrerant: & Vrbinatiũ dux, qui cum ante multos dies Baidassarem Castilionẽum ad Gallie regem misisset: & proprios homines apud Foisseium haberet, clam cõtra patrum conspirasse credebatur: nõ modò regionis homines in fugientes concitauit, sed milites qui in pisaurẽ si agro idem facerent misit: illi soli qui per Florentinorum loca fugerunt, ministrorum, post etiam reip. iussu incolumes euasere. Victore exercitu in sua castra reuerso, Rauennates statim ad deditionem faciendam miserũt sed seu dum paciscuntur, seu iam pacti com meatum qui in castra mitteretur instruunt, mœnium custodiendorũ diligentia intermissa, Germani & Vascones per muri ruinam urbem ingressi, præter naturale in Italicum nomen odium, cladis quoq; in pugna acceptæ indignatione, ad maiorem crudelitatem incitati crudelissimè uastarunt. Quarto post die, M. Antonius Columna, Citadella in quã confugerat re & hominibus saluis, tradita, abire permissus: ea tamẽ lege, ut nec ipse, nec qui cum eo erant duces, ante proximum Mariemagdalene sacrum diem, nec in regem Gallie, nec in concilium pisanũ arma sumerent: & paulò post Vitellius episcopus, cũ centum quinquaginta peditibusarci præpositus, eadem illi facultate concessa, deditionem fecit. Victoriæ fortunam omnes urbes, Imola, Forumliuij, Cesena, Ariminum, omnesq; Gallie togatæ arces, præter Imolensem & Foroliuiensem secutæ sunt: quæ omnes à legato concilij Pisani nomine acceptæ fuere. At gallicus exercitus, Foissei morte, statitaq; clade accepta ueluti attonitus, quatuor
prope

prope Rauennā milliaribus ociosus morabatur: & legatus atq; Palicia, ad quos, quia Alſonſus Eſtenſis iam Ferrariam redierat, imperium delatum erat, de regis uolūtate incerti, eius mandata expectabant: cum neq; apud milites tātæ autoritatis eſſent, quæ ad exercitū, direptis rebus partiendis, uel in tuta loca mittendis implicatum mouendū eſſet idonea: & uictoria tāto ſanguine parta, ita uiribus & animo deiecti, ut uictis quā uictoribus ſimiliores eſſent: quare omnes milites querelis & lacrymis Foiſſei nomen implorabant: quē nulla re impediti, uel territi quocunq; terratum ſecuti eſſent: nec dubitabatur, quin ille ferocitatis ſuæ impetu, & promiſſis ut ſerebatur à rege factis, ſibi regnum neapolitanum occurreret, ſtatim poſt uictoriam conſueta celeritate Romā curſu petiturus fuiſſet, & pontificem cum ceteris nullā alia ſolūtis ſpe relicta, præcipites fugæ ſe daturus. Decimertia Aprilis die, Romam de pugna, ab Octauiano Fregoſio, qui mutatis equis à Foroſempronij aduolauit nunciatum: quæ res ingenti totius curiæ metu ac tumultu accepta fuit: quamobrē Cardinales ſtatim ad Pontificē accurrentes, ſummis precib. inſtabant, ut accepta pace, quā à rege Galliæ ſatis honeſtā impetrari poſſe nō dubitabant, tandem ſacroſanctam ſedem, ſeq; à tātis periculis liberaret: ſatis pro Ro. eccleſiæ maiestate, proq; Italiæ libertate laboraſſe: magnamq; gloriā iſto ſuo ſancto propoſito cōparaſſe: in tam pio munere, diuini numen, quē admodū tot ſignis oſtenſum fuerat, ei aduerſum extitiſſe: cui qui ſe opponere uellet, cum nihil aliud facere, q̄ eccleſiā uniuerſam in extremā ruinam conijcere: ad Deum magis quā ad ipſum ſponſæ ſuæ curam ſpectare: idcirco Dei uolūtati omnia committeret; atq;

ex Euangelij præcepto pacem amplexus, suam senectatem, ecclesie statum, atq; aulam suam totam, quæ nihil aliud quàm pacem exoptaret, aut inclamaret tot molestijs tandem liberaret: uictores iam Romam uersus mouisse credibile esse: quibus ipsius nepos coniunctus foret adiuncturos se pariter Rubertum Vrsinum, Pompeium Columnam, Antimum Sabellũ, Petrũ Marganũ, & Rẽtium Mancinum (hos ab rege Gallie accepta pecunia, iam ante prælium ad Romam infestandam se comparare constabat) quibus periculis quodnã aliud remedium superesse quàm pacem? ab altera parte Aragonie regis & ueneti senatus legati in contrarium uehementer nitentur: res nõ adeo afflictas, nec ita ad extremum redactas persuadere satagentes: nec exercitum adeo dissipatum, quin breuissimo tempore, ac non graui sumptu reparari posset: illud certò constare, pro regem cum maxima equitatus parte euasisse: hispanicum peditatũ simul collectum, integris ordinibus è pugna abiuisse: qui si, ut uerisimile erat, incolumes essent, omnem aliam iacturam parui esse momenti: nec Gallos tam citò Romã uenire posse, ut tempus ad se comparandum nõ haberet esse metuendum: propterea quòd cum imperatoris morte multas perturbationes, multaq; mala coniuncta esse oporteret. Heluetiorum præterea metũ illos suspensos habiturum, quos pro fœdere aperte facturos, & in Insubriam descensuros non esse amplius dubitandum: nec pacẽ à Gallie rege nisi iniquissimis atq; infamia plenis sperari posse: atq; etiam à Bernardini Caruaiallis superbia, & Federici Sanseuerinatis insolentia leges accipendas fore: ideo reliqua omnia magis probanda, quàm tanta indignitate, tantaq; cum infamia in acerbissimam infidij

infidissimamq; seruitutem se conijcere: seditiosos illos nunquam ipsius dignitatem & uitam persequi desituros: malorum illud minimum esse, si secus fieri non posset, Romam deserere, & cum tota curia, aut in regnum neapolitanum, aut Venetias se transferre, ubi eadē cum securitate, eodem honore, eadem magnitudine uersaretur: neq; enim Romanæ urbis iactura pontificatum semper quouis loco Pontificis personæ annexum amitti: retineret modò consuetam constantiam, animiq; altitudinem: Deum opt. max. qui mentes hominum perspicit, ipsius sanctissimæ menti non esse defuturū: nec Petri nauiculam marinis fluctibus uexari, sed nunquam submergi assuetam, deserturum: Christianos præterea principes, religionis amore, & nimie Gallie regis potentie timore concitados, totis uiribus & proprijs corporibus ipsius defensionem suscepturos. Quæ Pontifex summa ambiguitate, atq; animi suspensione audiebat: atq; ita, ut in eo hinc odium, indignationem, pertinaciam uinci flexiue minime assuetam, illinc periculum & metum conflictari facile animaduertes: & ex responsis legati datis non tam illi Romam deserere, quam in nullum locum, ubi in aliorum non esset potestate, se non posse transferre, molestum esse, perspiciebatur. Idcirco cardinalibus se pacem uelle respondebat, Florētinos ut apud Gallie regem de pace agerent appellari assensus: nec tamen eo modo, uel ita apertis uerbis, quæ animi sui plenam fidem facerēt, respondebat: à ciuitate ueteri Biasciam Genuensem classis suæ præfectum accerserat: ex quo illū Roma discedere in animo habere interpretabantur: & paulò post eundem remiserat: de Romanorum proceribus, qui cum alijs nō conspirassent, stipen-

dio conducendis agebat: duorum legatorū cohortatio-
 nes libenter audiebat: sed ita ut plerumq; uerbis contu-
 meliosis & indignatione plenis responderet. Interea ue-
 nit Iulius Medices eques Rhodius, qui post Pōtifex fuit,
 quē Cardinalis Medicus à Sanseuerinati Cardinale ac-
 cepta facultate, sui in tanta calamitate cōmendandi spe-
 cie, re autem uera ut rerum statum edoceret, ex castris
 mittebat: à quo quā Gallī debilitati essent, penitus edo-
 ctus, quot ducibus orbati, quot fortes uiros amississent,
 quot per multos dies uulneribus acceptis inutiles essent
 futuri, innumeros equos occisos, partē exercitus in ua-
 ria loca Rauennensis prædæ causā dissipatam: duces
 dubios, & de regia uoluntate incertos, neq; admodum
 inter se concordēs, quōd Palicius, Sanseuerinatis, qui &
 legati & ducis munere fungi uolebat, insolentiam ferro
 recusaret: obscuras de Heluetiorum aduentu uoces au-
 diri: neque illum exercitum se citò moturum, aliquo si-
 gno perspicere: qua re magnopere Pontifex confirmatus,
 illum in Cardinalium senatum introductum eadem co-
 ram purpuratis exponere iussit: huc accessit, quōd Vr-
 bini dux, quæcunq; illum causā impulerit, mutato con-
 silio, ducentos grauis armaturæ equites, & quater mil-
 le pedites ei oblatum misit. Cardinales nihilominus in
 eo ad pacem cohortando persistebant: à qua etsi uerbis
 non se alienum ostenderet, eam tamen nisi uelut extre-
 mum remedium accipere decreuerat, imò etiamsi præ-
 senti malo præsens medicina non ostenderetur, Roma
 profugere, modò ne causam suam principum armis de-
 sensum iri prorsus esset desperandum: ac præsertim si
 Heluctij mouerentur malebat: qui ut se ad eius nutū pa-
 ratos esse ostenderet, aliquot dies ante Galliæ regis lega-
 tos,

tos, ad eum locum, ad quē, ut de Pontificis postulatis de liberarent, singularum ciuitatū legati cōueniebant, ire uetuerant. In hoc rerū statu aliqua spes pacis affulsit: quoniam rex Gallie antequam prælium cōmitteretur, tot periculis quæ ex tot partibus imminebant admonitus, & Cæsaris uarietate legibusq; duris quas proponebat, commotus, ideoq; tandem in multis potius Pontificis uoluntati cedere, Fabricium Carrethum Cardinalis Finariensis fratrem, clam ad Nannetensem & Strigoniensem Cardinales, qui pacis colloquia nunquā penitus abiecerant, miserat: proponens ut Bononia Pontifici restitueretur, Alfonsus Atestinus, Lucum & omnia reliqua oppida quæ in Aemilia possidebat, traderet: anti-quo se censui obstringeret: nec sal' amplius in eius oppidis fieret: concilium extingueretur assensurum: se uicissim nihil à Pontifice præter pacem poscere. Alfonsus cæsaris eximeretur, & in pristina iura ac priuilegia postliminio rediret: Bentiuolis, qui exules essent, propria bona conseruarentur: Cardinalibus atq; Antistitibus qui cōcilio adhæsisent, dignitates restituerentur: quæ capita quis duo cardinales metueret, ne parua uictoria à rege rata haberentur, aliter proponere nō sunt ausi: nec Pōtifex cū sibi tā decora essent, nec dū occultū illud consiliū quod in animo gerebat patefacere uellet, ea recusari à rege posse cēsuit: imò fortasse utilius esse his colloquijs regia arma suspēdere, ut plus tēporis ad eorū, in quib. reliquas spes suas collocauerat, progressus perspicēdos haberet. Quare cūctis cardinalib. idē urgentibus, nono post pugna die his capitib. subscripsit: fide cardinalibus se si rex cōfirmaret ea accepturū obstricta: et ad Finariensē cardinalē q̄ in Gallia, sed remotus ab aūla ne pōti

ficē læderet, degebat, et ad Tiburtinum episcopum, qui Auenione legati locū obtinebat, literis mandauit, ad regem se de hisce rebus transferrent: sed neq; mandatum, nec conficiendi facultatem misit. Huc usq; progressum habuere Pontificis mala: ad hunc usq; diem ipsius calamitatum cumulus peruenit: sed ab eo die semper ei maiores spes affulsere: & fortuna absq; ullo freno ad illius magnitudinem conuerti cœpit. Huic tantæ mutationi Paliciæ ex Aemilia discessus initiū dedit, qui à Normaniæ quæstore, ob Heluetiorum aduentus crescentem rumorem reuocatus, trecentis cataphractis, totidem leuis armaturæ equitibus, & sex millibus peditū, cū octo magnis curulibus tormentis, sub concilij legati imperio in Aemilia relictis, Mediolanū uersus cum reliquis copijs contendit. Heluetiorū aduentus metum augebat, quod idem Normaniæ Quæstor, potius regis gratiam promereri, quam utilitatem procurare cupiens, contra quam res præsentēs postulabant, statim parta uictoria, Italos pedites, & partem Gallorum imprudenter dimiserat. Paliciæ discessus, pontificem eo metu quo magis premebatur liberauit, in pertinacia confirmauit, & romanas res confirmandi facultatem dedit: propter quas aliquot nobilitatis principes, cum trecentis grauis armaturæ equitibus conduxerat: & Prosperum Columnā omnibus copijs suis præficere meditabatur: quoniam eorum, qui res nouas moliebantur animis fractis, Pompeius Columna, qui se Montefortini comparabat, Prospero deprecante, ad Pōtificis cautionem pecunia quam à rege acceperat turpiter retenta, Mōtefortinum in M. Antonij Columnæ potestatē daturum recepit. Quod exemplum & Rubertus Ursinus, qui ante Pitiliano in Columniorū

loca

loca ut arma moueret uenerat. eodem modo regia pecunia retenta, paulò post Iulij Vrsini opera, Rhegij in Calabria Archiepiscopatu, perfidiæ præmio à Pötifice accepto, secutus est. Vnum Petrum Marganum acceptam pecuniam retinere puduit, honestiore feliciorèq; consilio; quoniam non multo post, ab istius regis successore in bello captus debito supplicio fraudis pœnas dedisset. Quibus rebus pontificis animo admodum confirmato, exterorum domesticorumq; hostium præsentis timore sublato, tertia Maij solenni ritu in Basilica Ioannis Lateranensis concilium auspicatus est: iam certus non modò maximam Italiae partem, sed & Hispaniam, Angliam, & Vngariam conuenturas: cuius auspicijs ipse met pontificio ornatu, cardinalium collegio, & magna episcoporum multitudine comitante non solum interfuit, sed etiam præfuit: ubi præter multas alias preces, ex antiquo more Spiritui sancto peractis sacris, & patribus publica oratione, ut toto corde publicum bonum & christianæ religionis dignitatem tueri ac promouere curarent cohortatis, ut ceterarum rerum quæ in posterum statuendæ essent fundamenta iacerentur, cõcilium id uerum, legitimum, & sanctum, in eoq; proculdubio uniuersæ Ecclesiæ omnem auctoritatem potestatemq; positam esse promulgatam fuit: pulcherrimæ proculdubio sanctissimæq; ceremoniæ, quæq; humanorum peccatorum intima penetrare deberent, si tales cogitationes finesq; harum rerû autoribus propositi esse, qualia sunt uerba, crederentur. His artibus post Rauennensem pugnam utebatur Pontifex. At rex Gallie, quamuis Foissesi sibi longè carissimi interitus, uictoriæ lætitiã non nihil perturbaret, statim legatum & Paliciam exerci-

tum Romam ducere imperavit : tamen primo ardore remisso, toto animo ad pacis desiderium redire cœpit: quod nimis grauem tempestatem, & nimis ex multis partibus rebus suis imminere iudicaret: nam etsi Cæsar se in fœdere permansurum promittere non desineret, & inducias cum Venetis suo nomine pactas absq; suo consensu fuisse, nec se eas probaturum assereret, nihilominus rex, præter illius inconstantie metum, tum quòd hæc res simulata mente dici suspicabatur, ob leges quas proponebat, socium in bello grauem, & in pace detrimens habere uidebatur: illius enim interuentu se ad indigniores leges admittendas adactum iri metuebat: præterea quia Heluetij cum hostibus essent facturi iam nihil dubitabat: & ab Angliæ rege certum bellum expectabat: quoniam rex ille fœderalem, qui omnia fœdera rupta esse denunciaret, miserat: quod in omnibus, ne cum ecclesia aut Catholico rege socero suo bellum gereret, contineretur. Itaq; rex summa uoluptate, Florentinos ut de pace agerent interpellatos fuisse cognito, statim Gratianopolitanum præsidem cū amplissimis mandatis, ut ex propinquiore loco ageret, & si ita res ferret, Romam ire posset, Florentiam misit: deinde ex capitum subscriptione, maiore, ut uidebatur, Pontificis propensione cognita, penitus ad pacem inclinauit: quãuis metueret ne exercitus discessu ad consuetam pertinaciam rediret: Palicium qui iam Parmam peruenerat, cum copiarum parte in Flaminiam redire, & ulterius progredi uelle rumores spargere iusserit. Bononiam concedere, non tam Cæsarianorum contrarijs suasionibus, quàm quòd etiam pace inita, eundem in se pontificis anim

cis animum futurum metuebat, graue illi uidebatur. Et ideo Bononia tanquam mediolanensis imperij propugnaculo, priuari sibi periculosum esse: præterea cum Finariensis cardinalis, & Tiburtinus episcopus, sine mandato uenissent, uerisimile uidebatur, pontificem tunc, uelut tot angustijs periculisq; circumuallatum, simulatè consensisse: tamen eas leges accipere tandem decreuit, cum nonnullis adiunctionibus, quæ tamen non tales erant, ut præcipua capita turbarent, cum quo responso is qui Tiburtino episcopo ab epistolis erat Romam contendit, regis nomine à pontifice petens, ut uel episcopo & cardinali transigendi potestatem mitteret: uel Gratianopolitanum præsidem qui eius rei amplissimam autoritatem habebat, Florentia aduocaret. Angliæ regis mandatam allatum erat, quod iam Nouembri mense confecto, Eboracensi cardinali foederis potestatem dabat, propter longum maris circuitum (ante enim in Hispania fuerat) tandiu immoratum: & Cesar demùm post longas dubitationes, inducias cum Venetis approbauerat, mediolanensis imperij ac Burgundiæ obtinendæ à Catholico & Angliæ regibus spe facta, accensus. Pontificis quoque spem Aragoniæ regis promissa non mediocriter confirmarunt, qui de pugnae successu primùm Gallia regis literis ad reginam scriptis, quibus Gastonem Foisseium fratrem suum cum summa gloria in uictoria aduersus hostes cecidisse significabat, certior factus, deinde fusiùs suorùmmet nuncijs, qui ob maris difficultatem serò perferebantur, cum neapolitanum regnum in graui periculo uersari censeret, Magnum Consaluum, cum nouarum copiarum supple-

mento in Italiam mittere statuerat: ad hunc enim aliorum inopia confugiebat: nam etsi illum specie in honore haberet, ob res in regno neapolitano gestas parum illi gratus, & propter potentiam auctoritatemq; suspectus erat. Itaq; quum Tiburtini episcopi ab epistolis minister, ad pontificem tot rebus confirmatum, cum pacis legibus peruenit, etiam exceptiones à rege ad Bononiæ tutelæ desertæ infamiam moderandam additas, ipsius uoluntati permissum iri spe data, cum penitus abnuere decreuisset, sed subscriptionis suæ, et fidei collegio datæ habita ratione contrarium simulans, quemadmodum contra sinceritatis suæ famam aliquando solebat, capita in purpuratorum senatu, quasi consilium peteret, legi iussit: post quæ uerba cardinalis Arborensis Hispanus, & Eboracensis (sic prius clam cum illo conuenerant) alter Aragoniæ, alter Angliæ regis nomine loquutus, Pontificem ut in constantia permaneret, nec pōtificatus causam quam tãta cum dignitate complexus erat desereret, hortati sunt: præsertim, necessitatibus, quæ ut ijs consilijs aures adhiberet impulerant, sublatis: cumq; Deum qui aliqua de causa nobis incognita, nauiculam suam fluctibus agitari permiserat, illã submergi nolle aperte conspiceretur, neq; pacem sibi peculiarem inire, uel si communis esset futura, sine reliquorum fœderatorum consensu tractare, honestum æ quumtuc esse: ad extremum monentes, diligenter expenderet, quantum sacrosanctæ sedi, sibiq; posset asferre detrimentum, à ueris fidisq; amicis, ut reconciliatis hostibus adhereret, alienari. His consilijs pontifex se persuasum ostendens, concordiam aperte recusauit: & intra paucos dies impetu suo usus, in senatu, monitum ad regem Gallie, ni poenas sacris ponti

pontificum legibus constitutas subire uellet, Medicum
 cardinalem dimitteret pronunciauit: quamuis promul-
 gationem differri concesserit, quoniam purpuratorum
 Senatus, quantum posset seuerissima remedia differret
 rogans, literis communi omnium nomine datis, quibus
 eum hortarentur & supplices rogarent, ut quoniam admo-
 dum Christianissimum principem deceret, illum libera-
 ret, se idem effecturos polliciti sunt. Cardinalis Medi-
 ceus Mediolanum ductus fuerat, ubi honestè custodieba-
 tur, & tamen quamuis in aliorum potestate esset, in
 ipsius persona pontificiæ Sedis autoritas & religionis
 reuerentia elucebant: & simul Pisani concilij contèptio
 cuius caussam animo & fide deferebant, non modò re-
 liqui, uerum etiam illi ipsi, qui & armis & fauore id e-
 rant prosecuti: nam cum pontifex illi facultatem misisset,
 qua posset milites, qui se non amplius aduersus pon-
 tificatum armis ituros pollicerentur, à censuris exime-
 re, & omnibus defunctis, pro quibus peterentur, sacra
 loca ad sepeliendum concedere, incredibilis erat con-
 cursus, miraq; religio, qua hæc & petebantur & pro-
 mittebantur, regij ministris minimè repugnantibus,
 sed cardinalibus grauissimè indignantibus: quòd ante
 ipsorum oculos, in eo ipso loco ubi sedes Concilij esset,
 regij homines & milites contra ipsius dignitatem utili-
 tatemq; in ipsius oppidis, concilij autoritate penitus
 contempta, Ecclesiæ romanæ adhererent: captiuum Car-
 dinalem, uelut pontificium legatum summa ueneratio-
 ne prosequentes. Propter inducias à Cæsare comproba-
 tas, quamuis ab eius procuratoribus, qui Veronæ erant,
 negaretur, rex partem copiarum quas in eius urbis præsi-
 dio habebat, quasi nõ iam essent necessariæ, reuocauit:

Et quoniam ducentis nobilibus, et suæ custodiæ Hippo-
 toxotis, cum ducentis alijs cataphractis propter An-
 glie regis minas, ab se in Galliam reuocatis, in Insubria
 Helætiarum metu augete, maiori præsidio opus
 esse cognoscebat: eam ob causam Florentinos trecentos
 grauis armaturæ equites in Insubriam, quemadmodum
 ob ipsius in Italia regnorum defensionem ex fœdere te-
 nebantur, mittere compulerat: quod fœdus quia intra
 duos menses finem erat habiturum, uictoriæ existima-
 tione adhuc recenti, illos ad fœdus denuò in quinquen-
 nium renouandum adegit, sexcentis cataphractis ad il-
 lorum imperij defensionem promissis: et Florentini ui-
 cissim ad eorum omnium quæ in Italia possideret tute-
 lam, quadringentos grauis armaturæ equites darent:
 quamuis ad omnem bello se cum pontifice implicandi
 occasionem uitandam, ab uniuersali defensionis obliga-
 tione, Cotiniolam, quasi pontificatus aliquod ius in eam
 habere posset, eximerent. Sed iam regijs rebus grauis-
 sima pericula imminebant, quoniam Heluetij tandem
 sex milia peditum ad pontificis stipendia mittere decre-
 uerant: quos hoc nomine petierat, ut eorum opera con-
 tra Ferraricisem uteretur, cum qui Gallie regis par-
 tes sustentabant, nihil aliud quam eius rei dilationem ad-
 eum usq; diem efficere potuissent: contra quos, in co-
 mitijs multitudo, miro odio in gallicum nomen accensa,
 magno furore uociferabatur, regem ingratum eorum
 stipendijs, quorum uirtute et sanguine tantam existi-
 mationem, tantumq; imperium sibi peperisset, paruam
 summam addere recusasse minimè contentum, sed insu-
 per contumeliosis uerbis ipsorum ignobilitatem con-
 tempnisse: quasi non omnium hominum ab initio una
 fuisset

fuisset origo, unusq; ortus, & quasi qui nunc sunt nobi-
 les & magni, suos maiores non aliquando, inopes, ob-
 scuros, atq; humiles habuerint: Germanos, ut ipsorum
 operam non amplius sibi necessariam ostenderet, ad sti-
 pendia sua conducere cœpisse: ipsos suo stipendio pri-
 uatos, ut fame absumantur in illis montibus, ociosè la-
 tuos persuasus. Itaque cunctis mortalibus ostendendum
 illius consilia uana, falsas opiniones, ingratum animum
 ipsi soli perniciose fuisse, nec militares uiros ulla diffi-
 cultate quominus uirtutem declarèt suam retincri pos-
 se: ac denique aurum ac pecunias ijs qui ferrum & arti-
 ma haberent seruire: esse præterea semel toti terrarum
 orbi declarandum, quam imprudenter loqueretur, qui
 Heluetiæ genti Germanos pedites anteferet. Hoc ardo-
 re ita efferebantur, ut tanquam propriam causam agē-
 tes, uno tantum rhenensi aureo singulis dato, domo di-
 scederent: cum prius soliti essent regijs stipendijs non
 moueri nisi peditibus multa stipendia promitterentur,
 & duces multis muneribus afficerentur, Curiam oppi-
 dum Rhetorum præcipuum, conueniebant. Rheti uerò
 Gallie regis fœderati, à quo perpetuas pensiones acci-
 piebant, ad regem qui excusarent miserant, quòd anti-
 quis fœderibus, quæ cum superioribus Heluetiorum ci-
 uitatibus habebant, quin certum peditum numerum
 cum illis mitterent negare minimè possent. Hic motus
 Galliorum animos, quorum uires ualde imminutæ erāt,
 uehementer perturbabat: nam Italis peditibus à Nor-
 mania Quæstore dimissis, non plures quàm decem mil-
 lia peditum habebant: & grauis armaturæ equitibus, à
 rege in Galliam reuocatis, haud plures quàm mille
 trecenti cataphracti relinquebantur: ex quibus trecenti

Parmæ erant: et tamen Normaniæ Quæstor, magis æra-
 rij præfecti, quàm uiri militaris officio functus, nouos
 pedites sine regio mandato conscribi non permittebat:
 sed copias, quæ ut Palicia duce in Aemiliam transfirent,
 iam Finale peruenerant, redire iusserat: & Sansseueri-
 natem Cardinalem cum ijs quæ in Aemilia erant, idem
 facere mandarat, quorum discessu Ariminum atq; Cese-
 na cum arcibus, & simul Rauenna sine difficultate ad
 pontificis imperium redire: cumq; Galli Insubriam mi-
 lite spoliare nollent, Bononia, pro cuius defensione tot
 molestias tulerant, tanquam deserta in periculo relin-
 quebatur. Heluetijs quæ imprimis conuenere, Curia Tri-
 dentum à Cesare per illius imperium itineris faciendæ
 accepta potestate, profecti sunt: qui sua consilia, quo ad
 eius fieri posset, Galliæ regem celare conatus, se foedere
 quod cum illis habebat, iter denegare non posse aiebat.
 Tridento in ueronensem agrum descēderunt: ubi à Ve-
 netorum (qui unà cum Pontifice ad illorum stipendia
 persoluenda concurrebant) exercitu expectabantur: et
 quamuis non tanta adesset pecuniæ summa, ut omnibus
 stipendia persolui possent, quoniam præter illa sena
 millia postulata, multi præterea accesserant, tam ardēs
 erat multitudinis in Galliæ regem odium, ut contra ip-
 sorum morem omnes difficultates patienter ferrent. Ab
 altera parte Palicia, quòd eo itinere in Italiam descen-
 suos crederet, prius ad Pontellium ut eos itinere pro-
 hiberet, cum exercitu uenerat: post cum aliud illos in
 animo habere animaduerneret, ad Castilionem Striue-
 rium, quod oppidum sex à Pischeria milliaribus abest
 constiterat, incertus quæ nam essent Heluetiorum con-
 silia: Ferrariamne uersus, ut ferebatur, an in mediola-
 nensem

nensem agrum essent uenturi: quæ dubitatio mala fir-
 tasse quæ p̄ se secuta sunt, accelerauit: quia non dubita-
 tur, quin Ferraricis in agrum uersus iter sequuturi
 fuissent, nisi Galio: um. aduersa serie, literæ à Veretorũ
 Episcopi interceptæ, sententiam mutare successissent: qui-
 bus literi. Palicia Normania Quæstori, qui Mediolani
 remanserat, reuertitur. Itaque significatio, si. Itaque Mediolanũ
 uersus conuerterent, et stare ac modum difficile fore o-
 ffrindebatur. Quas literas, Cardinalis Seuerinus, qui Ve-
 netijs uenerat, et duces simul, ratione, quæ ratio scilicet,
 eam rem gerendam esse, quam hosti uis melius fore cogno-
 scerant, decreuerunt: idcirco Verona Villafrancam se
 contulerunt, ubi cū ueneto exercitu coniuuati sunt: in quo
 sub Ioannis pauli Ballionis imperio erant quadringenti
 grauis, octingenti leuis armatura equites, et sex mil-
 lia pedum, et in multis tormentis muralibus, et cam-
 pēstribus: hæc fuit causa cur Palicia Valle regio, quod lo-
 cus esset minimè munitus, relicto, Gambarã, ut ad Pon-
 tuium consisteret, se reciperet: cum non plus quam
 septem millia pedum (reliqui enim Brixiam, Pische-
 riam, et Lineacum erant distributi) et mille cataphra-
 eos in exercitu haberet nam etsi trecentos cataphra-
 eos qui Parmæ erant reuocare in armo habuisset, ma-
 nifestissimo tamen Bononiæ periculo posset multa Bentũ
 uoluntatis preces, ut eam urbem sine presidio reli-
 quam ingrederentur, mandare fuerat coactus: hic sero
 periculis et spei qua decepti fuerant, uanitate animad-
 uersis, et supra omnia Normania quæstoris auaritiam
 et peruersa consilia lacerantes, illum ut Federicum Bo-
 zolensem, et nonnullos alios Italos duces quammaximè
 celeritate possent, sex millia pedum comparare pate-

retur, coegerunt: quod remedium haud citius quàm decem dierum spacio comparari poterat: & gallicū exercitum præter paruum militum numerum enervabat etiam inter duces dissensio: quoniã reliqui ferè indignabantur Paliciæ parere: & cataphracti tantis laboribus tamq; diuturnis molestijs fatigati, potius, ut in Galliam redire possent, mediolanense imperiū amitti, quàm tantis angustijs & periculis tueri cupiebant: statim post Paliciæ Vallegio discessum Venetorum copiae cum Helvetijs ingressæ sunt: deinde Mincio transmissa, in agro mantuano castra posuere, ubi princeps debilitatem excusans, omnibus iter concedebat. In his difficultatibus ducum sententia fuit, campestribus locis penitus desertis, munitiora loca custodienda, non sine caussa tantum Heluetiorum numerum cunctando dissolutum iri sperantes: quoniam Pontifex non minus ad sumptus frigidus, quàm ad bellum ardens, etiam tantarum copiarum stipendia se persolvere posse diffusus, admodum lentè pecunias mittebat: ideo duo millia peditum, centū quinquaginta cataphractos, & centum Florentinorum grauis armaturæ equites Brixiae collocarunt: Cremonæ quinquaginta cataphractos & mille pedites: Bergomi mille pedites & centum Florentinos grauis armaturæ equites: reliquus exercitus, qui erat septingentorum cataphractorum, duorum millium Gallorum peditum, & quatuor millium Germanorum, ad Ponteuicum locum natura munitū, & Mediolano, Cremonæ, Brixiae, ac Bergomo opportunum, ubi se facile posse consistere sperabant se cōtulit: sed postero die à Cesare ad Germanos pedites literæ cum mandatis, statim à Gallia regis stipedijs discederēt, allatae sunt: qui cum penè omnes ex Tirclési comira-

somitatu essent, neq; in proprium principem contumaces haberi uellent, eodem die discesserunt: quorū discessu Palicia & reliqui duces omnem mediolanensis imperij defendendi spem amiserunt: idcirco statim Ponteuico Picighitonem se contulerunt: quare Cremonenses prorsus derelicti, foederatorum exercitui, qui iam appropinquabat, urbem suam dederunt, Heluetijs quadraginta ducatorum millibus promissis: de qua urbe cū disputatum esset cuius nomine esset accipienda, & Veneti sibi reddi postularent, tandem foederis & Maximiliani, Ludouici Sfortiæ filij nomine, cui Pontifex atque Heluetij mediolanense imperium acquiri uolebant, accepta fuit, Gallis tamen arcem retinētibus. Per eos dies Bergomum à Gallis alienatum in foederatorum potestatem uenerat: nam cum copias quæ ibi erant, Palicia, ut eas exercitui cōiungeret, reuocasset, statim illis egressis, aliquot exules ingressi defectionis: causa fuerunt. Picighitone Palicia Abduam annem traiecit: quo in loco ad eum accesserunt illi trecētī cataphracti, ad Bononiæ defensionē destinati, quos periculo aucto reuocauerat, etsi pedites quos cōscribere statutū fuerat aduenissent, hic fluminis transitu hostē se posse prohibere sperat at: sed hoc consiliū ut cetera, uanū apparebat: nam cū Normaniæ quæstor numerata pecunia careret, nec rationē inueniret, in tantis periculis fide penitus amissa, qua regijs, ut solebat, uectigalib. addictis pecuniā explicaret, persolui stipendia nequibāt: quatuor dies ibi moratus, q̄ primū hostes trib. infra Picighitonē nulliarib. fluuio appropinquarūt, ad S. Angelū, ut sequēti die Papiā cōtenderet, se recepit: itaq; mediol. imperij tuēdi nulla spe relicta, iamq; uniuersa regione planē rebellāte & tumult-

Vuâte, Io. iacob. Triultius, Normaniae quæstor Antonius
 maria Palaucinus, Galeatius Vicecomes, cū multis alijs
 nobilibus, & omnib. regijs magistratibus & ministris,
 Mediolano, ut in Taurinos euaderēt abierūt: & aliquot
 dies antè, cardinales, quamuis in decretis quàm in alijs
 rebus ferociores, serè eodem tempore, quasi abdicatio-
 nem minantes pontifici omnem tam sacram quàm pro-
 fanam pontificatus administrationē interdixissent, non
 minus tamen populos quàm hostes ueriti, fugam rapue-
 runt. Hi tumultus Mediceo cardinali factis ad summam
 felicitatem reseruato profecti: cum enim in Galliam
 eluceretur, manè ad Padi transitum, qui è regione Bassi-
 niana est, quæ ueteribus Augusta Baciendorum fuit, in
 ipso nauis ingressu, à nonnullis rusticis pagi qui Plebs
 Cairi dicitur, quorum caput fuit Rinaldus Zallus, cum
 quo aliqui cardinalis familiares nocte apud eum hospiti-
 cio excepti conuenerant, ex Gallorum qui eū custodie-
 bant militum manibus creptus fuit: qui perterriti, & ad
 quemuis leuissimum motum trepidantes, strepitu audi-
 to, fugæ quàm pugnae studiosiores fuerunt. Palicia au-
 tem Papiam ingressus, ibi hærere consituebat: ideoq;
 Triultium & Normaniae Quæstorem ut eò uenirent
 postulabat: ad quem missus Triultius (sic Quæstor &
 reliqui proceres mandarant) consilij uanitatem osten-
 dit: cū exercitus peditibus careret, tantæ tēpestati nulla
 ratione occurri posse: nec ob temporis exiguitatem no-
 uos, nisi ex locis admodum longinquis, & summa diffi-
 cultate milites euocari: quòd si nihil aliud obstaret, pe-
 cunias deficere: fidem ubiq; concidisse, amicos terrore
 plenos: populos diuturna militum immoderataq; licen-
 tia auerjos: his dictis Triultius, ut copijs commodū Padi
 transi

transitū parāret, ad pontē, ubi amnis procul à Valentia Astam uersus coarctatur, iaciendum profectus est. Sed iam fœderatorū exercitus, cui Lauda ciuitas cum arce, quum Galli Abduam reliquerunt, deditiōem fœcerat, Santangelo Papiam propius accesserat: quò quamprimum peruenerunt, Venetorum duces tormentis arcem petere cœperunt: & pars Helueticorum nauibus fluuiū, qui urbi coniunctus est, traiecit: Galli autem ueriti ne lapidei pontis, qui ad Ticinum est, per quem solum effugere poterant, aditum hostes impedirent, ut Papia exirent, pontem uersus contenderunt: sed antequam nouissimum agmen, in quo ad equitum præsidium, postremi positi fuerant nonnulli Germani pedites, qui cum reliquis nō abierant, egressum esset. Heluctij à Porta noua & arce iam deserta, illos pugnando per totam urbis & pontis longitudinem Germanis peditibus præter ceteros egregiam operam nauantibus, sunt persequuti: dum uerò pontem Graualonis, qui ligneus erat, trāsirent, tabulis equorum pondere fractis, omnes Galli atq; Germani, qui nondum transferant, uel capti uel caesi fuere. Papienses se ad magnam pecuniæ summam numerandā obstrinxerūt: idem iam fœcerant Mediolanenses ad lōgē maiorem: & præter Brixiam & Cremā omnes reliquæ ciuitates idem æmulatione quadam faciebāt: tota regione imperij nomē inclamabatur, sancti fœderis nomine, & recipiebatur, & administrabatur (hoc nomine de communi consensu appellabatur) rerum summa Sedunensis cardinalis Pontificij legati, autoritati permissa: sed pecuniæ omnesq; mulctæ Heluetijs erant attributæ: illorum erant omnia emolumenta, omnes quæstus: quarum rerum fama, uniuersa natio statim, conuentu, qui

Tiguri hanc ob causam agebatur, commota, nouæ cohortes non pauca ad priores accesserunt. In tanta rerum mutatione, & Placentini & Parmenses sponte suas urbes pontifici dederunt: quas ueluti Rauënensis Exarchatus membra ad pontificium imperium spectare asseribat. Heluetij Locarnum, & Rhæti Vallentelinam, Clauennamq; loca ipsorum rebus ualde opportuna occuparunt: & Ianus Fregosius in Venetorum exercitu præfectus, cum equitibus ac peditibus ab ipsis impetratis Genuam profectus, causa fuit, ut Gallo præfecto fugiente ea ciuitas deficeret: cuius ciuitatis ipse dux creatus fuit, qua dignitate olim pater ipsius functus fuerat. Eodem fortunæ impetu omnes Aemiliæ Flaminiaeq; urbes & arces sub pontificis imperium redierunt: & Urbini duce Bononiam cum pontificijs copijs accedente, Bentiuoli omni spe destituti deseruerant: quos Pontifex acerbissimè persequutus, omnia loca quæ in posterum illos acciperent, sacris interdixit: nec minore odio urbem est persecutus, quòd tot beneficiorum oblita, tam ingrata defecisset: quòd in statum suam multis probris insultasset: & nomen suum innumeris contumelijs, ludibrijsq; affecissent. quamobrè nullos eis denuò magistratus dedit, nec ad ullam administrationis partem aditum permisit: quin etiam per acerbissimos ministros à multis ciuibus uelut Bentiuolorum clientibus magnam pecuniam extorsit: ac, quod grauissimum est, fama fuit, seu illa uera seu falsa, nisi ipsius consilia fuissent morte præcisa, eum habuisse in animo, illa urbe excisa, ciues atq; incolas omnes, Centum (id est oppidi nomen) transferre.

DECIMI LIBRI FINIS.

Errata sic corriges.

Pag. 6, versu 13 quæ cuius. 11, 19 id est. 18, 8 sterne-
retur. 19, 18 mense. 20, 24 simulatè. 21, 9 parū cogitans.
& 15 neapolitanam sine distinctione, & 23 altera cis:
22, 7 sexus. 23, 8 & 9 adoptione, & 16 ipse, & 26 factio-
nes. 25, 17 neapolitani. 27, 8 cum tenui, & 14 contin-
geret, & 26 rei. 37, 14 fama resonare, & 29 portus
munitos. 39, 11 se longè, & 26 expectanda putabat.
41, 22 ptus, sunt constituta: 42, 17 ne priusquam.
47, 13 & 14 expressa, & 26 labasceret. 278, 20 saltum
coronatæ. 281, 7 duobus millibus.



Ob. G. II, 3486







Biblioteka
Uniwersytecka
w Toruniu

STARODRUKI

Ob. G. II. 3486